




AVRELII ALEXANDRI SEVERI IMPERATORIS ROMANI AXIOMATA POLITICA ET ETHICA.

EIVSDEM RESCRIPTA VNIVERSA

ALEXANDRI CHASSANÆI

Commentarijs illuſtrata.

AD REGEM CHRISTIANISSIMVM.

SECVNDA EDITIO.







PARISIIS,

Apud MATHVRINVM HENAVLT, viâ Clopinianâ, è regione paruæ Nauarræ.

M. DC. XXXV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.





LVDOVICO XIII.
REGI FRANCIAE ET
NAVARRÆ CHRISTIA-
NISSIMO.



GRATVLATVR Francia tibi, Christianisſime Rex, quod per te priſtinum decus, & antiquum ſplendorem retineat. Sic iam conſtat potentiſſima quæque imperia, vt ſunt diuina ſemel prouidentia conſtituta, ita eiuſdem ſumma ope & conſilio aduerſus omnium hominum vim conſeruari. Feſtinantius quidem te Deus ad huius regni gubernacula admouerat, quam aut tua ipſius pietas, aut vota ciuium vniuerſa, aut Franciæ fortuna, & genius regum regnorumque maximorum præſes poſtulabat; & poſt Henrici magni patris tui exceſſum timor ingens animos omnium peruaſerat, ne ſubtracto à rebus humanis illo principe, in quo ſalus patriæ nitebatur, omnia quaſi luxata publicæ quietis & tranquillitatis compage in antiquum bellorum ciuilium chaos ſoluerentur, & præcipiti ruina ad vltimum interitum Francia properaret. Cuncta mortem oſtentabant; cuncta vim externorum hoſtium minabantur, & obuerſabatur ciuium oculis luridus mœror contumacis fati pertinacem damnantium acerbitatem, & curis ſollicitudinibuſque ægri & anxij, illud tantum ſolatij habere videbantur, quod malis ſuis nihil adijci poterat, quod grauaret. Auertêre animos tandem à

sensu rerum suarum, & ne te tanti principis hærede suis rebus præsidente aliquid amisisse arbitrarentur, lachrymæ eorum oculis obortæ gratissimo tui conspectu subsederunt. Tu eis velut nouum sidus affulsisti, & ab his terris densissimas tenebras dispulisti. Tu repentini casus iniquitate attonitos ad melioris fortunæ spem, & ex ingenti metu ad fiduciam mox recuperandæ salutis erexisti.

Tum sese pariter diffudit in omnia regni
Membra vigor, viuusque redit calor ossibus ægris.

Illo iam tempore sustinebas non paruam populorum expectationem, imitaturum te paternam diligentiam, nauitatem, industriam, in tuenda, regenda, administranda republica: Nunc te immensum potentissimæ monarchiæ corpus generosa valentique librantem dextera conspicit orbis vniuersus: Intuentur te tui colentes, venerantesque, & paternorum beneficiorum memores à te summa sperant & desiderant. Et certe siue pietatem tuam erga Deum, siue æquitatem erga homines in iure reddendo intueantur; siue rei militaris curam, aut animi magnitudinem ad res arduas aggrediendas, siue celeritatem ad peragẽdas, siue humanitatem & clementiam in rebus omnibus, qua etiam post victoriam vteris, respiciant; vbique illis optimum principem, & reipublicæ gerendæ peritissimum exhibes, & in futurum polliceris. Habes vero domesticum Henrici Magni patris tui exemplum, qui tibi velut è specula lumen quod sequaris ostendit. Ille labantem rempublicam sustinuit, & quidquid prioris æui concusserat furor in meliorem statum reposuit. Hunc coniuratæ totius Europæ vires non modo euertere, sed nec commouere potuerunt. Quin ipse inuicta constantis animi magnitudine calcato contumacium hostium apparatu fulgurantis instar Martis inter medias ferocissimorum hostium acies acerrimum se publicæ securitatis vindicem tulit, & ea demum pro salute patriæ in bello ac pace exsecutus est, quæ apud posteros plus famæ quam fidei sunt habitura. Franciam ille tibi maximis suis laboribus & periculis sustentatam, quam tradere mox parabat, acerbo fato coactus reliquit; & illa nunc vt se benigno sinu exceptam foueas enixè

obtestatur. In te post Dei optimi maximi misericordiam, quam votis omnibus in tui suique auxilium quotidie aduocat, spem sistit suæ tranquillitatis, & tuis procidens genibus supplex à te paternæ pietatis caritatem requirit. Etiam, qua tu iter facere desideres, late beneuolentiam erga te suam testantes circumfundunt se populorum cateruæ, & ipsis effusæ mœnibus vrbes longioris impatientes moræ regis sui gratissimum operiuntur aduentum; vt vel publica gratulatione ciuitatum incolæ non contenti tui visendi studio magistratuum suorum obsequium anteuertant. Ipsi Parisienses ad optatum tui vultum procurrentes ex sua vrbe velut ex famigerato Troiæ equo armatorum tibi ingentes copias educunt nutum expectantes tuum, quam tu in partem illos dirigas. Exultantes gaudio ciues conceptam animo lætitiam iucundis acclamationibus benè tibi precantes prosequuntur. *Illi ipsi*, qui peruicaci contumacia debitum maiestati tuæ obsequium nunc denegant, clementiam tuam & benignitatem experti mox patientiam tibi omnem exhibebunt, & ad ipsam orthodoxam Ecclesiam, à qua cum ingenti suo damno recesserunt, vltro ac voluntatis libera inductione felici postliminio reuertentur; vt duplici voluptate fruaris, quod vno eodemque tempore & tibi simul, & ecclesiæ obsequentur. Hoc pietati tuæ seruauit Deus, Christianissime Rex, vt subditos omnes tuos intuearis veræ fidei cultores, quam & decessores tui sanctissime retinuerunt, & is maxime D. Ludouicus, cuius tu non modo nomen & sceptrum geris, sed etiam mores intemeratos imitaris. Ecce iam prope votorum tuorum exitus continget, vt Francia beatæ pacis muneribus lætetur, atque in eisdem templis vota pro salute tua nuncupet, ac coniunctissimæ societatis nexibus adstringatur. Perge tu modo, Rex maxime, & qua te Deus, bonusque Franciæ genius vrget, virtutum omnium sequente turma progredere. Non possunt non esse tibi prospera omnia, qui ad omnem pietatem & iustitiam vitæ tuæ rationem componis. Qui vero tam emendate tua priuatim dirigis, idem potes publicitus labentem morum disciplinam restituere. Etiam illa parte ille ipse D. Ludouicus auspicatus est sæculi

sui beatitatem: Etiam illa ratione hæresim maximè infestam Albaugustanorum fugauit. Et certè non melius fidei synceritas stabilitur, aut stabilita retinetur, quam si publicis moribus pietas & fides cõstet, cũ in contrariũ vitiorũ seges nõ intercisa ipsas hæreses pariat, omnem impietatem foueat, ac rempublicam funditus labefactet. Hanc tu habes, ptinceps Christianissime, restituendæ pacis & publicæ tranquillitatis rationem, si aduersus scelera, quæ vbique impune coalescunt, publicum gladium distringi iubeas; adeo omnes regni tui partes occupat iniuria. Hoc vnum est & pręcipuum regis Christianissimi munus, vt Principes Christianos aliorsum deflectentes ad officium suum reuocet, insolescentes comprimat, innocentes & contra ius oppressos vltroneo auxilio tueatur, veterem Ecclesiæ disciplinam restituat, quæ ambitione magnatum & temporis iniuria fere nullam vim obtinet. Omnia fessa languescunt, nisi tu opem feras: In tribuendis Ecclesiæ præfecturis nulla vitæ syncerioris ratio constat, nisi modum imposueris. Honores reipub. soli ignorantiæ & diuitiis patent, nisi innocentiam promoueris: Pauperum cura destituitur, nisi illos tu iuueris: Illorum etiam peculium nimis sæpe magistratus deprædantur, nisi tuearis: gladius cuncta demetit, nisi protegeris: vis potentiorum quidlibet sibi vindicat, nisi coërcueris: Vitia virtutum præmia occupant, nisi illas præsidio tuo foueris: Plebs opprimitur, nisi veluti tribunus aliquis iure sacrosanctæ potestatis intercesseris: Res publica morbo contabescit, nisi medearis. Sed tu securus esto, Rex Christianissime; Potens est Deus seruare quæ donat: Et qui huius potentissimæ monarchiæ tibi credidit habenas, idem tui est protector. Mox iam tibi patebunt consilia inimicorum, qui domi forisque cuniculos egêre & agunt in hoc regnum Christianissimum; & cum plura admissa sint te inscio, & plura etiam peccentur; ille mentium tibi abditas & secretas cogitationes patefaciet, vt agnoscas te illius beneficio huius regni regimen accepisse, & eiusdem benignitate acceptum conseruasse. Mox erit vt mirentur omnes Dei optimi maximi misericordiam, qui innocentiam diutius dolis industriis patere non sint, & vbi

nequitia mensuram impleuit, tecta & dissimulata prauorum scelera ad lucem & pœnas promeritas studet reuocare. Mox erit, vt omnibus constet, incassum clandestinis insidiis & occultis sceleratorum hominum machinationibus huius monarchiæ salutem fuisse appetitam, in qua sedem imperij in vniuersum orbem terrarum Dei benignitas aliquando stabilitura est, quia in ea sui principes maxime æquabilem potestatem exercent, & armis suis vbique iustitiam præferunt, sua inculpatæ tutelæ moderamine tuentes, aliena etiam protegentes, ab iniuria semper abstinentes. Bono animo esto, Rex maxime, & perpetuo, vt instituisti, vota, consilia, cogitationes tuas, sceptrorum tuorum tuitionem ad Deum refer. Omnium voto & opinione tu ille es, qui pietatem D. Ludouici æmulatus gloriam Christiani & Francici nominis latè per eas nationes & populos protendes, qui Deum non nouerunt. Et certè non oportet nisi principem Christianissimum aliquando pacatis Christianæ Reipublicæ rebus, etiam ad extremos mundi terminos penetrare, & ibi stabilire crucis trophæum, ac imperij æquitate, sanctioris vitæ commendatione, incorrupta morum synceritate, Christianæ religioni fidem & honorem adserere. Non oportet regni Christianissi moderatorem alio præmio sibi parare ad cœlum viam, quam vt non ficta caritate accensus & solo Dei ductus amore, armis vere piis & Christianis repetat occupata à barbaris redempti orbis pignora. Non decet rerum humanarum arbitrum tot diuinorum beneficiorum debitorem otio aliquid dantem pati in tantum Christiani nominis euilescere dignitatem, vt impotenti Turcarum dominationi contemptui sit. Macte animo esto, Christianissime principum, & constantis animi magnitudine ad patrimonium auorum tuorum vocanti te Deo redde vices. Præsto ille semper adest optimo principi nihil nisi ea, quæ pietatis & iustitiæ sint, meditanti. Quæ tibi prospera, & fere contra spem contigere, ex quo tu regiam auspicatus es dignitatem, manifesto produnt, quam tui maximè curam gerat. Sed quæ mox beneficia collaturus est, certissimam tibi fidem facient esse te illum, per quem velit orbi misericordiarum suarum impendere gra-

tiores effectus, & sub cuius auspiciis desideret veram & orthodoxam religionem, suique cognitionem ad vniuersos mundi incolas peruenire. Tu interim, dum illa tibi prosperet, (prosperabit autem quam citissimè) ex alto illo sacro sanctæ maiestatis solio, vnde tu ambientibus vndique populis iura reddis, faue laboranti, & fausta omnia non turbido animi iudicio, non vagis rerum indiciis, sed certa & indubitata mentis diuinitus commotæ ratione nuntianti. Ecce maximi Imperatoris axiomata politica ac constitutiones delegi, & commentariis etiam illustraui. Hanc vtcumque leuem tenuissimi ingenij operam tuo nomini inscriptam benigno vultu suscipe. Non est quidem illud dignum neque augusta neque regali fortuna munusculum; sed tibi tamen omni parte debetur: Nec enim seruato decore magni Imperatoris constituta, & gubernandæ reipubl. præcepta, potui alij offerre, quam Regi maximo; nec potuerit ipse Imperator æquioribus auspiciis purpuram suam substernere, quam Monarchæ Francorum Christianissimo, ad quem aliquando orbis habenæ rediture sunt, quas est ille quondam feliciter moderatus. Quod si ipse, vt debeo, securum ab odio & inuidia præsidium quæram, speciosius te innocentis industriæ vindicem feram.

Regis me dextera cunctis
Defensum dabit, atque opera ad maiora remittet.

Nec verò est, quod perlustrato terrarum ambitu omni potentius rerum humanarum culmen inuocem. Tu paternis & auitis titulis clarus illis etiam proprias & peculiares animi dotes adiungis. Tu quà patent axes mundi regni potentissimi hæres, quo tanto rerum fastigio nouum decus adijcias, illis es instructus artibus, quarum beneficio magna ingenia ad ingentis fortunæ cultum excitantur. Te igitur, Rex maxime, inuoco, atque etiam, vltra quam subditus solet, quæ mea sunt ac meipsum in tuam clientem ac patrocinium defero. His si tu faueas (fauebis autem certè non iniusta desideranti) tanti principis subleuatus auspiciis semel expertas vires liberiori cœlo, & fiduciæ minus trepidanti permittam. Sic vero, quæ gemina sceptra Deus omnipotens felici tradidit

didit manu tibi tuiſque perpetuo cuſtodiat & tueatur. Sic beneficia ſua, quæ ſumma tibi collaturus eſt, maturet elargiri. Sic Franciæ votis ad tui amorem religioſè conſpirantis benignus aſpiret. Sic dum pacatis rebus generoſi orij tranquillitate pacis artes ſcientiaſque excolere, moribus Franciam ornare, legibus emendare deſtinaueris, huius imperij cuſtos angelus conſilia tibi optima ſuggerat. Sic cum bella tractare inſtitues, ſignis victricibus tuis fidi comites adſint ſemper nobiles tui, & latè ad extremas vſque indici littoris oras Chriſtiani & Francici gloriam nominis inferas, vt propagatis vndecumque imperij tui finibus, vndecumque pietatis & clementiæ tuæ veſtigia conſiſtant.



AD EVNDEM PRINCIPEM.



IRTVTIS *fortisque potens, Rex magne, timenda*
Cui gemina omnipotens sceptra tenere dedit.
Qualis in eois ales titanius oris
Exit odorato, quem struit ipse, rogo.
Qualis permistus Diuis Tyrinthius heros
Corporis assedit purus ab illuuie.
Qualis & ipse redux primos Iolaüs in annos,
Cum posuit rugas pallidaque ora senis.
Auspiciis rediuiua tuis se Francia talem
Exhibet, atque agili mobilitate viget.
Iam vires animosa nouas assumit, & illam
Florentem feruens spiritus intus alit.
Siue libet quassare solum; tibi prompta frementes
Fundet equos, bello fundet & ipsa viros.
Seu pacis tibi gratus honos, & tuta quietis
Otia, Pieridum munera plura feret.
Aspice concordes animos, & fida tuorum
Pectora, morigeros aspice Francigenas.


Augustæ lætos iam maiestatis honores
Suspiciunt alacres, & tua iussa manent.
Illos alma tenet spes, quæ præsaga futuri est,
Auspice te Latij regna redire senis.
Neglectis Astræa polis inuisere terras
Iam parat, ac tetrum pellet ab orbe scelus.
Virtutes priscas repetent te vindice sedes:
Diffugiet regno fraus scelerata tuo.
Finiet insanas ratio sine iudice lites:
Iam nullo quisquam crimine quæret opes.
Et si quæ sceleris suberunt vestigia prisci,
Intendetque aliquas fraus inimica plagas;
Pœna metusque & acerba reos vindicta sequetur:
Præsidium insonti publica iura ferent.
Tempore non vllo meritis maiora patebunt
Præmia, non vllo tempore maius erit
Ingenij pretium; solers industria donis
Læta tuum propriis nomen ad astra feret.
Syncera pietatis honos, cultusque manebit
Integer, & sacris gloria maior erit.
Cunctos alma fides, cunctos respectus honesti
Tanget, fungetur munere quisque suo.
Horrebit vetitis se se infestare duellis
Nobilitas, sæuo nec petet ense suos.
Impendet patriæ vires generosa tuendæ;
Impendet validas in tua vota manus.
In quascumque illam terræ dimiseris oras;
Eoüs seu quas alluit Oceanus,
Seu quas sol medius, seu quas tenet incola Thules
Arctoæ, occidui vel terit vnda maris:

Aurea qua steterit duce te metuenda proteruis
Flammula, conscensos flectere perget equos.
Vndique fulmineos duce te circumferet enses,
Vndique læta tuum proferet imperium:
Proferet extremos super & Garamantas & Indos:
Succumbent sceptris sceptra superba tuis.
Francia non se vnquam tali iactauit alumno:
Talem Romanæ non cecinere tubæ:
Græcia non talem cecinit, nec prisca vetustas,
Sæcula nec talem posteriora ferent.
Non tibi magnorum bello circumferet vllus
Heroum, iusta plus tibi parte soli
Concedent Reges: populi patientur habenas,
Et validæ gentes ad tua iussa frement.
Sic veluti medius radiantia sidera Phœbus
Temperat, ac reliquas vincit honore faces
Tu medius certo compones fœdere Reges,
Et mundo leges æquaque iura dabis.
Talia fatidicæ neuerunt sæcla sorores,
Ducentes fusis prospera cuncta suis.
Francia venturæ lætatur munere sortis,
Et fundit multas in sua vota preces.
Tu modo, qui tanta decoras diademata fama,
Qui virtute annos & genus anteuenis,
Quem terræ manet imperium, quem fama paterni
Nominis, ad summos euehit vsque polos;
Adsis o, semperque fauens, semperque benignus:
Indulge votis Rex Lodoïce piis.
Ecce parum fidens celsos intrare penates,
Regalemque aulam scandere musa parat.

Deme metum timidæ, maiestatisque micantes
Augustæ radios leniter abde tuæ.
Vultu, quo terras tempestatumque serenas
Nubila, quo ventis æquora lata vacent,
Hæc, quæcumque tibi supplex industria vouit,
Accipe fortunæ munera parua meæ:
Neue tuum nomen, quod tantas protegit vrbes,
Indignere istis irradiare notis.
Sic tibi cuncta Deus fortunet, cuncta benignus
Prosperet, & faustis annuat auspiciis.
Proferat ipse tuos in plurima sæcula menses,
Et serum diuos inferat inter auos.

INDEX CAPITVM, QVAE IN AXIOMATIBVS POLITICIS CONTINENTVR.

FINIS.



INDEX OMNIVM LEGVM

SIVE RESCRIPTORVM ET CONSTITVTIONVM IMPERATORIS Alexandri Seueri, quæ hoc volumine continentur & explicantur.

Ex libris Pandectarum.

Ex lib. 1. Codicis.

Ex libro 2.

Ex libro 3.

L.5.

Ex libro 5.

Ex libro 6.

Ex libro 8.

FINIS.

Duo indices rerum & materiarum in calce operis sunt adiecti.



AVRELII ALEXANDRI SEVERI IMPERATORIS ROMANI AXIOMATA POLITICA, & ethica.

PRÆFATIO.



EST illud publico omnium gentium iure, & populorum consensu confirmatum, inter gubernandæ reipub. modos, primas obtinere vnius principatum. Id si autoritate indigeret, docerent illi septem Persarum Satrapæ, qui post exactos & occisos magos (qui imperium Persarum vsurpauerant) dum de optimo genere reipub. administrandæ constituendo quærerent, & alij populo suam libertatem permitterent, alij optimatum imperium defenderent, in eam sententiam decurrerunt tandem, vt monarchiam oligarchiæ, & democratiæ anteferrent. Illi ipsi demum, Dario ex illis vno hinnitu equi, & sortis iudicio electo, tanta moderatione præditi fuerunt, vt eum communi consensu, & maxima animorum coniunctione, humi prostratis corporibus, regem consalutauerint, nec ei se in rebus omnibus, tum priuatis tum publicis morigeros præbere renuerint, cui antea virtute pares & dignitate fuerant. Ipse Aristoteles etiam in libera Atheniensium ciuitate & natus, & educatus, ipsius tamen naturæ summam rationem secutus, in politicis non veretur illud serio contendere βασιλείαν τῶν ὀρθῶν πολιτειῶν μίαν εἶναι. Quod ex Platonis sententia tradit etiam Plutharchus in libello περὶ μοναρχίας καὶ δημοκρατ. καὶ ὀλιγαρχ. qui si ius sibi daretur optimam rempub. constituendi, citra omnem controuersiam electurum se monarchiam tradit. & ipse etiam Plutarchus in lib. εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον, βασιλείαν vocat τελειοτάτην καὶ μεγίστην τῶν πολιτειῶν. Sed vt in re minime dubia, longioris disquisitionis labor absit: si aduertatur quibus initiis, quibusue incrementis, romanum imperium ad illam immensam magnitudinem, quæ fere ingentissimo sui pondere laborabat, peruenerit: Illud parebit a regio imperio tantæ maiestatis fundamenta primordium traxisse; atque ita demum terræ marisque regimine parto, ad illud idem vnius arbitrium rebus dictantibus ius de-

minationis remeasse; vt vnus esset, qui longa serie sæculorum firmatam tantam rerum molem, arbitratu suo libraret & moderaretur. Id non obscure docet Pomponius I. C. dum eius vrbis mutatum per vices statum, & fortunam describit, quemadmodum a regibus ad populum, à populo ad senatũ ius comitiorũ translatum sit, nam id quodãmodo per partes euenisse ait vt tandem necesse esset per vnum reipub. consuli. Qui Iurisconsulti sunt verè, & philosophi quoque sunt verè, idque ex consequentia magis necessaria, quam quæ in scolis dialecticorum ex duobus assumptis necessario vtris elicitur, nam & ipse Vlpianus (nisi si quid de se prædicanti derogandum est) *veram*, inquit, *non simulatam philosophiam affectamus*. Videamus igitur an ratio philosophi alicuius, Pomponij assertioni consentiat. Illud minimo negotio præstabit Plutarchus summus & Philosophus & historicus, dum loquitur de Pompeij & Cratippi Philosophi colloquio post cladem pharsalicam, & famigeratum illum armorum congressum, in quo inter eundem Pompeium & Cæsarem de statu romanæ reipublicæ, & imperio dimicabatur: Nam quod post illam pugnam, & fractas Pompeij vires, à democratia ad vnius dominatum summa rerum peruenerit, eam mutationem diuinæ quodammodo prouidentiæ adscribit, ὅτι τοῖς πράγμασιν ἤδη μοναρχίας ἔδει διὰ τὴν κακοπολιτείαν. Verum interquiescentibus paulatim prudentiæ legitimæ, & Philosophiæ rationibus: Quando verba segnius irritant animos, quam exempla; Recurrat animus ad id temporis momentum, quo cura reipub. ad imperatores est deducta. Id quicumque attento animo fecerit, ægram illam rempublicam videbit sæuissimis agitatam procellis, internecionibus domesticis afflictam, seditionibus discordem, præliis atrocem, bellis ciuilibus prope confectam. Mente prope consternata & ad ipsam cogitationem expauescente, promptum fuerit considerare,

Cognatas acies, & rupto fœdere regni
Certatum, totis concussi viribus orbis
In commune nefas, infestis obuia signis
Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.

Omnia terroris plena erant, ferrum & flamma omnia absumebat, minacium armorum fragor vndique circumstrepebat, quatientium scuta militum horrendus crepitus exaudiebatur, concurrentes inter se ciuium exercitus in mutuum ferebantur interitum: Illic infames bonorum proscriptiones, illic inter victores per modum compensationis & permutationis ciuium etiam amicissimorum capita ad necem concessa, & eorumdem etiam post ipsam prælij sortem cædes recrudescens; ibidem insana profanorum sacrorumque direptio, hinc victoria insolens popularium aduersus populares suos, hinc ducta miserabilis captiuorum caterua, vbique infantium ploratus, vbique fœminarum lamentationes & eiulatus, cum illi pios parentes, illæ charos coniuges desiderarent: denique vrbs ipsa terrarum domina, in perniciem suam præceps

ruebat, & præpotens populus deuictum à se orbem suis ipse viribus vlciscebatur. In tanta perturbatione & conuersione rerum omnium, quis dubitet salutarem astitisse Cæsarum dominationem, qui intestinos illos motus nutu suo cohiberent, & maiestatis romanæ famam pondusque sustinerent. Illud nimirum est, quod velut notatu dignissimum tradit Tacitus grauis & seuerus rerum iudex, & circa ea magnus artifex, quæ ad rationem politicæ administrationis pertinent: Hic enim statim in principio annalium tradit, *cuncta discordiis ciuilibus fessa, Augustum principis nomine sub imperium accepisse*, & mox eo vita functo multos extitisse qui dicerent, *non aliud discordantis reipublicæ remedium fuisse, quam vt ab vno regeretur.* Et idem initio historiarum: *Postquam bellatum est apud Actium, omnem potestatem ad vnum conferri pacis interfuit.* Non absre itaque postquam summa reipub. penes Augustum fuit, & pacatis rebus de imperio deponendo, & restituenda populo libertate cogitaret, Mæcenas constanti animo eum ab hac sententia dimouit, hac ratione salubri consilio suo astruens fidem, συμφέρειν μᾶλλον μεγέθει τοῦ πολιτεύματος μοναρχίαν βασιλικὴν καὶ ἔννομον. A qua sententia non multum abludit Seneca, qui illud quasi verissimum axioma tradit, *optimum ciuitatis statum sub rege iusto esse.* Et certe, quod anima corpori est, id princeps populo præstat; quemadmodum enim anima corpori formam suam communicat, motus eius omnes regit, singulis membris singula officia assignat, interioresque & exteriores corporis partes ad ministeria sua rite obeunda moderatur: Ita princeps societatem ciuium tuetur, æquitatis regula eorum temperat actiones, & omnia rite disponendo id efficit, vt singuli publicæ tranquillitati ferant suppetias, & mutuis officiis sibi inuicem securitatem præbeant vniuersi. Cui consequens illud est, quod tradit idem Seneca lib. 1. de clementia. *Regem vinculum esse per quod respub. cohæret, & spiritum vitalem, per quem omnia trahunt spiritum.* Quapropter illud etiam constat sub regio imperio in ipsis naturæ incunabulis gentes nationesque floruisse. Et hæc eô veriora sunt, quod quemadmodum vnus est deus, qui terras, atque adeo hunc mundum vniuersum tuetur, & gubernat, immensique illius operis autor & artifex, illud idem tanta mente, tanta arte regit & moderatur, quam animi coniectura persequi quisquam nullo modo potest: Ita nullus dubitauerit à deo cõstitutam inter homines regum & imperatorum dominationem, quæ tranquilla imperij moderatione genus humanum foueret, atque inter suos prope eius vicem sustineret. Qua ratione Vegetius etiam principem vocat præsentem & corporeum deum, quod Baldus legum ciuilium tractator & enarrator de rege francorum enuntiare non dubitauit. Themistius vero orator & Philosophus ait etiam imperatorem esse ἀποῤῥοὴν θείας φύσεως. Homerus vbique reges vocat διοτρεφεῖς quasi à ioue nutritos, educatos, & ad regalis solij fastigium ab eodem euectos;

Διοτρεφέος βασιλῆος

Τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι, φιλεῖ δέ ἑ μητίετα Ζεύς.

Et eo pertinet quod notat doctissimus Euripidis scoliastes in eam tragœdiam, quæ inscribitur, Hippolitus, ad hunc versum

Ἄναξ (θεοὺς γὰρ δεσπότας καλεῖν χρεών.)

Ἄναξ inquit, dicitur ἀπὸ τοῦ ἄνω ἀξίαν ἔχειν, quô fit etiam vt supremus princeps quasi imago dei existimetur, non quam Lysippus cælo, aut Apelles aliquis penicillo finxerit, aut pinxerit, nullam sui vtilitatem hominibus præbentem: Sed quam ipse deus magistra & artifici manu ad sui instar vitæ officia moderantem humanæ infirmitati colendam dedit.

Εἰκὼν δὲ βασιλεύς ἐστιν ἔμψυχος Θεοῦ.

Et illinc consequens est, vt qui in principem quid audet, aut molitur, summum admisisse nefas, ingens piaculum patrasse, & quantum in ipso est, deum ipsum violasse credatur. Inde etiam regiæ potestati maiestatis nomen tribuitur, quo in terris nullum nomen augustius, quam etiam ex honore & reuerentia satam, ioui perpetuo assidere Ouidius fabulatur. Nec ob aliam causam dicendum est, inualuisse apud gentes, vt monetæ cui forma publica esset, vultus principis insculperetur, quàm vt in promiscuis rerum actibus, & in ipsis commerciis, quibus fere omnis vita hominum constat, perpetuo vigeret, & ob oculos esset sacra principum maiestas, quam tanquam numinis simulachrum homines venerarentur, ac propterea videtur etiam obtinuisse, vt statim atque imperatores romani creati essent, imagines eorum vbique circumferrentur: sicuti Zozimus tradit missos a Constantino & Maxentiô, qui imagines suas prouincialibus exhiberent. Creditum est etiam veteribus in regis nomine aliquod nomen inesse, nam & Macedones cum sæpius repetitis præliis, à Thracibus & Illyriis vincerentur, quasi regis potius auspicium illis, quam virtus defuisset: Rege suo, qui admodum infans erat, in cuius prolato, & ante aciem posito, instaurato certamine hostes fuderunt. Eodem consilio regina Fredegundis, sagax in rebus agendis mulier, regnum Clotario filio fere adhuc in cuius vagienti stabiliuisse dicitur, si quidem (vt tradũt annales nostri) eum vbique, qua parte opus erat, circumferebat, vt miseratio infantis omnes teneret, quem de rege captiuum Childebertus facturus videbatur.

O quantum populis secreti numinis addit
Imperij præsens species, quantamque rependit
Maiestas alterna vicem.

Paulus Iouius initio historiæ, vbi de moribus populorum fere omnium, & maxime Christianorum censuram sine imperio exercet, & liberum fert iudicium: Quamquam Gallis perpetuo iniquor propter italicos tumultus, tamen id eorum laudi etiam inuitus tribuit, quod summa fide erga principes suos ducantur, & ipsis ducibus nullum tolerare laborem militiæ renuant. *Gens,* inquit, *alacritatis & perampla fiduciæ plena,*

mirumque in modum dedita regibus suis, quibus diuinum quemdam animi vigorem inesse persuasum habent, nihil rege duce sibi arduum aut factu difficile fore existimant. Nouissime id rerum ipsarum argumenta docuerunt, cum principis nostri præsentia labantes prouincias firmauit, ciuitatibus pristinam libertatem restituit, agris securitatem præstitit, & vniuersos ad venerationem sui, simul & debita maiestati suæ officia reuocauit. Illo duce, te vera nihil arduum Francia arbitrabitur, cum vbique virtuti & fœlicitati paternæ pares spondeat vices.

Astrum, quo segetes gaudebunt frugibus, & quo
Duceret apricis in collibus vua saporem.

Sed vt vnde discessit sermo redeat, potest illud obseruatione non indignum videri, quod perpetuò obtinuit, reges & principes nonnisi solenni ritu, & sacris adhibitis auspicari imperium & regiam dignitatem, idque quo magis tanquam numen aliquod ab hominum iniuria vindicarentur. Sic apud Persas, reges à sacerdotibus consecrari solitos, solenni mysteriorum obseruatione Plutharcus autor est: Sic Liuius nonnisi auguratô Romulum & Numam regnum adeptos docet. Sic fortunæ aureum simulachrum in principum cubiculo collocari solitum, & mortuo imperatore in cubiculum successoris transferri Iulius Capitolinus & alij tradunt, quasi eo modo imperij vindiciæ sumerentur. Ipse Octauius Cæsar, postquam ad imperium & gubernacula reipub. consensu omnium admotus est, quô aliqua religione magnum hoc rerum humanarum culmen sacrosanctum redderet, ex Munatij Planci sententia Augusti sibi nomen assumpsit, non tantum nouo, sed etiam ampliore cognomine, neque ab augendo imperio (vt Accursius & barbarum vulgus antiquorum iuris interpretum fingit) sed quod loca religiosa, & in quibus auguratô aliquid consecraretur, augusta dicerentur ab auctu vel auium gestu. Idque non obscure tradit Xiphilinus in eius vita. Καῖσαρ, Αὔγουστος, ὡς καὶ πλεῖόν τι, ἢ κατ' ἀνθρώπους ὢν ἐπεκλήθη, πάντα γὰρ τὰ ἐντιμότατα καὶ ἱερώτατα, ἄυγουστα προσαγορεύεται, ἐξ οὗ δὴ καὶ σέβαστον αὐτὸν ἑλληνίζοντες διὰ τὸ πιτὰ σεπτὸν προσεῖπον. Et hanc rationem secuti Iurisconsulti vbique sacra vocant quæ ad imperatores pertinent. Sic in iure frequens mentio sacræ vestis, sacri stabuli, sacri patrimonij, sacrarum largitionum, & alia eiusmodi. Reges etiam ipse deus in sacrâ paginâ oleo consecrato inungi voluit, quasi illo genere consecrationis, eos ab hominum consortio eximeret, & ab omni humano iure solutos in suam familiam coöptaret. Et hac quidem in re, reges Franciæ hanc præcipuo quodam iure habent prærogatiuam, vt Chrismate angelorum manibus confecto, & cœlitus demisso perungantur, quod ita summo rerum parenti placuisse credendum est, quô cum apud suos, tum apud alienigenas, magis magisque eorum maiestatem inuiolabilem redderet, & sacrosanctam. Et id quamuis multi exterarum gentium vix inducantur vt credant: hoc tamen tam æquo animo patiantur, quam regum nostrorum fulgorem, & elatum su-

pra cæteros mundi monarchas & megistanes fastigium patiuntur. Cum illis, aliisque quamplurimis nominibus hæc potestas sanciatur, sequitur exinde, vt quisque regibus suis subiici debeat, & populus erga eos morigerum se prebeat & obsequentem. D. Augustinus lib. 2. confessionum: *Generale pactum est*, inquit, *societatis humanæ obtemperare regibus suis*. Quod dogma ita ab ecclesia comprobatur, vt etiam decreto Gratiani fuerit insertum, ex quo fit vt maxime sit improbanda eorum consuetudo, qui sibi permittunt, vt de principum actionibus libere loquantur, aut non vt par est ipsis obsequantur, quibus illud Bionis obiici potest.

Κείνων ἐκ ἐπίσης θεῖα ἔργα βροτοῖσι,
Πάντα γὰρ ἱερὰ ταῦτα καὶ ἅδια.

Quod docet Seneca manifestius dum ait *seruum herilis imperij non esse censorem, sed ministrum*. Et M. Terentius apud Tacitum ad Tiberium imperatorem nobilitatum hoc dictum protulit. *Non est nostrum æstimare, quem supra cæteros aut quibus ex causis extollis; tibi summum iudicium dij dedere, nobis obsequij gloria relicta est*. Sed cum hęc ita sint, & vicariam summi principes adeo habeant potestatem: Huic est rationi consequens, vt erga eos quos sibi subditos habent, ex Dei natura beneficos se, & liberales exhibeant, imperiumque perpetua clementia & benignitate temperent. Nec alia ratione Homerus vbique reges, & principes vocat ποιμένας λαῶν, quam quod veluti pastores inuigilare debent, vt armentis & gregibus suis bene sit, & a ferarum impetu eos prohibeant: Ita principes eos quorum curam habent, ab omni iniuria tutos, & incolumes custodiant. Et Chrysantas apud Xenophontem ratione nō dissimili, dicebat optimum principem parum differre à pietate paterna; vt quemadmodum pater consilium pro liberis capit, ne quid ijs ex necessariis sumptibus desit: Ita ex re principis sit prospicere ciuium vtilitati, vt quidquid agat; ad salutem eorum referat oblitus commodorum suorum. Est igitur illa lex imperij prima, vt qui ad illud honoris fastigium peruenit, id summa cura efficiat, & in eo principem curam impendat, vt in tranquillo otio populus secure degat: Ideoque rectissime Agamemnon apud eundem Homerum ex optimi principis persona,

Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι.

Et ipse imperator Iustinianus id vbique profitetur, se animo voluere, vt populi commodis consulat, & noctes plerumque insomnes agere, vt quietem suis præparet; quasi illud diceret principis animum semper erectum, & expeditum esse debere, & omnia sua consilia, cogitationesque eo defigere, ne quid aduersum suos imparatos, improtectosque aggrediatur & decipiat. Ad hanc videlicet Homeri sententiam Iustinianus respiciebat.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
Ὧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

Nec ab illa sententia multum abludebat Antigonus Macedonum

rex, qui principatum nihil aliud esse dicebat, quam splendidam seruitutem, & Ammianus Marcellinus imperium definiebat esse curam salutis alienæ. Et ea propter vt recte notat Seruius Æneæ comitem assiduum Achatem facit Virgilius, quod sollicitudo & cura, quę Græcis ἄχος dicitur, soleat & debeat principibus adesse. Id etiam innuebat prisca illa Persarum consuetudo de qua Plutharchus in vita Artaxerxis, ex qua princeps qui inaugurabatur solitus erat potione quadam vti, ex lacte & aceto confecta: nihil enim aliud innuere voluisse dici potest, quam imperandi voluptati immixtam esse debere ægritudinem curarum. Iisdem & alius mos memoratu dignissimis referente eodem Plutharcho. Ingressus quotidie regis cubiculum vnus ex purpuratis eum rogabat vt surgeret, & ea procuraret negotia, quibus ipsum Mesoromasdes (qui apud Persas deorum maximus habebatur) præfecisset. Eo dicto admonebatur non sui commodi gratia tot tantisque, tam longe summotos fines incolētibus populis imperare, sed vt eorum vtilitati prouideret, & prompta atque intenta mente eos aduersus iniurias & repentinas incursiones, & quæ in rebus humanis impendent pericula tueretur & defenderet. Imo ille ad virtutem non mediocris stimulus esse principibus debet, quod ab his quæ bene fiunt, ignota esse non possunt & omnibus solent prodesse. Hanc vero, quam in optimo principe desideramus nauitatem sedulam, diligentiam non incuriosam, constantiam in rebus omnibus arduam, sic optime Seneca exsecutus est. *Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio, ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicauit, se sibi eripuit: & syderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant, numquam illi licet, nec subsistere, nec suum quidquam facere.* Iam vero ad principem suum sui sollicitum tota se Francia conuertit: eius nutum expectat, ad eius arbitrium animos componit suos: In eius oculis ore & vultu benigne acquiescit. Est vero quod dulcissima eam spes foueat beati otij, & certissimæ a rege suo salutis: Est illis vtique ortus maioribus, qui ingenitam pietatem semper habuerunt. Ad summa natæ indoli adsint modo, contingantque semper, non tantum vt Achilli homerico Phœnix vnus, sed fidei comprobatæ, quales nunc sunt, innumerabiles consiliarij, qui ad vtilitatem compendiumque suum principis erga se propensam beneuolentiam non conuertant, sed eius animum sibi à deo ipso summo rerum humanarum parente commendatum, magis magisque ad veræ cultum iustitiæ, ad studium virtutis omne, mutuasque erga obsequentem populum amoris & caritatis vices accendant. Inclinatione sæculi ruentis in nefas, omnia furore conturbata videbantur, nec sacris diuinisque pietas, nec humanis iura constabant, euersis moribus nequitia regnabat, & in deterius vniuersa prolabebantur: virtuti dedecus parabatur, vitiis ingentium præmiorū honor accedebat: nullus honestatis respectus, fidei nullum decus: auaritia temere omnia pessumdabat, & in ipsa Themidis

penetralia irruebat: nulla publici cura, ad ſuum quiſque commodum reſpiciebat, ius faſque priuatis vtilitatibus æſtimabat: denique ea erat rerum facies, vt ſi Apollonius Tyaneus ex mortuis reducem vitam ageret, non aliis Franciam verbis eſſet allocutus, quam quondam epiſtola ad mileſios miſſa in hæc verba. *Οἱ παῖδες ὑμῶν πατέρων δέονται, οἱ νέοι γερόντων, αἱ γυναῖκες ἀνδρῶν, οἱ ἄνδρες ἀρχόντων, οἱ ἄρχοντες νόμων, οἱ νόμοι φιλοσόφων, οἱ φιλόσοφοι θεῶν, οἱ θεοὶ πίστεως: προγόνων ἀγαθῶν ἐστὲ, τὰ παρόντα μισεῖτε.* Sed iam in melius ſors Franciæ commutatur, & diuino fauente numine, in nouos pietatis ac ſolidæ virtutis aſſurgit affectus. Iam de littore vaſtas illas, è quibus erupit, malorum voragines ſecuris oculis luſtrat, & crebris fluctuum recurſibus ad aſperrimas cautes mox colliſa nunc ad portum appellit Quid quiſque a principe noſtro expectare debeat, ipſe non dubia voluntatis ſuæ ſententia declarat, vt iam certum ſit religionis cultum impenſiorem, iuſtitiæ firmius præſidium fore. Illo imperante ſuum Sacerdotibus & clericis omnibus, ſuum nobilibus, ſuum magiſtratibus, ſuum plebi conſtabit officium. Virtus debitos honores, vitium pœnas promeritas conſequetur. Ab adytis iuſtitiæ ſordes auaritiæ, & ambitionis labes aberit, & vt olim ab æquitatis tramite ad obliquum nequitiæ callem deflexus fuit procliuior, & a rectis in vitia, à vitiis in crimina, à criminibus in malorum præcipitia citatus fuit decurſus: ita mutata rerum vice à ſingulis in plures, à pluribus in vniuerſos, omnigeniæ virtutis amor emanabit. Quiſque ad verum decus exurget, nullæ priuatæ vtilitates publicis conſiliis officient: Omnes principis ſui gratiam bene agendo ſtudebunt promereri. Faxit vero illud Deus, vt regnum hoc florentiſſimum, quod auſpicatò, & deo quodammodo autore in æternum conditum eſt, quo vſque duratura ſunt ſæcula, ſub auſpiciis ipſius Ludouici decimi tertij principis noſtri iam iam patrias virtutes æmulantis, integra, concordi, & perpetua pace fruatur, ſub illo inquam principe, quem initio huius ſæculi videntur diuina tribuiſſe, vt illud fœlici beatitudine proſperaret. Contingat illi quæ Pompeio populorum par beneuolentia, Auguſti fœlicitas, eadem quæ Traiano impetandi moderatio, quæ patri clementia & virtus militaris, & quæ ſummis vnquam principibus adfuit virtutum omnium ſupellex, quò perpetuò veræ pietatis vindex, publicæ tranquillitatis aſſertor, Eccleſiæ ornamentum, Chriſtianæ religionis numimentum, principum regumque vicinorum arbiter, delicium generis humani habeatur. Hoc omine votiſque, regis regnique fortunam proſecuti, ſtilo aliquanto liberiori imperatoris Alexandri axiomata politica & ethica proponemus, eius reſcripta, quæ magis ad forenſem prudentiam pertinent, facili qua poteſt methodo poſtmodum explicaturi.

De Reli-



DE RELIGIONE ET DEI CVLTV.

Cap. I.



Ecte vero à Religione & pietate auſpicandum: nam illa virtus fœlicitatem populis, certiſſimam laudem principibus, aduerſus incurſantes fortunas munimentum, tranquillitati publicæ ſtabilimentum, virtuti militari decus, otio publico ſecuritatem, paci diuturnitatem, in proſperis moderationem, in aduerſus conſtantiam, in rebus omnibus ſummam animi tribuit æquabilitatem. Pietas Deo homines coniungit, & hoc eſt in homine præſtantius, quod per Religionem propius ad Deum accedit, & fit diuinæ conſors naturæ, *τὸ μεῖζον ἀνθρώπου ταπεινότητι, ὁ Θεῷ πλακεὶς, καὶ Θεὸν γένηται ἐκ τῆς μίξεως*, vt inquit D. Gregorius Nazianzenus. At ex eiuſmodi familiaritate, vix eſt vt princeps aut quiſquam alius, cui ſalus publica curæ eſt, non aliquod commodum mutuetur, quod in res humanas rependat. Illud proprium eſt humani ingenij, eorum vitia vel virtutes imitari, quorum colloquio & conſuetudine delectatur. Cum igitur nihil mali in Deo fingi poſſit, & ſit vt inquit Ariſtoteles omni virtute maior, *ἐκ τῆς Θεοῦ ἀρετὴ, ὁ γὰρ Θεὸς βέλτιον ἀρετῆς, καὶ οὐ κατ' ἀρετὴν τῆς σπουδαῖος*; conſequens eſt, vt qui per Religionis cultum, Deum aſſidue meditatur, & cum eo eſt in continuo ſuſurrio, ad eiuſdem Dei optimi maximi præcepta, & regulas mandatorum, actiones ſuas omnes moderetur. Nulla gens vnquam fuit, ſi modo vel leui momento rationis vſa eſt, quam non imbuerit certa diuinæ cuiuſdam & præſtantis naturæ cognitio, qua totus hic mundus gubernetur. Eius aſſertionis fidem faciunt Imperatores Theodoſius & Valentinianus. *Quis tam mente captus, tam notæ feritatis immanitate damnatus eſt, vt cum viderit cœlum diuinæ artis imperio, incredibili celeritate intra ſua ſpatia metas temporum terminare, cum ſyderum motum vitæ commoda moderantem, dotatam meſſibus terram, mare liquidum, & immenſi operis vaſtitatem finibus naturæ concluſam, tanti ſecreti tantæ fabricæ non quærat autorem.* Et ex illa quidem anticipata cognitione illud concluditur, pietate & Religione, veluti mentium arctiſſimo vinculo contineri humanam genus. Inde fides & iuſtitia, inde virtutes omnes ſplendorem ſuum mutuantur, vt in contrarium ſublata religionis & rerum diuinarũ cura, & futuræ ſortis poſt hanc vitam ab hominum mentibus amandata cogitatione, certum ſit rerum omnium naſcituram perturbationem, concordiam ſtatim peri-

turam, & omnem honesti rationem quasi misso libello repudij extra mundi terminos exulaturam. Quapropter verè illud dixit Isidorus: *Imperiorum robur & firmitatem, Dei amicitiam esse, sanctam Religionem esse.* Verum nullus stabiliendæ pietatis potior modus, quam si princeps ipse viam præeat, populisque suis rationem præscribat, ipsis religionis suæ documentis. Frustra edictis ad veræ religionis cultum non modo inuitauerit commissos sibi greges, sed etiam compulerit, nisi mores ipse suos ad omnem innocentiam effinxerit.

Non sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentum.

Sic sanctissime D. Ludouicus, ex cuius sanguine princeps noster ortus est, cum in extremis filio suo Philippo mandata daret, & tuendam in rebus omnibus pietatem maximè eum doceret, hoc maximè eum monebat, principes solis instar esse qui omnia fulgore suo illustrat & complet: & propterea ad eorum facta, dictaque subditos respicere, atque illorum exemplo ad probos mores, & rerum honestarum cupiditatem accendi & inclinari. Vnde etiam rectè illud D. Basilius, Imperantis sanctitatem commune bonum esse eorum, qui illam proximè adsequi nituntur. Imitantur hominum plerique faciliùs, quam parent: hæc illis à natura libertas ingenita est, vt sequantur potius quam ducantur, & facilè in hoc sibi blandiātur, si vel virtute, vel vitijs, principibus se quam simillimos exhibeant. Sic Aristoteles rectè ad Alexandrum magnum, *εἰδέναι σε δεήσει, ὅτι παραδείγματα τοῖς πλείστοις τῶν ἀνθρώπων ἐστὶ ὁ σὸς βίος, καὶ λόγος.* Et omnium optimè Plinius Secundus in Panegyrico ad Traianum Imperatorem. *Vita principis censura est, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur, nec tam Imperio nobis opus est, quam exemplo, quippe infidelis recti magister est metus, melius homines exemplis docentur, quæ in primis hoc in se boni habent, quod approbant quæ præcipiunt fieri posse.* Ad hoc pertinet ille Plutarchi locus, in præceptis politicis. Ἐγγίνεται τοῖς πολλοῖς ἰσχυρὰ διάθεσις καὶ δόξα τοῦ τὸ δαιμόνιον εἶναι μέγα καὶ σεμνόν, ὅταν οὓς αὐτοὶ τιμῶσι, καὶ μεγάλους νομίζωσι, ἀφειδῶς καὶ προθύμως περὶ τὸ θεῖον ὁρῶσι φιλοτιμουμένους. Igitur quantum princeps cæteros homines dignitate antecellit, tantum pietate debet inter eosdem eminere, vt etiam subditorum suorum prona in Deum mentis affectio eius sanctitati expensa feratur. Sed & quo propius ad Dei & maiestatem & potestatem accedit: eo maiore animi propensione duci debet, ad eius tuendum honorem, sacra conseruanda, præcepta sancienda; qua enim constantia à suis subditis fidem exiget, quam Deo non præstabit?

Regum tremendum in proprios greges:
Reges in ipsos imperium est Iouis.

Qui desiderat legibus suis obsequentem populum, idem ipse legi perpetuo valituræ debet subijci, id est diuinis mandatis parere. Et inde in sacra pagina princeps iubetur perpetuo gestare volumen legis, quasi

& ipse eam seruare, & alijs seruandam præcipere illi cura debeat esse perpetua. Sic Ioannes Sarisberiensis in Policratico. *Qui fidem Deo suo non seruat, eam non reperit in subiectis.* Aristoteles ipse in Politicis, tradit eum principem, qui probe tueri iustam dominationem velit, debere in primis religioni multum tribuere, & cultus diuini summam habere rationem, quo fiet vt eius subditi liberius se permittant eius imperio, quem optima quæque edicturum arbitrabuntur metu diuini numinis, & præterea ei verebuntur insidias struere, quem vindices & vltores deos habiturum propter summam in eos pietatem certius constabit. Ἔτι τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς δεῖ φαίνεσθαι ἀεὶ σπουδάζοντα διαφερόντως, ἧττόν τε γὰρ φοβοῦνται τὸ παθεῖν τι παράνομον ὑπὸ τῶν τοιούτων, ἐὰν δεισιδαίμονα νομίζωσιν εἶναι τὸν ἄρχοντα, καὶ φροντίζειν τῶν θεῶν: καὶ ἐπιβουλεύουσιν ἧττον ὡς συμμάχους ἔχοντι καὶ τοὺς θεούς. Superioribus illud accedit, quod cum summi principes non habeant in terris, cui lituum regalem submittant, & immensa sit illorum potestas, ac nullis humanis vinculis adstricta, ita par est, vt se homines esse recordentur, & Deum assidua meditatione suspiciāt, tanquam actionum suarum disceptatorem & arbitrum. Expedit certè ius illius supremæ dominationis, pietatis studio & cogitatione mortalitatis temperari. Sic rectè ille

Θυμὸς δὲ πόθ' ἁμὸς οὐρανῷ κυρῶν ἄνω
Ἔβαζε πολλὰ, καί με νουθετεῖ τὰ δή;
Γίνωσκε τ' ἀνθρώπεια μὴ σέβειν ἄγαν.

Ingentium imperiorum magna fastigia obliuione fragilitatis humanæ collapsa sunt. Vtique maiore cum moderatione princeps imperabit, qui districtioris iudicis tribunali subesse se perpetuo cogitabit, neglectæque iustitiæ, & delati à Deo, ac secus quam par est administrati Imperij seuerissimum vindicem arbitrabitur. Hinc & principes, qui fœlicioribus auspicijs aliquam rempub. aut Imperium vel condiderunt, vel conditū ab alijs gubernarunt, à cultu diuino semper orsi sunt. Sic Cyrum persicę dominationis autorem Xenophon tradit cultu præcipuo diuinum numem coluisse. Sic Numam Pompilium enascentem Populi Rom. fœlicitatem, & magnitudinem, Religionis veneratione & varia sacrificiorū institutione firmasse plurimi testantur autores. Sic Alexander magnus res magnas, & egregia belli facinora à Deorum cultu auspicabatur. Sic alij Imperatores regesque: Sed præcipuè hic noster Imperator Alexander Seuerus, quam maximè summos rerum humanarum arbitros Religio & pietas deceat, vitæ suæ continuato tenore ostendit: quamquam enim illo imperante paganæ superstitionis ludibrijs adhuc hominum plerique irretiti essent, nondum penitus maturis Christianæ Religionis viribus, & ipse etiam eundem errorem, qui tum excusabilis erat, sequeretur, tamen in falsa Religione satis docuit, quantum in vera foret præstiturus, si tantum ipsi à Deo beneficium contigisset. Solebat autem, vt Lampridius refert, matutinis horis rem diuinam facere. Quinimo & la-

rarium maius habuit, in quo principes optimos, & electos habebat, animasque sanctiores, quas veneraretur, inter quas Abrahamum, & ipsum Christum colebat: vt propterea iure creditum sit sub eo nullos martyres fuisse, cum & eidem Christo domino nostro templum solenne dicare destinauerit palam, & publice Christianos esse permiserit, quamuis Baronius in annalibus secus arbitretur: quod si verum est, id ad Vlpianum I.C. referri debet, qui Christianis paulo infensior fuit pertinaciâ veterum sacrorum retinendorum, quod Lactantius docet non obscure. Quin & Zonaras Christiana Religione imbutum fuisse Imper. Alexãdrum testatur: & ipse Lampridius palam docet, cum de loci controuersia inter Christianos & popinarios quosdam quæreretur, illum Christianis adiudicasse illa ratione, quod melius esse diceret, vt ibi quomodocumque Deus coleretur, quam vt popinariis daretur. Pietatem autem non adumbratâ quadam simulatæ religionis specie, qua templis pretiosa donaria appenduntur, splendidissimorum ædificiorum superba fastigia erigũtur, ipsi fanorum parietes auro induuntur, opere tessellato vel Mosaïco laquearia inducuntur, sed recti animi conscientiâ voluntatis ad omnem diuinæ maiestatis venerationem compositâ æstimabat. Quo fiebat vt in templis nunquam præter quatuor aut quinque argẽti libras, auri ne guttulam quidem aut bracteolam posuerit, illud Persij sæpius insusurrans,

In sanctis quid facit aurum.

Illud idem legibus duodecim tabularum sancitum erat *ad diuos adeunto caste, pietatem adhibento, opes amouento:* & rectè Titus Liuius de antiquorum Romanorum frugalitate: *colebantur religiones pie magis quam magnifice.*

Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia
Mollibit auersos penates
Farre pio, & saliente mica.

Sola sanctitate & innocentia Deus placatur: sufficit ad delubra quemque adferre,

Compositum ius, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Hoc pretio Christianissimorum titulum principes nostri redemerunt: dum vbique veræ pietatis sanctissimos cultores, Christianæ Religionis fidelissimos assertores, eorum, quæ aduersus Ecclesiæ libertatem fierẽt, accerrimos vindices, sedis Apostolicæ constantissimos defensores se præbuerunt; Nec iam etiam vlli dubium est sub Rege nostro res Francorum fœliciter procurante, etiam in maius fidei orthodoxæ & pietatis dignitatem progressuram. Sic constantibus vigilijs, sic contumaci labore, sic animo ad omnem veræ sanctitatis cultum erecto & composito, non modo de subditorum quiete & tranquillitate cogitat, sed etiam de animarũ salute sollicitus, non iure imperij, non ambitiosâ insolentiâ,

ſed ſumma moderatione, & mitibus decretis (vt par eſt principem bono publico natum) eos inuitat ad veræ Eccleſiæ benignas leges obeundas, qui procedentium temporum iniuriâ, eorum qui ad clauum Eccleſiæ ſtabant incuriâ, multorum probro, omnium damno, ſua potius aut ignoratione, aut indiligentiâ, quam proteruiâ aut contumaciâ (ſi paucorum numerum exceperis) ab eiuſdem Romanæ & orthodoxæ Eccleſiæ gremio nimis impudenter & nunc ſunt ſegreges, & olim deſciuerũt. Illud nimirum eſt Principem eſſe, & Sacerdotem: nam & Franciæ Reges clericatus ſacris apicibus fulgent, & non modo dignitatis Regiæ prærogatiuâ, ſed etiam propter Sacerdotij honorem, primos conſeſſus cum canonicatus infulis in vnaquaque cathedrali Eccleſiâ habere creduntur. Integrâ pace Hierarchiæ Eccleſiaſticæ id dicitur: nam eſt etiã aliquod βασίλειον ἱεράτευμα: & apud Ariſtotelem in Politicis, Regibus Lacedemonijs data fuiſſe conſtat τὰ πρὸς θεὸν, quamquam ipſis τ̃ θυσιῶν, ὅσαι ἱερατικαὶ, interdiceretur. Atque vt à Chriſtiano Principe, & qui conſenſu fere omnium primus Imperatorum Rom. Chriſtianus habitus eſt, exemplum ducatur: Conſtantinus apud Euſebium ad epiſcopos loquens, ad ſe quoque pertinere regimen Eccleſiæ dicebat exteriorum procuratione: Epiſcoporum verò curæ permitti ea, quæ penitioris & interioris eſſent pietatis, quæque ad ſacrorum rationem ſpectabant, ac myſteriorum ſecretiorum arcana veneranda. Cæterùm hoc rectè inſtituit princeps noſter, ne bello eos laceſſat, qui diuerſum ab orthodoxa fide nunc in ſuo regno ſentiunt, præterquam ſi ei denegent obſequium maieſtati Regiæ debitum. Suadenda ſcilicet, non imponenda Religio: & vt rectè D. Gregorius Nazianzenus, βυλομένων οὐ τυραννουμένων τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον. Non eſt armis irritãda hæreſis; recrudeſcet: non igne tentanda; exardeſcet: & ea ratione potius impietati via patebit, per quam omnis Religio perit, quam errores falſorum dogmatum fugabuntur. Inter medias principum Chriſtianorum diſcordias hæreſes ex diuerſis mundi partibus erupêre: diſſentionibus alitæ ſunt, bellis ceruices erexêre, ſeditionibus audaciores extitêre; vbi tumultus aliqui exorti ſunt in repub. tunc ſibi omnem impunitatem præſto eſſe, omnem propagandæ ſuæ inſaniæ poteſtatem ſibi datam exiſtimauêre. Denique fanaticæ illæ opiniones, quæ de Religione coortæ ſunt inter ſe diſcordes, & in hoc tantum amicabili conſortione coniunctæ, ſi contra fidem orthodoxam gladium aut ſtilum ſtringerent, non aliunde initia ſua, progreſſus, incrementa ſumpsêre, quam à bellorũ inteſtinis motibus: non diſſimiliter quàm philoſophi, qui de rerum naturalium arcanis diſputant, tradidêre eſſe quædam animalia, quæ inter flammas enaſcuntur ſimul, & ijſdem aluntur, & his extinctis intereunt:

Τὸ πάμφαγον σῶμα
Μόνον παρ' αὐτοῖς γίγνεται ζωόπυρον.

Quiſnam igitur ſperare queat illud virus ferro aut igne ſanari poſſe;

irritabitur potius, & maiori procacitate obuia quæque proteret: rursum ecclesias, rursum altaria destruet, & sanctissima quæque contaminabit. Quid si ad extremam vsque necessitatem adigatur? *Concitatissima est rabies in desperatione: Sorte vltima animus in furorem impellitur: Quædam feræ ipsa tela inuadunt, & in mortis autorem per vulnera ruunt.* Ad hæc vbi de Religione agitur, & animæ salute, qua nihil carius esse debet, etiam qui maiori mentis cæcitate detinentur, contumacius suos errores defendunt, & nullam moriendi occasionem refugiunt, dum se votorum hostiam, & sacrificium Deo se offerre persuasum habent. Certè vbi noua hæresis exoritur, ipso supplicij terrore est eliminanda, ne virus eius latius se effundat, & propterea etiam tot constitutiones iuris ciuilis aduersus hæreticos. At quæ iam nimis altas radices egit, vt possit aduersus disciplinam publicam esse contumax, speciosius aliquanto lenibus circumspectæ adhortationis fomentis, & moderata verborum castigatione comprimitur: vt fere fit illud incendium, quod nulla aquarum vi potest restingui, subductis demum alimentis, & intercisâ crepitantibus flammis viâ, inter cineres suos emori: quod fere de omnibus hæresibus quæ ecclesiam orthodoxam male pessumdederũt accidit huc vsque, vt primo illo impetu, qui plerumque feruentissimus est fracto & eliso, consederint tandem, ac locum veritati præbuerint. Et certè si Ecclesiam certæ spei non ludunt auguria, illucescet aliquãdo ille dies, quo sedatis omnibus, quæ circa ipsa fidei religionisque momenta misere animos pertinaces angunt, controuersiis, omnia ad pristinam concordiam reuocabuntur, vt qui rerum humanarum amicabili consortione iunguntur, indiuiduam quoque sacrorum communionem, à qua iampridem abscesserunt, obtineant. Id non difficulter sub auspiciis Principis nostri expectari potest, si vt instituit pietatem iam sponte sua assurgentem tueatur, si scelera coerceat, si prauos puniat, si bonos muneretur, si publicos mores, qui in obliquum nimis deflexerunt, reformet. Hæreseos crimen maius non est, sed pœna tamen cæterorum, & extremum veluti suppliciũ est, quo damnat homines Deus adhuc in hac vita superstites. Hanc qui volet euertere, tollat primum duella, cædes, & vim magnatum nulli iam pœnæ obnoxiam, ac principi suo infidius obsequentem. Deinde etiam blasphemias, simoniam, magicas artes, quæ nimis impudenter & impune se venditant. Tollantur etiam oportet commercia dignitatum, vt non amplius militares & ciuiles iudices, & ipsarum prouinciarum moderatores, pretio emptos habeant codicillos, quibus sibi factam potestatem arbitrentur insidiandi & grassandi in tenuiorum facultates. Sed & tolli debet luxus immensus, qui opima quælibet patrimonia deuorat, siue cultu corporis supra modum ambitioso, siue sumptu inani, qui circa vehicula impenditur, aut mensarum nimis delicato apparatu, qui persicas & sybariticas cupedias non iam æquat tantum, sed etiam superat. Potest illud dici verissime iisdem vitijs & sceleribus affectam

nunc etiam esse Franciam, quibus olim laborabat cum D. Ludouicus ad eam moderandam accessit, vt constitutiones eius docent, quibus his omnibus fere Reip. morbis, aut modum imposuit, aut imponere tentauit. Igitur operæ pretium fuerit grauioribus reipub. malis succurrere, & vitia tollere, vnde omnium hæresеum seges: nam incassum noxiæ arboris ramos amputare desiderat, qui integras radices dimittit. Mores deprauati ad recta aut redeant, aut retrahantur, perierit omnis fomes ineptarum contentionum, quæ aduersus Ecclesiæ orthodoxæ certa ratione constituta documenta sunt coortæ. Vbi pietatis & iustitiæ sidera pene offusis tenebris caligantia natiuo splendore affulserint, iam certa quies populorum, iam pax tranquilla sequetur, & dissidentes de Religione sententiæ amicabili consortione coalescent.

De clericis & sacerdotibus eligendis, & rerum Ecclesiastica. rum dispensatione.

CAP. II.

FVndamentum verò omnigeniæ pietatis est ipsa sacerdotum, Episcoporum, Archiepiscoporum, & clericorum omnium electio, quibus cura ouilis Christiani tuendi, regendi, permittitur: Horum enim exemplo cæteri ad pietatem, & veræ cultum religionis inuitantur, & in contrarium, plerumque propter eorum vitia, hęretici perstant in prauis opinionibus suis contumaces, dum illo syllogismo contra fidem Euangelicæ veritatis vtuntur, ibi fidei orthodoxæ vix veras definitiones hærere, vbi morum improbitas nimia inspicitur: Qua de causa in sacris paginis veteris testamenti, Dei sacerdotibus, qui in praua animum detorserant, hæc fit exprobratio: *Propter vos blasphematur nomen domini in gentes.* Et diuus Hieronymus in hanc sententiam recte: *Propter vitia sacerdotum destitutum est sanctuarium dei.* Vix certe est, vt his sancte præcipientibus pareat populus, si pietatem, quam dignitatis suæ infulis ac sermonibus etiam suis profitentur, prauis operibus eleuent, & destruant: Nam vt ait Seneca eleganter de his loquens qui aliter viuunt, quam viuendum esse præcipiunt. *Exempla*, inquit, *seipsos circumferunt inutilis scientiæ, nulli non vitio quod insequuntur obnoxij.* Quo sensu illud recte ait Paulus Æmilius in vita D. Ludouici, nihil esse, quod quis lapidem omnem moueat, & cœlo aquas, aquis terram miscere desideret, vt deprauati mores in melius commutentur: Fieri illud nequaquam posse, vt homines ab instituto vitæ corruptioris discedant, nisi illi, qui aliis præeunt viam, & lumen quod sequantur ostendunt, correctioris & emendatioris vitæ exemplum à seipsis promant, & recte agendo cautius viuendi iter ipsum prę-

muniant; quando vix est vt pareatur iis docentibus, qui legibus, quam aliis edicunt, non obtemperant. Solet in vulgus efferri prouerbium: *Præcepta docent, exempla mouent.* Debent igitur, quam fieri commode potest, dignitatibus Ecclesiæ pręfici, quos integræ vitæ & conscientiæ tenax pietas commendauerit. Alioquin immane est quantum sibi ipsis noceant, & gregi. Gregibus suis nocent, dum peccandi licentiam subministrant peccantes ipsi: Sibi verò ipsis magnum damnum arcessunt, quia tanto magis eorum pœna apud deum augetur, quò plures propter secordem & ignauam eorum negligentiam deliquerint, vel propudiosæ eorum vitæ exemplo ad peccandum sedederint præcipites. Sic Cicero rectissime. *Ego nobilium vita victuque mutato; mores mutari ciuitatum puto: Quo perniciosius de repub. merentur vitiosi summi in ciuitatibus viri, qui non solum vitia concipiunt ipsi, sed ea infundunt in ciuitatem, neque solum obsunt, quod illi ipsi corrumpuntur, sed etiam corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato nocent.* Sed quod magis accommodum ad rei præsentis disquisitionem, rectissime ex beato Gregorio Nicolaus Papa apud Gratianum, dum is summus pontifex ad regem Lotharium scribit, *Deterius in populis prælati delinqunt, ac per hoc crudelius ipsi quam cæteri puniuntur, & vt ait beatus Gregorius, scire prælati debent, quod si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt: Vnde necesse est, vt tanto se cautius à culpa custodiant, quanto per praua quæ faciunt, non soli moriuntur.* Satis sponte sua humanus animus ad iniquitatem procliuis est, malis exemplis non est incitandus,

Faciles imitandis

Turpibus, ac prauis omnes sumus.

Vnde illud D. Gregorij Nazianzeni, φύσει πρόχειρον ἡ κακία, καὶ πολὺς ἐπὶ τὸ χεῖρον ὁ δρόμος. Numquam ita pietatis exemplo impellimur ad recte faciendum, aut etiam à delictis reuocamur, quam vel leui occasione data dilabimur ad crimina: Imò vnusquisque magnam crimini suo prętitisse excusationem arbitratur, si simili sorde squallentem aliquem conspexerit, & quisque scrupulosa & sedula sagacitate vitia aliorum inquirit, vt vel exprobret, vel suis maculis defensionem quærat. Non est igitur committendum, vt hi quos sua dignitas extulit quasi facem aliis prelatam, & lumen, quod sequantur, ostendentem: Iidem mentibus tenebras & caliginem offundant, & offendicula fiant animarum. *Vehementius est coërcendus, quem peccare mireris*, (inquiunt Impp. Theodos. & Valentin.) *atque intolerandum, nimis exsecrabile, non ferendum, induere nomen & titulum sanctitatis, & abundare criminibus.* Sed quænam esse debeant clericorum dotes, non facile fuerit definire, nisi dicatur virtutes vniuersas debere concurrere, quantum scilicet patitur humanæ infirmitatis conditio. Certe illud maxime requiritur, vt omni criminis suspicione careant, vt sint ἀνεπίληπτοι, καὶ ἀνέγκλητοι: Quemadmodum de ipsis episcopis & presbyteris loquitur diuus gentium prædicator Apostolus scribens

ad Titum

ad Titum & Timotheum. Summa eſt ſacerdotum & epiſcoporum dignitas, cui non alia vlla fere comparari poteſt: Ὁ ἐπίσκοπος, inquiunt Apoſtolicæ conſtitutiones ad populum, λόγυ διάκονος, γνώσεως φύλαξ, μεσίτης Θεῦ καὶ ὑμῶν ἐν ταῖς πρὸς αὐτὸν λατρείαις, ὗτος διδάσκαλος εὐσεβείας, ὗτος μετὰ Θεὸν πατὴρ ὑμῶν δι' ὕδατος καὶ πνεύματος ἀναγεννήσας ὑμᾶς εἰς υἱοθεσίαν, ὗτος ἄρχων, καὶ ἡγέμενος ὑμῶν, ὗτος ὑμῶν βασιλεὺς καὶ δυνάστης, ὗτος ὑμῶν ἐπίγειος Θεὸς μετὰ Θεόν. Igitur conueniens eſt tantæ & tam auguſtæ dignitati, vt qui illam adminiſtrat ab omnibus peccatorum ſordibus ſit immunis. *In ſacerdotibus eligendis vel ordinandis*(inquit ſummus pontifex Ormiſda) *curam oportet eſſe præcipuam. Irreprehenſibiles eſſe conuenit, quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis: Longa debet vitam ſuam probatione monſtrare, cui gubernacula creduntur eccleſiæ.* Quam verò ſanctus is delectus eſſe debeat, & quam diligens cura olim à Chriſtianis circa eam ſacerdotum electionem adhiberetur, ſatis euidenter docet Imperat. Alexander Seuerus, cum morem ab his obſeruatum in deligendis Preſbyteris maximopere probaret, quamuis ipſe paganorum errori eſſet obſtrictus: nam præſides in prouincias miſſurus morem Chriſtianum in ordinandis Sacerdotibus ſeruandum palam dicebat, vt ſcilicet nomina eorum publice proponerentur, poteſta ſque cunctis fieret inſimulandi eos, vt ſi alicuius criminis eſſent participes, ad gradum dignitatis non aſcenderent. Neglecta hæc cura inquirendi in mores clericorum, eorum-ve qui pietatis & religionis arbitrium haberent, quantum Eccleſię vniuerſæ nocuerit, commemorari non poteſt: vbi enim ipſi ad vitia extitere procliuiores, minus probe inſequēdis aliorum criminibus pares eſſe potuerunt. *Hoſtis antiquus*(inquit Sidonius Apollinaris) *quo facilius inſultet balatibus ouium deſtitutarum, prius dormitantium incipit ceruicibus imminere paſtorum.* Certè ſola hæc ratio opprimendæ hæreſeos, ſi illi qui meritorum dote, & vitæ ſanctioris intemerata puritate, & doctrinæ præſtantioris incorrupta ſynceritate ſunt conſpicui, dignitatibus Eccleſiaſticis præficiantur, qui ſimul à virtutis via errantes pietatis & inculpatæ conuerſationis exemplo reuocent, & ab orthodoxa Eccleſia ſegregatos ad vera Chriſtianæ fidei & Religionis dogmata profitenda non fictæ charitatis eloquio inuitent. Illud in Francia ſummæ eſt verecundiæ, quod plerumque fuci omnino inertes, nulla vitæ aut doctrinæ commendatione ſuffulti, reditus Eccleſiæ pauperibus deſtinatos arrodunt, præbendis capellas, præſtimonia prioratibus adiungunt; perſonatibus dignitates, præpoſituris decanatus, abbatijs epiſcopatus adnectunt, & cumulatam beneficiorum molem humeris ſuis ſuſtinent, cui ferendæ vix Herculis ceruices fuerint pares, aut illius Atlantis, qui ſuccidaneo labore operam ſuam ipſi Herculi anhelanti, & ſub onere cœlorum quos humeris ſuſtentabat concidenti, fertur præbuiſſe. Atquin vt ait D. Gregorius in moralibus. *Dominus illos intra ſanctam Eccleſiam deteſtatur, qui per ſacros ordines, ad dominum propinquantes, non in eiſdem ordinibus virtutum merita, ſed ſubſidia vitæ præſentis ex-*

quirunt. Vt quid ad Ecclesiam decurritur, vt sub religionis specie infami cuique & ptopudioso pateant eius compendia? Ad cultum pietatis ea delegata sunt, iis quorum vita est insolens plerumque tribuuntur. Pauperum alimoniis illi prouentus sunt deputati; ollę diuitum, quibus aliunde subsidia vitæ abunde suppetunt, sanguine & medullis pauperũ saginatæ lautius efferuescunt. Ecclesiis restituendis & reparandis hæc debent impendi; Asceteria & monasteria, ipsæ interdum basilicæ penitus subrutæ negliguntur, & vt festiuè ait Iuo Episcopus Carnotensis, *Miseri Episcopi & Abbates nec morum ruinis, nec murorum vacant.* Hospitibus suscipiendis partem Ecclesiasticorum sumptuum quattam asseruari canones iubent, accipitribus & molossis alendis erogatur. Presbyteris, id est antiquæ prudentiæ & castitatis viris exhibendis illa parata sunt: impudico iuuenum & plerumque puerorum satellitio, aut fœminarum munditiis mensarumque nimis delicato apparatui instruendo subseruiunt. Licuit olim Sacerdotibus & Clericis de altari viuere, nunc impudentius luxuriantur: & quæ πρὸς τροφὴν data sunt, πρὸς τρυφὴν sunt conuersa. Denique illud est canonibus prohibitum, & legibus etiam ciuilibus constitutum, ne qui ex patrimonio proprio se alere possent, quicquam ex bonis Ecclesiæ perciperent: nunc ipsi prope magnates de his sibi asserendis inuicem digladiantur, & cum vnum beneficium pluribus interdum possit sufficere, plurium præbendarum reditus vix sufficiunt vnius rapacitati, & libidini explendæ. Non sibi blandiantur, qui nomen clerici obtendunt, vt opima possint Ecclesiæ beneficia deuorare. Nil sibi aut de principis pittacio, aut Episcopi vel summi pontificis codicillis tribuant, quasi propterea iure optimo bona Ecclesiæ possideant. Non est is Regis aut Episcoporum census, sed Dei & Ecclesiæ, cuius illi habent dispensationem, non dominium. Si aliis, quam quibus ex præscripto canonum concedi debent, tribuantur: vel grauissime errant, qui præsentant aut conferũt, si scientes aut indignis beneficia concedant, aut dignis eadem indulgendo tribuendi modum egrediantur: vel sceleris atrocioris maculam contrahunt, qui patroni aut collatoris ignorationem decipientes, vel quæ non merentur impetrant, aut plus æquo quã par est, ex stipendiis Ecclesiæ sibi tribui postulant. Rectè illud Imperat. Theodosius & Valentinianus. *Decet eum, qui sacrosanctis desiderat inhærere mysteriis, fide magis diuitem, quam facultatibus approbari.* Et certè, si auaritia, & diuitiatum fœda cupiditas est fugienda, vel maximè in his est imptobanda, qui interioris fori arcana scrutantur, à quibus ordinis dignitas synceriores mores efflagitat: quo fit vt indignante stilo D. Hieronymus eiusmodi clericos, & viros ecclesiasticos proscindat, qui licet plerumque in rebus suis sint egentissimi, tamen in facultatibus Ecclesiæ disperdendis, dilapidandis, & luxuriose profundendis sunt insolentissimi. *Nonnulli sunt ditiores monachi, quam fuerant sæculares: & Clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace diabolo non ha-*

buerant: vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit ante mendicos. Cæterum ignorant illi, aut astute & insidiose dissimulant, aduersus patrimonia pauperum cuniculos se agere, dum tanta animi auiditate bona Ecclesiæ sitiunt acquirenda, aut acquisita male, & non modo in res mortuas vt loquuntur Iurisconsulti impendunt, sed etiam in sumptus ipsis animabus noxios.

Quodcumque profunda
Traxit auaritia, luxu peiore refundunt.

De illis qui Ecclesiæ & pauperum bona sibi ad custodiam & dispensationem data male in suos vsus conuertunt, est etiam vulgaris D. Hieronymi sententia. *Amico quicquam rapere, furtum est: Ecclesiam fraudare sacrilegium est: accepisse quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis vel cautum esse velle vel timidum, aut quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat.* Sed & Synesius à Christianorũ consortio pellendos tradit, qui ministerium quod Ecclesiæ præstant ad compendium suum & lucrum conuertunt. ὅς ἂν προσποιούμενος τὴν ἐκκλησίαν αὔξειν βαλάντιον ᾖ, διὰ τὸ δοκεῖν εἶναι χρήσιμος ἐν χρείαις ἀπιστοῖς δεινότητα δυναστείας ἑαυτῷ κατεργάζηται, ὅτις ἔστιν ὃν ἡμεῖς συνόδῳ τῶν χριστιανῶν ἐκκηρύττομεν. Et illa si dicuntur de his qui contra fas vel minimum ex rebus ecclesiasticis attingunt, quid de his dici par est, qui publico veluti latrocinio ad calculum plura beneficia possident. Id omnia Ecclesiæ constituta sanxerunt neque duas vxores posse aliquem habere, nec clericum plures Ecclesias posse regere. Et certè nulla æquitatis ratio id patitur, vt qui nullum sui fructum in Ecclesia præbent, opima quæque beneficia teneant, & cum vnius Sacerdotis aut Clerici oficium implere vix possint, sibi stipendia vindicent plurimorum. Quod dispensationis alicuius inania diplomata obtendunt, id crimen non minuit: dispensare enim nihil aliud est, quam ad bonum ordinare. Quid vero boni inde nascitur, vbi priuatæ cupiditati obtemperatur. Verum de ea re plura Dn. Lisetus in senatu Parisiẽsi quondam Regius patronus, mox etiã eiusdem senatus princeps, in quodam tractatu de huius sæculi cæcitate. Ad hæc quam derediculum plerosque ne habitu quidem vitam ecclesiasticam profitentes, hoc solo nomine beneficia ecclesiastica promereri, quod honesti coniugij nexibus sunt liberi, quasi non sit maius scelus moribus dissolutos aliquid ex sacris altaribus diripere, quam ducto secũdum leges matrimonio exinde familiam suam tueri. Scilicet & hanc excusationem interdum comminiscuntur, quod æque debeat in suam vtilitatem verti fiscus Ecclesiæ, ac in virorum ecclesiasticorum sumptus, qui etiam maiori insolentia vtereutur. Hæc eadem erat sententia Henrici secundi Anglorum Regis, vt refert Guillelmus Neubrigensis, qui cum soleret vacantium Ecclesiarum reditus fisco suo applicare, parum sollicitus de Episcopis in locum demorientium sufficiendis, hanc rationem ad facti sui defensionem allegabat (vt non solet fieri quicquam contra leges, quin ipsis

ſceleribus quædam veluti ſuccreſcant excuſationes. *Nonne melius eſt*, inquiebat, *vt pecuniæ impendantur neceſſarijs Regni negotijs, quam in Epiſcoporum abſumantur delicijs. Noſtri temporis præſules veterum in ſe formam minimè exprimunt, ſed circa officium remiſsi, & languidi, totum brachijs mundum amplectuntur.* Verum hiſtorici ipſius de hac re expendatur iudicium, nam adijcit. *Hoc dicens* (de ipſo Rege Henrico loquitur) *infamem quidem notam noſtris præſulibus inurebat, ad ſui vero defenſionem inanem rationem texebat.* Quid refert alieno exemplo peccare, an crimen ſit leuius, quia plures ei communicant. Imo bis peccare ille credendus eſt, qui exemplo alieno ſceleri alicui ſe applicat, cum enim ex vitio alterius deberet ſuum emendare, eo ſe dat præcipitem, vbi præſentiſſimum periculum cernit. Cogitent illi, qui reditibus Eccleſiaſticis abutuntur, quam multorum deſideria & cupiditatem irritent, quandoquidem peccantium multitudo, peccandi licentiam ſubminiſtrat. Iam patent vilioribus mancipijs, & ijs infantiſſimis Eccleſiæ ſtipendia, ſi vel pudendum aliquod famulitiũ magnatibus exhibuerint, aut curſu citatiori feſtinantem aliorum diligentiam præuenerint. Sorte Sacerdotes eligere, quamquam id canonicæ & ciuiles regulæ vetant, eſſet præſtabilius, quia poſſet fieri, vt fortuna alicui id promerenti faueret. Nihil inde mirum eſt, ſi pleraque in laïcis peccentur. *Pereunt cum paſtoribus greges, quia ſicut populus ſic Sacerdos.* Sed illic fœminæ etiam ſuas ſuperſtitiones admiſcent, & vbi filijs (quorum non ſatis indolem aduertunt ab ijs animi dotibus auerſam, quæ in viris eccleſiaſticis maximè requiruntur) aliquod opimum beneficium ijs artibus quibus fieri aſſolet parauerunt (quæ enim religioſores ſibi videntur vno contentæ ſunt) aliquam inde ſtipem pauperibus erogant, aut altare aliquod pretioſis induunt veſtibus. Præclara ſane liberalitas, pauperibus vel Eccleſiæ vnum duoſ-ve nummos dare, quibus immenſam vim pecuniæ abſtuleris, vt tuis vel familiæ tuæ lautitijs, & voluptatibus ſufficias. Sed nec iſtud fit plerumque, & dum ſordent Eccleſiæ, dum nullum orationis penſum DEO publice exhibetur, dum in xenodochiis pauperes moriuntur macie & ſcabritie confecti, dum in plateis languent vulnera nudantes, dum famem loquuntur, & ad omnes blanditias ſermonem conuertunt, vt denarium extorqueant; qui eorum bona tenent, & beneficia Eccleſiæ poſſident, veluti ouantes inuecti quadrigis, & in curribus ſeſſitantes obambulant, auerſo ab his vultu, ne propter delicatum faſtidium eos miſerorum conſpectus prouocet ad vomitum. Certè, ne vltra ſtilus liberrima indignatione ſe effundat: Pars prima & potior iuſtitiæ eſt ſuum cuique tribuere, & inde iuſtitiam ipſam Ariſtoteles vocat ἀγαθὸν ἀλλότριον, quod ſola fere virtutum omniũ alienam vtilitatem, & commoditatem pro obiecto habeat, eiuſque fructus omnis penes alios hæreat. Cum itaque principi noſtro & verè Pio, & Auguſto, populorum conſenſus Iuſti nomen & gloriam detulerit: verendum non eſt, quin in eo præclari illius nominis edat effectum, vt

primum pauperibus suum restitui curet. Dicunt canones, leges etiam ciuiles illud profitentur, peiorem nullam hæresim esse quam simoniã, & comparant illam crimini læsæ maiestatis, vt quemadmodum crimen perduellionis sacram principis personam lædit, ita Simonia diuinam maiestatem violare dicatur. A maioribus igitur ordiendum, & omnium impudentissima hæresis, sine sumptu, sine sanguine, sine sudore tollẽda est, & amandandi sunt simoniacæ hæresis trapesitæ (sic vocantur à Nicolao Papa) qui ipsis prope sunt nequiores, quam illi qui à fide orthodoxa, & praua sentiunt, & diuersa: Illi enim sibi sunt tantum noxij: hi etiam orthodoxæ Ecclesiæ sunt nocumento. Non vllo insigniori facinore potest Rex noster æquitatem & iustitiã Imperij sui commendare, & titulum Iusti principis implere & sancire, quam si modum imponat prauæ rerum ecclesiasticarum administrationi, quod vbi præstiterit cætera erunt in procliui. Et in hoc præterea habet, in quo imitetur D. Ludouicum, ad cuius exemplar iam propius pietas eius assurgit: is enim, vt est in annalibus Nicolai Ægidij & aliorum relatum, vacante Ecclesia aliqua sedulius inquirebat de persona idonea ad illam administrandam, nec vnquam vni duo beneficia contulit, aut beneficium aliquod obtinenti aliud concessit, quin prius illud quod habebat resignaret. Præterea etiam agẽs in extremis illud præcipuè in mandatis dedit Philippo filio, ne cuiquam beneficium vllum conferret, quam ex consilio virorũ sapientum: & præterea vt ea probis & idoneis hominibus, & ab omnibus criminum sordibus, liberis qui nullum aliud beneficium haberent, tribueret. Sed & cum ante eius tempora, vt nunc nimis improbe fit, prauus vsus inualuisset, vt quidam auaritia tenti plura beneficia possiderent, conuentu habito fuit constitutum, ne id fieret amplius, ne-ue quis duo beneficia ecclesiastica posset possidere, si vnum sufficeret ad vitæ subsidium, quod tradit idem Nicolaus Ægidius in eius vita: ad quem locum notat etiam illud D. Hieronymi. *Bona Ecclesiæ, bona pauperum sunt, & si quidquam præter necessaria reseruasti, sacrilegium commisisti.*

De Magis, Genethliacis, & cæteris eiusmodi hominibus maleficis à republ. pellendis.

Cap. III.

Πολλοὶ θριοβόλοι παῦροι δέ τε μάντιες ἄνδρες.

HOc rectè vetus prouerbium: quis enim est qui non venditet futuri notionem aliquam, & paucissimi tamen Prophetæ. Illud

mirum eſt quam ſit peruicax humanus animus, vbi à recti propoſito deflexerit ſemel:

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.
Sic interdictis imminet æger aquis.

Sunt qui contumaciter futurorum cognitionem inquirunt, quæ & indagari prohibemur, & didiciſſe non expedit. Debuerint illi primorũ parentum meminiſſe, qui inſtigatu diaboli, nimio ſciendi deſiderio correpti, in ſui ipſius ignorantiam ſunt prolapſi. An non eſt illud ſummæ impudentiæ, ſibi ea tribuere velle, quæ ſibi quodam iure præcipuo Deus ſeruauit, vt ſolus temporum metas noſcat, & rerum euentus ab æterno præuideat. Cum humani generis redemptorem cœlos aſcenſurum de rebus futuris inquirerent Apoſtoli, reſpondit ad eos: ὐχ ὑμῶν ἐστι γνῶναι χρόνους ἢ καίρους, ὓς ὁ πατὴρ ἔθετο ἐν ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ. Quod Apoſtolis, id eſt ſacri verbi diſpẽſatoribus palam à Deo negatum eſt, qui futurorum cognitionem melius poterant, ſi expediiſſet, ad ſalutem gentium conuertere, quis niſi ſupra omnem arrogantiam ſuperbus humanis conſilijs quærere auſus fuerit. A Deo venit ſi cuiquam cõtingat, & venit non deſideratum, nec precibus impetratur, quis enim ita ſtolidus, vt à Deo petat ſpiritum prophetiæ. Nonniſi quis ex conſcientiæ merito ſuperbus tale quid à Deo peteret, qui in ſpiritu humilitatis eſt exorandus. Quis igitur ſperare auſit eiuſmodi voto Deum reſponſurum. Non extitit prophetarum vllus, aut ſanctorũ, qui eius generis preces ad Deum fuderit: ambitionis illud eſſet certum iudicium, futurorũ à Deo ſcientiam requirere: addendum eſt, & furentis deſiderium eſſe. Dat igitur Deus vltro hoc beneficium non rogatus, & dat ex mera gratia, non ex merito eius cui illud conceditur: ratio eſt manifeſtiſſima, quia quæ Deus tribuit ex merito, ea præcipuè ad vtilitatem eius pertinent, cui datur beneficium ipſum; At Prophetiæ donum magis ad aliorum ſalutem pertinet, vt vel Deo credant, vel à ſuis ſceleribus reuocentur. Fieri interdum ſolet, vt ſibi placentibus animabus illud gratiæ donum Deus infundat, cuiuſmodi fuerũt illi, quorum vaticinationes ſcripturæ ſacræ voluminibus continentur, vel ſi qui apud Chriſtianos poſtea ſunt reperti: Sed pluſquam manifeſtum eſt, ex Dei voluntate pleroſque etiam improbos extitiſſe, qui vera prædixerint, idque diuino ſpiritu afflati, quem certum eſt omnibus inſtrumentis & organis vti poſſe. Nullum conducibilius exemplum ſumi poteſt, quam ab illo tæterrimo Sacerdotum Principe Caipha, qui palam prophetaſſe perhibetur, dum in conſilio malignantium dixit, expedire ipſum Chriſtum ſaluatorem mori pro populo. Sed nonne ipſum veritatis & ſapientiæ oraculum, palam profitetur, non agniturum ſe illos operarios iniquitatis, qui dixerint in eius nomine ſe ſigna feciſſe, aut prophetaſſe. Annon etiam illud eſt manifeſtiſſimũ, in ſacris paginis Balaam, Saülem, & alios homines nequiſſimos ſpiritu prophetiæ afflatos, aut etiã apud gentes, Sibillas extitiſſe,

quæ pleraque de aduentu Domini nostri Iesu Christi fuerunt vaticinatæ. Et in hoc tamen differentia vtrorumque, quod ij qui improbis sunt moribus non intelligant ipsi quæ dicant, alij rationes ipsas teneant, quibus vnumquodque, quod prædixerint, fieri debet: Quæ est sententia D. Chrysostomi quam refert Gregorius in syntagmate lib. 18. cap. 6. Illo casu excepto, omnis species diuinationis est à diabolo, maxime cum extrinsecus præter ipsum vaticinandi actum aliquid adhibetur, aut intercedit, sicuti cum apud delphos tripodi insidere puellam oracula fundentem oportebat, aut in Lebadia ex antro Trophonij voces reddebantur, aut cum Colophoni Clarij Apollinis sacerdos, vt Tacitus refert, in specum digressus hausta arcani fontis aqua ignarus plerumque litterarum, & carminum, edebat responsa: Nec dissimilia alia diuinationum genera, quæ per cribra, pelues, secures, & eiusmodi cætera instrumenta edebantur, de quibus plura Gregorius in syntagmate lib. 34. cap. 3. & seqq. Antonius Valleus in opere vernaculo qui inscribitur, *Examen des Almanachs, Predictions, presages & diuinations, cap. 20. Et Martinus Delrius in tractatu de disquisitionibus magicis.* His portentis per diabolorum fallaciam illuditur improborum hominum curiositas, qui, vbi arcanorum dei mandatorum viam sunt prætergressi, nihil mirum est etiam, si in infinitos errores delabantur, & in omnem nequitiam se dent præcipites. Vbi ab his regulis quæ bene viuendi rationes præscribunt descieris, nihil est quod in omnem malorum voraginem non incidas. *Impietas* (inquit D. Ambros. lib. 2. de Abel & Cain) *mater quædam est delictorum, & qui grauiora peccauerit, in cætera facile prolabitur: Quomodo enim potest ab humanis temperare, qui diuina violauit, & hominibus bonus esse, qui deum læsit. Atrocior em scelerum reatum vitia reliqua sequuntur, quoniam quo flagitiosiora propenderint, eo inclinant cætera.* At quodnam genus impietatis fingi aut concipi maius potest, quam illud, per quod omnis pietas tollitur, & qui honos deo debetur, in aduersarium eius transfertur: Quod fit cum contemptis sacris præceptionibus, ad artium magicarum professores, id est præstigiatores, ariolos, genethliacos decurritur, ad ea perdiscenda, quæ Deus summa prouidentia hominibus occulta esse voluit. Ea est, fuit eritque, perpetua dæmonum insolentia, vt sibi ab hominibus eundem, aut etiam maiorem honorem requirant, quam is est qui Deo rerum omnium parenti debet exhiberi, siue id odio creatoris faciant, siue odio ipsorum hominum, quos sciunt in via mansuetudinis & pietatis ambulantes, sibi esse non modo præferendos, sed etiam beatitudinem & fœlicitatem consecuturos, à qua illi decidêre ambitus sui pertinaciâ. Id vt efficiat eorum princeps, omnem lapidem mouet cum nequitiæ suæ ministris, vt magis se liberalem & beneficum erga homines spondeat aut exhibeat, quam est ipse Deus immortalis, & quos scit aut videt summa qua pollet coniectura, in aliquod animi vitium propensiores, aduersus eosdem agit cuniculos, & instigatu suo fomitem illum accendit, ibique

ſe ſuaſorem & monitorem interſerit. Quia vero ſcientiæ deſiderio quodam veluti naturali homines diſtineri ſentit,ita vt quidam ea cupiditate veluti inſaniant, omnemque rerum aliarum curam, & maxime religionis in Deum derelinquant,in eo voluit videri Deo benignior,vt ſe quaſi præbeat in illo deſiderio explendo adiutorem. Quo itaque cultores ſibi hac ratione aſſereret quamplurimos: Chaldæos & Bactrianos primum hac faſcinatione corrupit,apud quos primus Zoroaſtres artes magicas dicitur inueniſſe,& mundi principia ſyderumque motus diligentiſſime ſpectaſſe, vt poſſit illud dici veriſſime effectum hunc fuiſſe manifeſtiſſimum illius maledicti, quo filium ſuum Cham eiuſque poſteros Noë damnauit,nam is Zoroaſtres perhibetur fuiſſe primogenitus Cham, atque idem idololatriæ inuentor extitiſſe,vt refert Gregorius Turonenſis. Ex hoc fonte poſtea manarunt aliæ artes diuinatrices, ex quibus extis victimarum inſpectis, vel ex auium garritu aut volatu, vel aliis eiuſmodi næniis futura coniicere homines cæperunt: Inde ſomniorum interpretes,incantatores,mathematici omnes,& ſortilegi, qui pacto inito cum diabolo ſibi occultarum rerum notionem vindicauerunt;vel nimis curioſam aſtrorum inſpectionem ſectando,plus nimio ſuæ fiduciæ permiſerunt diuina contemnenres; Vt autem appareat eas omnes diuinandi artes & a vanis hominibus venditari, & a fraude diabolica ad ruinam animarum inuentas eſſe, atque etiam rebus præſentibus nihil conducere,facile eſt illud demonſtrare. Primum illud certum eſt inanem operam impendi in his rebus aut eius ſcientiæ profeſſione,quæ nec tibi profit,nec aliis ſit profutura. Necquicquam ipſis profeſſoribus prodeſt quia eiuſmodi homines miſeri ſunt perpetuo, neque vſquam exiſtit qui non alienam requirat opem. Vetus eſt illud prouerbium,

Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐκ αὐτῷ σοφός.

Omnibus fere, qui ipſos interrogauerint, ſpondent fœlicem omnium rerum exitum, ipſi vt plurimum in paupertate degunt, iuſto Dei iudicio etiam in hac vita rerum omnium inopia damnati,quam per fallaces artes effugere nituntur. Vnde illud etiam elegans ethnici poëtæ apud Ciceronem lib. 1. de diuinatione.

Non habeo denique nauci Marcum augurem,
Non vicanos aruſpices, non de circo aſtrologos,
Non iſiacos coniectores, non interpretes ſomniûm,
Non enim ſunt ij aut ſcientia, aut arte diuini,
Sed ſuperſtitioſi vates, aut impudentes arioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat:
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt alteri monſtrant viam:
Quibus diuitias ipſi pollicentur ab iis drachmam ipſi petunt.

Donum prophetiæ gratuitum eſt,ideoque qui illo munere à deo donatus eſt, gratis etiam obſequium præſtat: Vnde in ſacris litteris mi-

nister Helisæi prophetæ Giesi lepra percussus est, quia munera quæ dominus renuerat confictis mendaciis à Naaman receperat. At illi mendaciorum confictores & architecti, mercedem suæ vaticinationis exigunt semper & requirunt, atque hoc solum vitæ subsidium habent, vnde forte emanauit vetus illud scomma in eiusmodi ariolatores senario versu expressum, cuius duobus locis meminit D. Gregorius Nazianzenus.

Ἀτεῦσι χάλκου φοῖβος ὃ μαντεύεται.

Prætereailli omnes rerum futurarum coniectores ignari sunt vt plurimum, & ineptissimi: Quin maiore mactandi infortunio, qui ipsis quicquam credunt, & fallaciis eorum adiiciunt fidem. Vnde rectè illud D. Ambrosij in hexamero dum de ipsis loquitur. *Quæ sua sunt nesciunt, quomodo aliena nouerunt: Quid sibi immineat ignorant, quomodo possunt aliis quæ sibi futura sunt, denuntiare. Ridiculum est credere, quia si possent, sibi prouiderent.* Iam quid consequuntur infelices illi, qui vel de sua sorte eos inquirunt, vel secreta quædam & suæ denegata cognitioni per eos sibi patefieri desidetant: Mera deliria audiunt ab his qui nonnisi figmenta, & mendaciorũ monstra loquuntur. *Plerosque dixere victuros*, ait Seneca, *& nihil metuentes oppreßit dies: Aliis dedêre finem propinquum, at illi superfuêre: Egentes inutilis animæ fælices nascentibus annos spoponderunt, at fortuna in omnem properauit iniuriam: Incertæ sortis viuimus, vnicuique ista pro ingenio finguntur, non ex scientiæ vi.* Et certe quinam ratio vlla veritatis huic scientiæ (de astrologia iudiciaria loquimur) constiterit, cuius nequidem ipsa principia sunt certa apud ipsos autores vt pluribus docet Antonius Valleus dicto tractatu cap. 8. Et vtcumque detur certa principia esse circa ordinem stellarum, & motum sphærarum cœlestium, tamen cum ad momentum natiuitatis, sortem bonam aut malam hominum nascentium referant pro syderum positu, quæ illo temporis puncto dominari dicuntur, quis inter illos genethliacos tam impudens fuerit, vt vi scientiæ suæ assequi se posse speret præcipitem cursum cœlorum incredibili leuitate spatia sua peragrantium:

Assidua rapitur vertigine cœlum,
Sideraque alta trahit, celerique volumine torquet.

Cum autem non vno impetu prodeat infans ex ilibus matris, sed modo manum prius emittat, modo emissam retrahat, vt etiam fert sacra pagina de illo nixu loquens, quo Thamar gemellos edidit, interdum vt sæpius caput primum proferat, & non nisi cum aliquo temporis tractu ope obstetricis ex ventre matris prodeat totus, quasnam dominantes stellas assignabunt iam nato, dum interim tot spatia primũ illud mobile secum trahens omnes sub se circulos confecit. Deinde non vbique constant horologia iisdem momentis, vt si hoc vel illud secuti sint in dirigendo suo, quem vocant horoscopo, aberrare eos oporteat dum certum natiuitatis momentum ignorant. Iam vero vt omnia illa te-

D

neant;quam est illud ab omni etiam vulgari ratione alienum,inde conie&turas ducere futuræ hominum conditionis,quod sub certo siderum occursu nati sint. Pleni sunt libri sanctorum patrum eiusmodi stultas coniectationes insectantium validissimis argumentis: Inter quos maxime diligens est D. Basilij & D. Ambrosij inspectio in illis libris quos de mundi opificio sub nomine Hexameri fecerunt. Certe illud est ipsius D. Ambrosij ex lib.4.cap.4. festiuissimum. *Illud quam ineptum* (inquit) *vt si quis signo arietis ortum se dicat, ex vsu pecudis æstimetur præstantissimus consilio, quod in grege eiusmodi emineat pecus: aut locupletior, eo quod aries vestitum habeat naturalem, & quotannis lucrum captat indumenti.* Sed quod idem eodem loco adiicit,magis est facetum:Ea argumenta,quæ ducuntur ex huiusmodi signis,arietis,tauri, piscium, & aliorum animantium tempore quo quisque nascitur in cœli motu præualentium, idem valere ad coniiciendam hominum conditionem aut viuendi rationem, perinde ac si quis diceret,cibos quos quisque accipit ex carne bubula, veruecina,vel piscibus, aliisque animalibus, hominibus ipsis morum imponere disciplinam,aut viuendi decreta constituere,quod certè etiam vero proximius esset, cum ipsis animalium carnibus homines alantur,& succus quem ex his stomachus ducit in singulas corporis partes veluti diuisim distribuatur: Imagines verò illæ animalium,aut hominum in Zodiaco, aut alia firmamenti parte impressæ, ipsa locorum distantiâ longe remotæ,nihil prorsus hominibus communicent:& certè speciosius ex aspectu picti alicuius in carta animalis diceretur hominis intuentis mores & fortunam formari, quam ab his dicitur fortem viuendi ex sideribus,quæ is qui nascitur nec videre potest nec cognoscere,duci aut trahi posse Deinde illa omnia si quicquam valerent,& pro nascendi diuersa conditione sors nascentium, vel prospera,vel infœlix distinguetur: Qam plerique inuenirentur Reges aut Principes quibus nulla hæreditas ius succedendi deferret, id ferente fœlici sorte nascendi, aut alij quibus ius esset ad certam imperij successionem venire,iure legitimæ successionis fraudarentur, si aduersis sideribus solem intuerentur; Nam eorum Genethliacorum nullus existere potest tam impudens, qui asseuerare ausit alia hora nasci principes, alia hora proletarios homines,cum illud tantum partus effundendi momentum fœminæ habeant,quod alui maturitas, aut casus aduersus abortum faciendi definierit. Nec verò illud etiam verum est, quod tamen quidam cõsciẽtia integriori præditi quasi conniuentibus oculis admittunt, stellarum ordinem & siderum compositionem,& si non necessitatem, dispositionem tamen aliquam ad vitia vel virtutes causari: nam quænam conuentio rerum corporalium, vti sunt sphæræ omnes cœlestes, cum re incorporali,qualis est anima. Illa omnia axiomata sunt ex commẽtitia fraude diaboli,qui hoc vnum studet, vt delinquentibus nobis aliquas delinquendi rationes aut excusationes apponat, quô immoremur in

peccatis, & ad aſtrorum leges, vitiorum noſtrorum cauſas referamus. Et quæſo, cum ſidera per vniuerſum mundum rotentur motu quodam aſſiduo: quonam modo illud fit, vt tam diuerſi ſint mores. Et rurſus; ſi ſingulis nationibus diuerſa ſunt climata, & ſingulæ diuerſis ſideribus reguntur; quomodo illud fit tamen, vt tantæ mutationes pene totum orbem tam ſæpe confuderint. An dicemus etiam aſtra pro mutatione rerum humanarum conuerti, aut ſtellas erraticas vel cœlo affixas vicibus quibuſdam locum ſuum immutare. Illud ne dicemus Romam enaſcentem quibuſdam fuiſſe affectam, mox vbi creuit, ſiderum quoque leges mutatas, vbi à regibus tranſiere comitia ad ſenatum, mutatum quoque ſiderum curſum, quæ ei dominabantur: deinde vbi rediit ad principes, ſtellarum ordinem conuerſum: & demum vbi tota corruit, fœlicibus antea ſideribus adiutam, mox aduerſis vſam fuiſſe. Non erunt Aſtrologi ita fatui, vt tam manifeſtis deliriis acquieſcant. Quod de Romana Repub. dictum eſt, idem de ſtatu aliorum populorum dici poteſt, qui licet iiſdem ſubiecti ſint ſideribus, diuerſam tamen & ſentiunt & ſensêre fortunam. Viuendi ſola ratio magna imperia conſtituit, conſtituta conſeruat, ſi bona eſt, ſi mala ſit ad ruinam præcipitanter impellit. Ne igitur quiſquam his futilibus nugis indulgeat: hoc ſolum axioma ad rectè viuendum conducit: ſibi quiſque dat mores, cætera hominum prudentiâ & Dei ſumma prouidentiâ adminiſtrantur, & propterea etiã in ſacris ſcripturis illa dicuntur, *ſub te erit appetitus tuus & tu dominaberis illi.* Quantum verò ad id quod circumfertur, ſapientem aſtris dominaturum, illud non eſt ita accipiendum, quod aſtra ad delinquendum aliquam diſpoſitionem parent, quam frænare ſapiens debeat, ſed illo ſenſu, vt ſapiens rectè tranſacta vita, aſtra ſub pedibus ſit habiturus, fruens illa ſempiterna beatitudine, quam intemeratam vitam agẽtibus quantum humanæ patitur conditio naturæ, æternæ veritatis ſpondent oracula. Superioribus illud adijciamus, non ſolum inutilem prorſus, ſed etiam penitus animo & corpori noxiam rerum futurarum inquiſitionem: ita auxiam, ita ſollicitam mentem tenet, ita vanis erroribus & curis obnoxiam.

Roduntur varijs prudentum pectora curis,
Qui cœli affectant ſcire, deumque vices.

Scilicet inani ſtudio nubes peragrantur, & attentis oculis ſequuntur ſtellarum curſum, ἀεροβατοῦντες & περιφρονοῦντες τὸν ἥλιον, vt liceat cum Ariſtophane loqui, & exinde nihil referunt, præter impoſturas, & meram ſocordiam, quæ poſſit ipſis pueris eſſe contemptui. Sed nihil eſt quod magis eius ſciẽtiæ vanam ambitionem damnet, quam illud Phauorini philoſophi apud Gellium. *Aduerſa,* in quit, *fore dicunt aut proſpera: ſi proſpera dicant, & fallant, miſer fies fruſtra expectando: ſi aduerſa dicant, & mentiuntur, miſer fruſtra timendo fies: ſi vera reſpondeant, eaque proſpera non ſint: iam inde aliquis miſer ex animo erit, antequam è fato fiat: ſi fœlicia promittant, eaque ſint*

euentura, tum plane duo erunt incommoda, nam & expectatio spei suspensum fatigabit, & futurum gaudij fructum iam spes deflorauerit. Atquin, inquiunt quidam, fit interdum, vt quæ prædixerint eueniant. Sed hæc quam raro: vt necessarium sit tam sæpe mentientes, semel casu ad verum accedere, & ineptum omnino sit eius rei scientiam constitui, quæ semper fallit, & ex accidenti tantum specimen sui, & illud rarissimum edit. Amplius illud dicatur: si quid ex his rebus quæ Astrologi illi prædixerint eueniant, id omnino ex diaboli caliditate venire, cum quo vel tacitam, vel expressam habent conuentionem. Tacitam habent in eo, quod rei penitus damnabili, id est nefariæ curiositati dantes operam, vltro censentur ad se diabolum accersere, qui etiam cuilibet actui nefando adest non vocatus, & is astute in animos miserorum id non sentientum instillat nequitiæ suæ virus, vt ex cœlorum aspectu habere se credant, quod ille veterator eorum menti infuderit. Expressam habent, quia plerumque fit, vt dum sentiunt humana ratione aliquid se consequi non posse, transcendere omnem naturæ legem desiderantes in sui auxilium inuocato diabolo, vltro se ei mancipãt deditione supra omnem impietatem horrenda. Illud rectè dicitur à Marco Heremita. *Δίκτυόν ἐστι πολύπλοκον ἡ τῆς κακίας μέθοδος, ᾧ μερικῶς ἐμπλακεὶς ἐὰν ἀμελήσῃ, παντικῶς σφίγγεται*: nam simulatque aliquis dedita quadam opera & consulto animi iudicio alicui vitio se applicuit, iam & Deum contempsit, iam præcipitanter ad extremum exitium quasi volens ruit, vt ferè ad peccandi necessitatem deducatur. Curiositatis peccatum cætera scelera in mundum introduxit: itaque illo nullum est perniciosius, quia vbi diligentius quærendo ratio humana nos deficit, tum ignorationis tædio, ad ea quæ magis interdicta sunt delabimur, & vbi plura didicerimus, cimmerijs tamen tenebris distinemur, quia semel à recti tramite deflexisemus. Hæc res quamplurimos à fide orthodoxa, & veræ Religionis cultu diuulsit, dum nondum satis veritatis mysterijs imbuti libros hæreticorum legerũt studio eius conquirendæ, quam tamen tenebris magis offuderunt, vt iure apud eosdem facti fuerint magistri erroris, qui in Ecclesiæ gremio, ab eius vnitate diuisi, veritatis discipuli fieri noluerunt. De eiusmodi sciolis & & scepticis est illud elegans D. Pauli, *Sanam doctrinam non ferent, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur: onerati peccatis ducentur varijs desiderijs, semper discentes numquam ad scientiam peruenientes.* Sed vt ad institutum sermonem fiat regressus: an erit constituendum eiusmodi Magos & Astrologos diaboli interuentu ad aliquam rerum futurarum cognitionem posse peruenire, quod nequaquam dicendum est, cum nec ipse diabolus earum rationem certam teneat, sed tantum quasdam ducat coniecturas, vt sagacissimus æstimator omniũ, quæ fiunt aut dicũtur ab ipsis hominibus, quorum mores, affectus, vitia, virtutes, plenius per externos actus & ipsam animi vel corporis habitudinem perspectas habet,

quam ipsi homines seipsos nouerunt. Quippe etiam dum instigat homines ad vitia, iam incipit concludere ad quæ mens eorum propendeat, dum vel sentit sibi insidianti aliquos constantius obluctari, vel alios degeneri animo dolis eius patere. Itaque pro ea summa & præstanti cognitione, quam naturæ suæ prærogatiua, in qua post ambitus sui ausus temerarios & ruinam permansit, vel etiam ex rerum humanarum euentibus, quos tanto sæculorum spatio sibi notissimos est emensus, quædam tantum colligit quasi in futurum extitura, sicut solēt senes, qui & dote ingenij conspicui, & vsu rerum quotidianarum edocti, pleraque mente & cogitatione complectuntur, quæ propius ad vaticinationem accedunt. Hoc iudicium est Guillelmi Neubrigensis monachi in proemio historiæ rerum Anglicarum, vbi de famigerato illo Mago Merlino. *Profectò*, inquit, *& veris rationibus, & sacris litteris edocemur, dæmones à luce Dei seclusos futura nequaquam contemplando præscire, sed quosdam euentus futuros ex signis sibi, quam nobis notioribus conijciendo magis, quam cognoscēdo colligere.* Sed ne quidquam videretur eiusmodi coniecturis à prauis hominibus tribuendum, qui in sui certissimam perniciem, cum illo hominum inimico paciscūtur, rectè idem auctor illa adijcit. *Denique*, inquit, *in suis quamuis subtilioribus coniecturis sæpe falluntur, & fallunt, cum tamen per diuinationum præstigia apud imperitos, quam vtique non habent, præscientiam sibi arrogent futurorum.* Non ab hac sententia recedit D. Augustinus in libro de natura dæmonum, & lib. 2. retract. cuius locos profert Gratianus 26. qu. 3. & 4. can. sciendum. & can. fin. Sed potest illud adijci quædam in vniuersum diabolo nota esse, quæ futura sunt: sed modum tempus & rationem rerum agendarum eum penitus ignorare, & tum demum ab eo intelligi cum factæ sunt. Sic dicendum est omnino sciuisse Dei filium saluatorem nostrum hominum redimendorum gratia carnem aliquando humanam sumpturum, & mortem subiturum; sed eius mysterij tam immensi, tam arcani peragendi nequaquam tenuit rationem, atque etiã dum in terris Christus morabatur, palam id ignorauit, etiam si tentando ipsum Christum id scire desiderauerit: Illud tantum cœpit rescire, aut certè attentius & constantiori opinione conijcere, vbi vidit parata ad mortem crucis omnia, vbi innocentem ad sacrificium duci sensit, nam secum meditatus quæ gerebantur, & quæ Prophetæ olim prænonuerant, qui prius Iudam instigauerat ad ipsum Iesum Christum Iudæis tradendum, & odio innocentię quam insequitur maximè, omnem lapidem mouerat, per Iudæos vt Christus interficeretur, idem voluit postmodũ sera pœnitentia impedire, quominus idem saluator ad necem damnaretur, quia augurari cœpit agi redemptionem generis humani: quod certè molitus est dum Pilati vxorem torquere cœpit, mariti monendi gratia, ne innocentem damnaret. Illud mysterium ab ipso cognitum esse creationis suæ tempore, & sacrarum scripturarum tenor manifeste docet, & Sibillarum carmina ab eo dictata testantur; quod enim dicunt

quidam ipsas aut ex illis aliquas Dei spiritu afflatas esse falsum est, cum canentis vox Ecclesiæ quæ mentiri non potest gentium vatibus hæc carmina adscribat, quos à dæmone inspiratos certum est. Sed ne vlterius liceat digredi, postquam omnem diuinandi artem à diabolo esse constitit, ea ratio est exploranda perquam ignari quidam, & stulti dicuntur à se futurorum cognitionem requiri, vt scilicet sibi nuntiata caueant: Quod quam ineptum sit nemini non dubium est hac ratione, si enim quæ prædicta fuerunt non contigerint qua fronte dixerint se cauisse quod nec factum est nec faciendum fuisse apparuit, si contigerint, inane fuit præmoneri. Et vero contingunt mala sæpius, vt sunt autorum plenæ historiæ de his, qui de morte sua aut mortis genere, vel etiam de eo qui occideret admoniti, frustra sibi indictam mortem cauere conati sunt. Cum fuisset admonitus Philippus Rex Macedonum quodam oraculo, vt se à quadrigæ violētia custodiret: Toto regno disiungi currus iusserat protegendæ salutis causa, atque locum quemdam qui in Boeotia quadriga vocabatur, semper vitauit: Nec tamē periculi genus sibi denuntiatum vitauit, nam Pausanias eum gladio occidit, in quo quadrigæ fuit cælatura, & aduersus omnem sollicitudinem oraculo fidem præstitit. An est ignotum, quod etiam temporibus nostris contigit suam sortem inquirēti Bironio tribuno militum, inuolucro verborum eam mortem, & mortis autorem prædictum ab impostore astrologo & mago, quam exitus comprobauit. Nimis etiam sæpe infames quædam puellæ de marito futuro sollicitæ, infelices nuptias sunt sortitæ, cum præmaturo desiderio, per artes magicas eos sibi diabolus ostendit, quos essent ducturæ. Nihil magis propterea eiusmodi præstigiis est tribuendum, cum possit diabolus ex sermonibus qui hinc inde ab hominibus feruntur, conijcere destinatas nuptias. Et prætereа iusto Dei iudicio fit, vt eiusmodi praua desideria infelicitate ipsa damnentur, & eum exitum quem meruere habeant. Quantum ad id quod de dicto Bironio circumfertur, facile diabolo fuit conijcere eum, qui vasta incredibilia nimis alta meditabatur, atque etiam de cæde principis cogitabat, manu carnificis mortem oppetiturum, si ea quæ animo voluebat non perfecisset. Eiusmodi coniecturis exitum deus interdum concedit, vt discant homines, illos, qui tam peruersa cogitant, in ipsum infortunium ruere, & prohibita consequentes aduersa debere experiri. *Portentis*, inquit D. Augustinus, *per diabolorum fallaciam illuditur curiositas humana, quando id impudenter appetit scire, quod nulla ratione competit eos, inuestigare. Hæc potestas immundis spiritibus ideo datur, vt peruersos sibi aptent, hoc est prauos homines seducant, illos scilicet qui spernunt veritatem, & credunt mendacio.* Satis ex superioribus apparet omnem diuinandi artem esse ineptam, & inanem, & curiosum futura cognoscendi desiderium ipsis inquirentibus esse noxium: sed omnem rationem illud superat quod Deus ipse variis locis veteris testamenti vetat eiusmodi magos, astrologos, incantatores, ventrilo-

quos, & somniorum interpretes consuli, vt Leuitici cap. 19. Num. cap. 20. & Deuteron. cap. 13. & 18. aliisque pluribus locis. Si igitur verum est, quod dicitur de humanis & temporalibus legibus, nulli liberum esse de illis iudicare, aut disputare, sed secundum illas vnumquemque viuere debere: an pati oportet ita palam esse quosdam impudentes, vt audeant diuinas & æternas leges contemnere. Ipsi pagani aliquanto rectius eas omnes imposturas procul à repub. amandandas esse iudicauerunt, licet sola naturæ ratione ducerentur, & perpetuo illis artibus aliquid improbum & malignum inesse existimauerunt. Plato in libris περὶ πολιτείας graui supplicio proposito magos à ciuitate sua repellit; & præceptor eius Socrates apud Xephontem eousque de Astrologia disputandum ait, quatenus ad vitæ humanæ vsum, & tempora anni distinguenda opus sit: cætera verò homines exquirere non debere, quæ ipse Deus ab eorum oculis, & cogitatione longe remota sibi permansit administranda. Vnde etiam ab eo profectum est prouerbium, quod etiam vulgari sermone circumfertur, τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς οὐ πρὸς ἡμᾶς. Post eum Isocrates id palam asseuerare non dubitauit, τὰ μέλλοντα προγιγνώσκειν οὐχ ἡμετέρας φύσεως. In Romana Republ. multa extitere S. C. ex quibus sæpissime Mathematici, Astrologi, Magi, & eiusmodi homines vrbe pulsi fuere. Cum C. Cornelius Hispalus prætor esset peregrinus, Chaldæos intra decimum diem abire ex vrbe, atque Italia iussit quasi leuibus & ineptis ingenijs fallaci siderum interpretatione quæstuosam mendacijs suis caliginem iniicientes, vt docet Valerius Maximus. Repetitum idem sub Tiberio, quo tempore L. Pituanius propter hanc causam saxo deiectus est, vt Tacitus docet, cuius etiam aduersus hoc hominum genus est pronuntiatum illud, quod vtinam principum plurimi in ore haberēt: non tam plurimi inuenirentur, qui existimationem suam consortio sceleratorum macularent. *Mathematici*, inquit, *genus hominum potentibus infidum, & sperantibus fallax, quod in ciuitate nostra & retinebitur semper, & vetabimur.* Solis auguriis & extispiciis fidem aliquā Romani adhibuere, quasi vaticinationi alicui licitæ, vt exprobrandū non videatur Imperatori nostro Alexandro Seuero, quod aruspicinæ fuerit peritissimus, & magnus ὀρνεόσκοπος: quippe qui Vascones, & Hispanorum & Pannomorum augures vicerit, quemadmodum in eius Lamprid. refert. Verumtamen hæc ratio futura inquirendi ex auium volatu, aut garritu, aut etiam extorum inspectione, non minus diabolica fraude inuenta est quam cæterę vaticiniorum species: & propterea etiam ex æquo postquam Christiana religio inualuit improbari cœpit auspiciorum captādorum consuetudo, & Christiani Principes omnem præsagiorum superstitionem, & ipsum morem extorum inspiciendorum funditus sustulerunt. Sic Imp. Theodos. in l. 2. C. de sacrific. paganorum & templis. *Nequis*, inquit, *mortalium faciendi sacrificij sumat audaciam, vel inspectione iecoris extorumque præsagio vanæ spem promissionis accipiat, vel quod est deterius, futura sub execrabili consul-*

tatione cognoscat: acerbioris enim imminebit supplicij cruciatus ei, qui contra vetitum, præsentium vel futurarum rerum explorare tentauerit veritatem. Non minus eleganter Imp. Theodos. Arcad. & Honor. in l. nullus. Cod. Th. eod. tit. *Si quispiam immolare hostiam sacrificaturus audebit, aut spirantia exta consulere, ad exemplum maiestatis, reus licita cunctis accusatione delatus excipiat sententiam competentem, etiamsi nihil contra salutem principum, aut de salute quæsierit: Sufficit enim ad criminis molem, naturæ ipsius leges velle rescindere, illicita perscrutari, occulta recludere, interdicta tentare, finem quærere salutis alienæ, spem alieni interitus polliceri.* Sed & tam ex l. Mathematicos. C. de Episc. aud. quam ex tit. de maleficis & mathemat. iubentur pœna affici vates, aruspices, augures, arioli, Chaldæi, & alij qui passim malefici dicebantur, qui vel incantationibus elementa turbant, vitas insontium labefactant, manes euocant, vt suos inimicos conficiant, aut enarrandis somniis aliquam artem occultant diuinandi. Certè illud est huius sæculi opprobrium eius farinæ homines impudenter suas artes venditare, & palam ex his quæstum facere. Ipsi magnates plus credunt Astrologis, quam diuini verbi dispensatoribus, & eos de sua sorte, de rebus publicis inquirunt. Si quis ex plebe quid amiserit, & suspicetur alius rei furtum sibi factum, præsto est diuinator aliquis qui adeatur, & speculo aliquo magico eius vultum ostendat, qui furtum fecerit. Iam eiusmodi præstigiatorum domus tam cœpit esse nota, quam alicuius artificis aut mercatoris est publicum ergasterium. Ad hæc quam iam late sagarum & sortilegorum patet dominatio: ipsos iam pene fascinat magistratus. Dicitur aspidem aures suas obturãtem omne genus incãtationis effugere; adeo vi ingenita ille sentit sibi fucum posse fieri: Ipsi verò homines ne quidem ea fieri posse credunt, & vltro nihil sentientes in plagas & laqueos incidunt. Ita occæcatos animos habent illi qui rebus publicis præsunt, vt etiam tanquam fatuos existiment eos, qui aliquos esse sortilegos aut diuinatores arbitrantur, & præstigiis suis nocere posse existimant. Annon est illud mera hæresis, tantam autoritatem errori suo concedere, vt ab Ecclesiæ orthodoxæ sententia discedatur. Illa singulis diebus dominicis anathemate damnat diuinatores & sortilegos, ergo illos qui sunt, vel possunt esse. Cur igitur nefarij homines non sentiunt aduersus se armatam legum manum, cur non inquiritur, cur impune licet ipsis flagitia sua committere: Cur accusati dimittuntur, vt contumacius scelera sua exerceant. Incipiunt iam impij habere aduocatos suos, & quo magis illi nequam homines aduersus omnem rigeant disciplinam, sunt qui dicant post Christi aduentum, & ab eo redemptum à suis peccatis mundum, iam omne genus diuinationis, præstigiorum, incantationum, cessasse, nec eiusmodi homines esse, aut esse posse. Vt suo errori fidem adstruant, audent etiam publica decreta damnare, ex quibus pœna capitali affecti sunt eiusmodi sortilegi. Etiã quasi fabula habetur in Aquensi ciuitate pronuntiatum aduersus magum notissimum Senatuscõsultum

ius

ius dicente Domino du Vair meritissimo Franciæ procancellario, eo tempore eiusdem senatus integerrimo primicerio (qui his diebus à plerisque iure desideratus obiit.) Hoc malum à medicis est profectum, qui dum nimium tribuunt arti suæ, omnia referre ad causas naturales nituntur, nec vllam vim inesse illis rebus arbitrantur. Iam fit etiam, vt ex his aliqui dæmones esse non credant, vtrum Deus sit, etiam dubitantes. Sic non mirum fit, vt nimis impudenti & audaci superbia ab Ecclesiæ præceptionibus recedentes, plerique tandem in omnes genus impietatis demergantur. Hoc certè concedendum, ipso Christi aduentu & morte contusas & elisas diaboli vires, & pleraque diuinationũ genera, ipsa etiã publica oracula, quæ Delphis, Dodonæ, & aliis locis clara erãt, cessasse. Sed non propterea concludendum, nullas amplius esse insidias illius veteratoris improbi, & antiqui salutis hominũ aduersarij. Oportuit Christianis remansisse sua tentamenta, suas ad virtutem exercitationes. Etiam illi hosti hominum veteri sua superest calliditas, sui doli, suæ nocendi artes, aduersus quas Christiani possint obnitendo constantius ad Deum pergere, & per varia experimenta virtutum, laborum perpessiones, præsentium bonorum, vltra illa quæ necessaria sunt, contemptionem, ad beatitatem sempiternam peruenire. Studet igitur ille adhuc variis dolis, variis delinimentis hominum mentem adoriri, id etiam Deo permittente, vt diligentes se animas probet, vtrum ad malleum & incudem durent, vel aduersa tolerando, vel prospera ad Deum referendo, vel oblatas peccandi occasiones, & ipsas bonorum species spernendo, aut rectè agendi rationem numquam prætermittendo. Ergo & illud ipsum post sacrum Christi aduentum potest diabolus, vt præstigiis suis aliquos decipiat, quibus, instigationibus suis, futurarũ rerum cognitionem posse inquiri suaserit, vel ad eas quærendas intentos impulerit, vt suo ministerio, & adiumento ad earum certam cognitionem se peruenturos credant. Quod idem est de illis maleficis, qui vel solo nocendi studio morbos quibusdã immittunt, vel aliquo se vlciscendi desiderio vltro se ad malignas artes conuertũt, vel cæco amore flagrantes omnem quærunt viam exsaturandæ libidinis. Hæc solum distinctio est ante Christi natiuitatem eiusmodi nefandas artes vbique fere vim suam obtinuisse, & magnam auctoritatem habuisse, vt eiusmodi scientiæ publico decreto comprobarẽtur, & illæ maximè quæ circa captanda auguria, aut auspicia, vel etiam circa extorum inspectionem, & aliam eiusmodi futura inquirendi rationem, obseruabantur: cum in contrarium hæc omnia semper & indistinctè postmodum religio Christiana improbauerit. Ad quod pertinet illud Tertulliani de idololatria. *Post euangelium nusquam inuenias aut Sophistas, aut Chaldæos, aut incantatores, aut coniectores, aut magos, nisi plane punitos*. Magos autem & sortilegos, & eiusmodi nefariæ curiositatis homines maleficos extare adhuc, & post Christum extitisse omnis ratio euincit, & sanctorum Ecclesiæ patrum

monet auctoritas vbique Christianos monentium, vt à tantis sceleribus abstineant. Nemo est qui non apud Prudentium, in hymno D. Cypriani, & apud D. Gregorium Nazianzenum in orat. quæ est de eius laudibus, legerit ipsum Diuum Cyprianum antequam Christianus fieret, his artibus magicis fuisse deditum. Narrat D. Hieronymus in vita D. Hilarionis, magici cuiusdam diris & dæmoniacis imprecationibus cuiusdam aurigæ equos fuisse impeditos, ne possent in publico certamine currere. Innumeræ sunt Christianorum principum constitutiones, & synodorum decreta generalia, quibus vel puniuntur, vel anathemate feriuntur harum artium professores, quæ veluti per satyram referuntur à Photio in nomocan tit. 9. capit. 25. & Balsamone in eundem locum. Ipse Gratianus in decreto suo causa 26. hoc idem sex integris quæstionibus exsequitur, decurrens per varios patrum & totius Ecclesiæ ea de re canones promulgatos. Sic vero etiam Rex Athalaricus apud Cassiodorum edicit. *Maleficos, vel eos qui ab eorum artibus nefariis aliquid crediderint experendum, legum seueritas insequatur: quia impium est nos illis esse remissos, quos cœlestis pietas non patitur impunitos: qualis fatuitas est creatorem vitæ relinquere, & sequi potius mortis auctorem.* Denique extat constitutio D. Ludouici, quę vulgo refertur in collatione constitutionum principum nostrorum tit. de vsuris, in qua iubet, *vt Iudæi cessent à blasphemiis, sortilegiis, & characteribus, & tam Thalmud quam alij libri in quibus inueniuntur blasphemiæ comburantur*: & certè dici non potest, quanto damno Christianę religionis tam sanctæ constitutionis tenor negligatur, & infamis cuiuslibet disciplinæ libri promiscue manibus terantur plurimorū, qui propriæ salutis obliti ad noua omnia currunt, & ad ipsam Dei ignorantiam, dum curiosius quam par est cætera inuestigare desiderant, feruntur præcipites. Quis igitur ad patrocinium nequissimorum hominū iam constituere audeat nullos esse maleficos, quos semper per temporum vices Ecclesia damnauit, & nunc etiam damnat, atque etiam principes optimi puniri, & ad supplicium duci iusserunt. Nimis patienter, nimis etiam negligenter publica disciplina ad vindictam criminis tam nefandi remissa est, ac pene etiam obsurduit: Nam si daretur nullos eiusmodi vaticinatores & sortilegos esse posse, quod profiteri manifesta esset hæresis, tamen expedierit aduersos eos animaduerti vt impostores, qui publice & in ipsa etiam ciuitate Parisiensi vaticinandi artem profitentur, & omnibus se præbent consulendos. Iam certè verissimè dici potest vigilare improbos, ipsas vero dormire potestates: adeo sensim magistratuū incuriā sua potius quam publica curantium, omnis vitiorum & scelerum seges enascitur, & roborascit. *Sint licet in ære præscripta leges, tamen inter ipsas peccatur, inter ipsa iura delinquitur.* Summa autem totius huiusce disquisitionis (ne stili districtioris libertas in calumniæ occasionem possit cedere) ea est vt vna sit, & iusta & legitima diuinandi ars & scientia: illa nimirum, per quam licet hominibus perspicaci prudētia causas

& euentus rerum longe antequam nascantur prospicere,

Bene qui conijciet, vatem hunc perhibeto maximum.

Inquiebat Ennius: & ante illum etiam in eundem sensum Euripides,

Γνώμη ἀρίστη μάντις, ἥτ᾽ εὐβουλία.

Sed illa etiam optima & maxima inquirendarum futurarum rerum ratio, si quis strenue virtutes capessat, vitia fugiat, & ad rectè agendum perpetuo mores suos instituat sicuti illud rectè Hector apud Homerum,

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Quid tam negotiosâ molestiâ circa futuræ sortis cogitationem sumus auxij: Prosperè illi omnia contingent, qui quam fieri potest tria iuris præcepta seruauerit, id est suum cuique tribuerit, neminem læserit, honeste vixerit. Quid igitur proximorum incuriosi, longinqua sectamur.

Ἀφεὶς τὰ φανερὰ μὴ δίωκε τ᾽ ἀφανῆ,

Inquit vetus senarium. Tam facile, tam pronum est, Dei mandata, certa, & perspicua tenentem & custodientem, sibi non modo augurari post hanc vitam fœlicitatem, sed etiam in hac vita tranquillitatem certam sibi stabilire: cætera vana, inutilia. Si ad Dei & ecclesiæ cognitionem properare quis desideret, non est quod alio pergat itinere, iam non amplius de salute sua erit sollicitus, viam veritatis statim nouerit. Et certe hoc vnum est diaboli operæpretium, vt a recte agendo nos auocet, nec alio nomine ecclesiam orthodoxam variis hæresibus concutere semper nisus est, quam quia recte agendi præcepta tenet certissima. Omnes quæ vnquam extitere ab orthodoxa fide dissidentes opiniones expendantur, non alio respexêre vnquam nisi vt a recto auocent, aut ad vitia impellant. Certe illud minimo negotio ipsæ quæ iampridem inualuere hæreses possint edocere. Quid effecêre tam sollicitę & anxiæ hæreticorum disquisitiones de prædestinatione, nisi vt fiduciâ suæ salutis, qua fere semper sunt superbi, beneagendi curam derelinquerent, vt superfluam; vel eiusdem desperatione prorsus abiicerent, vt nihil profuturam, aut etiam, quod deterius est, vt ad omnem nequitiam, impellerentur hac opinione decepti, quod semel lata à Deo de se sententia non iam propter sceleta sua in peius reuocari queat, nec propter recte agendi studium in melius immutari. Annon eôdem pertinet, quod aduersus summum pontificem ceruices erexere, vt semel ruptis patientiæ legibus vnusquisque sibi noua opinionum monstra fingeret impune, vt etiam fecere subinde, non modo alij ab aliis dissentientes, sed ipsi etiam à seipsis, ei veritati quam quærere finxerunt aut etiam inuenisse impedenter sunt professi, caliginem & cimmerias tenebras offundentes. Annon eiusdem stultitiæ fuit, quod iudicem controuersiarum quas commenti sunt, nullum desiderauêre, quam scripturam ipsam: Vt liceret ipsis omnem sanctorum patrum autoritatem euertere, & doctrinam

temporum, & sæculorum omniũ serie fundatam infringere, & in interpretandis sacris paginis pessimo solum vti magistro id est præsumptione sua. In hoc agnoscant characterem suum hæretici, quod veluti ipsius diaboli ministri, à teterrimo superbiæ crimine semper suas blasphemias cœperint profiteri. Ecce cur indulgentiarum nomen iis est inuisum, nisi quia Christianis inde omnis occasio orationibus, precibus, eleemosynis Dei misericordiam promerendi. Si humanæ sagacitatis inuentum contendunt, doceant quid inde mali oriatur: Sed fateantur potius, quam inde apud veros Christianos omnis ratio occurrat bene agendi, vt illas damnasse, sit segetem bonorum operum ab Ecclesia tollere. Cur iterum damnatam sæpius hæresim renouantes nolunt sanctorum meminisse, aut preces improbant quas ad eos fundunt Catholici, nisi vt eam vtilitatem præripiant, quam vnusquisque Christianorum consequitur, dum suæ conditionis homines cogitat eam fidem profitendo, quam colunt, bona opera faciendo quæ peragere iubentur, ad cœlum ascendisse & propterea pretiosam eorum mortem in conspectu Dei extitisse. Cur bonis Christianorum operibus, meritorum nomen & effectum ademere, nisi vt lanquidiores ad bene agendum fierent, aut ad scelera concitatiores existerent, detracto virtutibus natiuo fulgore, quarum illud proprium est, vt ipsos homines fide orthodoxa & morte Iesu Christi innixos ad æuum ducant sempiternum. Ob hoc ieiunia, ob hoc vigilias, ob hoc cultui diuino dicatos dies improbant, quia per hæc fidelium animis sensit diabolus ad pietatem calcaria admoueri. Quid attinuit præterea ipsos omnes cerimonias, & ipsa antiquitate venerabiles, & ipso vsu religiosas tollere voluisse: nisi vt sacrum honorem & sanctam reuerentiam quæ Deo & arcanis religionis ipsius mysteriis exhibenda est, ex animis hominum demerent, ac tandem omnem pietatis cultum abolerent, Quô preces quæ in Ecclesia funduntur pro fidelibus viam vniuersæ carnis ingressis improbauêre, nisi vt tolleretur omnis compages qua vinculo quodam caritatis omnes Christiani coniunguntur, id est & qui hoc æui degunt, & qui ab hoc discessere nondum penitus maculis delictorum absterfis per congruentem & idoneam satisfactionem. Denique quid sibi voluêre dum omni adorationis obsequio, & veneratione colendo Eucharistiæ sacramento diuinum Christi corpus inesse negauerunt, nisi vt in suis synagogis meri cœlicolæ haberentur, & Christianis auferrent admirandam illam rationem, qua Deus voluit eos communione ineffabili, meritorum simul passionisque & diuinitatis eiusdem Iesu Christi fieri participes, vnde tanto magis rectè agendi voluntas in illis languesceret, quanto procul à tam coniunctæ cum Deo suo participationis beneficio essent seiuncti. Omnes articulos expendant quibus à nobis dissentiunt, inuenient nullum in quo improbando non lateant aliquæ diaboli insidiæ, quibus à bene agendi studio homines auocentur, aut ad vitia fiant procliuiores. Regrediantur,

Regrediantur ad Eccleſiam,àqua iampridem abſceſſerunt; Agnoſcant veritatem,quam tamdiu impugnauerũt: Satis errori,ſatis imprudẽtiæ, ſatis peruicaciæ ab his datum ſit. Ad mentem redeant tandem,& aduertant quinam fuerint autores rebellionis ſuę. Vitam intueantur,vt ſciant vix debuiſſe iis credi diuerſa de religione ſentientibus,qui moribus antea fuerant corruptiſſimi. Cauſas expendant diſceſſionis ſuæ,& conſtabit ambitione & impudicitia ductos monachos cucullum dereliquiſſe, & ad vrticas vt dicitur damnaſſe,vt tanquam dij ſcenici è machinis,ſua ſomnia & deliria narrarent,aut quemadmodum famigeratus ille Tages è glebis apud Hetruſcos exiliens ſuam aruſpicinam dictauit,ita illi ariolationes ſuas,id eſt, noua opinionum monſtra confingerent, aut certè veteres & iamdudum damnatas hæreſes auſpice & duce humanæ ſalutis inimico ex inferorum faucibus eruerent. Cœpere laudes matrimonij predicare Quid noui? Orthodoxa Eccleſia eos perpetuo anathemate ſemper damnauit & damnat,qui hoc ſanctiſſimum piarum animarum atque adeo ipſius paradiſi ſeminarium vel leui iudicio improbare tentauerunt: nihil opus eſt referre pleraſque ſynodorum generalium vel prouincialium de ea re ſententias. An vero illi cum nuptias non eſsent experti,& ſancte caſtimoniam coluiſsent(vt D.Paulus ſcribens ad Hebræos,vel in Nicænâ ſynodo beatus confeſsor Paphnucius) honorabiles eſse nuptias confeſſi ſunt, & caſtitatem eſse cum propria coniuge concubitum. Tantum abeſt:Vbi in omnem impudicitiam proruperũt, vbi dicatas Deo virgines corrumperunt, tunc ſceleri ſcelus adiungẽtes cœpêre non honore matrimonij, ſed odio caſtitatis nuptias prædicare, vt ipſius D.Pauli anathema in ſe prouocarẽt, quo percellit viduas continentiam profitentes,mox in dedecus prolabentes,quæ cum luxuriatæ fuerint in Chriſto nubere volunt habẽtes damnationem,quia primam fidem irritam fecerunt. Sed illi etiam aliquid peius: non enim proprio contenti crimine,ad ſocietatem ſcelerum ſuorum nefariæ & propudioſæ doctrinæ profeſſione alios etiam, ne ſoli impij eſsent,trahere tentauerunt. At, quam parum ſibi conſtat mendacium, quam ſe manifeſto prodit inimicus dum aſtute perfidiam ſuam celare credit. Illi ipſi nuptiarum laudatores,improbâ audaciâ aduerſus omnem diuinę ſcripturę rationem,aduerſus ſanctorum patrum auctoritatem, contra conſentientem totius Eccleſiæ ſententiam, matrimonij conſortium, indiuiduam illam vitæ conſuetudinem,caſtam viri & fœminæ coniũctionem, diuini & humani iuris ſanctiſſimam ſocietatem, vt liceat etiam cum Iuſtiniano loqui, τὸ σεμνὸν πρᾶγμα καὶ κοινότατον τῶν πραγμάτων ἀνθρωπίνων, ſacramenti & nomine & honore fraudare voluerunt, vt excuſabile facerent adulterium,& violatam tori genialis ſanctimoniam & honeſtatem nihilo plus ducerent,quam ſi cuiuſlibet ciuilis contractus fides falleretur. Qui peruicaci cõtumacia adhuc,vel proprij erroris ſimplicitate adumbratis illorũ mendaciis acquieſcunt,hoc ſaltem nomine deberent

veritatem agnoſcere, quo haberent ſecuriora matrimonia, quæ etiam eo magis cariora & ſanctiora futura ſunt, ſi ſacramenti religione conſtringantur. Quod ſi caſtitatis ſtudio etiam nunc mentiantur eorum ſequaces matrimonia ab his principibus hæreticorum contracta: Proferant liberos, nepotes, poſteros Lutheri, Caluini, Beſæ, & aliorum, qui aliquid primum innouare voluerunt in eccleſia, aut fateantur eorum nuptias quaſi abominandas & Deo inuiſas, ipſa ſterilitate vt temporali inceſtus nefarij pœna, ab eodem fuiſſe damnatas. Sed quid deinde infandi nebulones adorti ſunt: Vt appareret eos non tantum ſpiritu portentoſæ libidinis afflatos, ſed etiam ab aliquo dæmone confuſionis præſide correptos, omnem in eccleſia ordinis rationem euertere tentauerunt, ac propterea etiam ipſum ordinis Sacramentum, quo ad diuerſa eccleſiæ miniſteria clerici delegantur, quantum in ipſis fuit ſuſtulerunt. Eccleſia quæ in terris eſt, typum refert illius cœleſtis conſeſſus, in quo beatorum ſpirituum plures ſunt manſiones, in quo ὑπερουράνιαι τάξεις, vt loquitur D. Dionyſius Areopagita, id eſt eorum conſiſtunt ordines Angelorum, qui munere funguntur diuina interpretandi, eaque inferioribus ordinibus quaſi per manus tradunt. Quemadmodum igitur in illa cœleſti Hieruſalem varia ſunt Angelorum miniſteria diuinæ maieſtatis iuſſa exſequentium; virtutum, poteſtatum, thronorum, & dominationum lege certa diſpoſitæ ſtationes, Cherubin ac Seraphin mirabili arte compoſitæ ſeries: Ita par eſt in hac terreſtri ad menſuram & numerum omnia eſſe compoſita, omnia recto ordine contineri: per quem factum eſt, vt acolythi, lectores ſiue pſalmiſtę, exorciſtæ, oſtiarij, ſubdiaconis parerent, illi diaconis, diaconi preſbyteris ſubeſſent, mox vniuerſi præpoſitos ſibi epiſcopos agnoſcerent, deinde & hi quoque Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Primatibus obſeqnij cultum impenderent, vniuerſi tandem ſummi Pontificis elatam ſupra omne faſtigium dignitatem venerarentur. Quid eſt quod diſſimulauerunt rerum nouarum cupidi hæretici, illud in corpore eccleſiæ moderando eſſe neceſſarium, quod in procuranda rerum ſecularium adminiſtratione & vſus & ratio approbauit, vt gradatim munia ſingulorum magiſtratuum ciuilium vel militarium ad principis vnius officium & ſacram autoritatem referantur. Quid calumniantur non omnium quæ in eccleſia conſtituta ſunt, in ſacra ſcriptura extare quædam veſtigia, aut apud ſanctos apoſtolos non conſtitiſſe. An potuerunt naſcentis eccleſiæ eædem conſtitui leges cum tormentis tyrannorum patebat, ac adoleſcentis cum poſtea honoratum ſupra ipſos principes Chriſtianam religionem amplectentes extulit caput. An non decuit pro temporum diuerſa conditione, diuerſas leges in eccleſia ſanciri. An non oportuit exigentibus diuerſarum rerum figuris nouum conſtitui aliquid, quod conſtitutum eſſet abrogari, quod abrogatum eſſet reuocari. Nonne illud ſciunt aliis inſtrumentis nautam egere, cum hyems ſæuus, cum venti aduerſi, cum

tempestas ingens coorta est: Aliis cum tranquillo mari, & placidis ethesiis nauis vehitur. Sequamur ordinem & rationem quam instituêre hæreticorum principes in promulgandis suis somniis, & corrumpendis teneriorum mentibus: Non difficulter apparebit eandem fore dæmonum alicuius doctrinam, si scolas aperuisset iis, qui speciem aliquam & vmbram Christiani nominis retinere voluissent. Damnare cœperunt secretam illam quam fidelium vnusquisque proprio sacerdoti facit delictorum & peccatorum suorum confessionem, & hoc aliud sacramentum ab ecclesia eliminare voluerunt, hoc colore quod recta sint hac ratione peccata singulorum & simulatione adumbratæ innocentiæ vnus quisque suas iniquitates & scelera abscondat. Quis non videt aut sentit manifestas diaboli illic latere insidias, vt potius verecundia quis ducatur sua flagitia palam confitendi, vel affectata innocentiæ gloria minores errores palam fateatur maiores taceat metu pœnarum secularium, atque ita nullo mentis ægritudine quæsito remedio, hæreat qui deliquit luto scelerum suorum perpetuo inquinatus. Mitto consentientem patrum omnium auctoritatem, antiquam Ecclesiæ consuetudinem, Theologorum certissimas rationes. Sed vel hoc maximè confessio illa, quam veri Christiani clam in aure Sacerdotum faciunt commendanda est, quod per ipsam accidat plerumque, vt prudenti Sacerdotis admonitione, is qui in hoc sanctissimo misericordiæ tribunali reum se constituit, ad meliorem frugem redeat priuatim admonitus, qui sua ipsius ignauia, quasi deses in sordibus peccatorum perpetuo erat demoraturus. Profecto in hoc pœnitentis & Sacerdotis sibi inuicem colloquentium susurrio: mens constantius ad Deum erigitur, animus male actæ vitæ conscius, scrupulosius detectis imi cordis penetralibus, ad emendatiorem vitam gestit erumpere, & qui salubri & pie sæuiēti prudentis, & circumspecte monentis Sacerdotis obiurgatione sæpius corripitur, corrigitur tandem, & in nouos cautius agendi assurgit affectus. Ergo si quid est optimum, quod orthodoxa Ecclesia certa ratione instituerit, ac per manus Apostolorum acceptum fidelissimè, ac per tot sæcula, quibus salus in mundo nata est, custodierit: Illud est sine metu tormentorum seipsum accusandi genus, ex quo maxime tranquillū Christiani habent conscientiæ suæ leuamentum, dum in sinu Sacerdotis tanquam apud chari pectoris secretum, plagas animi detegunt, & tuendæ in posterum innocētiæ certa documenta ediscunt, quæ minus ex seipsis erant accepturi. Certè in eo quidam veluti character & nota hæret certissima, Deo opt. max. gratissimam & acceptissimam esse eiusmodi confessionem, quod licet Sacerdotum nonnulli sint maximis criminibus & vitiis dediti, nulli tamen inueniantur, qui in secreto sibi factam confessionem patefaciant, quasi velit Deus hoc pignore vnumquemque Christianorum ad hoc humilitatis sacrificium sibi exhibendum inuitare, quod secure mentis intima nudare possint sine periculo famæ &

existimationis,aut dispendio rerum suarum. Sed non satis fuit impiis nouatoribus tribus sacramẽtis Ecclesiæ orthodoxæ fraudare patrimonium, nisi etiam alia duo confirmationis scilicet & extremæ quod vocatur vnctionis tollere tentassent; vt qui Christianis sui iuris & potestatis factis rationem omnem ademerant gratias diuinas promerendi beneficio trium sacramentorum,matrimonij scilicet, ordinis, & confessionis siue pœnitentiæ; iisdem infantiam vel pueritiam egredientibus aut etiam morituris præriperent occasionem,qua vel sancte vitam ingrederẽtur,dum suis auspiciis viuere incipiunt & vtuntur inductione mentis libera: vel eandem pie relinquerent adiuti fomentis Ecclesiæ omnia pharmacorũ remedia vincentibus. Quid reliqui fuit? aut oportuit ipsos penitus Christianæ religionis nomen ipsum abolere,& euangelium, cuius se tenacissimos interpretes & vindices acerrimos impudenter professi sunt, abijcere: aut necessarium fuit baptismum & cœnam quam vocant retinere. Sed illud quam coactè,quam arctis conditionibus.In baptismo conferendo certa lege per omne tempus seruatas ceremonias, quarum rationem non intelligebant, improbare voluerunt,dictitantes, id ab apostolis non fuisse custoditum. Quid fit,quod infantes suos adhuc sanguinolentos altellos, recens ex matris ilibus eductos vadibus & sponsoribus fidei suæ datis ante expletos rationis annos aquis babtismalibus tingunt, quod fecisse apostolos non reperiunt? Ab ecclesiâ illud didicerunt discant & cætera. Iam quam cœnam commenti sunt aduersus ipsa scripturæ verba omni luce clariora, nihil fingi potest stolidius, quodque magis aduersetur fidei apostolorum,& omnium qui vnquam extiterunt ab his succedentium ecclesiæ antistitum. Necessarium illud fuit hæreticis tollere memoriã omnium sanctorum,preces damnare, quas ad eos fundunt catholici, in contumeliam vertere venerationem quæ illis impẽditur, omnes eorum imagines ab oculis Christianorum auertere,miracula quæ ad eorum tumulos & sæpius fiunt & ab omni æuo sunt facta, vt fabulas ducere, cum tamen apertissime edicat regius vates honorificatos esse amicos Dei & nimis confortatum esse eorum principatum. Non aliam scilicet & potiorem rationem arbitrati sunt, nec certe validiorem comminisci potuerunt ad propagandam insaniam suam: nam satis intellixêre eos omnes qui vel martyrij gloria,vel castitatis honore, vel omnis voluntariæ patientiæ modestia, vel matrimonij pudicitia,vel sanctioris doctrinæ professione, vel virtutum omnium complemento claruerant, quorum etiam plurimorum vitâ ab apostolis ad suam vsque ætatem miraculis splenduerat,iisdem legibus & præceptionibus firmius adhæsisse, quas etiam nunc religiosissime seruat Ecclesia. Libros veterum Ecclesiæ patrum legant: Constitutiones Ecclesiæ in prouincialibus vel vniuersalibus synodis latas euoluant, iam antea damnatas inuenient omnes ineptias suas. Et si illis non sunt contenti, ad ipsas principum
Christia-

Christianorum & maxime Iustiniani sanctiones, quæ vel libro primo Codicis, vel in nouellis eiusdem continentur, animum aduertant: Et inde discant quam solida veterum sæculorum compage nexa sint, quæ adhuc in Ecclesia seruantur aut ceremoniæ aut consuetudines. Sunt illic vestigia confessionis, quæ fit in aure Sacerdotum, & orationũ etiam quæ pro animabus defunctorum fiunt: Illic inuenient ἁγίας προσκομιδῆς, λιτουργίας, προσκυνητῶν μυστηρίων, illic sacrosanctæ & ineffabilis communionis mentionem factam inuenient, quæ ostenderint & tunc temporis missam peragi solere, & eandem fidem fuisse veterum Christianorum circa prædicandũ & omni adorationis & religionis obsequio venerandum Eucharistiæ sacramentum, quæ hodie in Ecclesia orthodoxa fidelissime custoditur. De consecratione Episcoporum, quæ etiam hodie seruatur, locus non deerit, fuisse asceteria virginum sacrarum, & virorum religiosorum monasteria integræ docent constitutiones: Presbyteris ab illo etiã tẽpore castitatem indictam nihil est, quod plenius quã inde sit perspicuum. Delubra martyribus & sanctis aliis ædificata, reliquias eorumdem cultui fuisse Christianis, sub ipso etiam Angelorum nomine dicatas basilicas, accensa ad cultum pietatis lumina in Ecclesiis inde certiorentur: Denique inde fidei nostræ altius impressos characteres mutuentur, vt sciant illud apud Christianos semper fuisse summo cultu & religione obseruatum, quod temere & impie magis quam audacter nisi sunt improbare. Ne sint ita impudentes & stulti vt arbitrentur se fidem Apostolorum habere, vt fingant post mortem Apostolorum Ecclesiam quoque fuisse extinctam, & post tot sæcula in Luthero & Caluino à somno excitatam. Quid deridiculum magis potest cogitari. Quod si dicturi sunt alicubi terrarum se fuisse: proferant templa, vbi cultus tam magnificę religionis ante illos impuros homines habitus fuerit. Ostendant Episcoporum seriem, qui sacerdotij sui ministerium in illa præclara Ecclesia sua exercuerint. Doceant ritus, ceremonias, ipsam Deum deprecandi rationem, qua ante hoc tempus vsi sunt. His omnibus nos nitimur. Illi ne per mendacium quidem aliquid earum rerum confingere audent, quod non sit infantissimum. Habemus dictatas ab Apostolis preces. Habemus antiquam peragendæ sacræ liturgæ formam à D. Dionysio Areopagita. & alijs sanctorum Apostolorum tempora prope contingẽtibus traditam. Retinemus etiam per proxime succedentes annos introductas in cultu Dei peragendo plenas religionis & pietatis cerimonias. Eadem est ratio dignitatum Ecclesiasticarum, eadem Hierarchia in variis clericorum ordinibus, idem Ecclesiasticæ iurisdictionis tenor, nisi quid (& illud minimi momenti) posterior ætas in melius commutauit, idem decor, idem ornatus in exteriori Ecclesiæ cultu. Sanctorum Ecclesiæ doctorum homiliæ ipsis matutinis horis simul cum Psalmorum Dauidicorum modulatione quotidie personant, ab iisdẽ hymni compositi concinuntur. Habent

F

clerici ministri sui pensa ab eisdem assignata. Habent omnes Catholici pias & ardoris plenas orationes, à veteribus Ecclesiæ patribus, & aliis consummatæ deuotionis & sanctitatis viris editas, quibus mens Christianorum non modo ad Dei amorem erigitur, sed & etiam prope ad Deum ipsum violentius rapitur. Et præter hæc omnia, illud est in Ecclesia orthodoxa summa admiratione dignum, quod ipso quodammodo præcinente sancto spiritu, pro-vt variæ ferunt solennitates, pro-vt diuersæ dictant tempestates, laudes Dei optimi maximi enarrans, concentu ad omnem modestiam, spem, timorem diuini numinis temperato, varie animos afficiat, nunc flebilibus modis & ad dolorem & mœstitiam compositis diros saluatoris & redemptoris sui cruciatus pro se perpessos in memoriam reuocet, mox grauioribus & acutioribus sonis resurrectionis gaudia celebret, exultantes Christianos deprimat, mœrore contabescentes erigat, amore semper diuinæ maiestatis accendat, & ipsa fidei mysteria arcano veneranda silentio pro temporum ratione dispari, sola vocis & cantus inflexione, ceremoniarum religiosa immutatione, ornamentorum circumspecta innouatione retegat, ac demum Christianos omnes ad veræ pietatis cultum beneficiorumque in se à Deo collatorum contemplationem pertrahat: qua exteriori obseruantia qui carent, vix est vt aut ipsi ad iustam secretorum Dei cognitionem perueniant, aut quemquam ad Christianæ religionis lumen perducant. Quid habent hæretici, quod in suis synagogis & conuenticulis ad hæc rependant, quibus altare nullum, quod nulli vnquam vel paganorum ipsorum religioni defuit. Quid ex venerabili antiquitate retinent; nequidem carmen aliquod possunt proferre, quod non ipsi confinxerint, & ad suæ insaniæ auersos errores accommodauerint. Etiam nunc in Francia impij poëtæ & morionis dicacis rythmos personant, cuius memoriam damnare deberent, adeo scripta eius reliqua & versus impudici omnem religionem peruertunt. Bezam perpetuo loquuntur, cuius iuuenilia omnem impietatem suadent, & ad incestas libidines ipsa etiam commemoratione nefandas impellunt. Reliquorum falsæ & abominandæ religionis suæ autorum scripta melius nouerunt, meras blasphemias aduersus Deum & deiparam Virginem, & sanctos omnes continentia. Annon igitur aduertent tandem, se diabolica fraude deceptos ab impuris & scelestis hominibus ambitionis studio correptis, vt haberent qui sua flagitia imitarentur. An non agnoscent ipsum Principem Hæreticorum Lutherum ab ipso Diabolo suas fabulas didicisse, vt eas promulgaret, & interim cupiditatibus suis frueretur, & eorum suffragio quos in fraudem pertraxisset suppliciorũ tormenta deuitaret. Ad mentem reuocent aduersus consarcinatores veterum errorum renouatam quoque Diui Pauli & D. Augustini piam & sanctam vaticinationem, hæreses ideo existere vt & boni probentur & fiat veritas magis manifesta. Cæterùm de illo gloriari desinant, nonnisi illud à Deo esse

quod vnus homo duo-ue tantam populorum turbam ad suam sententiam pertraxère. Nihil inde sibi tribuant. Hoc Arriani quondam, Hoc Nouatiani, Hoc Macedoniani, Hoc alij improbioris notæ hæretici iactauère dum numerosam multitudinem sequacium suorum elato supercilio mirabantur, & ambitiosius per vias publicas stipati caterua improborum, vt satellitibus suis & domesticis protectoribus circumuallati principes solent, incedebant. Illos tamen damnauit Ecclesia, & iusto excommunicationis & anathematis fulmine perculit, nec iam ex illis superest quicquam, præterquam quod earum omnium hæreseon architecti ipso nomine Christianis omnibus sunt & contemptui simul & horrori. Ecclesia quæ Arrium & alios Hæresiarchas vsque ad hæc tempora condemnauit, & eadem etiam Lutherum & Caluinum à societate fidelium extorres esse iussit: Agnoscant qui etiam nunc iisdem erroribus distringuntur eadem sententia se teneri, & eandem quoque sortem subituros, quam alij quondam hæretici subierunt. Sed vt illi qui adhuc hærent in prauis opinionibus suis pertinaces, nihil amplius errori suo gratulentur. Edifcant Luthero & aliis nouatoribus fuisse facillimum multos ascifcere insaniæ suæ socios, dum monachis primum, sacerdotibus, & alijs viris ecclesiasticis, nec non perpetuæ castitatis voto obstrictis virginibus fræna impudicitiæ sub honesti matrimonij prætextu laxauerunt, mox ieiunia & omnes corporis castigationes sustulerunt, omnem obedientiæ legem euerterunt, omnem claustri & clausuræ necessitatem remiserunt, omnia ad libitum agere permiserunt, locos etiam honoratiores, nouorum prophetarum nomen & famam sequacibus suis in ecclesia sua spoponderunt, & his veluti temporalis felicitatis bonis veluti corolarium & auctarium certam & indubitatam æternæ beatitudinis fruitionem adiecerunt. Non facilè quis gratuito bonus est vt ait Pub. mimus (quamquam id non ex vera optimæ philosophiæ ratione)

Cum vitia prosunt peccat qui recte facit.

Illi solam fidem loquebantur, & eam quam sibi quisque ex sacræ scripturæ interpretatione propria fingeret: Bona opera ad salutem nihil proficere profitebantur, pudicitiam omnem non solum improbabant, sed etiam castitatis votum esse damnabile asseuerabant: Omnes bene agendi occasiones tollebant, hæc etiam omnia, quibus ad pietatem Christiani ducuntur, contra sacræ scripturæ verba introducta esse ad augendum fiscum episcoporum & ipsius summi pontificis, aut monachorum lautiores epulas fingebant, libros sacræ scripturæ, qui errorem suum palam damnabant, suis rationibus inter apocryphos numerabant, alios quibus obtrectare non poterant sine manifesto dispendio ipsius Christianæ religionis, cuius se defensores prædicabant, subtilibus argutiis ad suum sensum contorquebant. Quæratur postea quomodo illi ingeniosi homines ab ipso omnis imposturæ & versutiæ au-

tore adiuti, tam commodam ad cœlum viam promittentes, sibi teneriorum mentes deuinxerunt aut improborum hominum integras cohortes asciuerunt, qui facile iam inclinantibus ad proteruiam & nequitiam animis suis indulgentes, aduersus ecclesiam matrem suam, quæ genuerat, quæ aluerat, quæ fouerat, quæ etiam eorum peccata & scelera patientius quam par erat aut tulerat, aut condonauerat, impia discessione constiterunt, hoc colore, quod vitam puriorem & castigatiorem, quod mores seueriores imperaret, quod Christi crucem, dolores, labores, ærumnas, pro vt cuiusque ferrent vires proponeret imitandas, & secundum apostolum, Christianos omnes admoneret debere eos in corpore suo adimplere, quod ipsius Iesus Christi deerat passioni: Quod denique sanctorum omnium iuberet recordari, qui per varios mærores, ægritudines, iniuriarum perpessiones, vigilias, tormenta, ieiunia, orationum multiplicatas congeminationes, & eas quas D. Basilius vocat τὰς κατὰ τὸ σῶμα κακώσεις, καὶ τὰ ἔξω ἐπίπονα, ad supremam beatitudinem affectauerant viam, eamque illis rationibus erant consecuti. Si mirantur adhuc cur Lutherus & Caluinus plurimos habeāt inepriarum suarum vindices: Mirentur & illud quoque cur Mahumetes eodem auspice quem habuerunt diabolo, tam cito promulgatis suis insomniis tot inuenerit nationes, quæ quasi volentes eludi & per præstigias nouæ religionis commento velatas decipi se passæ sint, & per tot sæculorum spatia vsque ad eam ætatem in suo errore perstiterint; vt summo Christianorum dedecore sint illæ magis in tuendis impietatis suæ mendaciis pertinaces, quam illi in veræ religionis cultu defendendo & asserenda veritate constantes. Non defuerit prona huiusce rei & paratissima ratio. Primum rerum omnium nouitas est acceptissima: Ad noua leues homines concurrunt, ad noua confugiunt. Etiam vulgus solet dicere, magis auribus arridere nouas cantilenas, quod prouerbium est ab incude Homeri.

Τὴν μὲν ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

Verum si eiusmodi nouitati, quæ iam natiua dote est gratissima, accedat ilex voluptatum & carnis delectationes proponantur: Si habenæ laxentur animis iam sponte ad flagitia ruentibus, si obices diuinorum præceptorum rumpantur, si ecclesiasticæ disciplinæ ratio auferatur, si piæ præceptiones sanctorum neglectui sint, si libera vela vitiis sub honesta virtutum specie & simulatione permittantur, si denique veluti signo dato extiterit, qui & expleri posse libidines suas in hoc sæculo illæsa conscientia prædicauerit, & post mortem ad certam salutem aut paradisum lacte & melle fluentem, sempiternumque gaudium vocauerit, vix est vt non ille plures sibi adsciscat sectatores. Hoc præstitit Mahumetes abolito penitus nomine Christiano. Illud idem præstitere Lutherus & Caluinus, & cautius tamen quam ille, vel si verum dici de-

bet improbius, quod & Christiani nominis dignitatem retinere voluerint, & securius reipsa tentauerint illud infami doctrina sua euertere. Addamus quod cum illi immensas opes ecclesiæ criminarentur, & sub falsa simulatæ pietatis imagine luxum & impudicos mores virorum ecclesiasticorum in inuidiam veritatis quam insequebantur accusarent, statim admissarios suæ factionis in spem prædæ adduxerunt, sceleratos & proiectæ audaciæ homines ad diripiendas opimas ecclesiarum facultates impulerunt, eosdem ad sanctimonialium suas ineptias renuentium castitatem violandam ardore portentosæ libidinis incenderunt, vt iam non sit dubitandum cur noui pseudoprophetæ tot sibi confecerint hominum cœtus. Scilicet vbi rapuerunt opes singularum basilicarum & monasteriorum, quæ furor eorum peruaserat: Vbi capsas immensi pretij vel argenteas vel aureas colliquefecerunt: Vbi reditus cultui religionis & virorum ecclesiasticorum destinatos corraserunt: Vbi Christi patrimonium, cuius nomen ementiebantur furati sunt: vbi censum pauperum sustulerunt: Vbi fiscum Ecclesiæ asportarunt: Iam ipsis fuit facillimum exercitus conficere, quibus sacrilegiis suis adiicerent rapinam & peculatum, id est priuatarum & publicarum pecuniarum direptionem. Quid præterea? Impiissimo Anglorum Regi, qui veniam incestarum nuptiarum, quibus se maculauerat ab Ecclesia impetrare non poruerat iam per scelus suum ipso iure excommunicato vltro se obtulerunt; & data sibi occasione grassandi, vt flagitio impietatem adderet, ei secessionem ab eadem Ecclesia, vltimum sceleratæ vitæ dedecus, suaserunt. Inde vicinas omnes prouincias sunt peragrati, & si quas personas inuenere, aut ad audendum immane aliquod facinus paratas, aut propter simplicitatem & ignorantiam dolis suis & callidis insidiis patentes, iam per se specioso nouitatis nomine, deinde etiam sacræ scripturæ commendatione sunt adorti, quam legendam & ad suum sensum contorquendam vnicuique permittebant, eâ etiam in linguam vulgarem translatâ, vt officioso obsequio quasi de salute singulorum solliciti, ipsos homines proletarios, ignaras mulieres, stolidam plebem ad se pellicerent. Gallia ipsa sensit hoc virus, ne esset quo se à publica & vniuersa calamitate exortem crederet, & cum discordiis & factionibus magnatum mista essent omnia, qui se inferiores sensêre, vt superioribus pares essent, inde sibi præsidium studio & ambitione partium suarum tuendarum petiêre, & quasi aliud agentes nescierunt se inuehi in profundum mendacij, erroris, quem dictantibus rebus suis & ipsa necessitate, à qua plerique scelerum suorum excusationem petunt, defendere perinde ac veritatem ipsam instituêre. Nec defuerunt etiam in Gallia, qui magnum leuamentum egestati suæ arbitrati sunt, florentes opibus Ecclesias spoliare, reditus amplos monasteriorum in suum censum redigere, & cum tam commoda ratione vtendi fruendi rebus alienis integrâ & illæsâ conscientiâ, tanquam iure belli partis paratis-ve certam

quoque æternæ salutis expectationem fingere. Quosdam interim extitisse qui sola simplicitate & incuriâ delusi fuerint, ac nihil aliud quæsierint, quam securam vitæ futuræ adipiscendæ rationem dubitari non debet, qui vt credulitate leues, ita captionibus fuere obnoxij, eò vel maximè, quod noui pseudoprophetæ nihil præter sacram scripturam loquerentur, eam vbique legendam traderent, ac dolis industriis mentirentur Romanam Ecclesiam eius tractandæ commoditatem suis non concedere, ne ad notitiam suæ salutis peruenirent. Successere demum patribus filij, & illis etiam nepotes (nam qui proauos suos aut abauos, aut antecedentes omnibus sæculis maiores crêre possit, qui non iisdem moribus & legibus vixerit quas seruat Ecclesia, qui non omnes Ecclesiæ præceptiones sanctè custodierit, aut ad minus comprobauerit nullus gentium apud eos reperietur, & si fides eorum nænijs & ineptiis habeatur, plures inuenient parẽtum suorum, quos ante Caluinũ humanæ sortis fatum assumpsit, misere sepultos in inferno). Sed non est ab instituto sermone aberrandum. Vbi filij vel nepotes aliquid inuenere ab auo vel patre, pio quod vocant furto quæsitum (nam illis placuit iuris ciuilis definitio quæ ait loca religiosa res-ve sacras ab hostibus captas, capientibus religione non teneri) dulcedine illecti ne ad ecclesiam redeuntibus grauis esset restitutio, vt sine animæ periculo raptum tenerent, & à sacrilegij suspicione famam auitam & paternam vindicarent, maluerunt sortem parentum ingredi, & eam religionem colere, quæ fuerat tam benigna, vt cum immortalis vitæ fruitione, commoda quoque rerum temporalium in domum inopem, & antea egentissimam intulisset. Alij quos paternæ vitæ integritas plus mouerat facilius etiam eam fidem tenuere, quam pater aut proprio indulgens errori, aut alienæ autoritati concedens nimium sanctissime custodiendam mandauerat. His auctoribus & artibus nata, aucta, condita ea religio, quæ omisso medio ad Apostolos refert originis suæ prærogatiuam. Expendamus animi gratia quam commodis & congruentibus rationibus id possit probari. Apostoli quieto & tranquillo animo omnia ordine instituerunt: Illi turbulenter omnia confuderunt. Apostoli obedientiam & summissionem in omnibus præstitere, & præstandam à fidelibus censuerunt: Isti andaci insolentiâ cunctis potestatibus restiterunt, omnia patientiæ iura dissoluerunt. Apostoli intellectum cuiusque in fidei obsequium duci captiuum voluerunt: Isti secretiora quælibet & magis arcana fidei mysteria ad mentis suæ capacitatem & arbitrium reuocarunt, quæ per animi cæcitatem non intelligebant, ea veluti ficta aut apud Deum esse impossibilia æstimauerunt. Apostoli in cruce Domini nostri Iesu Christi gloriati sunt, sancti Ecclesiæ patres ad omnem actũ & incessum eo signo frontem terere docuerunt, ipsi Christiani Imper. eius signi veneratione illud humi pingi aut sculpi vetuerunt: Illi crucis honorem anilis cuiusdam superstitionis loco habuerunt, omnem eius

memoriam funditus deleuerunt. Apostoli vbique discurrêre, vt tanquam sacri Triptolemi fidei bonam frugem per totũ terrarum orbem disseminarent: Isti sedentes domi & desides ipsum optimum fidei triticum lappis tribulisque, & meris zizaniis corrumpere tentauerunt. Apostoli corpus suum variis castigationibus, ieiuniis, esurie, siti, subegerunt: Illi omnes disciplinæ leges, quibus in seruitutem redigi potuit, sustulerunt, Apostoli castitatem & ipsi professi sunt, & colendam aliis suaserunt: Illi voto ipsi castitatis adstricti Deo dicatas virgines corruperunt, omnem castimoniam improbauerunt, seruari omnino non posse impudenter prædicauerunt. Apostoli matrimonij sanctitatem commendarunt, sacramenti nomine cohonestauerunt: Illi eandem societatem tam sancti pignoris dote fraudauerunt, solo castitatis odio probauerunt. Apostoli omnem incestum damnauerunt: Illi in suæ factionis admissario, id est Rege Anglorum impiissimo comprobarunt. Apostoli pacem & concordiam vbique intulerunt: Illi totum pene orbem seditionibus, cædibus, incendiis, bellis, tumultibus miscuerunt. Apostoli iniurias, & vincula patienter tulerunt: Isti ludibrio, contumeliis, conuitijs, vnumquemque petierunt. Apostoli manibus suis operabantur vt necessitatibus pauperum subuenirent, ne-ve quem grauarent: Illi facultates pauperum exhauserunt, & priuatas publicas, sacras pecunias expilarunt. Denique Apostoli pro Christi nomine mortui sunt, & grauioribus supplicijs sunt affecti: Isti sanctissimos Ecclesiæ antistites, & sacerdotes diris cruciatibus, quos nulla vis tyrannorum commenta fuerat, ad mortem adegerunt, religiosos monachos necauerunt, omnes furori suo non concedẽtes sine delectu trucidarunt. Agnoscant & nunc adhuc fucum sibi fieri falsa & fallaci specie doctrinæ apostolicæ. In mentem ipsis redeat quinam fuerint autores erroris sui, cur ab Ecclesia orthodoxa recesserint, quid postmodum moliti sint: quam ipsi secum, quam à se inuicem dissenserint indicio mendacij manifesto, cum vna sit veritas, & sibi semper consistat. Non semper corpus humanum prospera & florenti valetudine frui potest: morbus aliquis incurrat necesse est, & vbi pars aliqua cœpit male affici, ad eam incumbunt peruersi humores omnes, non secus ac longo tempore magna aquarum vis cauis montium anfractibus detenta, dato tandem itinere eò tota cum impetu erumpit. Quod in compage corporis humani accidit, illud idem interdum in Ecclesiæ corpore euenit, vt quiescere semper non possit, sed interdum ipsa suis viribus oneretur, quod fit maxime vbi torpedo & inertia eos inuasit, qui verbo & exemplo Christianis viam præire debent: nam tum necesse est plerosque aduersus disciplinam ecclesiasticam esse contumaces & vitijs sese negligentius applicare, quorum aucta multitudo iam fere tantum potest, vt reliquo corpori noceat: vnde fit vt vel leui occasione data, qui sunt improbi magis, incipiant erigere ceruices & aduersus eam contumacem spiritũ tollere: quos facile postmodum

prauorum hominum cohors reliqua raptim consectatur, non secus ac dicitur mari incumbere tempestas cum semel ruptis carceribus montium quibus per vim concluduntur,

Venti velut agmine facto
Qua data porta ruunt, ac terras turbine perflant.

Sic nascuntur hæreses, quia tum color quæritur aliquis discessioni, & improbi simulant iure se ab ecclesiæ corpore recessisse, & quærunt suo sceleri excusationem. Sic fit vt per teterrimos eiusmodi homines reliquæ partes ecclesiæ ad virtutem exerceantur, & cæteri Christiani constantiori animo iam incipiant Deo adhærere, qui negligentiores futuri erant. Ecce iam munus suum impleuerunt hæretici, & qui male & peruersa de fide sentiendo sibi vtiles esse non potuerunt, reliquo ecclesiæ corpori profuere, quia ad mentem rediere veri Christiani: Cœperunt ecclesiæ pastores diligentius vigilare: Vnusquisque à somnolentia exsurrexit. Ecclesias demoliti sunt aliquas: plures deuotio fidelium excitauit. Complura monasteria destruxerunt: Maior est numerus eorum, quæ & erecta sunt postea, & quotidie eriguntur. Facultates ecclesiæ subripuerunt. nouæ & quidem ampliores conferuntur. Asceteria dicatarum Deo virginum, diruerunt, easdem infami libidine sua contaminarunt: Noui parthenones ædificantur, cœtus noui sanctimonialum in his quotidie Dei laudes personant, & intemeratæ castitatis votum profitentur. Hominum religiosorum nomen delere voluerunt: Antiquis, qui etiam nunc priorem regulam repetiere, nouæ sodalitates etiam sanctioris vitæ voto constrictæ accesserunt. Redeant igitur ad ecclesiam, à qua tandiu errantes abscesserunt: Gremium suum redeuntibus numquam claudit ecclesia, & sponsi sui exemplo, eorum qui reuertuntur ad cor iniquitates non recordatur. Regrediantur iterum & eam quam indigne & factis & scriptis violauêre, pie misericordem experientur. Ecce iam consedit ille impetus qui tempore secessionis semper in hæreticis est feruentissimus & qui nos ad imas tartari sedes delegabant primitus, ad societatem felicitatis admitti posse non negant. Ecce iam sentiunt aduersa à Deo omnia, qui orthodoxæ ecclesiæ miserè ab his afflictæ lachrymas miseratus, eius hostes aut delere vult, aut ad pœnitentiam reuocare. Qui inter eos secessionem inchoauerunt ducti suis cupiditatibus iam in fata concesserunt: alios solus tenet error condonandus, aut saltem excusandus, nisi quia pertinax. Agant itaque cautius, & ne contra omnium Ecclesiæ patrum autoritatem, cõtra tot sæculorũ vsu inualescentem sententiam, contra ipsam rationem videãtur temere suis opinionibus inhærere, diligentius veritatem inquirant, & edoceri se amicabili & non contentioso colloquio patiantur, vt si ratione vel autoritate se putauerint esse potiores, meliori conditione veterem sequantur errorem. A nobis quærunt humanarum rerum consortium & iure quærunt. Hoc inuicem nobis concedant quoque, vt sit aliqua spes in re-

in rebus diuinis restaurādæ cum illis concordiæ. Quod si adhuc mores nostros vt improbos accusāt: si vitam quorūdam virorū ecclesiasticorum nimio luxu diffluere, pluribus vitiis patêre contendunt, si Ecclesiæ facultates etiam nunc malè dissipari, si curam pauperum apud nos negligi, si eorum bona ab his qui suas inde alunt voluptates impudenter dilapidari queruntur, (vt his omnibus iure offenduntur:) Redeant tamen, & vt in Ecclesia certissima rectè agendi præcepta accipient, ita vitæ correctioris exemplo nos iuuabunt. Illud regressu suo tribuant nobis, hoc concedant sibi, vt quisque gratas pœnitentiæ lachrymas ad Deum fundat, quod contumaciâ criminum paternorum discessio facta est, aut pertinaciâ nostrorum tamdiu discordia durauit. Hoc efficiant reuersi, vt viri ecclesiastici, quorum est adhuc vita insolens, defleant propter vitia sua nomen Dei blasphemari, & vsque in hunc diem scandalum in Ecclesia mansisse. Hoc sibi, hoc nobis præstent redeuntes, vt simul omnes coniunctis & consentientibus votis à principe nostro expetamus, vt scelera, quæ nimis plus impunita coalescunt, publica vindicta coerceantur, vt mores, qui præcipitanter non tantum ad Christiani nominis aut certè Francici dedecus, sed etiam ad vltimum exitium ruunt, emendentur. Hoc Ecclesiæ orthodoxæ suaue iugum subeuntes patientia sua demereantur, vt communi Ecclesiæ parente intercedente, vel concilio generali, vel prouincialibus synodis, ecclesiastica disciplina restituatur, quæ propter temporum iniuriam nimis iam à recto desciuit, & lapsa est. Hoc immortali & nunquam per sæculorū sequentium spatia obliuiscendo facinore memoriam errorum & ignorantiarum suarum aboleant, quod repetita rerum diuinarum & sacrarum concordia, illam sibi & vniuersis Christianis simul occasionem daturi sunt, vt pio armorum fœdere, copiarum coniunctione, opum facta contributione, hostes Christiani nominis Turcas insequantur, quorum dominatio impotens nostris diuisionibus creuit, & pene sui mole & magnitudine interitum minatur orbi Christiano. Illa sperare est in procliui, & vbi cœperit Francia in bonum consentire, tam sanctæ concordiæ exemplum facile quoque cæteræ nationes, si modo Christiani nominis dignitatem retinere voluerint, imitabuntur. Habemus principem de rebus magnis & bonis deliberando placidum, aggrediendo generosum, prosequendo constantem, exsequendo fœlicem. Est quod ab eius pietate prospera, à virtute militari maxima, ab eius moderatione tranquilla, vnusquisque expectet. Est quod penitus referat eum ipsum D. Ludouicū, cuius non solū nomen sed etiā hæreditatem vt nepos proximior tenet, quem, vt memoratur Paulus Æmilius, nobiles coluerunt vt principem, leges vt tuitorem, populus vt patrem, Francia vt verum Regem, vera religio vt defensorem. Nihil est quo speciosius genus suum tanto principi afferat, quam vt eius animum imitando vires hostium Christiani nominis, id est Turcarum atterat, & hunc armis

Francicis & suis honorem vere magnũ vindicet, quod sola ductus pietate, pudendum fœdus cum his superiore sæculo contractum diremerit, & constantis animi magnitudine non modo tantum hostem lacessere ausus fuerit, sed etiã penitus eius imperiũ delere potuerit. Non sufficit principi nostro Regis sanctissimi memoriam, solenni festiuitate indicta summi Pontificis permissu honorasse, nisi perpetuo eum oculis suis subijciat imitandum, & sequi meditetur eas imperãdi rationes, quibus sibi certissimum iter ad cœlos parauit. Ecce post eum Principem, nullus Christianissimorum Franciæ principum extitit, qui proferre nominis Christiani dignitatem in barbaras nationes tentauerit, & furorem armorum suorum conuerterit, in gentes, quæ Deum non nouerunt. Hoc scilicet felici certæ expectationis augurio ominandum est illud esse à Deo, quodam iure præcipui, Principi nostro seruatum, vt eodem pietatis zelo accensus late Christianum protendat imperium, & ipsis Christianis securum & liberum iter adaperiat inuisendis, sine vllius tributi exsoluendi dispendio, illis locis, in quibus & salus in mundo nata est, & mysterium ipsum redemprionis hominum est adimpletum. Illud est Christianissimi Principis exsequi tantum opus. Hoc etiam ipsi Turcæ reformidant, & certissimum à Rege Francorum impietatibus suis exitium fore inuiti licet profitentur. Redeant modo in concordiam cum Ecclesia orthodoxa, qui tandiu cum magno suo dãno ab ea recesserunt. Vbi cœperit in Francia natiua pietas auspicari felices conatus, facilè circumfusi late populi, & nationes tam sanctum amicabilis consortionis propositum imitabuntur. Summus etiam Pontifex & re & nomine Gregorius vere, omnibus Christianis si illud expedierit, id concedet, vt generali habito Ecclesiæ consessu, quisque possit libere promere, quod ad omnium tranquillitatem, ad mores in veram pietatem conformandos, ad veterem Ecclesiæ disciplinam restituendam, ad bellum Christianorum omnium hostibus commode inferendum, arbitrabitur conuenire. Illa forte omnia longius à proposito, & ipsis imperatoris Alexandri politicis axiomatibus recedere videbuntur. Sed quæ sunt optima nunquam sunt intempestiua, & cum certissimus sim mihi per morbũ illusisse diabolũ, vt ab orthodoxa religione discederem in animum iniectis prauis instigationibus, quæ me non modo illicerent ad prauos errores insequendos, qui iam adhuc inualescunt, sed etiam ad iam diu damnatam Origenis hæresim pertraherent, forte debui publico voto fidem meam testari, vt illa publica professio aduersus similes incursus, si qui adhuc animum meum pertentarent, paratissimum præberet munimentum. De diuerticulo igitur in viam redeamus.

De virtute militari, & armis.

Cap. IV.

Religione & diuinæ maieſtatis cultu conſtituto, atque exacta diligentia obſeruato; amandatis præterea à repub. magicorum omnium & Aſtrologorum præſtigiis: Illud proxime ſequitur, vt ad rempub. aut imperium optime ſtabiliendum, virtus militaris ſuum decus obtineat, quia in eius ſinu & pietas, & tranquillitas publica, ipſæ etiam leges acquieſcunt. Perinde bellis præeſt deus, ac pacem tuetur, ac etiam exercituum ſe deum vocari vult, adeo oportet vicarium eius principem & armis decoratum, & viciſſim legibus armatum eſſe. Sic Iuſtinianus imperator recte in nouella conſtitutione περὶ στρατιωτῶν. Μετὰ τὴν τοῦ δεσπότου Θεοῦ εὐμένειαν, ἀσφάλεια τῆς ἡμετέρας ὑπηκόου, ἐν τῇ στρατιωτικῶν πραγμάτων ἀρχῇ καὶ καταστάσει. Illa armorum virtus, non modo in bello vtilitatem ſuam exerit: Sed etiam in ipſa pacis ſecuritate neceſſaria eſt, & vtriuſque temporis quodammodo eſt decus, & munimentum. Et certe, cum vix ſit vt homines diu poſſint quieſcere, & domi foriſque plures naſcantur iniuriarum occaſiones, quibus obuiam ire oporteat, leges per ſe imbecillæ numquam vim ſuam obtinebunt, niſi princeps armorum præſenti auxilio aduerſus temerarios audaciæ impetus, ius ſacroſanctæ poteſtatis exerceat. *Nuſquam tuta ſine viribus maieſtas.* Ita Ariſtoteles in politicis: ὅμως ἀναγκαῖον βασιλεῖ ὑπάρχειν δύναμιν, ᾗ φυλάξει τοὺς νόμους. Imo quo magis vnus quiſque vel ex ſubditis, vel extraneis, regiæ maieſtatis culmen aut metuat aut reuereatur, perpetuo armorum munimento ſæptum eſſe principem, neque vnquam belli cogitationem remittere oportet, vt cum res id dictauerint, malignum hoſtium & diu diſſimulatum nocendi conſilium anteuertere poſſit, & in ipſis conatibus opprimere. Quo fit vt Philopœmen ſummus ille dux Achæorum dicere ſoleret pacis tempus ſibi eſſe meditationem earum rerum, quæ ad bellum eſſent neceſſariæ: Cum enim ea ſit rerum humanarum varietas & viciſſitudo, vt quieti labor, paci bellum, diſſimilia inter ſe, ſocietate tamen arctiſſima coniuncta ſint, vt finis vnius cum alterius initio miſceatur, conſequens eſt vt otium publicæ tranquillitatis ſegnitiem & ſocordiam alere non debeat.

Ὅτ᾽ εὐπλοεῖς μάλιστα μέμνησο ζάλης.

Qua in parte plerumque pernicioſiſſime erratur, cum ſopitis bellis ciuilibus omnis cura rei militaris remittitur, quam poſtea maioribus impendiis repeti oportet, quam poterant collectæ ſemel copiæ ſuſtentari, aut iuſtus exercitus ali perpetuo, vt rerum neceſſitati occurreretur.

Illud eſt ſæculi probrum,quod vbi vel mediocriter bellorum ciuilium tumultus interquieuerunt , ſtatim diſcurrunt per vrbes tot egeni & mendicantes,quot erant pridem in exercitu milites;Nec mirum eſt cur redeunte turbarum inſania, plures ſunt qui ad prædam citatiori feruntur impetu,quam ad iuſte dimicandi ſtudium : Quia vnuſquiſque gregariorum militum ſatis ſibi perſuaſum habet,ad momentum tribuſculi inteſtini ſibi modici ſtipendij commodum duraturum, quod nec ipſum interdum erogatur. Tutiſſime illi rempub. adminiſtrant, qui ſemper armatam hominum manum ſubſidio habent, & vix ille patet iniuriis ſuorum,vel exterorum ludibrio,qui præſenti fretus copiarum præſidio, cum moderamine inculpatæ tutelæ vim illatam propulſare poteſt. Semper eſt ſecurus princeps,qui ſemper armatus: Numquam quies ſine armis haberi poteſt. Sic Auguſtus, ſic cæteri principes, in media pace integras legiones aluerunt, quæ aliquando reipublicæ laboranti ferrent ſuppetias. Non ab hac rarione diſcedit Ariſtoteles in politicis. *Τὺς κοινωνῦντας ἀναγκαῖον καὶ ἐν αὐτοῖς ἔχειν ὅπλα πρός τε τὴν ἀρχὴν, τῶ ἀπειθύντων χάριν, καὶ πρὸς τὺς ἐπιχειρῦντας ἔξωθεν ἀδικεῖν.* Armorum igitur ſcientiam quaſi reipub. pernecesſarium imperator Alexander magni æſtimauit, adeo vt nullum diem abire pateretur, quo ſe ad militiam non exerceret, vt & manu pugnauerit interdum, quemadmodum Lampridius ſcribit. Herodianus quoque exercendis militibus ac cæteris bellicis muneribus pertractandis,fuiſſe intentiſſimum docet. Sed maxime honore pleno milites dilexit,ſiquidem eos ægrotantes per tentoria inuiſere ſolebat,etiam eos, qui eſſent infimæ militiæ, carpentis vehi curabat, & omnibus neceſſariis adiuuabat. Quin & ſi forte grauius laborarent, per ciuitates & agros ſingulis quibuſque eos commendabat, atque etiam ſanctioribus matronis eoſdem diſtribuebat, reddens impendia quæ feciſſent ſiue conualuiſſent, ſiue periiſſent: Atque hæc omnia gratæ voluntatis officia & beneficia, illo ſolenni teſtimonio cumulabat, quod diceret milites ſe magis ſeruare quam ſeipſum, quod ſalus publica in his eſſet. Sententia certe magno imperatore digna, cui vita & valetudo ſuorum perinde cara eſt ac ſua;quod illis debuerit eſſe documento,qui militum ſuorum ita vilem ſanguinem habent, vt eos indiſcriminatim quaſi emptas ære ſuo & diurnis ſtipendiis victimas ambitioni ſuæ mactant, & eos propter cauſas leuiſſimas, modo eorum ex ſaturando furori ſatisfiat, offerre non dubitant minus iuſtis auſpiciis trucidandos. Annon vero ſalus publica in militibus conſiſtit, qui quotidie pro otio publico excubant,qui rempub. à bellorum iniuria defendunt,qui in ipſis præliis, vbi res exegerit, conſtantis animi magnitudine vitæ ſortem derelinqunt, quorum ſanguine ſecuritas populo paratur, patrij foci ab hoſtium inſolentia redimuntur, altaria à ſceleratorum proteruia & impietate vindicantur. Hinc forte factum vt ſolo virtutis vocabulo, bellica virtus & fortitudo contineatur, quod ipſa inter alias emineat, &

ſuis viribus cæteras tueatur. *Πάντεσι φαίνει*, inquit Iuſtinianus Imp. *τὴν ἐν ὅπλοις ἐμὴν ἀρετὴν ὀνομάζει μόνον.* Inde etiam Græci vocabulum *ἀρετῆς ἀπὸ τοῦ ἄρεος*, id eſt à marte illius bellicæ virtutis præſide Deo, deduci voluerunt. Magnum certè virtutis argumentum eſt, non modo ad cogitationem mortis, ſed ne ad intuitum quidem expaueſcere. Innatus eſt omnibus animãtibus & maximè hominibus quidam veluti mortis metus, & viuendi libido, vt etiam in ipſis vel tormẽtorum vel morborum cruciatibus plerique prorogare ſpiritum velint. Id ſi rerum argumenta non præſtarent, ipſe Ariſtoteles doceret in politicis, *καρτεροῦσι*, inquit, *πολλὴν κακοπάθειαν οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων γλιχόμενοι τοῦ ζῆν, ὡς ἐνούσης τινὸς εὐημερίας ἐν αὐτῷ καὶ γλυκύτητος φυσικῆς.* Vnde & illud erat Mæcenatis votum, quod & debilitatem non recuſaret, & deformitatem, imo nec acutam crucem, dummodo inter hæc mãla ſpiritum retineret: adeo graue eſt lucis fruitionem & vitæ dulcedinem deſerere.

Δεινὸν τυγχάνει
Λιπεῖν τὸ λαμπρὸν φέγγος τῆς ἡμέρας,
Καὶ τῷ σκοτεινῷ συγκαλυφθῆναι τάφῳ.

At militaris virtus id præſtat, vt contempto vitæ deſiderio, & illa mortis formidine, quam tot voluminibus & plerumque incaſſum Philoſophia demere ex animis hominum nititur, in ipſam mortem veluti deſilire iucundum ſit, eamque in media acie occurrentem ſecuris & immotis oculis liceat conſpicere: vt propterea non immerito omnium populorum conſenſu primæ partes in rerum publicarum adminiſtratione illis datæ ſint, qui curam haberent rerum militarium, & illi potiſſimum nobiles ſint vocati, qui vtilitatis publicæ cauſa res arduas ac difficiles, qualia ſunt bellorum pericula, aggrederentur, & magna quæque & excelſa, cum ampla & ſplendida animi propoſitione, cum voluntaria ac diuturna perpeſſione, cum ſumma fiducia agitarent & adminiſtrarent. Hinc & Cicero ipſe, quamquam alias impenſius tribuat eloquentiæ & vrbanis conſiliis, nihilominus palam bellicis rebus ſupremum ius concedit. *Res militaris*, inquit, *præſtat cæteris omnibus: hæc nomen populo Rom. hæc huic vrbi æternam gloriam peperit, hæc orbem terrarum parere huic imperio coegit, omnes vrbanæ res, omnia hæc noſtra præclara ſtudia, & hæc forenſis laus atque induſtria latent in tutela ac præſidio bellicæ virtutis. Simul atque increpuit ſuſpicia tumultus, artes illico noſtræ conticeſcunt.* In bello ſcilicet fit veræ & ſolidæ virtutis periculum: Probantur quicumque genuinam animi magnitudinem profitentur: nam non omnes, qui in vmbra & otio magna de ſubeundo mortis periculo, aut prædicant aut pollicentur, iidem parati ſunt cæſim, aut punctim cum hoſte armato decertare. Illa ratione ne facile ignauiæ inſimularẽtur illi, qui res vrbanas procurarent: olim ſolebant filij ſenatorum prius armatam militiam quam palatinam profiteri, vt docet doctiſſimus aruernus ad Sidonium Apollinarem. Hac præcipue virtute commendata ſemper Gallia vbique ter-

rarum victricia arma circumtulit, hæc immortale decus huic regno, perennem gloriam principibus nostris præstitit. Par est eos, quibus illa curæ est, ad veram laudem exurgere, qua parta à maioribus suis trophæa victoriis suis cumulent, & vbique dignitatem & amplitudinē Francici imperij egregia facinorum fama non retineant modo, sed etiam in maius extollant. Id non difficilè est sub principe nostro expectare: adeo eius robur inuictum omnia superat, diligentia consilia hostium anteuertit, constantia laborem vincit, prudentia periculum declinat. Sic res ab eo gestas victoria ornat, victoriam clementia temperat, vt non possit non illo duce aut virtus fortunam adsequi, aut virtutem fortuna comitari.

De Iustis belli inferendi aut suscipiendi rationibus.

Cap. V.

Verum non quælibet occasio belli aut inferendi, aut suscipiendi capi potest: & multum à fortitudine aut militari virtute differt gladiatoria periculorum susceptio. Rectè Stoici definierunt fortitudinem virtutem esse pugnantem pro æquitate. Igitur nisi primum iustitiæ tuendæ causa bellum geratur, & pugna ineatur, non tam bellum est, quam infame latrocinium, aut veluti inter belluas temerarius & cœcus furoris impetus ad iniuriam inferendam. *Fortitudo*, inquit D. Ambrosius, *nisi eam iustitia temperet, intolerabilis insolentia est, furori quam rationi propior, dominationi quam libertati.* Sic rectè Iustinianus Imper. *εἴ τις ἐν ὅπλοις ἰσχύος τὸ δίκαιον ἀφέλοιτο, πλημμελημάτων ἀφορμὴ μόνον, ἢ μὴν τινὸς γένοιτο ἂν τῶν ζητούντων.* Fortitudo & militaris virtus requirit vitæ propriæ generosam contemptionem, ac laborum simul & periculorum perpessionem, sed cum ratione vtilitatis, & considerata commodorum compensatione susceptam, idque pro salute publica, & communi omnium otio, & tranquillitate: Ac propterea etiam hic mos quondam inualuit, vt vnusquisque militum gladium ex altari acciperet, & profiteretur se eo tantum vsurum ad tuitionem Ecclesiæ, quemadmodum docet Petrus Blesensis epist. 47. quod & fit, dum Principes nostri inaugurantur. Ex quo possit constare quam non animi magnitudinis, sed potius abominandæ feritatis facinus admittant, qui nulla publica commoditate, sed propter priuatum leuiusculæ offensionis, & interdum hallucinationis dolorem, in se nefandissima improbitate coniuratas conuertunt dexteras, & sese mutuis petunt vulneribus, vnde plus decoris quam cruoris, plus impietatis quam sanguinis manat, & demum obfirmato ad scelus animo, in sua properantes fata, crudelem sibi mortem accelerant, post ipsam infe-

licius etiam perituri. Licuerit effusis iustæ & liberæ indignationis habens, Lyrici Poëtæ carminibus, & exsecrationibus prosequi tantum nefas.

Quoquo scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Furor ne cæcus an rapit vis acrior,
An culpa: Responsum date.
Tacent, & ora pallor albus inficit,
Mentesque perculsæ stupent.

Non sic efferatissima quæque animalia, non sic horridas Caucasi cautes incolentes belluæ in suum genus sæuiunt, aut præcipiti & temerario feruntur impetu:

Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Vnquam, nisi in dispar feris.

Interim illis criminibus honos & gloria pretenditur, & qui plures homines illo scelere interemerunt, festinabunda manu, quasi præclari cuiuslibet facinoris sibi conscij, lauros decerpunt, eadem opera de victis & abrogatis legibus exultantes, de contempta & calcata edictorum autoritate gestientes, de ipsius principis imminuta maiestate elato supra omnem arrogantiam supercilio triumphantes. Quinam vero vnquam optimæ notæ nobiles per huiusmodi scelerum portenta famam sibi quæsiuêre. Repetant auos & proauos, & qui ipsos antecedunt omnibus sæculis maiores, quorum armis hæc monarchia summum fastigium assecuta est, quorum virtute etiamnum viget & nititur, nusquam ab illis insauiæ suæ exempla mutuabuntur.

Non ita Francorum surrexit gloria cælo:
Non circis inclusa, nec his exercita pubes
Artibus, Europæ atque Asiæ circumtulit arma.

Et vt non modo huius monarchiæ annales, sed totius mundi fastos reuoluere liceat: Non parebit eos, qui aliquam præse solidi honoris, & veræ nobilitatis speciem tulerunt, in tantum prorupisse fœdus, vt eiusmodi flagitiis titulos suos adornarent. Illud non fine grauiori mentis ægritudine commemorandum est: Cum huius regni fortuna tot tantisque propugnaculis indigeat, & tam firmis munimentis initi eam necesse sit: Cum nobiles terrore se & armis succingere ad vindicandam Francici nominis dignitatem, & ad ampliandos aut tuendos huius monarchiæ fines, cum sanguinem suum & regis sui obsequio, & patriæ deberent caritati: Illum nihilominus nefariis cædibus impendi visum est, & contra omne ius fasque, in medio securæ pacis otio,

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

Qui magis bellicæ virtutis gloria se censeri cupierunt, vires suas propulsandis aliorum iniuriis, non inferendis, non suis vindicandis ostenderunt. Non quicumque ad omne audendum promptus, & ali-

qua cupiditate incensus in pericula ruit, contemptæ mortis gloriam nanciscitur: Sed qui ratione ducitur, & propter honesti studium iustitiæ vindicem cum moderamine inculpatæ tutelæ se præbet. *Ea elatio, quæ cernitur in periculis & laboribus* (inquit Cicero) *si æquitate & iustitia vacet, pugnetque non pro salute communi, sed pro suis commodis, in vitio est: Non modo enim id virtutis non est, sed potius immanitatis omnem repellentis humanitatem.* Sola bellum inferendi aut suscipiendi causa iusta est, vt secure in pace & otio viuatur: Aliena vero bello appetere prope omnem belluarum rapacitatem superat.

Gloria ad arma vocat multos, laudisque cupido:
Spes prædæ multos diues ad arma rapit.
Vtraque bellandi causa iniustissima, solam
Quæ pacem quærunt, prælia iusta puta.

Barbari itaque hominis, non principis ad æquitatis rationem facta sua & dicta moderantis, sunt illæ voces Tridatis apud Tacitum: *Id in summa fortuna æquius, quod validius: Et sua retinere priuatæ domus, de alienis certare regiam laudem esse.* Non fortitudinis laus vndecumque quærenda est: non ex omni occasione triumphorum, & victoriarum materia petenda est. Qui nulla causa idonea bello quemque lacessit, non idem postea discedere rebus integris potest: non qui initium bello præbet, idem pacis leges dicit: ἄρξασθαι πολέμου ῥᾴδιον, inquit Aristides, ἀπαλλαγῆναι δ᾽ οὐδὲν οὕτω χαλεπόν. Vt fœlici marte pugnetur, auspicatô bellum inchoandum est Themidis & Mineruæ consultis numinibus, id est aduocata æquitate & prudentia. *Sunt belli, sunt pacis iura, eaque non minus iuste, quam fortiter didicimus gerere,* inquit Camillus apud Liuium. Priuata gregarij militis laus est, manu decertare cum hoste: Regis & Imperatoris, causas rationesque legitimas bellorum expēdere, & euentus ante animo prospicere. Eos qui propter causas leuissimas bellum inferrent rectè Augustus illis comparabat, qui hamis aureis piscarentur, quos abruptos nulla captura pensare posset. Iustissima ratio bellū non modo suadens, sed etiam optimum quemque ad illud impellens illa est, si contra ius illatæ iniuriæ vindicentur: nam publice interest aduersus eos arma sumi, qui tranquillitatem publicam violant: Imo gladium vltorem aduersus se prouocant, qui per impatientiam quietis vltro lacessunt tranquillitatem aliorum; vt tum non modo ignauia sit, sed etiam iniquitas manifesta, non occurrere audaciæ vim & vltimum exitium innoxiis minitanti. Hinc & D. Ambrosius lib. 1. de officiis, sicuti etiam in decreto Gratiani est relatum. *In depellenda iniuria lex virtutis est, qui enim non repellit à socio iniuriam si potest, tam est in vitio quam ille qui facit.* Idem eodem loco. *Fortitudo* (inquit) *quæ per bella tuetur à barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena iustitia est.* Hac vero cautione, in bello inferendo & suscipiendo, maxime vsus est Imperat. Alexander: quamquam enim natura pacatissimus esset, tamen vbi opus fuit Artaxerxem

Persarum

Persarum Regem bellum minitantem aggredi & repellere, ibi constantissime id egit, ne opera eius desideraretur, ne-vè quicquam eorum prætermitteret, quæ optimum principem, & rerum militarium anxie peritum decerent, sicuti totam rei seriem in eius vita Lampridius describit. Suos vero milites, dum apud Herodianum oratione habita adhortatur, eos magis aduersus hostem strenuos futuros ait, quod scirent iustum se bellum suscipere, & nominis Romani gloriam vindicare aduersus incursantes barbaros semel iterumque monitos, vt à cœptis pertinacibus abstinerent: cui applicat etiam illud nobile axioma, eos qui prius lacessunt, quasi sibi iniuriarum conscios pauidiores esse: Illos vero, qui propulsant iniuriam, syncerae conscientiæ testimonio fretos & defensionis æquitate, in spem optimam adipiscendæ victoriæ exurgere. Τὸ μὲν ἄρχειν ἀδίκων ἔργων, οὐκ εὐγνώμονα ἔχει τὴν πρόκλησιν. τὸ δὲ τοὺς ὀχλοῦντας ἀποσείεσθαι, ἔκ τε τοῦ συνειδότος ἔχει τὸ θαῤῥάλεον, καὶ ἐκ τοῦ μὴ ἀδικεῖν, ἀλλ' ἀμύνεσθαι, ὑπάρχει τὸ εὔελπι. Hoc honore & gloria censi sunt principes nostri perpetuò, quod nullibi vim & robur armorum suorum insumpserint, quam aut sua protegendo, aut aliena defendendo. Sic in immensum creuit eorum potestas, sic in posterum augebitur sub Rege nostro, & futuris ab eo nepotibus. Sic eius maiores quicũque magis æquitate, & iustitiâ claruerunt: iidem etiam aut suis honori, aut hostibus formidini extitêre, & omnium hominum fauentiam sibi quodam iure peculiari asseruêre. Sic D. Ludouicus, quem habet exemplar domesticæ virtutis, animi magnitudinem & constantiam eò totam conuertit, vt vicinis principibus, qui potentiâ aliorum premerentur, subueniret. Sic ipsum Imperatorem Fredericum impotenter se gerentem aduersus plurimos Christiani nominis magnates armorum suorum obiectu conterruit. Sic Pontificibus Romanis tuendis præsto fuit aduersus omnem hostium insolentiam. Sic arma victricia etiam vltra oceanum intulit fidei Christianæ restaurandæ & propagandæ causâ, vt his tandem quibus non imperabat iura venerationis imponeret. Et factum etiam, vt eius memoria miraculis ad eius tumulum factis splenduerit, atque arcano Dei iudicio religiosius etiam colatur, condicto in eam rem die festo, qui iam in toto Francorum Regno celebratur. Sed ne exemplis è sinu tantum historiæ nostræ petitis nationi nostræ suffragari videar: Non alia arte respub. Romana peruenit ad illam immensam magnitudinem, quæ sui ingentissimo pondere fere laborabat, quam quia ante populorum animos æquitate & iustitiâ capiebat, quam mœnia expugnaret. Donec innocentiæ tuendæ præsto fuit; donec circumstantium populorum iniurias vt suas defendit, tum maximè viguit, hostes fudit; lacessentes se principes magnos in potestatem redegit; gentes vniuersas, quæ ipsam tentauerant, perculit; nationes exteras, quæ eius magnitudini inuidebant, & ad eius ruinam collatis viribus conspirabãt, euertit. At vbi cœpit ipsa per suos imperatores iniuriam inferre, & quietos

populos nihil insidiantes sibi, aut damnum dantes prouocare: tunc cœpit etiam ipsa ruere & cessim ire, omniaque in deteriora versa sunt. Quare ipsi pop. Roman. aliquando fuisset conducibilius sequi sententiam Catonis in frequenti senatu decernentis, Iulium Cæsarem, qui gentes quietas, & Gallos maximè nihil contra Rempubl. molientes incesserat, iisdem manibus post terga reuinctum dedi debere, quod quasi primus leges Reipubl. violasset, ex quibus nationes, quæ nec ipsis Romanis, nec eorum sociis essent noxiæ, attingere fas non erat. Sed pars iustitiæ, quæ circa bellum promitur illa etiam est, si fides pactorum ipsis hostibus exhibeatur: Cuiusmodi tenacis in conuentionibus seruandis constantiæ nullibi etiam plura exempla possunt reperiri, quam in Reipubl. Rom. annalibus: Adeo vel duces cum damno rei suæ familiaris, vel senatus cum incommodo publico vsque ad pertinaciam promissis exitū præstitêre. Sic Regulus de pœna ab hoste crudelissimo sibi inferenda certissimus, ad supplicium redire, quam fidem Carthaginensibus datam fallere maluit. Sic Q. Fabius Maximus redemptis ab Hannibale captiuis, interposita certæ pecuniæ exoluendæ pactione, cum hæc pecunia à Senatu non repræsentaretur, fundum suum, quem solum habuit, à filio vendi curauit, ac se patrimonij, quam patriam fidei inopem esse maluit. Alia exempla eiusmodi sunt quamplurima. Certè hoc etiam habet Francia quo glorietur, nullibi principes existere, qui constantiori fide quæ pacti sunt tueantur: Ita nulla captione, nulla interpretatione callida, quæ promisêre, frustrantur. Etiam cum priuatâ & publicâ jacturâ in conuentionibus suis religiosi sunt, pactum nudum illis pro sacramento est. Hinc rectè dicebat Franciscus primus Rex noster fidem, si apud priuatos minus valeat, apud principes quam sanctè debere custodiri, quia eorum potestas tanta est, vt nullis iudiciis possint constringi. Cuius assertionis ille præstitit experimentum, nam cum suæ potestati subiectum haberet Carolum quintum Imperatorem, simul ac Hispaniæ Regem, qui ab eo impetrauerat per regni sui regiones commeatum, & à plerisque moneretur, vt eum in sua iam ditione constitutum cogeret ad restituendum sibi ducatum Mediolani, & regnum neapolitanum, quod & sæpe promiserat, & longis tamen ambagibus diu facere distulerat; maluit sui iuris dispendium sentire, quam vel leuiter aliquâ perfidiæ maculâ famā suā & dignitatē Francici nominis lædere. Præclarum ipsi fuit, quod tanto Imperatori vices iniuriarum, & malæ tractationis rependere potuerit ipsum intra regni sui fines captum retinendo donec placitis acquiesceret: Sed multo præclarius extitit noluisse. Ab animo vere Gallico debet omnis fraudis suspicio abesse, cum is sit honos Francorū maximus, vt apud eos omnia sint aperta, & illam oderint victoriam, quam insidiæ aut callida simulatio parauerit. Scilicet vt ille rectè apud Liuium: *Eius demum animus in perpetuum vincitur, cui confessio expressa sit, se neque arte neque casu, sed collatis comminus viribus iusto*

& pio bello esse superatum. Etiam à candore ipso, & animi libertate nominamur: Nihil nos decet magis quam promissis fidem præstare, & nominis dignitatem factis egregiis & maximè pactorum constantiâ sancire. Hoc nomine semper censi sumus. Tuenda tam sanctæ virtutis fama & existimatio. Iam certè animus noster nimis incipit esse degener in verborum inanem pompam, qua plerumque fraudis concilia & occultas insidias tegimus aduersus illos ipsos, quos veluti amicissimos prono obsequio, & osculis pene ad calceamēta vsque demissis salutamus. Abijciendæ tam mimicæ salutationes, quæ animos vere Francicos id est fortes, magnanimos, veræ amicitiæ humanitatis pietatis amantes dedecorant.

De militari disciplina.

CAP. VI.

PRÆCLARVM illud est principem, cui omnia abunde suppetunt ad bellum inferendum, meditato tamen ad illud accedere, vt non nisi impellente æquitatis ratione velit illam aleam subire. Magni animi est, vbi plurimum potest, ibidem ius suæ potestatis moderari, & vbi iustiores habet causas irascendi, ibi seruare omnem animi æquabilitatem. Sed non sufficit etiam illud, ingentes copias coadunare iuris sui tuendi, aut alienæ iniuriæ vindicandæ gratia, nisi exercitui comparato disciplinæ militaris ratio constet. Illud est extra omnem controuersiam, rectum ordinem & disciplinæ militaris exacte seruatas leges duci certissimam parare victoriam, ὅπου ἄνδρες θεοὺς μὲν σέβοιντο, inquit Xenophon, τὰ δὲ πολεμικὰ ἀσκοῖεν, πειθαρχεῖν δὲ μελετῷεν, πῶς οὐκ εἰκὸς ἐνταῦθα πάντα μεστὰ ἐλπίδων ἀγαθῶν εἶναι. Hoc præmio Romanum Imperium super omnes totius orbis principatus honoratum extulit caput. Hoc præcipuum eius fuit decus, hoc stabilimento in multam annorum seriem incolume, & syncerum durauit. Exercitus militari disciplina vacans, non aliter quam orbatus vno, quem solum habebat oculo, Polyphemus, aut balæna amisso duce musculo, præceps huc illuc incerto gradu discurrens in præcipitia impingit:

Sic ruit in rupes amisso pisce sodali
Bellua, sulcandas cui præuius edocet vndas.

Homo animal natura imbecillum, armorum beneficio ipsis feris fortior & validior existit, & propterea bono publico eorum vsus inuentus est, vt aduersus omnem ferociam innocentiæ præsidio, vim suam efferent. Verum vitio conditionis humanæ bona ipsa in deterius effingentis, quę ad vtilitatem humani generis sunt introducta, ea in certissimam

perniciem cesserunt, vt propterea plerumque milites non solum belluis valentiores facti sint, sed etiam ferociores.

Armato nullus diuum pudor, improba virtus,
Et pacis despectus honos, penitusque medullis
Sanguinis humani flagrat sitis.

Vt ex militari virtute multa obueniunt commoda reipubl. & prope salus populi eâ continetur: sic ex ea ingentia mala oriuntur, quoties in crudelitatem degener, non custodiam & securitatem præbet, sed interitum suis minatur & infert. Nihil vero formidabilius, nihil truculentius, quam armata iniquitas. Non terribilior fuerit Busiris, non magis sæuus aut Scinnis, aut Procrustes; non Antiphates, non Lestrigones ipsi, & si qui alij, quos propter horridiorem barbariem expauescendos fabulātium commēta sunt ingenia vatum. Ipsa velut tæterrima bellua, soluta cathenis vnius cuiusque fortunas, vitam, sanguinem appetit: ius fasque peruertit, omnia perstringit, rempub. penitus labefactat:

Quaque ruit, furibunda ruit, totumque per orbem
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

Hoc fere fit, vt etiam timidus quisque ferro accinctus ad inferendam iniuriam paratus sit,

Αὐτὸς ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.

Et hinc est cur milites ex legibus ciuilibus conductores prædiorum alienorum esse prohibeantur, ne vicinis graues præsumptione militaris cinguli existant, vt ait Imperator Leo. Quinam vero arrogantiores, aut magis ad quidlibet audendum proiecti, quam qui omnia armis tribuunt, nec aliud æquum putant, quam quod virium immanitati libuerit, subinde illud audacis capanei iactantes:

Ades ô mihi dextera tantum,
Tu præsens bellis, & inexuperabile numen,
Te voco, te solam superum contemptor adoro.

Hinc fit, vt nobilium plerique propriæ dignitatis obliti, omnia sibi armis arrogent, atque illud honori natalium suorum & armorum ducant, si impune cuiquam iniuriam intulerint, & innocentiam, quam tueri deberent, oppresserint:

Vis colitur, iurisque locum sibi vindicat ensis.

Magno semper in pretio habita est generis nobilitas, vt qui maiorum virtutibus niterentur, non sui paruam expectationem præbere viderentur ad easdem virtutes, & animi dotes perueniendi. Natalum splendor non mediocre calcar ad virtutem: *βέλτιους εἰκὸς τοὺς ἐκ βελτιόνων*, inquit Aristoteles. Sic fit vt ex fonte aqua decurrens scaturiginis suæ conditionibus censeatur. *Omnes boni fauemus nobilitati, & quia vtile est reipubl. nobiles homines esse dignos maioribus suis, & quia valet apud nos clarorum hominum, & bene de republ. meritorum memoria etiam mortuorum.* Quo fit, vt rectè Plutharchus lib. *περὶ παίδων ἀγωγῆς*, nobilitatem siue *εὐγένειαν*, vocet *καλὸν παρ-*

ῥᾳδίως δηλοῦσιν, magis enim liberè, & splendidè virtutes suas depromit & explicat, qui clarâ natalium prærogatiuâ exurgit. Sed aduertendum generis claritati ita demum summos honores deberi, si generosâ indole, auorum non solum titulos, sed etiam egregia facinora repræsentet. An erit illud nobilem esse, cristato pileo in dexteram aurem nutante, retecto super humeros pallio, manibus superbè in ansam compositis, gladio ad alicuius iniuriam parato accinctum, improbi satellitij frequentiâ stipatum, trepidanti simplicitate offerre minacem vultum, cædes ciuium loqui, & tracta infandis duellis cadauera mortuorum. An splendori natalium vllas vices illi reddunt, qui assumptis & domestica luxurie abliguritis paternis, & auitis facultatibus, patrimonium suum restaurare ex vassallorum bonis, & naufragium diuitiarum suarum ex tenui rusticanorum hominum patrimonio resarcire, & reparare desiderant: denique qui quasi in comœdiâ Pyrgopolinicem aliquem & Thrasonem agunt, qui prope immani feritate ipsis syderibus bellum, ruinamque meditantur. De eiusmodi hominibus solâ generis claritate & armorum suorum ambitiosâ iactatione tumentibus, cætera vero voluptati, ventri, audaciæ permittentibus lepidissime iocatur Aristophanes ἐν βατράχοις sub persona cuiusdam serui de domino suo loquentis.

Νὴ τὸν Δία τὸν σωτῆρα γεννάδας ἀνὴρ
Ὁ δεσπότης μου, πῶς γὰρ οὐχὶ γεννάδας?
Ὅστις γε πίνειν οἶδε καὶ βινεῖν μόνον.

Verum est gloriam pattis maiorumque, ad liberos & nepotes & omnis gradus posteros transmitti:

Non viuis adnexus amor meminisse sepultos
Desinit, in prolem transcurrit gloria patrum.

Sed hoc ita demum verum est, si qui à clarâ prosapiâ genus ducunt, ad pondus solidi honoris sint pares, & sustinendo auorum splendori propriis fulti virtutibus sufficiant: alioquin si dotibus virtutum egregiis destituantur, qui ex mediâ infimæ plebis fæce nati sunt, habent quô de se magnificentius sentire possint. Hinc rectè illud. D. Gregorius Nazianzenus,

Ἐγὼ γελῶ σε τὴν νόσον, εἰ κάκιστος ὤν,
Οἴει καλύψειν τῷ γένει τὸ δύσγονον.

Turpe est perpetuo à parentum sepulchris, & iamdudum consumptis corporibus decus suum repetere: fragilis nobilitas & fluxa, quæ nullam sui industriam promit, & maiorum suorum facta tantum memoria tenet: de his videlicet est illud antiquum prouerbium à Plutatcho relatum in Arato,

Τίς πατέρ' αἰνήσει, εἰ μὴ κακοδαίμονες υἱοί.

Imo etiam magnum onus imponit sibi, qui maiorum jactat virtutes: ab illo enim benefacta pro debitis exiguntur, quia necesse habent eorum sequi vestigia, quorum habent exempla domestica. *Plus exigitur*

hæres bonorum; quando sine cessatione compellitur, qui maiorum virtutibus admonetur. Quapropter obtinuit apud antiquos, vnumquemque patritiorum & nobilium, in atrio & parte ædium prima, imagines & effigies maiorum suorum collocare, vt domum suam vel ingredientes, vel egredienres, sui officij admonerentur, illam solam esse generis laudem, si quorum nomine gloriarentur, ab eisdem rectè viuendi certam acciperent rationem. Αἴσχιον εἰ ὄνομα μὲν ἔχοις τινὸς, τὸ δὲ εἶδος αὐτοῦ μὴ ἔχοις, vt ait Apollonius Tyraneus. Scitum & illud Aristotelis distinguentis & separantis nobilitatem, quam εὐγένειαν vocat, à generositate, quam nominat γενναιότητα. Coniugata sunt & vocabula illa, & vtrumque ad genus pertinet, vtrumque denominationem habet ἀπὸ τοῦ γένους. Verum εὐγένεια speciem tantum & superficiem ipsam nobilitatis, id est nudam illam generis seriem, & quasi auorum recensitionem significat: γενναιότης vero vim ipsam & effectum nobilitatis: cum is, qui ex optimis parẽtibus ortus est, optimus est, & ipse genus suum indolis ingenuitate commendat. εὐγενὴς τὸ ἐξ ἀγαθοῦ γένους: γενναῖον τὸ μὴ ἐξιστάμενον ἐκ τῆς αὐτοῦ φύσεως. Neque igitur illud sufficeret arma victricia maiorum suorum vbique jactare, nisi generosus animus eorum laudes egregiis facinoribus cumulet. Vtique vero militaris disciplinæ strictissimis compedibus, armorum effrænis audacia vincienda est, quæ non coercita plus suis incommodi, quam hostibus infert detrimenti. Huius disciplinæ seruatæ tenax vinculum inuictos præstat exercitus: eiusdem laxatæ habenæ integras prodidere hostibus legiones. Ideoque qui maxime principes bellica laude clarueruunt, districtissimos se vindices neglectæ disciplinæ militaris præstiterunt: Plutharchus autor est Pompeium magnum gladiis militum suorum sigillum imponere solitum, pœnâ in eos constitutâ, qui illud iniussu suo resignasset, ne scilicet, præsumptione cinguli militaris, vt plerumque enses quibuscumque etiam timidissimis, contra inermes præstant audaciam, aliquid iniuriosum in transitu committerent. Clearchus dux Lacedæmonius, vt Xenophon refert, dicere solebat, milites suum ducem magis, quam hostes metuere debere. Quinetiam eos peccantes grauissimis pœnis multabat, & idem dicebat ἀκολάστου στρατεύματος οὐδὲν ὄφελος εἶναι. Alexander magnus consilio se, & disciplina militari orbem terrarum subegisse, & tantum imperium assecutum esse profitebatur. Cæteri principes, Iulius Cæsar, Augustus, Galba, Hadrianus, & quicumque magnum nomen inter imperatores obtinuerũt, hac maxime conditione censi sunt, quod acriter disciplinam illam militarem retinuerint. Certè Imperator Alexander, vt alios omittere sit ius, ferociam militarem contineri strictiore disciplina arbitratus, duriorem in eos legum publicarum vindictam exercuit, vnde etiam ab ipsis militibus Seueri nomen ei inditum est, eô mitior in alios princeps, quo rigidior aduersus militantes censoriæ seueritatis assertor. Eius & illud dictum ad milites suos: *Disciplina maiorum rempub. tenet, quæ si dilabatur,*

& nomen Romanum, & imperium amittemus. Seueritatis autem in milites tantæ fuit, vt etiam legiones integras exauctorauerit; & cum quandam aniculam iniuria affectam à milite audiuisset, eum ignominiosè militia dimissum, eiusdem anus seruituti addixit, vt eam pasceret. Hoc ex æquitate summa: *Aspero quippe*, vt ait Valer. Max. *& abscisso castigationis genere militaris disciplina indiget, quia vires armis constant, quæ vbi à recto itinere desciuerunt, oppressura sunt, nisi opprimantur.* Sed & illam idem Imper. disciplinæ militaris partem esse per necessariam arbitratus est, si gregariis militibus faceret potestatem querendi de iniuriis tribunorum suorum, & aduersus eorumdem insolentiam eosdem tueretur: *Si quidem*, vt ait Lampridius, *causas militum contra tribunos sic audiuit, vt si eorum aliquem reperisset in crimine, pro facti qualitate sine indulgentiæ proposito puniret.* Scilicet iniquum est, vt militibus suis vt mancipiis vtantur centuriones, aliique qui in exercitu imperium habent. Ministerium suum reipubl. debent & principi, non aliis. Etiam Posthumium consularem virum, quod opera militum in agro suo vsus esset, à pop. Rom. damnatum narrant Florus & Plinius: & legibus quoque ciuilibus, quinque librarum pœna mulctantur eiusmodi magistratus militares. Nimia illa potestas, quam sibi tribuunt duces nimis magnam delinquendi occasionem militibus præstat. Habemus quidem multas de re militari optimas principum nostrorum constitutiones, sed fere iam omnes sunt despectui, & valentior ille habetur, qui maiore impudentiâ eas negligit. Eô factum, vt iam fere sit degener Gallicorum animorum virtus, & vicinorum populorum reprehensioni pateat, quia non satis disciplinæ militaris tenaces sunt nostri exercitus. Gregarij milites ducis sibi munus vindicant, duces principis, & illi imperandi sibi arrogant potestatem, quos in extremis numeris, tyrocimi rudimenta implere deceret. Princeps noster, vt est ad omnem recti obseruantiam erectus, ita quæ hæc parte peccantur, emendabit, & exactam in detinenda militari disciplina Alexandrini Seueri constantiam exhibebit.

De erogatione militaris annonæ.

Cap. VII.

Pars vero militaris censuræ, & quidem potior illa est, diligentius perspicere, ne quid militari annonæ desit, ne-ve hac parte militibus fraus vlla fiat. Τὸ στρατιωτικὸν στερούμενον τοῖς πολεμίοις αὐθίσταται, φθείρει τε τούς τε ἀγροὺς καὶ τὰς πόλεις, inquit Iustinianus Imperator. Igitur & illud consequens est, vt incuria circa præbenda militibus stipendia non modo agros, sed etiam ipsas ciuitates euertat. Et rectè inter ducis eximias

virtutes, quas se obiisse Vlysses apud Ouidium gloriosius prædicat, & illam quoque recenset:

Doceo quo simus alendi,
Armandique modo.

Et ipse idem Vlysses apud Homerum Agamemnoni idem strictius præcipit.

Ἀλλὰ πάσασθαι ἄνωχθι θοῆς ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιοὺς
Σίτου καὶ οἴνοιο, τὸ γὰρ μένος ἐστὶ καὶ ἀλκή.

Hinc fit etiam vt Vegetius de re militari tractans, palam moneat officium ducis esse, non minus curare alimoniam & cibatus militum, quam armaturas: frustra vero ille disciplinam militarem prætenderit, frustra verbera & crucem suis minitatus fuerit, qui vitæ subsidium, id est alimenta armatæ esuriei non præbuerit. *Disciplinam seruare non potest ieiunus exercitus, dum, quod deest semper præsumit armatus.* Cum igitur belli necessitas maxime vires corporis desideret, & illæ largiore cibi & potus copiâ sustineantur: non est committendum, vt tam necessaria belli præsidia deficiant. Sic idem qui supra apud Homerum Vlysses,

Ὃς μὲν ἀνὴρ οἴνοιο κορεσσάμενος καὶ ἐδωδῆς,
Ἀνδράσι δυσμενέεσσι πανημέριος πολεμίζῃ,
Θαρσαλέον νύ οἱ ἦτορ ἐνὶ φρεσὶν, οὐδέ τι γυῖα
Πρὶν κάμνει, πρὶν πάντας ἐρωῆσαι πολέμοιο.

Non durant ad prælium vires, fluunt lassitudine membra, genua labant, manus languescunt, soluuntur artus, totum corpus hebescit, vbi robori reparando non sufficiunt alimenta. Etiam generosus animus & constans periculorum susceptio, fultura corporis sustinetur. *Inualidus est ieiunus defensor,* inquit Cassiodorus, *nec animus ministrat audaciam, vbi virtus corporis fuerit destituta.* Quantum igitur curæ & fuerit, & esse debeat militum exhibitio, docent in iure ciuili tot constitutiones de erogatione militaris annonæ, & militari veste: Vt & obtinuerit publice asseruari & emi ea, quæ ad annonam militarem pertinerent *l. 2. C. de cond. in pub. horr. lib.* 10. *l. vn. vt nemini liceat in empt. spes se excus.* Quod in limitaneis ciuitatibus maxime fiebat, vt docet vir reconditæ scientiæ Petauius ad Themistium. Et certe præstaret aliquanto in speciebus ipsis, vel vini, laridi, carnis veruecinæ, aut bubulæ, annonas militibus diuidi, vt fieri obtinuit. *l. 1. & 10. C. de erog. mil. ann. lib.* 10. quam pecuniam numerari, vt inde alimenta sibi milites parent: Vbi enim pecunia consumpta est, tunc omnia rapere compelluntur. Ad hanc annonæ militaris curam, pertinent iuris ciuilis loci, quibus tot singularia primipilaris functio, cui hæc administratio incumbebat, habere proponitur: Vt si reliquati essent, qui hoc munus suscepissent, ipsa dos vxoris, quamquam alias eius causa priuilegiaria esset, nihilominus teneretur, vt & liberi eorum tenerentur, & si se patris hæreditate abstinerent. Illa ratione etiam dupli pœna coërciti, qui quid ex militari annona sibi recepissent

l. 9.

l.9.C.de erog.mil.ann.& constitutione Theodosij & Valentiniani capitali supplicio afficiuntur, qui integra stipendia militibus fœderatis non numerauerint. *N.de ambitu & lo. limit.imbi redhib.* Apud Persas etiã, magistratus quibus eadem cura distribuenda annonæ incubuit, dignitatis suæ dispendium patiebantur, si quid ex militum annonis corrasissent: *ἣν αὖ ἴδῃ Περσῶν βασιλεὺς τῶν ἀρχόντων ἢ ἀμελοῦντας τῶν φρουράρχων, ἢ κατακερδαίνοντας, τούτους χαλεπῶς κολάζει, καὶ παύων τῆς ἀρχῆς ἄλλους ἐπιμελητὰς καθίστησι*, vt Xenophon refert in œconomico. Has rationes secutus imperator Alexander dicere solebat, mendicitatem militarem ad omnem desperationem vocare armatum, ac propterea etiam vt Lampridius refert diligenter annonam militarem inspiciebat, & tribunos qui per stellaturas, id est imposturas quasdam, aliquid militibus abstulissent, capitali pœna afficiebat. Hæc pars militaris disciplinæ neglecta, mirum est quantum reipub. noceat, cum egentibus militibus, & de vitæ subsidio sollicitis, nihil soleat esse tam occlusum, abditum, aut reseratum, quo non irrepant. Hinc fit, quod vbi vel leuis tumultus exoritur, statim qui in locis degunt aut pagis ingenio loci minus munitis, iam nihil suum habere incipiant, quod non pateat audaciæ, & rapacitati militum, qui propterea frequentius ad has iustissimas querelas erumpunt,

Nos præda furentum,
Primaque castra sumus.

Vbicumque exercitus pars aliqua transierit, ibi nihil residui est ad sortem infortunij extremam, vt non tam publicæ pacis custodes adfuisse, quam turbo aliquis, aut grando, aut procella, aut tempestas quælibet calamitosa, illum locum peruasisse censeatur; adeo omnia diuexata, disiecta, exhausta, rupta, fracta, vsta dimittuntur: Et quod est durius, ab his illa fiunt, quos oporteat stipendiis, quæ largissime princeps erogat, exhiberi, quæ duces & centuriones suis commodis applicant, concessâ militibus suis liberius grassãdi facultate. Scilicet magnates infimæ plebeculæ mala non tangunt: Sic nihil ad se pertinere tenuiorum incommoda, molestias, ægritudines existimant: Sic pusillum patrimonium eorum, qui in agis morantur, impotentissimæ militum suorum petulantiæ, velut quodam pignoris nexu obligari arbitrantur: Sic alios ad inopiam, & ærumnam natos, iniuriis obnoxios esse debere persuasissimum habent: Vt quam sæpissime ex rusticanis hominibus plerosque hæc poëtæ tangant verba:

Numquam sic cura deorum
Se premit, vt nostræ morti, nostræque saluti
Fata vacent, procerum motus hæc cuncta sequuntur.

Interim tamen agricolarum illæ callum ducentes manus, tributa principi, stipendia exercitibus præbent, immensum illum fastum nobilium nutriunt, magistratuum tribunalia eorum labor protegit, negotiatorum commercia tuetur, ipsi omnium vtilitati prospiciunt, quia om-

nibus parant alimenta: Et cum maxime eorum opera in repub. sit necessaria, maxime negliguntur, & contra ius opprimuntur assiduis militum irruptionibus. Quam optimi exempli erat epistola militaris Aureliani imperatoris qui etiam priuatus adhuc, aut certe sub Valeriano castrorum præfectus, ita vicariũ suum monebat. *Si vis tribunus esse, imo si vis viuere, manus militum cõtine, nemo pullum alienũ rapiat, ouem nullus cõtingat, vuam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua contentus sit. De præda hostis, non de lachrymis prouincialium habeat.* Quanto speciosius ipse etiam imperator Alexander, qui quas iniit expeditiones, tantâ disciplinâ, tantâ sui reuerẽtiâ egit, vt non milites, sed senatores transire dicerentur, vt Lampridius scribit. Si quid est, quod princeps noster ad sollicitudinem suam reuocare debeat, illud est maxime, vt curet militibus integra stipendia repræsentari, ne vt fieri dicitur, aliqua parte ab optionibus recisâ, facultatem sibi datam arbitrentur, in tenuiorum facultates, qui in agris degunt, grassandi.

Militem armis pulchrè indui oportere.

CAP. VIII.

PRoxima superioribus hæc cura succedit, vt quam maxime fieri potest, id agat princeps, vt milites sui optimis & speciosis armis induantur. Et vtrumque officio ducis contineri, id est alendi & armandi militis sollicitam rationem, docuit Vlysses superiori diorismo. Vt enim legi milites oportet corpore procero, & decoro: Ita armorum pulchritudine decoratos esse conuenit, *arma enim*, vt ait Cicero, *membra militis sunt, nec scutum gladium, galeam, in onere plus numerare milites debent, quam humeros, lacertos, manus.* Fuit tamen de illo aliquando dubitatum, an expediret armorum fulgore & pretio militem commendari, quibusdam eô inclinantibus, splendido armorum apparatu terrorem militibus iniici, ne vitam simul & patrimonium, id est decoram & sumptuosam castrorum supellectilem amittant, vt inde etiam hostium animi ad strenuitatem magis accẽdantur, dum prędam opulentiorem post victoriam proponi sibi arbitrabuntur, quo nomine apud poëtam, Aiax Vlyssem insectatur secum de armis Achillis contendentem:

Debilitaturum quid te petis improbe munus,
Quod tibi si populi donauerit error Achiui,
Cur spolieris erit, non cur metuaris ab hoste.

Sed melior sententia sedit illis, qui existimauêre specioso cultu armaturæ, calcar & incentiuum generoso militis animo adiici, vt dum & prædam hosti inuidet, & timet iacturam, constantiori magnitudine sui

officij memor, sibi suisque decus deuictorum hostium & seruatæ patriæ gloriam paraturus videatur. Deinde vix est, vt sit ille vnquam magnus artifex, cui suæ artis instrumenta fastidio sunt, ac propterea fuerat Atheniensibus illa lex capitali supplicio sancita, ne milites arma sua pignori darent, quod viderentur indignos se militiæ honore præbere, qui ducerent parui ipsius militiæ supellectilem: & speciosus aliquando Massagetis ille mos, vt omnia præter gladium communia haberent. Eô pertinet illud Vegetij. *Plurimum terroris hostibus armorum splendor importat: Quis credat militem bellicosum, cuius dissimulatione, situ, ac rubigine arma fœdantur.* Sic in edicto Aureliani imp. quod refertur apud Vopiscum, & cuius pars etiam superiori capite relata est, id continetur. *Arma tersa sint, ferramenta samiata, calceamenta fortia.* Ita Onosander dum de officio imperatoris & ducis in bello disputat. Μεμελημένον ἔστω, inquit, τὸν στρατηγὸν λαμπρὸν ἐκτάττειν τὸ στράτευμα τοῖς ὅπλοις. Hinc etiam apud Homerum & Virgilium, maximis bellatoribus Achilli & Æneæ ab ipso Vulcano diuinâ arte fabricata arma affinguntur, vt constet non tantum ad pompam & speciem, eorum aliquem vsum esse, sed etiam magno conducere, ad incitandos ad gloriam & bellicam virtutem militantium animos. Quapropter qui militari laude claruerunt, id maxime exegerunt, vt milites sui splendido armorum cultu essent insignes. Sic Philopœmenem summum Achæorum ducem, vt suorum virtuti stimulos adiiceret, & res præclaras audendi cupiditatem in animos eorum immitteret, eos armis auratis & ornatis vti voluisse Plutharchus autor est. Sic Iulius Cæsar, Suetonio autore, tam cultos milites habebat, vt auro & argento politis armis ornaret, simul & ad speciem, & quô tenaciores eorum in prælio essent metu damni. Ipse Alexander magnus non dissimili ratione, animos militum suorum ad gloriam incendit, dum phaleras ipsas equorum, & arma suorum auro induxit, exercitumque suum ab argenteis clypeis argyraspidas appellauit: Quem & secutus imperator Alexander (namque elaborabat maxime vt dignus illo nomine videretur, nec solum eum imirari sed etiam vincere contendebat) id agebat maxime vt milites sui essent vestiti honeste, calceati ad decorem, armati nobiliter, equis etiam instructi, & ephippiis, ac frænis decentibus prorsus, vt rom. rempub. intelligeret quicumque Alexandri imperatoris exercitum vidisset. Quinetiam non solum Argyraspidas, vt ille Alexander Macedo, sed etiam Chrysoaspidas habere voluit.

De limitibus imperij custodiendis.

Cap. IX.

HÆc quoque cura rei militaris peritum principem tangere debet, vt quam munitissimum imperium suum, & maxime limitaneas

imperij regiones præbeat. Prisco quidem illo sæculo, quod aureum & argenteum fuisse poëtæ comminiscuntur, muris, arcibus, aut fossis nihil opus fuisse certum est:

Nondum præcipites cingebant oppida fossæ.

Cuius rei fabellam lepidissimam confinxit Theophilus institutionum iuris ciuilis græcus paraphrastes, Deos primum inter homines commorãtes ipsis præsidio fuisse: Mox humanorum pertęsos, scelerum recessisse, tumque muros ciuitatibus circumductos, qui securitatem eam præberent, quam pridem hominibus Deorum præsentia exhibebat. Postquam autem cœpit innocenti simplicitati vis inferri, & iure humano siue gentium introducta sunt bella, discretæ gentes, regna condita, dominia distincta, ibi quoque quæsita sunt propugnacula; ac propterea munitionem iuri gentium apud Gratianum tribuit Isidorus: Et aduersus deuictos populos hæc lex sancita, ἐρύματα μὴ ἔχειν, vt refert Xenophon lib. 3. Κύρ. παιδ. in pr. Et quamuis Sparta sine mœnibus diu fuerit, vt ait Liuius, ita vt Agesilaus ciues ostendens armatos, hos muros esse Lacedæmoniorum diceret: Tamen necessitas postmodum in contrarium euicit. Quapropter illud est præceptum Aristotelis libro septimo Politicorum, τὴν ἀσφαλεστάτην ἐρυμνότητα τῶν τειχῶν, οἰητέον εἶναι πολεμικωτάτην, ἄλλως τε καὶ νῦν εὑρημένων τῶν περὶ τὰ βέλη, καὶ τὰς μηχανὰς, εἰς ἀκρίβειαν πρὸς τὰς πολιορκήσεις. Quod si vnicuique ciuitati expedit munimentis firmari, magis etiam necessarium limites ipsos regni & imperij assidua militum opera ab omni iniuria securos præstari. Hinc limenarcharum frequens mentio in iure ciuili, qui portubus præfecti essent (nam & in his plerumque imperij limites) & maritimæ quæque vrbes munitissimæ esse debent, vt propterea idem Aristoteles inter operum publicorum curatores, hos recenseat, τειχοποιοὺς, κρηνῶν ἐπιμελητὰς, & λιμένων φύλακας. Scilicet frequentius extremos fines incolentes populi patent iniuriis, & incursionibus hostium reipub. atque ideo maiori diligentia id curare debet princeps, vt illos magna militum manu arcibus & castellis ædificatis custoditos præbeat, qua de re est ille insignis locus ex anonymo autore, etiam à Dionysio Petauio erudito Themistij enarratore laudatus ad orat. 10. *Est inter commoda reipub. vtilis limitum cura ambientium vbique latus imperij, quorum tutelæ assidua melius castella prospicient, ita vt millenis interiecta passibus, stabili muro, & firmissimus turribus erigantur: Quas quidem munitiones possessorum distributa sollicitudo sine publico sumptu constituat, vigiliis in his, & angariis exercendis, vt prouinciarum quies circumdata quodam præsidij cingulo illæsa conquiescat.* Sic cum Hadrianus imperator infestaretur ab ea parte Britanniæ, quæ nunc Scotia dicitur, murum duxit per octoginta millia passuum, qui barbaros romanosque diuideret, vt Spartianus tradit; quod & recensens poëta Scotus, terrorem Gentium Romam arma Scotorum timuisse gloriosius prædicat, in epithalamio Francisci secundi Galliarum regis, & Mariæ reginæ Scotorum:

Roma securiferis praetendit moenia Scotis,

Igitur & hanc rectè administrandæ reipub. partem suscepit imperator Alexander: Nam & sola quæ de hostibus capta erant limitaneis ducibus, & militibus donauit, ita vt etiam ad hæredes eorum pertinerent, si ipsi quoque militarent: Quod factum à se, illo dicto prosecutus est, *Attentius eos militaturos, si etiam sua rura defenderent.* Hoc consilium secuti etiam postmodum alij imperatores: Nam Diocletianus & Maximianus summi haud dubie principes, nisi impensius Christianis fuissent infesti, vndique imperij fines & terminos castellis, oppidis, turribus munierunt, & in iisdem locis copias militares constituerunt: Et cum id a Constantino neglectum magno imperij damno Zosimus narret, qui Constantino successere eiusmodi munimenta, & arces restituerunt: Quod & de Valēte imperatore docet Themistius orat. 10. & palam definiunt imperatores Theodos. & Valēt. & Honorius *l. pen. de fundis patrim. & tit. de fundis limitrophis &c. lib. 11. C. ad quod pertinet etiam l. fin. C. de offic. milit. iud. quæ simul cum l. fin. C. de fundis limit. sumpta est ex N. eorumdem Impp: Theodosij & Valentiniani de ambitu & lo. limit. inibi redhib. quorum est etiam alia N. ne ducians vel limit. mil. ad com. exhib.* Adeo scilicet firmioribus præsidiis egent loca vicinis populis, quibus cum nulla plerumque societas est, aut ipsis etiam hostibus contermina. *Nec est tale pacatis regionibus ius dicere quale suspectis gentibus assidere: vbi non tantum vitia quantum bella suspecta sunt, nec solum vox praeconis insonat sed tubarum strepitus frequenter insultat,* vt ait Cassiodorus in formula ducatus Retiarum, nam & Retiæ fuerunt munimina Italiæ, & in his limitanei milites constituti.

Principem rebus agendis adesse debere, & pleraque ad cognitionem suam reuocare.

Cap. X.

Oportet igitur omnes imperij sui partes principem lustrare cura & sollicitudine sua, & totum veluti esse oculeum, ὀφθαλμὸν πάντα ὁρῶντα, μηδὲν παρορῶντα, vt de episcopo ait Isidorus Pelusiota. Et quemadmodum sol, qui omnem hunc mundum luce sua complet & illustrat, vim & virtutem suam in omnes animantes, quæ pedibus terram premunt, vel in aquis natant, vel per medium aërem discurrunt, & volitant, infundit, & secretiori quam quæ sensibus percipi possit potestate, ea etiam quæ interius in terra conduntur, vel quæ ipsa gignit, alitque immenso sinu, calore suo afficit, fouet, ac recreat: Sic princeps huic mundi oculo simillimus, in omnes regni sui angulos immittere, & quasi instillare debet commodum tranquillitatis, iustitiæ, tuitionis, ne quid præ-

termiſſum ac neglectum, ſuis poſſit eſſe nocumento. Et propius ad animæ inſtar, quam dicunt philoſophi in toto corpore eſſe, & in ſingulis partibus, princeps quoque imperium omne ſuum, & ſingulas quoque ciuitates, atque prouincias, informare, ac vitali ſpiritu reddere animatas debet, vt ad inſtar Iani illius bifrontis, vndique quæ à quibuſcumque, & in quacumque prouinciâ fiunt, cognoſcat, & omnia complectatur mente & cogitarione ſua. Illud ſoler in vulgus iactari, domini oculo equum pingueſcere, & ex antiquis recte quidam dixit, ſolum melius cultiuſque reddi domini pedibus rritum, cui ſimile illud D. Gregorij Nazianzeni, ὀφθαλμὸς παιδευτοῦ σιωπῶν διδασκαλία. Par ratio in principe, cuius oculi lætirjâ & commodis pluribus populum afficiunt, & præſentia magno ciuibus conſtat, vel ad cohibendos effrenes ſeditioſorum impetus, vel retundendos vbi nati ſint,

Vt cum turbatis placidum caput extulit vndis
Neptunus, totumque videt, totoque videtur
Regnator ponto; ſæui fera murmura venti
Demittunt, nullaſque mouent in frontibus alas.

Hinc fir vt I.C.ti conſtituant, damnatis & relegatis non licere principem intueri, & ibi conſiſtere vbi princeps vel moratur vel tranſit, cum illud non debeat permitti, niſi illis, qui ſunt integri ſtatus; & illa quidem magis ad mentis oculos, quam corporis ſunt referēda: Quemadmodum enim ijdem I.C. dicunt in tutoris auctoritate præbenda, requiri non ſolam corporis præſentiam, ſed etiam animi: ita non tantum è re populi fuerit principem ſibi adeſſe, niſi & rerum ſuarum certam habeat notitiam, id enim ſignificarur illo antiquo verſiculo,

Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos,

Quod & fuit ſalubre conſilium Conſtantini Porphyrogenetæ ad Romanum filium, in libello de adminiſtrando imperio: ἡ περὶ τῶν ἐγγυτέρων, καὶ οἰκείων γνῶσις πλέον τῶν ἄλλων ἐν σοὶ διαθήσεται, ποθεινότερόν σε ἀναδείξει πρὸς τὸ ὑπήκοον. Hinc vero multa manant commoda, nam primum dum populus res ſuas procurari à principe ſuo cogitat, & ipſum per ſe, quod ex vtilitare ſingulorum eſt, conſtituere, facilius & propenſiore animi affectione iis acquieſcit, quæ ab eo imperata animaduerterit: & hinc ratio quoque petenda conſtitutioni Imper. Gratiani Valentiniani & Theodoſij, qui noluerunt quemcumque dignitatis titulum præferentem admitri, qui dicat ſe alicuius rei mandatum à Principe habere, niſi manum ipſius principis doceat, & ſcripto mandati ſui fidem faciat, quia exiſtimauêre, prouinciales idoneam rationem habituros detrectandi obſequij, ſi dicerent ignotam ſibi fuiſſe principis voluntatem, quam nullum diploma ſibi manifeſtam feciſſet. Sed eſt & illud non modica animaduerſione ſubnixum, principem, dum per ſe ſuis negotijs vacat, magni momenti cogitationibus diſtentum, & rebus quæ ſuam cognitionem deceant, tum maxime conſtantiori animo eas cupiditates pro-

fligaturum, quæ quamleuissimè possint famam & existimationem suam apud posteros lædere. Qua in re sapiens fuit Mammeæ consilium, quæ, vt refert Herodianus, filium suum hunc nostrum Imperatorem Alexandrum assidue monebat, vt iudiciis interesset, & omnibus imperij curis animum applicaret, vt circa rempublicam intentus illis omnibus abstineret, quæ possent iuuentutem eius sollicitare ad probrum, ad dedecus, & inconcessas voluptates. Imperij administratio personale munus est, & quidem negotiosum officium continẽs, si quis princeps eô rectè defungi desideret. Igitur diligentiam, nauitatem, sagacem operam eius requirit, cui delegatum est. Dicunt Iurisconsulti, ea quæ sunt meri Imperij demandari non posse, sed ea magistratum per se exequi debere, quandoquidem vel lex, vel princeps nominatim eius industriam elegit, vt per se id munus obiret. Igitur vix est, vt debeat princeps summam rerum sibi à Deo demandatam cuiquam delegare; Quin perpetuò operi debet instare, & dei exemplo, cuius maximè sacras vices exercet, mente agitare, quæ pertineant ad populi salutem. Sic rectè Vespasianus etiam extremum agens spiritum, muneribus tamen Imperatoris fungebatur, vt etiam tum temporis legationes audiret, dictitâs oportere Imperatorem stantem mori. Epaminondas ciuibus suis effuse otio deditis, interim vigilias agebat, circumibat ciuitatem, omnia circumspectabat, ne quod periculum, aut vis hostium ipsos improtectos aggrederetur. Multum honori, multum dignitati suæ detrahit princeps, qui omnia per legatos agit, & abdicatâ curâ rerum suarum, apud alios ius potestatis suæ sequestrò ponit, inani tantum nomine retento. Vt non decet principem instar gregarij militis manu semper decertare cùm hoste, si bellum immineat: ita procul ab exercitu suo degere non expedit, ne quantum securitati suæ concedit, tantum famæ, & existimationi suæ detrahat. Quis non miretur principem nostrum has sequentem rationes incredibili celeritate regni sui prouincias vt illis opem ferat peragrantem. Quis non suspicit & obseruat eum belli pacisque consilia perspicaci iudicio pertractantem. Quis non eum laudat inter confertissimas militum suorum turmas in illa ætate, quæ ludos tantum & choreas non etiam prælia solet meditari, ducis vsu rerum exercitati munia peragentem. Sed quis non timet etiam eum inter globos missiles, qui ex vrbibus obsessis crebra displosione emittuntur, in turbido vultu castra sua munientem: cum ipse etiam huic reprehẽsioni possit patere, quod dum animi sui magnitudini indulget nulla pericula pertimescens non satis recordatur in sua persona singulorum ciuium salutem vitam fortunas & ipsius regni beatitatem periclitari. Certa iam est expectatio armorum Francicorum diu marcescentem & pene obsoletam existimationem pristinum ius suum sub tanto principe recepturam & quodam postliminij iure ad veteres possessiones suas regressuram. Non poterit miles non esse generosus, vbi viderit principem suum vix adolescentiæ

annos emetientem grauissimas militiæ ærumnas subire & aduersam frontem in hostes ferre. Sic vnumquemque studium armorum delectabit. Sic in posterum boni omnes genuinæ pietatis & fortitudinis decore sui principis exemplum secuti accendentur,

Sic cunctos vera iuuabit
Gloria, nec duri tanto sub teste labores.

Sic denique fiet, vt princeps noster virtutum omnium impressos characteres in se circumferens Alexandri Macedonis & Romani id est Imperatoris Alexandri famam sit egregiis facinoribus superaturus. Sed ne in tam facili scribendi materia stilo liceat extra propositum longius excurrere, ad institutum sermonem redeundum, vt doceamus superioribus politicæ rationis regulis perpetuo fidem adstruxisse Imperatorem Alexandrum, vt appareat quam præstabilius sit fecisse quam dicere. Igitur siue in militaribus aut bellicis, siue in ciuilibus negotiis, vbique præsentaneam operam exhibuit: vbi enim contra Persas fuit dimicandum, ipse bello interfuit. In ipsa verò securitate pacis, vbique id egit, vt ad omnia esset instructissimus. Illud certè Lampridius refert milites suos eum sic sciuisse, vt vbique in cubiculo haberet breues & numerum & tempora militantium, ac cum solus esset rationes & stipendia recenseret. Eo amplius negotia & causas à doctissimis Iurisconsultis tractari, & ordinari iubebat, ac deinde ad se referri: & solitus quoque de omnibus hominibus per fideles suos inquirere, vt scilicet perspectum haberet, quænam in singulis essent animaduertenda, & hac ratione vniuersis prospiceret. Nec dissimile illud fuit, quod de sancto Ludouico referunt annales nostri, qui solebat statis temporibus extraordinem per singulas prouincias delegatos inquisitores mittere, qui diligentius inquirerent, vtrum magistratus mandato sibi munere rectè perfungerentur, & eos qui contra ius aliquid admisissent, pœnæ subijcerent. Imo idem princeps moriens illud filio dedit in mandatis, vt illud idem obseruaret. Vtinam tam sanctæ constitutionis vigor ad nos vsque peruenisset, aut hodie à principe nostro renouaretur: minori in numero mali essent. Certè hanc optimam rationem administrādæ reipub. Aristoteles tradit in politicis, vt propterea doceat in ciuitate bene constitutâ magistratum constitui debere, qui in mores singulorum diligenti & sagaci sedulitate inquirat, cum in priuatis hominibus male viuendi institutum aut consuetudo, toti tandem reipubl. soleat aut graue detrimentum, aut vltimum exitium creare: Illius hæc verba sunt. Ἐπεὶ διὰ τοὺς ἰδίους βίους νεωτερίζουσι, δεῖ ἐμποιεῖν ἀρχήν τινὰ τὴν ἐποψομένην τοὺς ζῶντας ἀσυμφόρως πρὸς τὴν πολιτείαν. Quod non satis habens vno loco dixisse, idem etiam alio repetit, hac etiam adiecta ratione, vnumquemque ex ciuibus partem constituere ciuitatis, vt quæ in singulos impenditur cura, ad vtilitatem & leuamētum omnium respiciat: μόριον ἕκαστος τῆς πόλεως, ἡ δ' ἐπιμέλεια πέφυκεν ἑκάστου μορίου βλέπειν πρὸς τὴν τοῦ ὅλου ἐπιμέλειαν. Ad hanc senten-

ſententiam pertinet illa iuris ciuilis regula: *Intereſt reipub. ne quis re ſua male vtatur.* Scilicet quod priuatim cuiuſque intereſt, omnium etiam intereſſe cenſetur. Πάνθ' ὅσα τις βιαζόμενος πράττῃ, κοινὰ ἁμαρτήματα, καὶ τὰ ἔξω τοῦ πράγματος ὄντων: inquit Demoſtenes. Verum & id debuerunt adijcere, ad ſummam reipub. pertinere, ne quis malis & improbis moribus eſſet. Solent & I. C. dicere curatorem bonis dari principaliter, ſecundario perſonæ: maior prouidentia eorum fuiſſet, ſi perſonam facultatibus prætuliſſent. Rectius munere ſuo fungitur curator qui mores moderatur, quam qui patrimonium adminiſtrat, hæc enim cura præcipue rempub. tangit. Ex legibus Solonis vt ait Plutharchus ius concilio Areopagi fuit in mores ſingulorum inquirendi, vt conſtaret vnde quiſque victum quæreret, & propoſita ab eodem ἀργίας γραφή, cuius etiā iuris noſtri libri meminerunt. In hanc rem comparati cenſores, mirum eſt quantum Romanam rempub. iuuerint. In aliquibus locis ſunt fidei inquiſitores diſtrictiſſimi: verum ſpecioſius aliquanto in omnibus deberent morum indagatores & exploratores inſtitui: nam in ſingulis hominibus praui mores neglecti ipſas hæreſes, & omnem rerum diuinarum & humanarū contemptum & nunc pariunt, & olim pepererunt. Certè poſtquam factum eſt, deo id ita permittente, vt qui ab orthodoxa Eccleſia temere receſſerunt, in tantum extulerint vires, vt aduerſus publicam diſciplinam potuerint eſſe contumaces, ratio ſumma pacis tuendæ gratiâ, imo & ipſius orthodoxæ religionis bono, (quæ per ciuiles diſcordias, vt bellum alere impietatem & ipſas hæreſes ſolet, ſummum diſpendium patiebatur) hoc induxit, vt vnicuique liberum eſſet de religione iudicium. Sed profuiſſet tamen, imo & neceſſarium fuit, publicas perſonas conſtitui, quæ de ciuium religione & moribus inquirerent, & ad bonos mores colendos atque hanc vel illam religionem profitendam compellerent: hæc enim cura neglecta omnem fere pietatem ſuſtulit, adeo vt inueniantur qui calumnioſius & iniquius edictorum æquitatem interpretati impunè religionum noua quædam monſtra licentius ſibi fingant, aut nullam penitus colant. Nemo non videt huic rei publica autoritate ſuccurrendum & cautius pietatis & religionis curam ſtabiliendam, ſine qua nec priuatæ familię, nec reſpub. diū tueri concordiam poſſunt.

Optimum principem conſilia prudentum admittere.

Cap. XI.

SVPRA conſtitit principem per ſe, quantum fieri poteſt, maioris momenti negotia & quæ ad bonum publicum pertinent

explicare debere, sed non propterea solus quamuis & illud possit. Ferunt historici Ioannem Augustum Imperatorem Orientis, cum in venatione esset, improuiso teli ictu ita vulneratum fuisse, vt ex consilio medicorum id acceperit, non alias præsentissimam mortem posse se effugere, quam si manus, cui altius sagitta venenata inhæserat, præcideretur, nec propterea tamen eô motus est: Quin constanti pertinaciâ in voluntariam mortem concedere maluit, quam pati vt tam commodo instrumēto careret, dictitans vnam manum non suffecturam tanti Imperij habenis. Fueritne illa causa legitima mortem sibi arcessendi, aut saltem fugientem animam non reuocandi, disputent Theologi. Sed possit quis illud adijcere, ne quidem duas & integras manus sufficere ad imperij & regni commodam administrationem: cui enim tot res agendæ, tot negotia expedienda, quomodo ad opus duæ manus sint pares; sed ne quidem etiam vnus animus, quantumlibet supra humanam mentem capax, tot sibi inuicem succedentium curarum agminibus commode vacare potest. Sic vero vita hominum est, vt mutuo auxilio inuicem egeant; ita nullus potest hac nascendi prærogatiua censeri, vt cuiusquam operam non requirat: ac propterea Phidias Ioui, quem annulo incluserat, hanc imposuerat epigraphen, quod esset αὐτάρκης, quasi solius Dei optimi maximi sit proprium, nec humanæ conditioni conueniat, sua contentum beatitudine nihil extra se quætere. Et hoc idem innuit Aristoteles dum ait in politicis belluam aut Deum illum esse, qui possit catere hominum communione. Vix tutô vnius hominis consilio, potest magnum aliquod negotium expediri. μίας χεῖρες ἀσθενὲς μαχῇ. *Quoties aliquid percuti debet ne quidem Ioui suum est satis consilium.* Quod si quisquam debeat sibi plures ascire, quorum ope & præsidio nitatur ad alleuandas curas & sollicitudines, quæ incidunt pleræque in rebus humanis; id maximè agere debet princeps, vt secum habeat summæ solertiæ & fidei viros, quibus intimas cogitationes de publica securitate communicet. Certè illud extra controuersiam est, principibus adesse suos genios, quorum admonitione pleraque quæ humanam fugiunt rationem efficiunt: nam si ipsarum vrbium, & ciuitatum sunt vt ait Synesius ψυχαί τινες ἱεραί, θεῖαί τε καὶ δαιμόνιαι, consequens magis ipsis non modo vrbium, sed etiam prouinciarum rectoribus constantissimos adesse defensores. Verum nihil hoc impedit, quominus sibi idoneos adhibeant assessores veluti aut consiliarios, quibus suggerentibus animum instruant, & in rebus agendis perspicaciori prudentia admoniti vtantur. Sic Iustinianus Imperator pleraque ex suggestione Tribuniani quæstoris sui ad singulorum vtilitatem constituisse vbique profitetur, & Imperatores Valentinianus & Theodosius: *Non minus plenam gratiam meretur, qui præstanda suggessit, quam qui suggesta concedat: vnum prouidi iudicis est, alterum munificentiæ principalis.* Magnum scilicet censoriæ mentis leuamentum, rerum gnaros homines elegisse, quorum fidei acquiescat,

quibus interdum, si ita res ferat, autoritatem suam & vices tutô credat. Τίς οὖν ἀσφαλῶς δέξεται τὸν σύμβουλον αὐτοῦ, καὶ πιστὸν, inquit Epictetus apud Arrianum, τὸν ὥσπερ φορτίου μεταλαμβανόμενον τῆς αὐτοῦ πειρασίας, καὶ αὐτῷ τούτῳ χρησόμενον τῷ μεταλαβεῖν. Illud medicinæ & principis medicorum Hippocratis præceptum est, ἀπερισκεπτοποιεῖσθαι μεμνῆσθαι, quo medici monentur, ne quid turbide, ne quid parum meditate, circa ægrotantium salutem constituant, sed omnia primum sollicitè explorēt, & non tantum morbi qualitatem expendant, sed etiam consuetudinem valentis, viuēdi rationem, & corporis ipsius naturam, vt ex personarum diuersa conditione vel leuiora remedia, vel grauiora medicamenta adhibeant. Sic princeps, qui vtramque medicinæ partem exercet, illam scilicet quam θεραπευτικὴν vocant, & alteram quam φυλακτικὴν: id est qui non modo sibi commissos populos curare debet, si quid moribus ægri sint, sed ante longe debet prospicere, ne quid eos incautos decipiat: quam summa cura vti debet, ne quid inconsultò, vel prætermittat, vel aggrediatur: vt propterea rectè Damocritus Ætolorum prætor apud Liuium dicat, *Rem magni discriminis consiliis nullam esse tam inimicam, quam celeritatem: celerem enim pœnitentiam, sed eandem seram, & inutilem sequi: cum præcipitata raptim consilia neque reuocari, neque in integrum restitui possint.* Id igitur vt princeps melius exsequatur, id agere debet, vt plurium consilio vtilitati omniū prospiciat: Alioqui, vt parum profecerit rei nauticæ peritus gubernator, nisi remiges industriam manum scalmo adhibeant: Ita vix est vt probe suis partibus fungatur princeps quamuis reipubl. regendæ artifex consummatissimus, nisi diligētissimos & anxie peritos rerum omnium consiliarios asciscat sibi. Optimus itaque ille & emendatissimus, qui quamuis ea potestate fungatur, quam vocat Aristoteles παμβασιλείαν, nihilominus consilium admittit virorum prudentium, quibus & ætas, & rectè acta vita, & constanter per multos annos administrata respubl. rerum omnium summam cognitionem tribuit. Quapropter cum Marcus Imperator circa latus suum eximiæ virtutis & prudentiæ viros haberet, & ex Iurisconsultorum familia optimos quosque ad intimi consessus sacrarium seligeret, dicere solebat æquius esse vt tot & talium amicorum consilium sequeretur, quam vt ipsi suam vnius voluntatem comprobarent: Et de Iuliano Imperatore, (sepositа Christianæ Religionis causa quam plus æquo afflixit) magno haud dubiè principe scripsit Ammianus Marcellinus, præfectis eum proximisque suis permisisse, vt fidenter impetus suos aliorsum tendentes, ad quę decebat monitu opportuno frænarent. Idem sentiens Imperator Alexander id perpetuo religiosissime custodiuit, vt si de iure aut negotiis tractaret, doctos & disertos adhiberet, & si de re militari, veteres quosque milites locorū peritos ac bellorum & castrorum, eosdemque litteratos: Inter quos maxime illos requirebat, qui historiam nossent vt ab eis disceret, quid in talibus causis veteres Imperatores Romani vel exterarum gentium.

Reges fecissent. Idem constitutionem nullam sacrauit sine viginti iurispeitis, & doctissimis ac sapientibus viris, dato singulis spatio ad disquirendum cogitandumque, ne de rebus ingentibus non adhibita meditatione dicere cogerentur. Insignes quoslibet Iurisconsultos, quorum etiam in Pandectis frequens vbique mentio, sub eius tempora floruisse, eique in consilio adfuisse autor est Lampridius, quibusdam exceptis quos ne quidem tempora eius attigisse certissimum est. Tot sanctis & venerabilibus ac principis sui amantissimis viris circumsepto Imperatore Alexandro, quid mali poterat aut cogitari aut fieri, cum ad bonum omnes consentirent. Certè vt rectè Themistius *τῷ βασιλεῖ κρηπὶς ἀσφαλείας ἡ τῶν συνόντων δικαιοσύνη.* Quô illud pertinet Marij Maximi meliorem & tutiorem esse rempubl. in qua princeps malus est, illâ in qua sunt amici principis mali; si quidem vnus malus potest à pluribus bonis corrigi, multi autem mali non possunt ab vno quamuis bono vlla ratione superari. Optimi autem principes quantum gloriæ assequâtur, quanta commoda suis præbeant, vbi fidei & sanctiratis integræ nacti sunt monitores, & ipsius Imperatoris Alexandri emendatissimum imperium ostendit, & ille etiam Philostrati locus de Aristide, cuius instigatu Smyrna à Marco Imperatore post terræ motum restaurata est. *αἱ βασίλειοι καὶ θεσπέσιοι φύσεις, ἢν προσεγείρῃ αὐτὰς ξυμβουλία καὶ λόγος, ἀναλάμπουσι μᾶλλον, καὶ πρὸς τὸ ποιεῖν εὖ ξὺν ὁρμῇ φέρονται.* Idem Philostratus illud Vespasiani dictum nobilissimum refert, à diis ipsum desiderasse, vt & sapientum Imperator esset, & vicissim sapientibus pareret. Sic Xenophon vocat *ἱερὰν συμβουλὴν*, & Plato in Theagene ait eum rei diuinæ dare operam, qui salubri consilio aliquem adiuuat, quibus illud Concilij Toletani à Gratiano relatum valde accommodum. *Bonæ rei dare consilium, & præsentis habetur vitæ subsidium, & æternæ remunerationis expectare cernitur præmium.* Nullus non eget moderatione aliqua & consilio: Id ira sors hominum fert, *Θεὸς μόνος ἐστὶν ἀπροσδεὴς, καὶ μόνος οὐ δεῖται συμβουλῆς*, vt ait Diuus Chrysostomus. At maximè principum fortuna hoc munimento eget, quorum propterea præcipuum opus plures sibi ascire in partem tantæ sollicitudinis. Felices illi quibus hæc vitæ magna subsidia contingunt. Fœlix Imperator Alexander, cui integra cohors Iurisconsultorum adfuit, quibus fama principis sui semper chara erat, quique principem suum magis quam eiusdem fortunam dilexerunt. Rem summi voti apud Homerum arbitrabatur Agamemnon id optare, vt decem sibi Nestores contingerent: Ille etiam plures habuit.

De domesticis, & familiaribus Principum.

Cap. XII.

IDem fere est & principis amicum esse, & consiliarium; nam & Imperator Alexander Vlpianum I. C. vocat amicum suum, & qui in iure ciuili passim Diui fratres vocantur, Imper. scilicet Marcus & Verus, Volusium Mæcianum alium I. C. aliosque supremi sui consessus assessores, eosdemque iurisperitos, palam amicos nominant. Præclarus scilicet amicitiæ nexus, in quo duo veluti extrema, à se inuicem longis spatiis diffidentia, subditus & princeps, amicabili consortione vniuntur, & in mutuos affectus, ille iusti & rationabilis obsequij, hic gratioris beneuolentiæ vnice conspirant. Illud scilicet perpetuo obtinuit, & ratio euincit manifestissima, è re Principum esse sibi addictissimos eligere, quos etiam beneficiis extollant, vt sint in quibus & beneficium tribuentis munificentia ac potestas summa, & eorum in quos beneficia conferuntur virtus spectetur. Hoc negotiorum sibi inuicem succedentium moles requirit, & hominis conditio, quam nullus Principum in illo fastigio exuit, desiderat, quæ societate gaudet, & communionis illius, quæ in amicitiâ bene constitutâ perspicitur, expers esse non potest. Hoc solum est humanarum molestiarum lenimentum apud chari pectoris secretum ægritudines suas deponere: Imo etiam vt ait Plinius secundus, *Est quædam dolendi voluptas, si in amici sinu defleas, apud quem lachrymis tuis vel laus sit parata, vel venia.* Necessarium est igitur vt princeps aliquando otio vacans consortium alicuius præstantis naturæ eligat, cui interiores curas & animi secretas cogitationes patefaciat, vt hoc veluti solatio refocillatum animum intentiorem reddat ad repetendas Regiæ maiestatis sollicitudines. Magnum illud est leuamentum capacis rerum omnium mentis, quali præditos esse decet summos rerum humanarum arbitros, interdum deponere pondus grauis illius & Regiæ maiestatis, qua in publicis actibus publicam personam agere princeps debet, vt postea priuatis officiis vacare liceat, & remissiore animo par veluti fœdus inire coniunctioris amicitiæ, non dissimili fere modo, quo fertur Rex Daniæ Fredericus tantisper regni curis intermissis, & ad iucunditatem ac lætitiam vultu composito, suos in vlteriorem familiaritatem admittebat: mox quasi è somno ad se reuersus, ore ad grauioris maiestatis seueritudinem facto, personam principis resumens, inter aulicorum suorum remissiores iocos quibus assuescebat, rediisse principem nunciabat, indicto singulis mandato, vt iam adesse eum meminissent. Nec abludebat ab hac consuetudine Theodoricus Rex-

Gothorum, de quo etiam Sidonius: *Cum ludendum est regiam tantisper sequestrat seueritatem hortatur ad ludum libertatem communionemque.* Est illud non minimi negotij, beneuolentiam principis sui demeruisse, & promeritum semel eam cum officio tueri.

Principibus placuisse viris non vltima laus est.

Vix est vt ea cuiquam contingat, quin sit aliqua meritorum laude insignis. At is sibi magnum onus impositum debet arbitrari, quem semel in consortium amicitiæ princeps cooptauit. Omnes colere, amare, obseruare principem suum decet: Huic obedire, eius dicta factaque comprobare, illi morem gerere, & tanquam communi omnium parēti patientiam omnem præstare, & scita gentium omnium, & districtior ratio diuinorum mandatorum non suadent modo, sed etiam cum summa religione præcipiunt. Verum ille quem amicitia sua dignatur princeps, constantiori animo curas omnes suas industriam, nauitatem in eo collocare debet, vt quam dignissimus iudicio principis sui appareat. Illud rectè Plinius secundus. *Sollicitius est custodiendus bonos, in quo etiam amici beneficium tuendum est.* Sed illud non minus ex præscripto rationis dici potest, summa cum diligentia & perspicacitate administrādum illud officium, in quo principis iudicium periclitatur. Vt à Principe ad eius amicos & familiares radij quidam coruscantes honoris & dignitatis manant: Ita ab ipsis, si ad modestiæ regulas actiones suas componant, ad principem benè collocati beneficij gloria & fructus cumulatior redit; & fit, vt verbis Iurisconsultorum vtamur, quædam veluti dati & recepti honoris ἀντανάκλασις, atque compensatio. Hic delectus virtutem Imperatoris Alexandri Seueri in maius fastigium prouexit, vtcumque enim esset natione Syrus & alienigena; tamen eorum quibusdam quotidie assuescebat egregiis dotibus enituit: de quibus hæc Lampridij sunt: *Amicos sanctos ac venerabiles habuit, non malitiosos, non furaces non factiosos, non callidos, non ad malum consentientes, non bonorum inimicos, non libidinosos, non crudeles, non circumuentores sui, non irrisores, non qui illum quasi fatuum circumducerent; sed sanctos, venerabiles, continentes, religiosos, amantes principis sui, & qui de illo nec ipsi riderent, nec risui esse vellent, qui nihil venderent, nihil mentirentur, nihil fingerent, numquam deciperent existimationem principis suis, sed amarent.* Quod de familiaribus principum dicitur, idem de omnibus aulicis ministeriis constituendum. Verum est illud, splendidiorem esse seruitutem, quo maior est potentia & dignitas domini: sed commodior illa & longe tolerabilior, quæ dominum sapientem magis, quam opibus & honoribus florentem inuenit, quo fit vt in comœdia soleant serui de parum fœlici sorte sua conqueri, quod dominis insipientibus parere necesse habeant,

Ὡς ἀργάλεον πρᾶγμ' ἐστιν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοί.
Δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου.

Annon verò etiam illud constiterit, principes ipsos inde famæ &

existimationis suæ vel dispendium sentire, vel incrementum consequi, pro-vt domesticorum suorum mores, aut ad omne decus exurgunt, aut ad flagitia delabuntur. Ex seruorum indole solet de dominis ferri iudicium, ex principis satellitio etiam eiusdem animus æstimatur. Aristoteles arbitratur non in eo quemquam dominũ esse, quod plures in famulitio seruos habeat, sed quod rectè, & vt par est industrium patremfamilias, iis vtatur. Ὁ δεσπότης οὐκ ἐν τῷ κτᾶσθαι δούλους, ἀλλ' ἐν τῷ χρῆσθαι. Sed nec principis augustiorem comitatum facit, quod plures habeat ministros, & salutis suæ custodes; sed si eorum priuato decore illustretur, ac sint non minus rigidi virtutis satellites, quam principis sui fidissimi protectores. Hac infamia plerumque principum aulæ & prætoria laborãt, quod illic parum tuta fides, neglecta pietas, amicitiã etiam ad pompam & speciem colatur, factione & respectu rerum priuatarum: qua de re est etiam illud D. Gregorij Nazianzeni, Χαίρετε ὦ βασιλεῖς, καὶ βασίλεια, ἔσοντε περὶ τὸν βασιλέα θεραπευτικὸν καὶ οἰκίδιον, εἰ μὴ καὶ βασιλεῖ πιστὸν οὐκ οἶδα, διὸ τὸ πλεῖστον ἄπιστον. Cum illa fiunt vix est vt non ad principis culpam referãtur, cuius illud munus debet esse pręcipuum, vt non patiatur suorum quemquam alicuius criminis, vel delicti suspicionem subire; sed eos perpetuo domesticos habeat, qui ingenio suo & ipso oris conspectu personam principis sui commendent, vt non alij in eius commentarium publica commoda ferentes referantur, quam quibus ipsa virtus vltro suffragium tulerit, & qui se ipsis principi & reipubl. honestis nominibus necessarios ostenderint. Censuram de suis moribus gerere princeps debet, quod & fecisse Imperatorem Alexandrum docet Lampridius. Nulla autem commodiore ratione princeps id præstiterit, quam si effecerit vt vnicuique domi suæ ratio proprij officij constiteret. Hinc rectè Rex Theodahatus apud Cassiodorum. *Solus dicendus est ille meus, qui legibus poterit esse tranquillus: à domesticis inchoare volumus disciplinam, vt reliquos pudeat errare, quando nostris cognoscimur excedendi licentiam non præbere.* Hoc nomine Diuus Ludouicus maximè commendatur, quod perpetuo vsus sit ministerio proborum hominum, vt certè cuiuslibet principis hæc debet esse cura præcipua. Quare idem etiam suprema sua ordinans in mandatis filio suo Philippo successori suo dedit, vt refert Nicolaus Ægidius in Annalibus, vbi notat illud Senecæ ad eandem sententiam valde accommodum: *Ex claritate seruientium fama consueuit crescere dominorum.* Alij etiam referunt id ab eo adiectum, prætorium siue aulam & palatium principis scolam virtutis esse debere, & speculum optimæ disciplinæ. Improbi quique, qui circa latus principis agunt, flagitiis suis eius existimationem in periculum deducunt: dum videntur improbitatis suæ autorem principem habere, hoc solo vel maxime puniẽdi, quod calumniæ occasionem ex imperiali maiestate capiant, eoque securius inferre se iniuriam putent, quod ex principis, cuius aulæ ministrant, dignitate aduersus publicam legum autoritatem præsidium expectent.

Speciosius aliquanto illis stipatur princeps, quorum egregiis facinoribus illius fama protendatur; quibusque, quemadmodum de Germanorum principum comitibus Tacitus scribit, illud præcipuum sacramentum est, vt principem suum tueantur, defendant, sua quoque fortia facta eius gloriæ assignent. Vt primum ad imperij fastigium euectus est hic noster Alexander Seuerus, statim palatium comitatumque suum purgauit, abiectis ex aulico ministerio cunctis obscœnis, & infamibus quos Heliogabalus iuuexerat, nec quemquam passus est esse in palatinis, nisi necessarium hominem, ne annonis rempub. grauaret, dicens imperatorem mali pupilli instar facere, si ex visceribus prouincialium homines non necessarios nec reipub. vtiles pasceret.

De adulatione, & adulatoribus.

Cap. XIII.

SEd sub specie familiaritatis & amicitiæ, plerumque domos principum insidet adulatio, vitium eô fallacius, quod omnia officia sanctioris illius obsequij, quod summis rerum humanarum arbitris debetur, non simulet modò, sed etiam propius effingat. *Adulatio*, inquit Seneca, *quam similis est amicitiæ non imitatur tantum illam, sed vincit & præterit: apertis & propitiis auribus recipitur, & in præcordia ima descendit, eo ipso gratiosa, quo lædit.* Venenum est, quo nullum præsentius, nullum deterius; quippe cum sine doloris sensu statim animum occupet, & occultis nocendi artibus personam illam, aduersus quam cuniculos semel egerit, in extremum deducit interitū. Mel quod in Heraclea Ponti regione nascitur, etiam hiblæo & hymettio, quod atticæ apes emittunt, dulcius est, sed quia ibidem vt flores, ita & aconitum herbam maxime noxiam depascunt apes, fit quoque vt mel illud fit nocentissimum, & gustatum semel vertigines in capite creat, ac tenebras oculis offundat. Non dissimiliter adulatio, etiam gratiorem beneuolentiam, quam vera amicitia promit. Sed quia non tam commodo eius, in cuius se. obsequium insinuat, quam priuata vtilitate ducitur, nihil primum magis molitur, quam vt caliginem animo eius, quem decipere destinat, obducat, ac mox in potestatem suam redigat; nec male adulator meretrici comparatur: Vt enim illa honestæ matris familias ementitur probitatem, & dolis eius animum euertere nititur, ad cuius facultates eliciendas cupidum & curiosum oculum adiicit: Sic ille nihil aliud adoritur, quam vt ficto amicitiæ vultu, eos quibus se applicuerit de mentis statu deijciat, & iam tractabiliores effectos nullo negotio humi sternat, id est vt ab his quos suæ potestatis fecerint, quidlibet extorqueat. Hoc habet fortuna prin-

cipum incommodi, quod spe & expectatione compendij nituntur plerique in eorum familiaritatem irrumpere, & apud eos ad voluptatem quiduis facere & dicere. Scilicet vt ait Synesius, ὅσα βασιλεὺς, ἐκεῖ πάν καὶ ὁ ψῆφ. Non secus ac media nocte ad ignem ab aucupibus in mediis syluis & dumetis accensum, quasi ad lucidi solis radios micantes aduolant aues: Ita ad coruscantem illam principum maiestatem, fulgenti & splendido comitatu & rerum omnium abundantiâ capti plerique quasi facto impetu citatum cursum dirigunt, atque eô omnem ingenij nauitatem conuertunt, vt se quam gratiosos ipsis principibus exhibeāt, studio & ambitu augendi patrimonij & honorum gerendorum. Ex quo recte solebat Carneades, & verissime & festiuissime illud dicere, Principum filios vix artem aliquam recte callere, præter ipsam equitandi peritiam: Cæteras enim artes ab hominibus, qui illis blandiuntur & adulantur, addiscunt: At in arte equitandi ipsis equis quodammodo vtuntur præceptoribus, qui principem ab alio non dignoscentes, si Bucephalus magni Alexandri excipiatur, illum tam facille succussanti motu in terram deiicerent, ac aduersus imi famulitij equisonem calcitrarent. Hoc fere omnibus hominibus innatum est, vt se suaque ament impensius, & plerumque sine riuali. Vix est vt non ea temeritate & stultitia agantur plerique, quin plus æquo de se sentiant, adeo cognati & proximi sibi homines sunt, vt perpetuo æquiores in suis negotiis iudices & faciliores se præbeant. Sic non difficulter accidit, vt ille admittat alienam adulationem, qui ipse sui est assentator. Principes frequentius hoc animi morbo laborant, dum nimiâ habentiâ inflati multa sibi permittunt ac tribuunt, eô plus de se æstimantes, quod cæteris dignitate & honore se antistare cognoscunt. Fit inde, vt facilius aures adulatoribus patefaciant, dum iure se laudari arbitrantur, & hinc in magnis interdum versantur erroribus, quia sibi ipsis ignoti sunt, assidua assentatione corrupti. Vix autem est vt non optimus quisque decipiatur, & in casses & tendiculas non incidat, quas adulatio struit. Ἥδιστον ἄκρσαμα ἔπαινος, inquit Xenophon: ad laudem sui intrinsecus anima lætatur. Nullus est quamlibet fœlici sidere natus, qui, si illum assentatorum cohors ambiret, quæ à latere principum frequẽs est, non deterior plerumque peioribus esset. Hôc fortuna priuatorum longe securior, quod facilius hoc improbo satellitio careat. Mirum est principes, quos tot malorum incitamenta circumstant, non deteriora moliri: adeo periculosum eos aditum permittere huic hominum generi, quo nullum peius aut deterius fingi potest: vt rectè illud Plutharchus dixerit, adulatores non minus puniẽdos, quam qui fontem publicum, vnde omnes aquam hauriunt, veneno inficiunt: quemadmodum in contrarium, qui principem sancte monent, tantumdem imo aliquid maius faciunt, quam sacerdotes: hi enim precibus & orationibus duntaxat Deum ad misericordiam flectunt, non Deum meliorem efficiunt, quippe naturæ præro-

gatiua omne bonum ſuperat: Illorum vero opera principes fiunt inſtiores, & temperantiores, vnde vtilitas in omnes ciues manat. Feruntur Sirenes blando vultu, & ad omnem dulcedinem compoſita oris & cantus ſuauitate in fundum adnauigantes vectores demerſiſſe. Dicitur hiæna humanam fingens vocem & planctum ad officium pietatis properantes interficere. At qui principibus adulantur aucupibus ſimiles, vocis imitatione veri amici imitantes ſtudia, clandeſtinas inſidias moliuntur auiditate prædæ captandæ: vt non male etiam canibus poſſint comparari, quos culinæ odor naribus obiectus ſiſtit. Itaque principem adulatoribus circumfuſum, atque in eos immodicis largitionibus perditum, ſub Actæonis perſona, quem ſui canes in ceruum à Diana mutatum interemerunt, rectiſſime fabulæ Poëtarum repræſentant:

Vndique circumſtant, merſiſque in corpore roſtris
Dilacerant dominum falſi ſub imagine cerui.

Scitum eſt illud Antiſtenis, & ipſo annominationis lepore feſtiuum. Κρεῖττον εἰς κόρακας, ἢ εἰς κόλακας ἐμπεσεῖν· οἱ μὲν γὰρ νεκρούς, οἱ δὲ ζῶντας ἐσθίουσι. Adulatores viuos videnteſque principes depaſcuntur, eiſque ſuperſtitibus acerbum & præmaturum funus ducunt, non modo famam eius & exiſtimationem probri & dedecoris ſuſpicione aſpergentes, ſed etiam ipſam rempubl. funditus euertentes, & in diſcrimen vltimum ipſum principem, cuius amori per ſpeciem indulgent, dirigentes: Ac propterea commodiſſime Bias interrogatus quodnam animal omnium maxime noxium eſſet, facete ad homines tranſlato ſermone ait, è feris tyrannum, è cicuribus aſſentatorem apprime cauendum eſſe. Imo ſi qui tyranni vnquam extiterunt: hoc nomen illis adulatio effinxit illorum, qui ad extremam crudelitatem, auaritiam, cupiditatem, principum animos etiam ad ipſa ſcelera procliues prauis conſiliis ſuis præcipitanter impulerunt. Quapropter rectè illud Plutharchus docet familiares tyrannorum, Phalaridis, Apollodori, & Dionyſij crudeli morte affectos poſt ipſorum Principum exceſſum, ὡς ἐκείνων ἀδικούντων πολλὰς δι' ἔτος τῶν ἀρχόντων. Poſſet ſtilus per multa exempla currere quibus poſſit conſtare magnos plerumque principes aſſentatorum opera in vltimam calamitatem deueniſſe. Sed ſatis fuerit illud attendiſſe, hoc vitio, quod nimium aſſentationi concederet & laudibus rerum ſuarum tribueret, cæteras virtutes regias totius orbis victorem Alexandrum magnum dedecoraſſe, poſtquam Anaxarchus in eo genere adulandi ingenioſus artifex ei perſuaſit, ius faſque eſſe quod regibus libuiſset. Hinc ſtrage ſuorum, Cliti, Calliſtenis, & Parmenionis, aliorumque plurium famam clementiæ atque animi magnitudinis longo ante tempore quæſitam fœdiſſime maculauit. Hinc vano opinionis errore cœpit genus ſuum ementiri, & mortalitatis oblitus ad Iouem Ammonem natales ſuos referre inſtituit, quo nomine feſtiuiſſime obiurgatus eſt ab Olympiade matre, cum cõqueſta eſt, quod eam criminaretur apud Iunonem, pelli-

cem ei nouam adiungens. Scilicet adulantium blandimenta eo ferocem animum iam victoriarum splendore, & prosperitate tumentem extulerãt, vt persuasum haberet supra conditionem humanam esse tot in se congestos à numinibus rerum agendarum prosperos & fœlices successus. Arrogantiam omnem, ipsum etiam diuinarum rerum contemptum in principum animos immittit assentatio; vbi autem vanam opinionem imbiberunt, aliquo se supra mortalitatem fastigio & prærogatiua elatos, tunc ipsos funditus perire necesse est,

Felicitas se, nisi temperat, premit.

Numquam solido stetit superba felicitas: scias ad exitum peruenisse, quæ ad inuidiam sunt perducta. Morbos illos grauiores & periculosiores esse satis constat, qui alte toti fere corpori suffunduntur, nec sentiuntur tamen, priusquam vltimum exitium intulerint: adeo illis fallens in periculum vis. Inter animi vitiâ, illa quoque magis perniciosa sunt, quæ simulata sanitate subsidunt, ac speciem virtutis induunt, omnemque nocendi artem occultius tegunt. Eiusmodi est adulatio, cuius malignum & nocẽtissimum virus vix fere est vt quisquam possit ante cognoscere, quam captum se & circumscriptum sentiat. Quapropter magna illa virtus est, perspicaci animo longe illam ante præuertere, cum post vulnus acceptum nemini iam sit integrum huic morbo mederi: quippe cum illi qui se se assentationibus permiserunt, non modo non admittant aut requirant vllum huius infortunij leuamentum, sed ignoratione morbi nobiliores animi partes occupantis se se periclitari penitus non sentiant. Fuit vero illud Mammeæ, quæ Imperatoris Alexandri Seueri mater extitit, prudens consilium, quam primum ille in tenera adhuc ætate ad gubernacula Reipubl. Romanæ admotus est, vt quam longissime adulatores & assentatores omnes, qui ad profundam malorum vitiorum & criminum voraginem Heliogabalum deduxerant, ab aula filij sui amandarentur, in locum eorum subrogatis reconditioris prudentiæ & scientiæ viris, qui ipsum ad virtutis studium accenderent, & principem felici genio natum corrumpi improbo & infami adulatorum famulitio non sinerent. Et hanc postmodum viuendi rationem secutus est ipse Imperator, apud quem si quis caput flexisset, aut blandius esset locutus, statim abijciebatur, vel si propter dignitatem paulo mitius cum eo agendum foret, ingenti cachinno excipiebatur, & petulantioribus dicteriis proscindebatur. Magnum quidem illud aduersus omnem adulationis speciem munimentum sui ipsius cognitio, & conditionis humanæ diligentius perpensa fragilitas.

E cælo descendit γνῶθι σεαυτόν,
Figendum & memori tractandum pectore.

Verum non minus etiam ad vitæ vtilitatem confert consilia ante cogitationesque eorum, quibus cum assueuimus, cognoscere: Vt tum non difficile sit principi, qui sagaci iudicio est præditus, ex singulorum

moribus & vitæ ratione qua quisque ducitur, animum cuiusque indagare, qua spe qua-ve expectatione ad sui obsequium feratur, fide an vtilitatibus amet. Alcæus Poëta Lyricus vnieuique hominum in pectore fenestram à natura concedi desiderabat, vt ex ea liceret ad secretiora cordis penetralia introspicere, quo nemo in electione amicorum falleretur, sed aut digni amicitiâ habiti in vlteriorem familiaritatem admitterentur, vel à consortio suo vnus quisque eos seiungeret, si minus ex fide tam sanctam animorum connexionem suscepturi viderentur. Εἴθ᾽ ἐξῆν, ὁποῖός τις ἦν ἕκαστος, τὸ στῆθος διελόντα, ἔπειτα τὸν νοῦν ἐσιδόντα κλείσαντα πάλιν ἄνδρα φίλον νομίζειν ἀδόλῳ φρενί. Fallacem scilicet hominum frontem existimabat, vt non semper sit procliue, ex solo intuitu aut etiam plurium dierum consuetudine mores hominum æstimare.

Non semper ea sunt quæ videntur, decipit
Frons prima multos, rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo.

Varium & mutabile vnius cuiusque ingenium, nec plures Euripus habet reciprocantes vndas, quam fert humanus animus cogitationes diuersas & inter se dissimiles: modo in vitium decliuis, modo ad virtutem arduus flectitur, & negotia pleraque conficit studio & affectione causarũ prope inter se diffidentium: ac quemadmodũ fertur solus Dædalus varias labyrinti ambages & deflexus tenuisse, quia eum ipse industria & arte mirabili duxerat & fabricatus fuerat: Ita dici verissime potest, soli Deo, qui magistra & artifici manu humanam mentem effinxit, eiusdem sensus motusque innotescere. Illa de causa Deus in sacris paginis vocatur καρδιογνώστης, quod hoc habeat priuilegij, vt ei in hominum mentibus nihil sit obscurum & occlusum, vt nec quamlibet dissimulandi peritus artifex ei possit caliginem offundere, quin per medias tenebras alte scrutetur vota & desideria hominum. Ἀδιάγνωστος ὁ θεὸς καὶ πάντων ἐπόπτης. Hoc scilicet præceptionis quodam titulo sibi sumpsit Deus, vt quemadmodum in aula aut prætorio, quod multa cubicula continet & dispositas per longum ordinem varias mansiones & porticus, princeps sibi secessum aliquem seruat ac recipit, in quo solus plerumque rationes consiliorum suorum subducat, & curas regias sollicitius administret: Ita in hominis opificio & τεχνουργίᾳ, solus possit abditos cordis sensus ingredi, & in secreta cogitationum descendere. Sed non propterea tamen prudentiæ via præclusa est, quin liceat sagacitate aliqua ex dictis factisque, ex ipso vultu, ex oculis, atque adeo ipsius corporis motu ad simulationem composito, si non certissimas, at certè probabiles ducere coniecturas, quarum adminiculo animorum affectus detegantur. Ferunt Poëtæ Theseum Ariadnæ consiliis vsum inextricabiles anfractus Labyrinthi non modo penetrasse, sed etiam penitus effugisse, dum cæcos gressus & errabunda pedum vestigia tenui filo direxit,

Ne labyrintheis è flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobseruabilis error.

Ingenij acumen vnicuique id præstat, quod Ariadnæ glomus Theseo, & fere ad effectum deducit Alcæi votum & desiderium, si quidem qui non perfunctoriè & translatitiè animum applicat perpēdendis hominum actibus, ex verbis quæ imprudentibus excidunt, aut ex improuiso oculorum nutu, nec satis considerata vultus & oris adumbratione, ex variis causarum figuris, ex ipsis rerum personarumque circumstantiis, quasi anticipata cognitione illud assequitur, vt vsque ad mentis latebras erumpat, atque inde eruat, quod nouisse expedierit, non dissimili ratione, qua odorę naris canes feræ vestigia premunt, & eo tandem loco consistere solent quo ipsæ feræ delitescunt. Princeps qui illa insigni dote animi præditus est, quam facillimè potest ab adulatoribus sibi cauere, & omnes eas rationes callere, quas in libellum huic disputationi destinatum Plutharchus contulit cuius & hæc est inscriptio, πῶς ἄν τις διακρίνοι τὸν κόλακα τοῦ φίλου. Sed præsentius remedium nullum est, quam si princeps aliquem ex sapientibus asciscat sibi, cui vitæ suæ tenorem approbare paratus sit, seque totum eius censuræ permittat, quemadmodum Titus ille, delicium generis humani, alicuius Cynici Philosophi consuetudine gauisurum se se palam dicebat, qui etiam libertate decembri vitia eius moresque prauos insectaretur, ac toties ei se se acerbum & seuerum obtrectatorem exhiberet, quoties à recto rationis calle deflecteret. Et certè, quomodo sibi princeps laborum contemptionis, constantiæ, magnitudinis animi, virtutumque omnium, quæ summum rerum humanarum arbitrum decent, veram laudem famamque iure vindicabit, qui viri alicuius amice consulentis, circumspecte tempus locumque obseruantis admonitionibus non acquiescit, aut loquendi libertate (quæ in sui commoditatem promitur, nec vltra molesta est, quam quod aures vel leuiter stringit priuatim & publice vtilis) offenditur.

Principem legibus solutum, secundum leges viuere debere.

Cap. XIV.

SAcrosancta vere persona principis, & diuinum numen in rebus humanis referens, quam nemo sine summo flagitio vel leuiter violare potest. Sed quo nobilior pars cuiusque hominum est animus, quam corpus ipsum:

(Τὸ μὲν θειότητος ἀπόρρωξ
φωτὸς ἀπειρεσίοιο, τὸ δὲ σκοτίης ἀπὸ ῥίζης.)

Ita maiori piaculo mens principis, id est, vt verius dicatur, princeeps ipse in perpetuum victurus corrumpitur; quam corpus eiusdem, id est vnius aut alterius momenti quo in terris moraturus est diuersorium, vulneratur. Plato in legibus ait depositum rem sacram penitus esse, & propterea famosum hoc iudicium semper, & pœnale in quibusdam causis esse aduersus eos quiquid doli & perfidiæ in eo custodiendo aut inficiando admiserint legum ciuilium constituta sanxerunt. Depositum vero vnum est & sacrum vere & sanctum, animus scilicet principis veluti à Deo custodiæ causa quasi sequestro positus apud eos, quos aut ad participandas regni curas aduocauerunt, aut ad consortium interioris familiaritatis delegerunt. In hoc igitur tam venerando deposito vbi summum versatur periculum rerum humanarum fidem fefellisse quin grande nefas sit non est dubitandum. Circa id vero perniciose peccatur ab his, qui vt facilius demereantur beneficia principum, quiduis ipsis tribuunt, & fœdo adulationis vitio omnia permitti eorum potestati quam sanctissime asseuerant, eodem argumento prauis opinionibus eorum animum imbuentes, simul & mentem diuinam falsis erroribus corrumpentes. Sunt etiam in eam rem eorum voces creberrimæ, omnia principis esse, quidquid ei placuit legis habere vigorem, eundem etiam legibus solutum esse, quas etiam ex ipsis ciuilis prudentiæ fontibus desumptas esse non difficulter comminiscuntur. Vnde sæpissime accidit vt principes sub specie iuris, quo se ambitiosius extollunt, cum summa iniuria vim potestatis suę exequantur, qua circumspectius vsuri forent nullis antea eiusmodi delinimentis instigationibus & persuasionibus vanis corrupti. Quantum ad primam positionem: id ipse Cuiacius probat, & omnibus rationibus Rebuffus euincit, res quæ ad singulos pertinent ad principem iure dominij non pertinere, sed tantum imperio & iurisdictione: Vt scilicet res priuatorum tueatur & potestatis iure præstet incolumes, non vt ea in priuatos vsus aut in alterius dominium transcribat, adeo vt certum sit ex vulgato sacræ paginæ loco non posse principem ab inuito rei suæ venditionem extorquere, vtcumque pretium domino præstare paratus sit. Quod ad secundam, eâ non sit principi potestas libera, quiduis ei libuerit aut imperandi aut constituendi Potiora semper Dei & naturæ iura, quibus præscribere nulla principum decreta possunt. *Est lex nihil aliud, nisi recta & a deorum numine tracta ratio, imperans honesta prohibens contraria.* Si qua igitur principis constitutio palam huic rationi obsistat, ei nequaquam est acquiescendum. Et illud Antigonus recte, ei qui dicebat omnia regibus permitti, & apud eos sola voluntate æquitatem ius fasque niti, respondit id quidem apud barbarorum reges obtinere, non apud bonos principes. Vnde etiam Antigone apud Sophoclem sic se aduersus regem Creontem tuetur, quasi iure potuisset eius edictum insuper habere, quo Polynicis fratris sui corpus sepulchro mandari prohibuerat.

Οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ
Κηρύγμαθ' ὥς' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
Νόμιμα δύνασθ' θνητὸν ὄνθ' ὑπερδραμεῖν.

Modesti per se principes hac persuasione decepti, quasi iustum sit omne quod ipsis placuerit, impelluntur in nefas. Sic Artaxerces scelus infandum adortus est, & rem prorsus non modo apud cæteras gentes sed etiam apud ipsos Persas quibus præerat insolitam, propriâ filiâ in vxorem ductâ, matre eius vltro libidinem adhuc pudoris non omnino oblitã arcessente illis verbis, quæ etiam retulit Plutharchus, *Πέρσαις νόμον αὐτὸν ὑπὸ τοῦ θεοῦ καὶ δικαιωτὴν αἰσχρῶν καὶ καλῶν ἀποδεδειγμένον.* Sic Claudius Agrippinam fratris filiam, cum eiusmodi matrimonium incestum vsque ad illa tempora habitum esset in coniugem asciuit sibi, non dissimili assentatione adhuc teneros & debiles illiciti amoris ignes demulcente. Similia etiam verborum blandimenta Antoninum Caracallam ad inconcessos cum Iulia nouerca sua hymeneos egere præcipitem, & cum etiam à scelere abstenturus videretur adhuc labantem sollicitauit illa nefariæ mulieris assertio, *si libet, licet; nescis te imperatorem esse, & leges dare non accipere.* Nimis illud est periculosum, infinita tribuere potentibus, qui iam pleraque contra ius fasque sibi permittunt: Incendunt illa ambitum, & maiores ad delinquendum præbent illecebras. Non tuto igni restinguendo oleum inijcitur. In aures autem principum perpetuo insusurrare, quod ipsis placuerit pro lege esse, quid aliud est, quam quod Pythagoras palam vetabat *πῦρ σιδήρῳ σκαλεύειν.* Verissimum tamen est illud axioma, & eô etiam verius quod a ciuili prudentia petitum. Et omnino à ratione alienum fuerit, ac sacræ etiam principum maiestati iniuriosum, fidem eius assertionis conuellere, quæ & vtilitate necessaria visa est, & principum augustiorem potestatem facit, ac præterea etiam per multas annorum & sæculorum series inualuit communi hominum consensu & approbatione munita. Scire leges non est verba earum tenere sed vim & potestatem, inquiunt Iurisconsulti. Liceat igitur exteriori verborum sensu relicto altius rem scrutari, & penitius in secreta non modo ciuilis sed etiam politicæ rationis descendere. Hinc facile eruere licebit, & a fonte repetere mentem illius axiomatis nondum forte à iuris autoribus animaduersam, quo tamen non minus impudenter quam nefarie plerique ad compendium suum abutuntur. Hoc docent medici, hoc etiam vsus rerum omnium magister docet, quotidie nouos morbos ingrauescere, eorumque numerum crescere, qui nec re nec nomine veteribus cogniti fuerunt: Tantum abest vt ipsis fuerint nota remedia eorum vel quædam præcepta de his curandis tradiderint. Id si alicui insigni medico occurrat, necesse est in re præsenti consilium capere, & quam facile poterit accommodatis & contortis artis suæ præceptionibus curationi operam dare, & nouas medendi rationes insolito morbo admouere. Quod in humani corporis

curatione medicis accidit, idem quoque principibus in reipub. administratione contingit. Tanta est rerum diuersitas, tot variæ negotiorum figuræ, & ad malum humanæ fragilitatis ita sunt fœcundi nixus, vt veteribus vitiis noua quotidie accrescant. *Nouas edere formas vbique natura deproperat*, vt ait imperator. Ad has princeps vim potestatis suæ extendere oportet, & pro vt dictat ratio necessitatis inclinare leges, & ius inflectere. *Illud est viri & ducis non deesse fortunæ præbenti se, & oblata casu flectere ad consilium*, vt rectè Scipio apud Liuium. Ab his negotiis nequit se expedire princeps, nisi pro summa potestate quam habet, quod rebus ipsis dictantibus in re præsenti iusserit, apud bene moratos subditos pro lege fuerit. Igitur quod dicitur, principi placuit legis habet vigorem; eô tantum pertinet, vt exigentibus humanis necessitatibus quæcumque facto opus sunt, ea constituat ipse princeps sui arbitrij compos, non vt quæ contra æquitatis rationem edixerit, possint vim suam obtinere. Propterea si bellum indici è re publica princeps arbitratus sit & indixerit, voluntas eius pro lege sit, & lege egisse censeatur, qui gladium strinxerit in eum, quem princeps hostem iudicauit. Si publica necessitas imperari tributum iusserit, quod principi placuerit legis habeat vigorem: Si de homine scelerato, qui aduersus publicam disciplinam potuerit esse contumax, non seruatis iuris ordinarij solennibus princeps supplicium sumi iusserit, pro iure legitimo habeatur hæc principis voluntas: Denique vbicumque ratio aliqua publicæ vtilitatis aliquid fieri desiderauerit, quod in re præsenti & ex occasionis momento princeps iusserit, legis vicem obtinet. Ius animatum est princeps, qui non solum legum est minister sed etiam interpres, & vbi illæ deficiunt, ex rerum personarumque circumstantiis motum religionis suæ informat, quid propius ad earum sententiam & negotiorum qualitatem constituendum sit. Et certè, cum nulla lege possint singuli articuli comprehendi, qui aptari possint ad eam, debet princeps interponere partes suas, & quasi æquus arbitrator intercedere, qui ea quæ prioribus legibus deesse videbuntur suppleat. Sic rectè Iustinianus Imper. *Βασιλείαν ὁ Θεὸς διὰ τοῦτο καθῆκεν εἰς ἀνθρώπους, ὅπως ἂν τοῖς δεομένοις ἀεί τι διατάξηται, τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἀσθενείαν ἀναπληροῖ.* Ex eodem fonte rationis manat hæc alia iuris definitio, cuius supra mentio facta est, principem legibus solutum esse: nam id non ideo dixerunt Iurisconsulti, vt principes supra leges extollerent: sed vt potestatem eis facerent, pro-vt exigeret rerum ratio, interdum circumducere earum rigorem, & ad negotia aptare: non secus ac lesbius canon ad lapidum duritiem, qui scindi non poterant, inflectebatur. Quemadmodum igitur horologiorum opifices automata ipsa & circulos orbesque, qui quasi sponte sua mouentur, modo soluunt, modo etiam citatiores faciunt, aut nimis præcipites remorantur ac retardant: sic princeps perinde atque vt afficitur, leges ad negotia accommodat solutus ipse necessitate, qua alij adstringuntur,

non

non ſecus quam aliquis Archimedes in ſphæra omnes cœli cardines flexus & decurſus moderatur.

Iamque ſuum voluens audax induſtria mundum
Gaudet, & humana ſydera mente regit.

Sic modo princeps ob meritum indulget, vel alteri ſine exemplo ſubuenit. *Leges res ſurda eſt & inexorabilis, nihil laxamenti nec veniæ habet ſi modum exceſſeris: periculoſum eſt in tot humanis erroribus ſolâ innocentiâ viuere.* Princeps itaque conſtitutus eſt earum arbiter, qui arbitratu ſuo ſolutus earum vinculis libraret & moderaretur. Id factum eſſe lege regia dicunt I. C. quæ tamen quo tempore lata ſit incertum eſt. Quidam exiſtimant ſub regibus latam, vnde nomen ſortita eſt. Verius eſt ſub Auguſto introductam illo tempore quo deſperatis rebus viſum eſt vnius poteſtati rempublicam permitti, nec id populi Romani arbitrio factum, ſed ſola ſapientium auctoritate id eſt ſenatus iudicio quod & confirmat Xiphilinus in Auguſto. Nec mouet quod paſſim lex regia dicatur, nam etiam in libris iuris regium illud dicitur quod Imperatorem ſpectat, vt & in illo Iuſtiniani loco titul. de legibus. *Quid ſanctius eſt Imperiali maieſtate, vel quis tanta ſuperbiæ faſtidio tumidus eſt, vt regalem ſenſum contemnat.* Solutus igitur eſt princeps legibus politicis, vt poſſit eas ſubinde mutare, pro temporum varia conditione; quæ in pace feruntur plerumque bellum abrogat, quæ in bello pax: vt in nauis adminiſtratione alia in ſecũda alia in aduerſa tempeſtate vſui ſunt. Naturalibus vero ac diuinis tenetur: eſt enim ius illud ſempiternum & rerũ naturæ æquabile, inſcriptum inſculptumque in animis hominum, ne quis ſuis ſceleribus ignorantiæ cauſam poſſet obtendere: quod quemadmodum nullus populus, nullus princeps introduxit, ita nulla cuiuſquam hominis poteſtas illud euertere poteſt. Cæterum cum non ſimpliciter & abſolutè, princeps legibus etiam ciuilibus ſit ſolutus, ſed cum cauſa ſi id ratio politicæ adminiſtrationis dictauerit: conſequens eſt, vt quam diligentiſſime curet ex legum præſcripto vitam formare. *Digna vox eſt maieſtate regnantis*, inquit Conſtantinus Imperator, *legibus alligatum principem ſe profiteri; adeo de auctoritate iuris noſtra pendet auctoritas, & re vera maius Imperio eſt ſubijcere legibus principatum.* Hanc ſcilicet rationem ſequebatur Imperator Alexander, nam etiam in legatis ſibi datis legem falcidiam locum habere voluit, in ea re Imperatoris Hadriani reſcriptum ſecutus. l. 4. C. ad l. falcid. & præterea ex imperfecto teſtamento hæreditatem ſibi delatam vindicare noluit, illa eleganti ratione: *Licet lex Imperij ſolemnibus iuris ſoluerit imperatorem, tamen nihil tam proprium imperij, quam legibus viuere*, l. 3. C. de teſtam. Scilicet ſoluri principes legibus eſſe cenſentur, quia ſponte faciunt quod alij legum metu. ἀγαθὸς ἄρχων ἀγαπᾷ τοὺς νόμους, ὅτι οὐ δέδοικε, inquit Dio Chryſoſtomus. Vel eo autem maximè debent obſequi legibus ſuis, vt facilius eiſdem ſubditi pareant. *Auctoritatem habere non poteſt ſermo, qui non iuuatur exemplo: dum iniquum ſit bona*

præcipere, & talia non fecisse.

Tunc obseruantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Autorem parere sibi.

Sic Zaleuchus, sic Charondas Thurius, sic alij leges à se latas supplicio domestico sanciuerunt. Ipsi I.C. non diffitentur filium immerentem à patre exhæredatum querelam inofficiosi testamēti posse mouere aduersus principem à patre suo hæredem institutum, perinde ac contra priuatum ciuem quereretur. Et ipsos principes sanctius tenere contractuum leges debent, quod nullo iudicio possint constringi. Denique ab illis tantum legibus Imperatores docent immunes esse se, quæ non eandem aduersus ipsos, quam aduersus priuatos homines habent rationem: quæ etenim iure cōmuni nō valet donatio facta inter virū & vxorem, ne propter citatum amoris affectum coniux vnus ad inopiam deducatur; ea nullis vinculis adstringitur, si vel Imperator in Augustam, vel illa in Imperatorem liberalitatem contulerit, quia in illis paupertatem timeri tantæ non conuenit celsitudini. Et rursus quæ donatio à priuatis facta insinuationem requirit, vbi quingentos aureos excedit, vt occuratur fraudibus quæ maximè inter coniunctas personas struuntur in necem creditorum, illa cuiusque quantitatis actis non interuenientibus à principe facta valet, quia nullum dolum, nullam calumniam, nullas insidias à tantæ maiestatis culmine non modo metuere, sed ne quidem suspicari quis debet.

De magistratibus eligendis.

Cap. XV.

PAVLVM intermissus sermo ad amicos principis redit. Illi sunt magistratus vere: nam & Imperator Alexander, vt etiam supra positum, Vlpianum I.C. præfectum annonæ amicum suum vocat in l. 4. C. de contr. & comm. stipul. & eundem ad fastigium præfecti prætorio euectum, parentem suum appellat in l. 4. C. Locati. vbi etiam in eam rem quædam adnotabuntur. Atque etiam DD. fratres Iunium Rusticum præfectum vrbis similiter amicum nominant. Scilicet præcipuum opus Regis est, hæc cura summos Principes tangit, vt plures sibi amicos parēt, id est illos dignitatibus admoueant qui vitæ integritate conspicui, & earum rerum callenti experientia præditi sint, quæ maximè necessariæ sunt ad munia reipubl. strenue obeunda. Ad id pertinet Synesij locus epist. 37. Θεία αὐτὴ καὶ μεγαλοπρεπὴς ἡ φροντίς, πολὺς ἢ δαπανᾶται φροντὶς εἰς εὐνομίαν ἀνδρῶν ἀγαθῶν. Sic Æschylus in Prometheo tradit Iouem

vbi primum paternum ſolium adeptus eſt, tum deorum vnicuique aſſignatis & conſtitutis muneribus imperium ſibi firmaſſe & ſtabiliuiſſe.

Ὅπως τάχιςα τὸ πατρῷον ἐς θρόνον
Καθίζετ' εὐθὺς δαίμοσι τιμὰς γέρα
Ἄλλοισιν ἄλλα, καὶ διεστιχίζετο
Ἀρχηώ.

Principem referunt magiſtratus, & ab eo in partem regiæ ſollicitudinis aduocantur, imo quod in illo rerum culmine ſacratius, id fidei ſuæ & nauitati commiſſum habent, vt ſcilicet vnicuique ius ſuum reddant vicaria principis poteſtate, ſiue vice ſacra, vt iuris ciuilis prudentia loquitur. Si princeps reipubl. caput, magiſtratus collum repræſentant, per quod cæteræ corporis partes, veluti quodam nexu, nec tam applumbatura quam ferruminatione capiti aureo connectuntur: Si princeps Dei manus eſt, illi illius manus digiti ſunt: Si ille magiſter nauis, illi remiges & meſonautæ, per quos χειρίμϐολον exercet. Dicebat Ouidius longas regibus eſſe manus. Debuit dicere non longas eum habere manus, ſed plures non modo manus, ſed oculos etiam, atque aures: nam quot ſunt in republica magiſtratus, tot ſunt manus, oculi, aures principis, quibus, omnia quæ ad populi ſui vtilitatem neceſſaria & vtilia ſunt, perficit, intuetur, intelligit. Sic apud Perſas, Satrapæ ſiue præfecti prouinciarum dicti βασιλέως ὀφθαλμοὶ, καὶ ὠτακουσταί. Et Ariſtoteles in Politicis id quoque palam monet. Ὀφθαλμοὺς πολλοὺς οἱ μόναρχοι ποιοῦσιν αὑτῶν, καὶ ὦτα, καὶ χεῖρας, καὶ πόδας, τοὺς γὰρ τῇ ἀρχῇ καὶ αὐτοῦ φίλους ποιοῦνται συνάρχους. Quare quemadmodum in præfatione dictum fuit, ſummos principes viuas eſſe Dei imagines: Ita etiam magiſtratus effigiem principum referunt. Πᾶς ὁ λαχὼν ἄρχειν σμικρὰν εἰκόνα τῆς βασιλείας ὑποδύεται; vt inquit Themiſtius. Et hinc eſt quod non minus legum ſint interpretes quam principes ipſi, vt vel interdum poſſint occaſione ferente ab illis ſoluti eſſe & arbitrio ſuo aliquid conſtituere, quemadmodum dicunt I. C. præueniendi periculi cauſa ſi ſeditio prærupta, aut factio cruenta, vel alia iuſta cauſa intercedat, pœnam eius qui appellauit non eſſe ſuſtinendam, licet appellationis beneficium ſit iuris communis, nam & illud Ciceronis in quadam epiſtola familiari ad Plancum Imperatorem ab hac ratione non aberrat. *Ne in rebus tam ſubitis tamque anguſtis à ſenatu conſilium petendum putes: ipſe tibi ſis ſenatus, quocumque reipubl. ratio ducet, ſequare.* Quamquam verius eſt, vt quemadmodum non licet poetæ cuicumque à carminis legibus recedere, ſed præſtanti tantum artifici; ita nec cuiuis magiſtratui liceat à præceptis legum recedere, ſed illi tantum, quem iam in adminiſtratione reipubl. inſignis commendauerit peritia, & rerum humanarum ſumma cognitio, vt hæc facultas diſcedendi à conſuetis publicæ iuriſdictionis regulis, ad neceſſitatem aliquam & rei gerendæ occaſionem, cuius opportunitas præteruolare potuit, transferatur: ſicuti exẽplo Philopœmenis & Epaminondæ monet

Pluthatchus, in reipub. gerendæ præceptis. Papinianus I. C. ait legem esse sponsionem ciuitatis. Qua id ratione dixerit posset dubitari: sed satis commode licet conijcere, nihil aliud his verbis demonstrare voluisse, quam legis beneficio omnes esse securos, vt tranquillitatis publicæ certum præsidium ei debeat accepto ferri: quasi fideiussorio nomine salutem ciuium in suam fidem recipiat, & in omnibus quæ contra æquitatem in tot humanis erroribus fiunt, spondeat defensionis suæ munimentum. Ad illam prouocant qui premuntur iniuriis, quandoquidem, vt ait Cassiodorus, *iura publica certissima sunt humanæ vitæ subsidia, infirmorum auxilia, potentum frena.* In legum quieto sinu beatus tranquillitatis publicæ status acquiescit. In eius tutela ipsa æquitas cæterarum domina virtutum moratur, atque inde operam suam subleuandis hominum calamitatibus repromittit. Itaque illa demum ciuitas rectè constituta esse censetur, quę optimis legibus tanquã fundamẽtis firmissimis stabilita in spem certissimæ salutis assurgit: quam rationẽ secutus Martianus I. C. ex Chrysippi disciplina docet legem esse reginam esse rerũ tum diuinarum tum humanarum, quod scilicet perfecte omnia disponat, & officiorũ certam rationem præstituat, qua rebus diuinis pietas constet, humana vero omnia benignitate temperentur. Quare illud dici potest rectè; quemadmodum concinna illa & ad omnem pulchritudinem composita corporis humani compages sine mente foret inanis, nec vllam sui vtilitatem præberet: ita mundum hunc vniuersum, quamuis tanta rerum diuersitate sit conspicuus, tam admirabili structura à summo rerum omnium parente sit factus, ne momento quidem vllo sine legum beneficio duraturum. Sed hæc aliquanto æquius de legibus animatis, id est de magistratibus dici possunt, quam de illis quæ scripto constant & anima carent, nam per eos valent leges & iudicia, vt propterea rectè dicant I. C. parum esse, vt iura sint in ciuitate, nisi constituantur qui ea regant & tueãtur; adeo per se lex ipsa quæ tabulis æneis vel marmoreis constat, aut inter publica tantum monumenta refertur, est imbecilla, nisi statutis salubribus veluti socia & comes adsit vis ac potestas magistratus. *Τί ὄφελος ἐστὶ τῶν νόμων εἰ μέχρι γραμμάτων εἶεν ἔτι, καὶ μὴ τὸ χρήσιμον διὰ τῶν πραγμάτων αὐτῶν καὶ τῶν ἔργων, τοῖς ἀρχομένοις παρέχοιεν*, vt rectè Iustinianus Imperator. Oportet igitur, vt quidam legibus manum porrigant, & earum assertores se præbeant, quo ea quæ certa ratione sancita sunt, ad amussim custodiantur, neue aliquid prætermittatur, in quo legum autoritas vel maiestas minuatur; nam quemadmodum lapilli pretiosi, quibus immensum pretium ipsa natura dedit, ad consummatam tamen perfectionem præstantis alicuius aurificis operam desiderant: Ita leges magnum quidem sui momento præbent splendorem, verum aliquanto clarius micant, vbi manus magistratuum eas ad effectum perducunt.

Lex nisi tutores habeat contra arma potentum,

Est quod araneolus sub trabe nectit opus.

Tutores illi sunt magistratus, qui vicaria principis opera & potestate omnia in re publ. moderantur. Per eos principes sibi à Deo mandatam iurisdictionem exercent, ac propterea vt qui ad statuas principum olim confugiebant, certissimum inde præsidium innocentiæ suæ consequebantur: Ita qui ad magistratum prouocat iniuriam passus, securitatis suæ tutissimum præsidium nancisci debet. Vnde etiam Archytas Tarentinus, auctore Aristotele in politicis, deorum aris iudices comparabat, quod ad illos quemadmodum ad numinum altaria soleant confugere, qui potentioris alicuius minaci fronte conterriti aduersus iniuriam suppetias quærunt. Quia igitur in partem honoris à principe deliguntur, vt illis potestatem suam communicet: ita sollicitudinis portionem aliquam ferre debent: Alioqui, quid profuerit, si temporalis tantum honoris fastigio nutabundi, quemadmodum dij illi quos ex opinionis errore extra sortem curamque rerum humanarum somniabat Epicurus, desides sedeant, & otiosos spectatores se præbeant publicæ calamitatis. Quænam esse debeant dotes magistratuum, in politicis satis eleganter perstrinxit Aristoteles. *τρία χρὴ ἔχειν τοὺς μέλλοντας ἄρχειν τὰς κυρίας ἀρχάς. πρῶτον μὲν φιλίαν πρὸς τὴν καθεστῶσαν πολιτείαν, ἔπειτα δύναμιν μεγίστην τῶν ἔργων τῆς ἀρχῆς, τρίτον δὲ ἀρετὴν καὶ δικαιοσύνην.* Non scilicet ad honores reipubl. quilibet admittendi, sed quos commendauerit vitæ integritas, & earum rerum scientia, quas ad munus suum strenue obeundum cognouisse expediat, & impēsior animus studiumque erga ipsam rempub. cuius magis vtilitatem ob oculos habeant, quam res suas priuatas, quarum ratio plerumque officit publicis consiliis. Sed illud vel maximopere requiritur, vt procul à reipubl. dignitatibus contentionis & ambitionis studium absit; vnde & illud à Platone constitutum est, minimè rationi & moribus probis esse consentaneum, vt quis sponte ad magistratum accedat. *κινδυνεύει τὸ ἑκόντα ἐπὶ τὸ ἄρχειν ἰέναι ἀλλὰ μὴ ἀνάγκην, αἰσχρὸν νενομίσθαι.* Quod etiam ex eodem refert Themistius, *τότε ἀσπαστὰς ἔσεσθαι τὰς ἀρχάς, ὅταν ἄρχωσιν οἱ πρέποντες μὲν τῷ ἄρχειν, ἥκιστα δὲ προθυμούμενοι.* Certè vtcumque animus eius omni labe careat, qui dignitates ambit, ac omnem operam impēdere sit paratus, quô recte & syncere creditam sibi reipubl. curam agere velit: tamen habet nescio quid minus decorum, minus verecundiæ conueniēs, venditare industriam suam, & se obtrudere negotiosæ administrationi, sub cuius onere sit concidendum plerumque, cuius nullum emolumentum ad se pertinere sentiat. Ideo recte D. Augustinus: *Locus superior, si administretur vt decet, indecenter tamen appetitur.* Et vero cum ciuilis ratio eius desiderium improbet, qui in rebus priuatorum procurationem sibi adserit & operas suas ingerit: si eum vt suspectum à tutela remouet, qui vltro tutelam adfectat, quasi occasione data sit grassaturus in rebus pupillaribus: vix est, vt æquis auribus ille audiatur, qui de se multa pollicetur, qui dotes animi suas ob-

tendit, qui virtutes ad calculum suas enumerat, qui etiam egregia maiorum facinora suis minus fretus repetit, quo superiorem teneat in repub. locum. Hoc efficit, vt non minus seruari debeat in conferendis reipub. honoribus, quam in tribuẽdis Ecclesiæ dignitatibus, quod constituunt Imperat. Leo & Anthemius. *Non pretio, non precibus ordinetur antistes: tantum ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat: Sola illi suffragetur necessitas excusandi: profecto indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus.* Non dissimiliter quicumque munere magistratus probe fungi debet, & inuito & reclamanti insignia suę dignitatis data esse oportet, & ius imperij concessumq; renuenti. Vnde illud axioma vere nobile Imperatoris Alexandri Seueri Lampridio teste, *inuitos non ambientes in rempubl. collocandos.* Quare ipse etiam præfectum prætorio vnum fecit, qui ne fieret fugerat. Non ab optimi Imperatoris sententia dissensère Imperat. Valentinianus & Martianus qui in nouella. nem. exhib. de prou. ad com. palam profitentur, fœlicem fore rempubl. si à nolentibus & actus publicos repulsantibus administretur. *Gloria*, inquit D. Hieronymus, *virtutem quasi vmbra sequitur, & appetitores sui deserens, appetit contemptores.* Igitur magistratus, quorum administratione honores maxime constant, detrectantibus tribui decet, & otium atque tranquillitatem sequentibus, vt qui maxime placido sunt animo quietem negotiis publicis tribuãt. Inde Aristoteles in politicis, dum de Lycurgo & Lacedæmoniorum republica disserit, Spartæ institutam ab eo legislatore honorum petitionem improbat, quasi hac ratione emptis suffragiis immerentes dignitatibus præficerentur, vel eblandito & emendicato comitiorum fauore & gratia, digni easdem minus honeste adipiscerentur, ad quos vltro deferri deberent. Plato quoque in libris de republ. eos non tantum irridet, sed etiam grauissime reprehendit, qui de honore vt de vmbra stultissime dimicant, turbasque cient & tumultus de Imperio & principatu, vt de ingenti bono. Huic rationi congruens est, vt cum nonnisi summa animi contẽtione, & pertinacis instantiæ sollicita & anxia sagacitate ad reipubl. dignitates peruenitur, vix sit vllus virtuti in his administrandis locus, cui plerumque magis studio est vmbra & tranquillitas, vt interdum ab otio reuocata ad negotium indignetur sibi eripi secum morandi suauem illam iucundamque facultatem.

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque latè
Fortunæ secura nitet, nec plausibus vllis
Erigitur, plausu-ve petit clarescere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Diuitiis animosa suis:

Ambitiosa tribunalium fastigia non requirit, purpurantis non ambit togæ fulgorem, non apparitorum cum fascibus, non lictorum cum securibus antecedentes turmas, non clientum assequentes turbas, non

frequens ministrorum satellitium, sola ad amplitudinem suam obtinendam satis patens, ad vindicandam autoritatem suam satis potens. Si vero magistratum petere est à ratione alienum, multo magis improbum est eius desiderium, qui gratiæ & fauori quam ambit ad honores consequendos largitionis sordes adijcit, & inde tot proditæ leges de ambitu, ne liceret pecunia suffragiorum libertatem corrumpere. At malorum omnium probatur extremum, si quis non modo clandestino & occulto mercimonio sibi ad dignitates ascensum paret, sed palam & publice, pro-vt constiterit licitationis calor, certo & constituto pretio eosdem gerat & administret: tum etenim fit via sceleribus patens & aperta, dum id quod per se iniurium est & iniquum, publicæ autoritatis obtentu se defendit. Hinc fit scilicet, vt qui lege permittente de honoris emptione pactus est, sibi licere existimet qualicumque ratione suum reciperē, & cum pecuniæ prænumeratæ vsuris grauissimis aliquid propter impensam & nauatam reipub. operam ex ciuium facultatibus corradere. Ad quam sententiam illud Saluiani pertinet. *Nulla maior pauperculorum est depopulatio quam potestas, ad hoc enim emitur honor à paucis, vt cunctorum vastatione soluatur: Quo quid esse indignius quid inquius potest. Reddunt miseri dignitatum pretia, quæ non emunt: Commercium nesciunt, solutionem sciunt.* Illa demum ratione efficitur, vt iustitia quam alienam vtilitatem respicere dicunt Philosophi, non ciuium commodo sed eorum qui honores gerunt vtilitate æstimetur, & quod ipsa aliis debet obsequium, sibi præbeat. Sed & illud tradit Aristoteles notatu dignissimum lib. 2. politic. ideo in repub. bene instituta non committendum, vt magistratus vendantur, quod ea ratione fiat, vt qui debetur virtuti honos, totus diuitiis tribuatur: Nullam vero rempub. posse consistere, vbi non virtus magno æstimetur, & omnem vincat diuitiarum splendorem: Ideoque Carthaginensium rempub. & Phaleam qui apud eos leges tulit hoc nomine condemnat, quod magnos magistratus in commercio esse permisisset. φαῦλον τὸ τὰς μεγίστας ὠνητὰς εἶναι τῶν ἀρχῶν τήν τε βασιλείαν καὶ τὴν στρατηγίαν, ἔντιμον γὰρ ὁ νόμος οὗτος ποιεῖ τὸν πλοῦτον μᾶλλον τῆς ἀρετῆς, καὶ τὴν πόλιν ὅλην φιλοχρήματον. Tum demum ciues incenduntur diuitiarum cumulandarum studio, omnem vim, omne decus in his constituunt, dum ex eis solum & vnicum ad honores adipiscendos subsidium habere se credunt. Quod autem maior & potior reipub. pars honore dignum arbitrata sit, eidem sententiæ & opinioni statim acquiescere & consentire alios necesse est, ac propterea nullibi virtuti locum patere, dum diuitiis incumbunt omnes. Virtute autem longius amandata, quî potest constare vllius reipubl. status? Ipsa Aristotelis verba retulisse & expendisse profuerit. ἃ ὑπολάβῃ τίμιον εἶναι τὸ κύριον, ἀνάγκη καὶ τὴν τῶν ἄλλων πολιτῶν δόξαν ἀκολουθεῖν τούτοις: ὅπου δὲ μὴ μάλιστα ἀρετὴ τιμᾶται, ταύτην οὐκ οἷόν τε εἶναι βεβαίως ἀριστοκρατικὴν πολιτείαν. Idem etiam lib. 5. manifestius docet inde ruinam rerum publicarum summis fastigiis imminere. Γίνονται καὶ ἀπὸ

συμπτώματος μεταβολαί, καὶ τῆς [illegible] πολιτείας καὶ τῶν ὀλιγαρχιῶν, ἐν ὅσοις ἀπὸ τιμήματος βουλεύουσι, καὶ δικάζουσι, καὶ τὰς ἄλλας ἀρχὰς ἄρχουσι. Verum eſt virtutem ſua felicitate contentam externa bona non requirere, niſi quatenus ad vitam tuendam neceſſaria ſunt: Vnde etiam illud axioma ſtoicæ diſciplinæ, *ὅτι ἀρετὴ αὐτάρκης πρὸς εὐδαιμονίαν*: Vt videatur vera virtus facilius recuſatura oblatos honores, quam non delatos petitura. Sed ne, dum malis hominibus reipub. habenæ regendæ permittuntur, omnia ſuſque deque eant: Eos qui virtute ſunt præſtantiſſimi, ad eam adminiſtrandam vocari ipſius reipub. intereſt: Cum & prope virtus eſſet inutilis, ſi nullum ſui documentum in ipſis rerum argumentis præſtaret. Deinde cum vis eius omnis in actione ſita ſit, ſi deſit materiæ occaſio, ſi nulla ratione poſſit emergere, eius relicto tramite quiſque ad diuitias iter parabit, aut ſaltem diffidentes quædam veluti ſubiret inertiæ dulcedo. Non in omnibus perfecta virtus contingit: Excitandus eſt itaque in aliquibus animi vigor ſpe aliqua commodi ſplendidioris propoſita, nam ſemel honorata virtute alij ad honeſta conſilia capeſſenda animum præparant.

Ipſe decor recti, facti ſi præmia tollas,
Non mouet, & gratis pœnitet eſſe probum.

Illud in cauſa eſt, quod plerique minus conſtantiâ valentes, dum ad extremam vſque ſenectutem deuenerunt, poſt multos exantlatos labores, ad extremum impenſos ſtudiis inutiliter annos, & nauatam incaſſum excolendo ingenio operam, virtuti ipſi prope immerenti exprobrant hac querela propoſita, qua eam Brutus inſimulabat quaſi fortunæ fœdiſſime ancillantem:

Ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθ', ἐγὼ δέ σε
Ὡς ἔργον ἤσκουν, σὺ δ' ἐδούλευες τύχῃ.

Non eſt illud committendum vt magnus animus tantum fortunæ tribuat aut imperium aut iuriſdictionem: nam è contra virtuti omnia in fortunam licent, & magno ſpiritu parere renuenti non diſſoluenda vincula iniicit ad ludibrium, glorioſo triumpho non admodum tumens, magis vires ſuas oſtendit quam poteſtatis ſuæ vires illâ victoriâ extollit, vt vel ſit poſt trophæum modeſta, gloriæ ſuæ verecunde lætum adijciens vultum. Quicumque igitur alicuius præſtantis animi magnitudine præditus eſt, facile inſuper habebit ambitum omnem, & celſa dignitatum tribunalia, nec minus tamen magiſtratibus quoſcumque ſors dederit morigerum ſe præbebit, eoſque reuerebitur, quia in eo omnis reipubl. ſalus conſiſtit, ſi omnes magiſtratui pareant & obſequantur, niſi vbi honeſtatis & officij ratio repugnet. Verum quia iuris ciuilis & omnis bene fundatæ reipubl. regulis monemur, bonos non ſolum pœnarum metu, ſed etiam præmiorum exhortatione bonos fieri, ideo ſpe honorum capeſſendorum & magiſtratuum gerendorum cuiuſque virtutem inſtigari & ſtimulari decet, maximè cum euileſcat hæc

ſancta

ſancta poteſtas ſolis diuitiis quæſita, & hinc fiat, vt populus minus ſit magiſtratibus obſequẽs, reuerentiamque illis nonniſi coactè exhibeat, cum ſciat eum qui dignitate fungitur, non ſuis meritis & virtutibus illam accepto ferre, ſed codicillos habere pretio emptos. Vnde ſolent viliſſima quæque mancipia etiam ſibi gratulari, quaſi poſſint gerere magiſtratum, ſi habeant quod numerent. Qua in re etiam magnorum virorum, quorum plerique in dignitatibus ſunt, fama periclitatur, quaſi non eorum virtuti muneris publici adminiſtratio debeatur, quia illam nummis comparauerunt. Et certè vix eſt, vt inſolentioris ambitionis ſuſpicione vacet, qui operoſam & negotij plenam dignitatem tanto pretio, quo nunc conſtat, licitatur, ex qua integro bene viuendi deſiderio nullum emolumentum, aut certe modicum ad ſe reſpicere ſentiat. Hoc itaque efficitur vt admodum noceat reipubl. promercij loco eſſe reipubl. honores & ſummos magiſtratus: quam rationem ſecutus Saluſtius recenſitis vitiis omnibus, quæ male rempubl. peſſumdabant, illud ſubinde adijcit: *Verum hæc & omnia mala pariter cum honore pecuniæ deſinent, ſi neque magiſtratus neque alia vulgo capienda venalia erunt.* Tranſlato in principes imperio, apud eos illud ſumma religione fuit obſeruatum, vt præſides prouinciarum & cæteri qui populo ius dicerent, ſola meritorum dote non etiam aulici alicuius emendicato fauore aut pecuniæ erogatione intercedente eligerentur. Vt ſuperiorum Imperatorum ea de re ſententia omittatur, illa vox eſt ſolennis, & nota omnibus Imperatoris Alexandri Seueri. *Neceſſe eſt vt qui emit vendat; ego non patiar mercatores poteſtatum, quos ſi patiar damnare non poſſim; erubeſco eum punire hominem qui emit & vendit.* Non ſatis habuit pretium amouere, amouit & gratiam: nam referente Lampridio, *Præſides proconſules & legatos numquam fecit ad beneficium, ſed ad iudicium vel ſuum vel ſenatus.* Quin & vbi voluiſſet magiſtratus vel præpoſitos facere, rectores prouinciis dare, procuratores id eſt rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, vt ſi quis quid haberet criminis, quo ipſi poſſent inſimulari, id probaretur rebus manifeſtis: Illud ſubinde adijciens, quod & relatum ſupra, graue eſſe cum id Chriſtiani & Iudæi facerent in Sacerdotibus qui ordinandi eſſent, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita. Sic nec ſenatorem ſine omnium ſenatorum qui aderant conſilio fecit; ita vt per ſententias omnium crearetur, teſtimonia dicerẽt ſummi viri, ac ſi feſelliſſent, vel teſtes vel hi qui ſententias dixerant, poſtea in vltimum reijcerentur locum, ciuium condemnatione adhibita quaſi falſi rei approbati ſine vllius indulgentiæ propoſito. Idem quoque iudicium fuit Conſtanti Imperat. qui noluit auctione publica magiſtratus publicos vendi, quod tradit nominatim Themiſtius orator & Philoſophus orat. 17. *οὐ πρόκειται νῦν ἀρχῶν ἀγορὰ, οὐδὲ προκηρύττονται αἱ τῶν ἐθνῶν ἐπιτροπίαι, ὥσπερ τὰ ὤνια: ἀλλὰ τὸ ἀρχαῖον τίμημα ἐπανελήλυθε δικαιοσύνη καὶ ἐμπειρία.* Hoc etiam nomine

Claudianus Imperatorem Honorium laudat, quod improbam eiusmodi honorum negotiationem improbaret.

Trudis auaritiam, cuius sæuissima nutrix
Ambitio, quæ vestibulis, foribusque potentum
Excubat, & pretiis commercia poscit honorum.

Quamquam verum est aliquando temporibus ipsius Honorij & Theodosij quasi in summa fisci inopia honores pretio addictos; illa lege tamen, vt quis propria pecunia eos emeret, non etiam vt liceret in eam rem mutuam pecuniam accipere, constitutâ pœna exilij aduersus argentarios siue collectarios, qui dignitatis pretium ambienti iudici darent, ad quod pertinet lex pen. C. si certum pet. quam illustrat locus insignis Synesij epist. 70. & 73. φῦν τ̃ νόμων τ̃ συναδικηθέντων, παρ' ὃς ἄρχουσιν ἑαυτῶν, παρ' ὃς ἐπ' ἀρχῇ δανείζουσι χρήματα. Sed ipse Theodosius & Valentinianus post excessum ipsius Honorij, rursus id districtissime vetuerūt, & sanxerunt, vt ad honoris insignia non ambitione vel pretio, sed probatæ vitæ testimonio vnusquisque promoueretur: quod docet l. fin. C. ad l. Iul. repet. Vnde etiam idem Valentinianus Imperator, & cum eo Martianus in nou. neminem exhib. de prou. ad comit. gloriantur se venalem iudicum ambitum amputasse, & ad res publicas syncerissime gubernandas, homines spectandos atque consultos traxisse inuitos. Et vt appareat proximum esse scelus altaria Ecclesiæ nummario pretio addicere, & honores reipubl. vendere, Gratianus ea parte decreti vbi Ecclesiæ constitutiones simoniacam prauitatem & hæresim perstringentes refert, dictam quoque legem Imper. Theodosij & Valentiniani eodem tenore recenset. Iustiniano Imperatori idem fuit quod aliis optimis principibus iudicium, nam vbi stabiliendæ reipubl. consilium cœpit, id vnum esse maxime conducibile ratus est, vt sine vllo suffragio vlla-ve largitione iudices & magistratus ad iustitiæ tribunal accederēt: Illô compertô quod inde malorum omnium seges, propagatio vitiorum, prouincialium paupertas, dispendium fisci, rerum omnium perturbatio sequeretur. Itaque non solum vetuit ne magistratus auctione publica addicerentur, sed vnumquemque iudicum iuramenti religione constringi voluit, propositâ ipsius iurisiurandi formulâ, qua se omnibus diris deuoueret, omnem Dei iram in se prouocaret, portionem cum Iuda traditore, lepram Giesi, tremorem Cain sibi imprecaretur, si quidquam pecuniæ honoris adipiscendi causa aut præstitisset, aut pollicitus foret. Non satis fuit Imperatores ea de re tot edicta promulgasse: etiā Zoës Imperatricis constitutio extitit, περὶ τοῦ ἀπρατήτως τὰς ἀρχὰς γίνεσθαι. Certè Principum nostrorum innumeræ constitutiones ad idem pertinentes extitêre: & mirum est illud tamen, vt ita hominum ambitio aduersus omnem disciplinam sit contumax, vt nequiuerit adhuc hæc regni pernicies procul amandari. Credendum est hoc fieri vitio humanæ malignitatis, vt simus in deteriora non modo procliues sed etiam præ-

cipites. Si quid inducitur contra vtilitatem publicam alicuius humanæ necessitatis obtentu, id non modo vim suam obtinet dum ratio aliqua temporis id desideat, sed etiam, vbi præteruolauit illa quæ obtendebatur necessitas, durat: si quid vero è re populi constituitur id statim aut neglectum contemnitur, aut in desuetudinem abit. Ecce quo tempore constitutum ne codicilli dignitatum venales essent, magis exarsit ardor ambitionis & calor licitantium: & extitêre qui paternos auitosque reditus alienauerint, & gemmas vxoris vltro etiam addixerint aut saltem pignori supposuerint, quo magistratu fungerentur. Rectè ille qui scripsit icôna animorum (quamuis amara dicacitate in eo gentem nostram perstringat) id perpendit, nullibi efficacius videri magnitudinem Gallorum, quam in ambitu magistratuum: vt mercaturam gentibus aliis honestam dedignentur, & ipsis sit decorum exhaurire familias, nomina facere, rem fidemque consumere, dum inter æquales emineant sterili quadam dignitate. Hoc modo, vt idem ait, dum ad emendæ præfecturæ ambitum nummorum pugna initur; sæpissime ij vincunt, qui vt sanguine, sic & indole & ingenio cedunt. Iam itaque vt verbis Ciceronis ad Atticum scribentis vti liceat, *ἐξοχὴ nulla est, pecunia omnium dignitatem exæquat.* Sed adijci illud potest ipsam Themidem iam modestiæ & pudoris oblitam, in aliena iura inuadere: quod cum Thetis apud Homerum ἀργυρόπεζα dicatur, ipsa nominis vicinitate in consilium fraudis translatâ, id sibi tribuerit vt argenteos pedes suos esse velit, quo delicatius incedat. Eô factum scilicet, vt plerique patefactâ sibi per pecuniæ sordes ad honotes viâ insolentius se supra alios extollant, quasi illum locum mereantur cui incubant: & iam fere fit, vt de quibusdam infimæ conditionis hominibus ad subsellia magistratuum ea ratione elatis, quid simile dici possit, quod de iudicibus Atheniensibus ludens procaci carmine tradit Aristophanes,

> *Τί μὲ εὔδαιμον γ' ἢ καὶ μακαριστὸν νῦν ἔτι δικαστοῦ,*
> *Ἢ τρυφερώτερον, ἢ δεινότερον ζῶον.*

Patum fuisset ad honores pecuniæ subsidio peruenire, nisi insania eos honores ambientium pretia dignitatum in immensum extulisset, vt fere eadem quantitate pecuniæ prouinciæ alicuius præfectura nunc ematur, qua solebât olim ipsæ Imperij Romani infulæ à militibus redimi. Quid inde sequitur, nisi vt hi, quibus sua tanto cōstat dignitas, occultis cuniculis id agant, vt impensum honoti comparando diuitiarum cumulum reparent, & maximo ptiuatorum damno resarciant. Qui prædonum more in fortunas ciuium grassari desiderant, collatis symbolis vnum & plerumque deteriorem ex sinu suo alicui dignitati preficiunt, cuius fulti autoritate omnia rapiant, & ad libitum popularium bonis perinde ac suis, aut etiam improbius abutantur. Ea mala in vrbe regia, vbi & regis sacra maiestas, & amplissimi senatus autoritas splendidius elucet, fortasse deuitate licuerit: verum in his tegionibus quæ aliquantum ab hac

N ij

luce recesserunt, immane est quantæ strages iuris obtentu edantur, & quanta flagitia fiant ab his, qui impunitatis fiduciâ quidlibet nefandum audent, & veluti tæterrimæ belluæ acuunt dentes in cuiusque fortunas. Quin & hanc suis sceleribus excusationem obtendere solent, quod ne minimam quidem pecuniæ partem corradant, quam erogarunt vt honoris sui codicillos adipiscerentur. Interim domuum antiquarum splendor euilescit, & iam primogenito, pro præcipui iure & integro patrimonio, cedit inanis honoris adulterinus fulgor, vnde nulla spes honesta tuendæ familiæ suæ, nulli prouentus probè retinẽdæ dignitati suæ pares. An propterea improbandum, quod annuis præstationibus vnicuique suum à principe confirmatur officium, quod nequaquam dici potest, & si factum per id dicant plerique, vt pretium dignitatum eô caritatis peruenerit. Fuerit illud magis non solum incommodum, sed etiam iniquum, rectè & syncere officio suo perfunctos senes venerabiles, dum magis spei publicæ & domus vtilitati prouidere deberent, tunc summis angustiis premi, vt vel magistratu suo decedant illo tempore, quo illud probe administrare didicerint, vel summo familiæ suæ detrimento quotidie periculum subeant amittendi patrimonij, id est dignitatis suæ, quo interdum totum patrimonium, sæpius maior pars bonorum constat. Annon lugubre illud est, quod tamen sæpissime accidit, vt cara coniux, pij filij, illa mariti dulci consuetudine, illi iucundo patris solatio orbati, adiiciant iacturæ suæ ingens patrimonij damnum, vt cum ex publico expectare deberent dolori suo & ægritudini leuamentum, ibi aduentitiis infortuniis, & præter mortalitatis & humanæ conditionis sortem arcessitis calamitatibus opprimantur. Quid possit esse indignius, quam pro impenso in publicam vtilitatem labore, post canæ senectutis ingenuas vigilias, post adiũctas domesticis curis alienas molestias, vbi quieti & tranquillitati animi vacandum esset, tum magis anxietate vexari & distineri cogitationibus acerbis. Quis existimauerit illos, quorum animus huiusmodi curis angitur, sicubi fatum humanæ sortis eos adoriatur, ex hoc sæculo securè transire, & m[illegible]os conscientiæ penates componere rectè posse. Non modo facultatum in priuatis familiabus ea damna fuerunt, sed etiam ipsarum animarum. Quid in hoc ancipiti biuio constitui possit vix dum constat, sitne melius honores gladij ceterasque dignitates remedio annuæ præstationis in patrimonij speciem transire, & perinde in hæredes transmitti ac res alia quælibet promiscui inter homines commercij, an res tota pristinæ formæ restituatur: adeo vbique grauia incommoda contumacius sese inquirentibus obijciunt. Inclinantis ad scelera sæculi pertinax furor eo perplexitatis omnia redigit, vt facile modestissimus quisque illud Plinij secundi vsurpet: *Quo te vertas, quæ remedia conquiras, vbique vitia remedijs fortiora.* Certè illa omnium querela est graue esse, vt priuatorum vnusquisque suo iudicio quæsitum habeat famulitium, principi vero

id denegetur in deligendis ministris suis, id est magistratibus regiæ sollicitudinis sociis. Imo quod est omnium indignissimum, nullius vrbis aut prouinciæ moderamina alicui credere princeps potest, non ipse eas ingredi, quin iam cum illo subditi paciscantur. Etiam optimi censentur illi qui pecunia accepta decedunt. Sed quia iniuriosum esse quemquam suo sæculo Plinius senior vetat, & legum ciuilium autoritas eum qui principis sæculum criminatur, & temporum quibus imperat est obtrectator, ipsi prope principi maledicere docet: magis vnusquisque meliori sæculo seruatum se autumare debet, vt bene agendo bene etiam ominari debeat: exemplo illius Varronis qui accisis attritisque ac prope comploratis cannensi clade reipubl. rebus non dubitauit tamen de fortuna Romanæ vrbis bene sperare, ac propterea etiam à cunctis ordinibus illi gratiæ actæ, etiamsi tanta calamitas eius culpa contigisset. Vbi humana ratio despondet auxilium, & rerum in melius stabiliendarum denegare videtur occasionem, ibi diuina prouidentia præsto est, vt discant populi, discant ipsi populorum moderatores & arbitri, magna imperia, non caducâ hominum industriâ contineri, sed Dei solius benignitate constitui, & constituta, vbi ad prauum deflexêre, in melius reformari. Nobilitata est illa Euripidis sententia etiam ab eo propter sui dignitatem in suis tragœdiis bis ter-ve repetita.

Πολλαὶ μορφαὶ τῶν δαιμονίων,
Πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί,
Καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη,
Τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός.

Igitur spes optima quemque tenere debet eum Franciæ rebus regem adesse, qui tanquam exorientis solis iubar omnia fulgore suo lustret & compleat, & vt est in deum vnice pius, erga veram & orthodoxam religionem zelo perfectæ caritatis accensus, ita facile Dei benignitas illud in eum conferet beneficium, vt iustitiæ nebulas dispellat omnes, sudum serenumque vbique inducat, & illas quibus ægre populus premitur, angustias alleuet, quæque prioris æui necessitas, & iniuria temporum, quæ infestissima ingruêrunt, ferre non potuit, ad optatum exitum perducat. Id facile consequetur, si eos honoribus præficiat, qui nihil ex ministerio suo præter laudem gloriamque immortalem bene & ex syncera fide administrati officij vindicent, quos penitùs publici cura tangat, quos obsequium fidesque maiestati regiæ permoueat, qui in omne argumentum modestiæ, continentiæ, probitatis, fingant mores; qui denique ipsi dignitati honorem potius conferant, quam ex ea ad se trahant. Regalis fastigij prope est vnum decus, vt initio dictum est, pro- vt ratio publicæ vtilitatis vocat, merita & ingenium cuiusque æstimare, & singulas singulis ex variis animorum figuris reipub. partes committere, ad quas administrandas illos ipse naturæ genius extulerit. Pietatis & iustitiæ fulturâ magnæ imperia sustinentur: Vtriusque exercitionem

vendi impium est, iisdem regulis vtraque continetur; tam contra iustitiam est eius antistites pretio creari, quam est contra pietatem Dei sacerdotes pecunia cōstitui. Rectè illud doctissimus Sauaro in libello de iure annui, quem tempore comitiorum parisiensium principi nostro obtulit, parum è re & dignitate regni esse, si annua præstatio tolleretur, nisi abrogaretur ipsa honorum emptio, & virtuti restitueretur quod dudum pecunia & ambitio ipsi rapuerunt. Exemplum etiam profert D. Ludouici qui id præstitit ad gubernacula ipsius reipub. admotus. Vtcumque verum sit id quam difficillimè posse præstari: Tamen fortasse scrupulosius inquirenti non deesset ratio, qua id minimo priuatorum detrimento fieri posset, sublatâ primum iudicum maiore parte, quorum stipendiis fiscus oneratur, populus opprimitur, qui plures sunt quam lites iudicandæ, & otio vacantes inter se maximas contentiones suscipiunt, οὐχ ὅπως τι πράξωσι τοὺς ὑπηκόους τῶν ἀγαθῶν, ἀλλ᾽ ὅπως πλεῖον αὐτοὺς ἐπιτρίψωσι, vt Iustinianus ait ad hanc ipsam sententiam in N. 24. Multa impedita naturâ, consilio expediuntur: Et quæ omni spe maiora videbantur, ea plerumque audendo, tractandoque ipsa fiducia ad exitum perduxit.

De furtis magistratuum coërcendis.

CAP. XVI.

VErissimum esse illud iuris ciuilis axioma & vsus comprobat, & vulgaris sermo testatur, atque omnis etiam ratio euincit, pessimum scilicet esse receptatorum genus, sine quibus nec fures nec latrones diu latere possunt, vt ipsis etiam sublatis grassantium libido conquiescat. Inter eos autem nemo est qui dubitet, deteriores illos esse qui cum & latronibus, & latronum susceptoribus coërcendis præpositi sint, cum vtrisque tamen in portionem prædæ veniunt. Illi sunt magistratus qui obuenientis sibi lucri occasione, non solum homines sceleratos pœnæ non subijciunt, sed vltro ad delinquendum prouocant. Certissimum autem ibi omnem delinquendi esse potestatem, vbi sit venalis magistratuum sententia. *Quid timeat reus, cum viderit crimen in fascibus constitutum: Sola malis illa tormenta sunt, si publica vota moribus suis sentiant esse contraria.* Scilicet tum pessimus quisque sibi persuadet leges facilè à se contemni posse, dum custodes earum auaritiâ & pecuniæ cupiditate distineri senserit. *Nullam reus pertimescit culpam*, inquit Isidorus, *quam redimere nummis existimat.* A sermone instituto non fuerit alienum audire imperatorem Iustinianum, dum ea mala recenset, quæ solent eam rempub. inuadere, vbi pecuniæ beneficio ad magnos honores, & maxime

prouinciarum administrationem peruenitur. *Τίς γὰρ ἂν ἀκινδύνως κλέπτοι, τίς γὰρ ἂν λῃστεύσειε ἀκίνδυνα, εἰς τὴν ἀρχὴν ἀποβλέπων, κακεῖνον ὁρῶν ἅπαντα χρυσίῳ πεπρακότα, καὶ θαρρῶν ὡς ὅπως πράξειεν ἄτοπον, τοῦτο χρήματα δοὺς ἐξωνήσοιτο. ἐντεῦθεν ἀνδροφονίαι, καὶ μοιχεῖαι, καὶ ἔφοδοι, καὶ πληγαί, καὶ ἁρπαγαὶ παρθένων, καὶ πανηγυρέων συγχύσεις, καὶ καταφρονήσεις τῶν τε νόμων καὶ τῶν ἀρχῶν, πάντων αὐτὰς ὠνίους προκεῖσθαι νομιζόντων, ὥσπερ τι τῶν εὐωνίων ἀνδραπόδων.* Frustra in vulgus iusta edicta fuerint emissa, incassum princeps optimus aliquid aut pium aut æquum sancierit: *Statutis salubribus*, inquiunt Imp. Theodos. & Valentinianus, *dissimulatione venalium iudicum negatur effectus.* Hinc factum Artaxerxis regis Persarum summopere laudandum, à quo cum Satibarsanes prouinciæ cuiusdam præfecturam simul ac ingentem pecuniæ summam petiisset, pecuniam quidem petenti indulsit, præfecturam vero non permisit, quod eius administrandæ capax non esset, imo etiam in vitia esset decliuior: Quod egregium facinus illo insigni dicto, vt Themistius refert, prosecutus est. *χρύσιον δοὺς γὰρ ἴσομαι πτωχότερος, κακῷ δὲ ἀρχὴν ἐπιτρέψας, ἀδικώτερος.* Iniquius Vespasianus imperator apud Suetonium, qui ex industria procuratorum suorum rapacissimum quemque ad ampliora officia promouere solitus erat, quô eos locupletiores factos mox condemnaret, applicatis fisco eorum bonis, vt etiam eiusmodi hominibus pro spongiis vti diceretur, quod quasi siccos madefaceret, & exprimeret humentes, id est inopes administrationi rerum publicarum admoueret, vt postea per iniuriam expriuatorum spoliis diuites factos ad fisci sui compendium bonis omnibus publicatis nocentes condemnaret. Numquam id princeps optimus committere debet, vt sciens patiatur ab eo munus aliquod in repub. geri, qui alicuius rapacitatis nomine sit suspectus. Et apprime illud placet quod tradit Constantinus Imperator in l. 2. C. Th. de accusat. & inscript. *si crimen*, inquit, *fuerit contra iudicem probatum, ipse me vindicabo de eo, qui ad hoc vsque tempus me simulata integritate deceperit.* Quibus illa conueniunt quæ idem Imp. edicit in l. 1. de offic. rect. prou. C. eodem. *Non sit venale iudicis velum, non ingressus redempti, non infame licitationibus secretarium, non visio ipsa præsidis cum pretio, æque aures iudicantis pauperrimis ac diuitibus referentur.* Præcipue omnium Imp. Alexander eiusmodi iudices auersabatur, ita vt ad solum eorum conspectum commoueretur, & toto vultu inardesceret. Per præconem etiam edicebat, ne quis ipsum salutaret, qui se furem esse nosset, ne aliquando detectus capitali supplicio adficeretur. Addebat etiam sententiam de furibus notam eum qui plura esset furatus, ac paucula magistratibus & suffragatoribus elargiretur, omnibus sententiis absolui: Quo nomine etiam græcum illud prouerbium sæpius in ore habebat,

Ὁ πολλὰ κλέψας ὀλίγα δοὺς ἐκφεύξεται.

Fit illud vt plurimum, vt dum magistratus in spem prædæ à latronibus vocantur, ad eorum rapinas furta latrocinia dissimulantes & conniuentes oculos ferant, vt plerumque locus sit veteri illi parœmiæ, quam

etiam Aristoteles refert in libris ad Eudemum.

Ἔγνω δὲ φὼρ τε φῶρα, καὶ λύκος λύκον.

Quis non videt latrunculatores quam plurimos eosque qui passim etiam in nouellis constitutionibus Iustiniani ἐξωυτάδαι λῃστοδιώκται & βιοκωλύται vocantur, cum ipsis zonarum sectoribus & dormitatoribus de quota pacisci, vt tum tantum aliquem pœnæ subijciant, cum eum in manifestissimo scelere deprehensum publicæ vindictæ eripere non queunt. Quam sæpe innocentes plerique publicum ius inuocant, quos ad potentioris alicuius gratiam redemptus iudicis calculus damnat. *Qui sedet crimina vindicaturus admittit, & vt reus innocens pereat fit nocens index.* Quam sæpe illæ in vulgus contra magistratus sparguntur querelę, eos pecunia corruptos ad voluntatem eius, qui maiora dederit, ius reddidisse, & causam eius cui æquitas suffragabatur prodidisse. Ad ipsos iudicum amannenses furtorum & rapinarum infamia peruenit, qui etiam fiunt interdum pararij & interpretes turpissimarum pactionum, quas ipsi magistratus inire aliquo sui pudore verentur. Sint ipsi magistratus à crimine repetundarum innocentes, certe aduersus eorum saccularios & scripturarios quotidianæ litigatorum querelæ circumsonant, magnam pecuniæ vim esse sibi extortam & expresam, hoc solum nomine, vt apud dominos suos maturent litis iudicium. Quod si pro hac leui opella tantum sibi commodum paciscuntur, quid facere eos credendum est, vbi de amicitia dominorum vel mentientes vel vera prædicantes ipsius litis victoriam audent polliceri, vt sæpius clanculum fieri dicitur. Quia iam in more est, vt causarum merita expendant, & carmen quod domini eorum dicturi sint componant, sibi etiam id præsumunt, vt propter litis instrumenta à se etiam negligentius examinata honorarium sibi deberi perinde ac ipsis iudicibus arbitrentur, atque etiam eo maiorem mercedem exigant, quo insolentior est eorum socordia & inscitia. Testis quorumdam eiusmodi amanuensium census immanis, qui cum ipsis fere dominorum suorum opibus certat, vt iusta cum indignatione plurium, ditiores sint domestici illi actorum scriptores, quam olim solebant ipsi magistratus. Quandoquidem eorum noxas illi dissimulant, qui maxime deberent disciplina domestica eos seuerius coërcere, & a sacris iustitiæ adytis omnem criminis labem amouere, æquius fuerit publicam vindictam aduersus eos exurgere, vt etiam potestas fieret vnicuique ea saltem, quæ per concussionem extorta essent, repetendi. Certe principis edicto, vel in singulis prouinciis supremarum curiarum decretis, huic rei mederi è re fuerit, vt magis intemerata synceritate, quam nunc assolet, ea quæ ad iustitiam pertinent, progrederentur: Nec iam sub iuris specie infame latrocinium exerceretur. Illud non potest non indignum videri, vbique ius esse venale, vbique pretio ingenti etiam iustas constare sententias, vt inde magnus prouentus speretur, emolumenta non mediocria obueniant, in eo etiam

species

species aliqua commercij constituatur, ita fit vt iustitia, quæ bonum alienum maxime spectat, in reditu sit ipsi qui munere iudicandi fungitur. *Nulla virtutum,* inquit D. Ambrosius in lib. de paradiso, *latiores videtur habere fructus, quam æquitas & iustitia, quæ magis aliis quam sibi prodest, & vtilitates suas negligit, communia emolumenta præponens.* Nihil magis iustitiæ conuenit, quam vt gratuitam præbeat vtilitatem, vt rectè illud dixerit D. Augustinus scribens ad Macedonianum, *non licere iudici vendere iustum iudicium, & si liceat aduocato vendere iustum patrocinium, & Iurisconsulto iustum consilium.* Iam vsu inualuit, vt patrimonij instar iuris dicendi potestas habeatur. At certe præstaret nihil iudices & magistratus accipere præterquam ex publico ærario principis: Et propterea vere illud dicebat Pescenninus niger, *iudicem nec dare debere, nec accipere:* Accipere scilicet à priuatis hominibus quibus ius redditur: Nam nulla ratio impedit quin debita vitæ subsidia possint accipere à principe, cuius vicem populo in discingendis eius controuersiis, & munere suo expediendo exercent.

De liberalitate, & magnificentia principum.

CAP. XVII.

OPtime superioribus succedet inspectio de liberalitate & munificentia: nam vix rectius beneficentiam princeps exhibuerit, quam si amota circa magistratus & honores publice distrahendos infami auctione, liberalem se exhibuerit vel gratis eos concedendo, vel salaria ipsis quæ de publico ferunt augendo, vt quod beneficium tulerint à principe iuris & æquitatis moderatore, illud in priuatos homines suæ iurisdictioni subiectos liberali præbitione operæ gratuitæ circa munus sibi impositũ administrandum rependant. Illud est Gregorij Pontificis non contemnendum in cap. 1. extr. de donat. nobilitatis illud esse præcipuum insigne, si larga manu vnumquemque beneficiis cumulet. *Hanc,* inquit, *nobilitas sibi legem imponit vt debere se, quod sponte tribuit, existimet, & nisi in beneficijs creuerit, nihil se præstitisse putet.* Hoc si verum est, vt nulla ratio contrarium potest euincere; illud quoque erit certissimum, principem nullo nomine magis commendari, quam liberalitate & munificentia. Quin eo magis se Deo, cuius viuam imaginem repræsentat, similem reddit, quo plures grati animi magnitudine donis ampliatos dimittit. Quod itaque Synesius in genere de beneficentia tradit, ad reges & supremos princeps pertinet maxime: *τὸ εὖ ποιεῖν τοῦτο μόνον ἔχουσι κοινὸν ἔργον ἄνθρωπος καὶ Θεός, ὃ δὲ μόνως οἰκείως ἔστι, καὶ συνάπτει πρὸς ὃ μιμεῖται τὸ μιμούμενον.* Manifestius etiam illud profitentur Imperat. Theodos. & Valentinianus. *Nulla professione virtutis* (inquiunt) *nullaque re alia potius homines Deo quam prona liberalitate iunguntur; nam cum beneficiorum fontibus*

genus amplificetur humanum, diuinam beneuolentiam nobis credimus obligari, vnde spes tota vicissitudinis expectetur. Illud etiam in regibus & summis quibusque principibus est spectandum maximè, quod quemadmodum eos supra sortem rerum humanarum Deus extulit, ita virtutibus quibusdam censentur, quæ in priuatos homines cadere non possunt. Inter has eminet maxime munificentia, quam μεγαλοπρέπειαν vocat Aristoteles: cum enim hæc virtus non solam animi ad beneficia conferenda propensionem requirat, sed etiam sumptum & munerum magnitudinem desideret: consequens est vt eorum tantum sit propria & peculiaris, quibus facultatum & diuitiarum amplitudinem fortuna concessit. Cuilibet promptum est & in procliui liberalem esse; magnificus vero esse non potest, nisi qui & multis & multa donare potest, & pollucibili & lauta pecuniarum largitione donis quam luculentissimis alienam abunde cumulat cupiditatem, vt miretur qui accipit se vltra votum beneficentiâ elatum. In eo scilicet propius Deum Principes imitantur, quod fortunæ arbitri quem voluerint etiam non expectantem supra cæteros possint extollere: & elatum alium è summo ad imum præcipitare, vt non incommode Polybius principes iis comparet, qui calculis rationes pecuniæ acceptæ aut datæ subducunt, & calculum vnum in summo collocant immensæ pecuniæ modum referentem, alium in imo abaci ponunt qui quadrantis aut denarij locum expleat. Sed quamquam ad vtrumque faciendum sit par principis potestas;

Ρεῖα μὲν γὰρ βριάει ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει,
Ρεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἀγήνορα κάρφει,

Tamen speciosius aliquanto vim suam experitur beneficiis afficiendo, vt propterea melioris notæ principes semper desiderauerint liberalitate commendari. Hæc est ratio cur Imperator ille, qui propter summam benignitatem habitus & dictus, deliciæ generis humani, cum super cœnam recordatus esset se nihil cuiquam præstitisse, memorabilem illam meritoque laudatam vocem emiserit: *Amici diem perdidi*, quam repetunt Imperat. Theodosius & Valentinianus in N. de patrimon. rei dom. & limitr. fundis ad or. pos. *Prope est*, inquiunt, *vt beneficium accepisse credamus, quoties offertur nobis causa præstandi, & diem periisse proculdubio suspicemur, quem nostri nominis munificentia non illustrat. Fruitur quippe conscientiâ largitatis, & benefaciendi prouinciâ, quæ cum Deo meritum hominis adplicitum inter Imperatorias primasque virtutes obtinet principatum.* Xenophon magnum illum Persicæ monarchiæ conditorem Cyrum ab ipsa pueritia admodum liberalem fuisse ait, & impensius delectatũ fuisse, si donis & muneribus sibi suorum fauorem & gratiam conciliaret, idemque tradit cæteros Persarum Reges, qui ipsum insecuti sunt, ad eius exemplum fuisse munificentissimos, vt maxime πολυδωρίᾳ oblectarentur. Verum quandoquidem Socrates Philosophiæ pater videns aliquem temere sua profundentem, & passim nulla facta personarum

electione omnibus opes suas elargientem, liberrima indignatione motus succensebat, quod quasi prodigeret verecundam gratiarum pudicitiam, & veluti meretricios mores edoceret: Ita sollicitè explorandum est, ne munificentiæ obtentu thesauros publicos princeps exhauriat, vt postea necesse fuerit ciues suos premere ingentibus tributis aut vectigalibus, atque ita inde iniuriarum occasio nascatur, vnde beneficia debent emanare. Non tam scilicet diuitiarum copiâ liberalitas constat, quam prudentia dispensandi. Imo etiam in perpetua egestate moratur princeps, qui modum impensarum & largitionis nescit. *Ambitio* (inquit Plinius in Panegyr. ad Traianum) *& iactantia, & effusio, & quiduis potius, quam liberalitas existimanda est, cui ratio non constat.* Et idem etiam ibidem Domitiano & aliis principibus omnia defuisse ait, cum multa raperent, quia immodicis expensis & muneribus erogandis temere pecunias publicas & suas impendebant: Traiano vero nihil defuisse qui multa largiebatur, & nihil auferebat omnia superfuisse, quia scilicet omnia sua beneficia moderatione temperabat. Et certè nemini illud dubium est, liberalitatem principis longe esse gratiorem, cum is qui eam meretur, scit sibi dari quod nulli est ereptum. Largitio, vt dicere solebat quidam ex veteribus, fundum non habet, id est qui indiscriminatim & quidlibet & cuilibet donat & cõcedit, pluribus multa demat & detrahat necesse est. Τὸ μεγάλα, καὶ ὡς ἔτυχε χαρίζεσθαι, οὐκ ἂν περιγένοιτο, εἰ μὴ ἐκ τοῦ ἁρπάζειν καὶ βιάζεσθαι, vt ait Herodianus. Pessimum itaque illud liberalitatis genus, quæ nec liberalitas sed potius inconsulta prodigentis animi largitio vocanda est, cum immensis & effusis donationibus in singulos magna pecuniarum vis erogatur, & beneficia beneficiis ad satietatẽ vsq; succedũt: Quo fit sæpissime vt recõditæ, & magnis bellorũ aliorumque tẽporum necessitatibus destinatæ opes temeraria profusione exhauriantur, & ad homines & bello & paci interdum inutiles languentis & suas miserias lugentis populi facultates transeant. Demum defectis reipubl. viribus, quæ maximè auri & argenti copia constant, priuatorũ patrimonia tentantur, vnde oriuntur clades innumeræ; vbi enim quisque iam de sua re periclitari existimat, non leuiter afficitur, & ad nouas res moliendas impellitur. Cætera quæ in publico peccantur facile omnes quasi ad se non pertinentia negligunt. Id scilicet apud Liuium Hannibal magnus administrandæ reipub. artifex non insubtili iudicio, vt erat sagacissimus, perpendebat. *Tantum*, inquit, *ex publicis malis sentimus, quantum ad priuatas res pertinet, nec in eis quicquam acrius quam pecuniæ damnum stimulat.* Hanc rationem secutus Aristoteles, dum de illis modis disputat, quibus vel sanctè regnorum summa fastigia splendorem suum & libramentum illæso statu retinent, vel in deterius prolabentia funditus euertuntur, mature summos principes sibi cauere debere constituit ab illis ingentibus donis, quæ erogant in personas reipub. inutiles, veluti alienigenas, mulieres

impudicas, artifices etiam, qui in res mortuas, id est inanes & leuidenses nihil in commune conferẽtes pręter inanem voluptatem, industriã suam impendunt: indignatur enim populus hos veluti fucos inertes in medio reipub. sedere, & spem laboremque tenuiorum impune vorare, & impudenter deprædari, vt de his etiam possit illud Hesiodi torqueri,

Ἀλλότριον κάματον σφέτερον ἐς γαστέρ' ἀμῶνται,

Et propterea eiusmodi personæ ἀλλοτριοφάγοι rectè dici possunt. Inter hos adulatores pessimum genus hominum connumerari quis dubitet, qui captantes occasionem principibus insidiandi sub amicorum falsa specie ingentia beneficia consequũtur, & eos postmodum ad summam perniciem deducunt. Illud adijciatur immensas illas largitiones, non ipsi modo principi vel populo obesse, sed nec ipsis qui his fruuntur esse vtiles. Quemadmodum enim arbores moderatæ aquæ irrigatione natiuum vigorem & ingenitam vim explicant; ingentibus vero illuuionibus suffocantur & obruuntur: Ita animus nimia habentiâ inflatus felicitate ipsa corrumpitur, & dum sortem suam in immensum excreuisse sentit, sui obliuiscitur, & in errores innumeros incidit, vt vel ipsis occurrat dicere, quod stulta illa Niobe apud Poëtam, dum etiam potiorem se deabus esse impudentius iactar,

Maior sum, quam cui possit fortuna nocere,
Multaque vt eripiat, multo mihi plura relinquet.

Tum iidem simulati amici largitorem & præbitorem suum prope fortunæ successibus æquantes, ei ipsi subesse se & moleste ferunr & indignantur, retribuendoque beneficio non amplius pares, ei demum ruinam & interitum machinantur, vr tum sint omnibus superiores. Id non obscure summus ille Historicus innuit: *Beneficia eo vsque læta sunt, dum videntur exolui posse: vbi multum anteuenere, pro gratia odium redditur.* Propterea plenæ sunt historiæ eorum exemplis, qui cum à principibus suis maximis beneficiis aucti essent, aduersus eosdem extitere perduelles, existimantes facile vnum à se vinci posse, qui iam cæteros superassent. Cautius itaque Philippus Rex Macedonum, non modo ex patris de filij securitate solliciti, sed etiam ex maximi principis & in rerum negotiorumque argumentis exercitati persona, Alexandrum filium monebat, vr ab his inconsulti animi largitionibus abstineret. *Quæ te fili ratio*, inquiebat, *in hanc inanem spem induxit, vt eos tibi fideles futuros existimares, quos pecunia ad amorem tui compulisset; à charitate illud præstatur.* Eo ranti principis iudicio illud comprobatur, quam abiecti animi & humilis sit, principi suo mercale obsequium, venalem operam, nundinaria arma præbere, quodque honori expensum ferre debet, & officio pietatis, id ad turpissimi lucri condictam æstimationem referri. Immensum vectigal est & fundus ampli reditus principis amicitia. Et rectè apud Xenophontem, cum Histaspes Cyri Regis Persarum fami-

liaris nobilis puellæ & admodum diuitis nuptias pauper ipse ambiret, & interrogaretur quas dotalis puellæ immēsis opibus cōditiones pares faceret, se vero magnis facultatibus niti respondit, & omnem fundorū prouentum superantes diuitias habere, Cyri scilicet ipsius cuius plurimum fauore fruebatur amicitiam. Sed nihil prius neque posterius, quam vt qui prospero fauore principum vtuntur, illum ad beneuolentiam & aliorum potius quam suam vtilitatem conferant, nec his vtantur tanquam pecuniarum & auaritiæ suæ administris. Vix est vt quis recusare debeat beneficia principis, & ea in re Paridis Homerici concilium probandum est, vt quod ille de deorum muneribus dicit non contemnendis idem obtineat in principum donis non spernendis.

Οὔτοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα.

Verum inhiare semper congerendis opibus, & non modo principis ærarium, sed ipsas etiam populi facultates inexplebili auaritiæ siti exhaurire, quid aliud est quam sanguinem ipsius reipubl. exugere, & febri suę ex omnium lugubri funere remedium quærere. Scilicet auaritiæ & ambitionis vitia longe infestissima sunt, quibus vix vlla ratio remedium adferre potest. Sic dum quis prospera valetudine vtitur, sitim potest vnius poculi haustu extinguere: At si aquæ intercutis morbo corpus laboret, aut grauioris febris ardore aut incēdio, traijciens per imas fauces oceanus vim morbi oppresserit potius, quam sanauerit. Ipse sol mundi oculus, vtcumque æterno & perpetuo motu agatur, tamen interdum sistit cursus suos: At nullum est ambientis, nullum ad cumulandas diuitias properantis animi solstitium. Qui semel ab animo votorum modestiam repulit, & cupiditatibus suis libera vela permansit, iam ad alterius mundi commemorationem quantumlibet ab hoc orbe longius semoti nouus Alexander ingemiscet, & ad indignationem composita grauitate, de siderū molestissima iniquitate queretur, quod illum sibi inuiderint fata. Quam est illud Plinij ad Traianum elegans cuius cum beneuolentia admotus esset ad aliquam reipub. partem verebatur etiam minutula beneficia pro amicis postulare qualia vel ius quiritium vel ius trium liberorum. *Quanto pleniorem*, inquit, *experior indulgentiam tuam, tanto modestius ea vti debeo.* Vtcumque leue & exiguum sit, quod à magno principe manat beneficium, magnô se extollit, & muneribus principum magnitudinem ipsæ personæ faciunt, & tantæ fortunę dignitas & culmen.

Acceptissima semper
Munera sunt, auctor quæ pretiosa facit.

Illud igitur manet certa ratione constitutum, modum liberalitati esse adhibendum, vt sui nominis dignitatem retineat, nec in prodigalitatem degener multis officiat, vt nemini prosit. Et vero nihil est magis à ratione alienum, quam id efficere, vt quod per se bonum rectumque est, diutius facere non contingat, id vero fit cum publicū ærarium

quod sufficere potest omnium necessitati, & perpetuæ principum beneficentiæ, cito effunditur immani aliqua profusione. Est igitur, vt principibus in tribuẽdis beneficiis cõstet hæc ratio, quæ veteri prouerbio est nobilitata, τῇ χειρὶ δεῖ σπείρειν ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ θυλάκῳ. Meminisse principes debent esse se tantum administratores & procuratores publicæ pecuniæ non dominos, aut certè dominij communionem habere cum ipsis rempub. Non illa vox seuerioris Philosophiæ nimis audacter iura principum minuentis, aut censorio supercilio potestatem sacrosanctam aliquo vinculo constringentis. Est optimi principis sententia, Pertinacis scilicet Imperatoris apud Herodianum. κτήματα βασιλικὰ οὐκ ἴδια βασιλεύοντος, ἀλλὰ κοινὰ καὶ δημόσια τῆς ῥωμαίων ἀρχῆς. Illud Galbæ Imperatori tribuit Tacitus, quod pecuniæ alienæ non appetens fuerit, suæ parcus, publicæ auarus. Laudabilis certe auaritia, qua princeps abstinet thesauris publicis, quod scit non modo belli, sed etiam & pacis esse munimenta. Sed speciosius aliquanto leges liberalitatis iustæ sanciet Alexander Seuerus. *Dies* (inquit Lampridius in eius vita) *numquam transit, quin aliquid mansuetum, ciuile, pium faceret: sed ita vt ærarium non euerteret.* Idem dispensatorem facultatum publicarum se vocare palam solebat, & propterea raro aurum aut argentum nisi militi dabat, dicens nefas esse, vt dispensator publicus in delectationes suas & suorum conuerteret id, quod prouinciales dedissent.

De tributis & vectigalibus.

Cap. XVIII.

Egregia scilicet illa laus, quam Theodosio imperatori tribuebat Themistius summus orator & philosophus, quod non eo conuerteret oculorum aciem, non illis curis distringeretur, vnde aurum aut argentum colligeret, sed quonam meliori modo sibi laudandarum actionum dotes augeret, & præclarorum facinorum thesauros assidua adiectione cumularet, quos nec vis hominum vlla diripere, nec adulatorum insidiæ possint deprædari. Videamus nihilominus, ne sit ex officio summi imperatoris & principis attentius dispicere, vnde sibi comparet facultates ad sustentandam rempub. si quæ occurant, vt solent in rebus humanis, pleræque difficultates. Primum enim certum est, non posse magna imperia, nisi ingentibus sumptibus statum integrum, & florentem retinere. Par est itaque tributa (quæ singulorum possessionibus indicuntur, aut personis ipsis vt solet more Francico) huic rei sufficere. Hinc illud Taciti iudicium, *neque quies gentium sine armis, neque arma sine sti-*

pendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt. Quam rationem ipse etiam Imp. Iustinianus secutus est N 149. quæ sermone latino circumfertur. *Impossibile est vt sacris tributis non illatis respub. conseruetur, militares namque copia assignato sibi salario inde percepto hostibus resistunt, & collatores à barbarorum incursionibus & truculentia vindicant.* Idem N.161. eò amplius docet, inde decorem omnem reipub. affulgere, magistratibus aliisque ordinibus annonas repræsentari, ipsas ciuitates murosque earum reparari. Οὐκ ἄλλως ἔνεστι τὸ πολίτευμα διασώζεσθαι, μὴ τῶν εὐσεβῶν εἰσφερομένων τελεσμάτων, ἐξ ὧν τὸ μὲν στρατιωτικὸν τρεφόμενον τοῖς πολεμίοις ἀνθίσταται, φρουρεῖ δὲ τούς τε ἀγροὺς καὶ τὰς πόλεις, ἀπολαύει τὰ λοιπὰ τάγματα τῶν ἀποτεμηθέντων αὐτοῖς, τείχη τε καὶ πόλεις ἐπανορθοῦνται, καὶ τὰ ἄλλα πάντα πράττεται, ὅσα βλέπει πρὸς τὸ κοινῇ συμφέρον τοῖς ὑπηκόοις. Commodissimum illud populis esset, si nullius vnquam functionis onus agnoscerent, aut certe tributo solenni semel imposito, nullo superindicto nullis extraordinariis muneribus premerentur. Ex maiestate principum esse videretur pleraque dare, nihil accipere. Verum quia virtus in duplici genere est, quæ circa pecunias versatur: Illa scilicet, perquam modeste erogantur quæ liberalitas vocatur, & alia perquam iusta commodorum compendia quæruntur, aut antiquum patrimonium conseruatur, quæ diligentia dici potest; ita vtraque inuicem sibi nexæ sunt, vt perpetuò sibi subsidio sint, neque vna possit disiungi ab alia. Id in summis principibus maxime comprobatur. qui (cum soli sustineant immensam reipub. magnitudinem, eamque armis tueantur, magistratibus vniuersis annonas erogent, fabricas nouas instituant, reparent veteres, vrbes muniant, easdem fossis & muris cingant, portus & imperij limites arcibus & castellis stabiliant, interdum etiam conficere exercitus necesse habeant, ad intestinos tumultus coërcendos, aut externam vim hostium repellendam) vt maioribus impendiis opus habent, ita eos oportet maiorem vim pecuniæ colligere vndiquaque, vt etiam occasione id ferente, è re ipsorum sit cum aliquo priuatorum damno vel veteres augere functiones, vel noua vectigalia instituere. Hinc satis constat, quam iniquè ingentium onerum ignoratione, quæ humeris principum incumbunt, populi ipsis soleant succensere, dum sentiunt se aut nouis portoriis aut vectigalibus onerari. Non tam facile est secreta interioris aulæ rimari, & recludere intima negotiorum, quæ principes in supremo consessu agunt: Occultis ea struuntur rationibus, quas cuilibet patefieri non solum esset incommodum, sed etiam periculosum. Si rationem rerum à se gestarum aut gerendarum reddere principes tenerentur, iam regum personam deponerent, soli enim Deo hoc obsequium debent: Deinde vis omnis imperij periret, atque fieret in dominatu seruitus, & in seruitute dominatus. Nec his obest, quod in politicis tradit Aristoteles, principem optimum eorum quæ è publico ceperit aut impenderit rationes reddere debere: Nam id non alia ratione dicitur quam vt doceat ita ab eo pecuniam publicam administran-

dam esse, perinde ac si ad seuerum calculum vocaretur, & pares accepti & expensi rationes facere teneretur: Aut si strictius verba ipsius Aristotelis accipienda fuerint hactenus principi imponetur ea lex reddendæ rationis, vt satis fuerit ei dicere quod solebat Pericles populo Atheniensium respondere scrupulosius inquirenti, quas in res pecuniam publicam impendisset, *εἰς τὸ δέον ἀπώλεσα*. Sed vt constitit superius, legibus solutum principem secundum leges tamen viuere debere, ita dici debet moderatius iure suo in exigendis aut imperandis tributis principem vti debere, quô minus obseruari aut debet aut potest, ac nullo custode & contradictore rem nummariam exercet. Ac propterea etiam à seipso rationes ipsum exigere par est, sicuti faciebat imperator Alexander Seuerus, qui solebat, teste Lampridio, secum cogitare, & descriptum habere, quid cuique præstitisset, vt cum solus esset rationes etiam suas, & stipendia militum recenseret, vt supra dictum est cap. 10. Cum autem eget princeps pecuniâ, ij modi semper tutiores sunt augendo fisco, qui ad omnium aut plurium onus pertinent, eo enim tributa sunt leuiora, quo à pluribus feruntur, ipso etiam teste imperatore Iustiniano N. 43. cap. 1. §. 2. *μέτριον, καὶ κοῦφον, καὶ φορητόν, καὶ ῥᾷον τὸ συνεισφερόμενον, ὅσῳ παρὰ πλειόνων συλλέγεται*. Et certum etiam illud est, grauioris cuiuslibet ponderis sarcinam eo minus ceruices gestantium impedire, quo maior numerus eorum est qui ferunt suppetias: Quod & ipse idem docet Iustinianus N. 38. Τὸ *εἰς πλῆθος διῃρηθὲν βάρος, ἀνεπαίσθητον σχεδὸν τοῖς ὑπομένουσιν ἐστί*. Quinimo illud tenuiorum solatium est, vbi vident onus ad diuites quoque, & eos qui vel legem sanciunt vel eius sunt autores, pertinere. Sic rectè Læuinus consul apud Liuium: *Si quid iniungere inferiori velis, id prius in te ac tuos si ipse iuris statueris, facilius omnes obedientes habeas: Nec impensa grauis est, cum ex ea, plus quam pro virili parte, sibi quemquam capere principum vident.* Exempla huius rei suppeditauit Augustus magnus nouæ reipub. constituendæ aut veteris quæ in prauum se detorserat reformandæ artifex: Hic enim cum fere consensu omnium ad curam reipub. Rom. admotus fuisset, eamque inuenisset propter assiduos motus bellorum ciuilium viris & viribus prope defectam, multa commentus est quibus vtrique dispendio mederetur: Nam primum legibus Papiis hominum inopiæ subuenit, vel præmia proponendo quibus omnes inuitarentur ad honesti matrimonij leges subeundas liberosque procreandos, vel pœnas indicendo quibus à cœlibatu tam viri quam mulieres absterrerentur, ipsa etiam orbitate ad damnum vocitata, si qui essent qui ex matrimonio nullos liberos edidissent, aut editos fati inuidia aut infelicitate amisissent. Ad illud idem pertinuêre S.C. Pernicianũ, Claudianum, & Caluitianum, quibus impares nuptiæ, eæ-ve ex quibus propter prouectam aut maris aut fœminæ ætatem sperari proles non posset, pœnis cœlibatus subditæ fuere. Quantum vero ad fundum publicæ pecuniæ exhaustum reficiendum & restaurandum: Præter vectigalium & portoriorum

antiqua

antiqua subsidia, quibus onera mercibus euehendis & auehendis imponuntur, vicesimas hæreditatum vel legatorum quæ essent extraneis relicta iuuenit, ac iura caducorum eorum-ve, quæ in causa caduci, aut ereptitia dicuntur introduxit, quæ minimo populi detrimento publicum follem auxerunt. Certe Vicesimâ quod facilius aut tolerabilius vectigal potuit dari, quæue honestior pecuniæ conficiendæ ratio, quæ citra vllius iniuriam & indignationem iustam ad omnes ciues tamen pertinebat. Facile scilicet, qui ad compendium non speratæ successionis aut commodi testamentarij accedit, patitur sibi auferri vicesimam. Et cum legata morte legatarij deficientia, vel viuo testatore vel mortuo ante apertas tabulas, aut etiam hęreditates vel fideicommissa aliudve compendium vltimæ voluntatis, quæ indignis hæredibus aut legatariis auferrentur, fisci iuribus cedere sancitum est; quid æquius, quid leuius, vt illius lucri commodum hæredi testatoris auferretur, quod non foret habiturus si legatarius viueret; aut hæres legatarij non habeat, quod ipsi legatario ante apertas tabulas mortuo nondum est acquisitum; vel ad hæredem testamentarium aut legitimum non perueniat, quod alij erat attributum. Nihil de suo diminuit qui occasionem acquirendi amittit, & patientius ferimus nobis aliquod lucrum intercipi, quam id quod nostrum est auferri. Certe ea parte maxime excelluit Alexander Seuerus, qui dum existimaret neruos reipub. esse pecuniam, & belli pacisque tempore ab hac summum esse subsidium, in eo principem curam impendebat, vt sine cuiusquam iniuria magnam vim argenti conficeret, & rem nummariam exerceret. *Ad aurum colligendum attentus fuit*, inquit Lampridius, *ad seruandum cautus, ad inueniendum sollicitus, sine cuiusquam excidio.*

De Curandis & alendis pauperibus.

Cap. XIX.

Nimis illud verum est, quod superiori capite definitum est: In procuranda magnæ alicuius reipub. aut monarchiæ administratione, quasdam occasiones incidere, vt pro conditione temporum omnino necessarium sit cum priuato singulorum damno aliquid circa augendas publicas indictiones, aut nouas imponendas ad omnium vtilitatem constitui, vt tolerabile videri debeat illatum singulis damnum, quod commoditate publica rependitur. Et vero vsu illud comprobatum est, quod Iason Thessalorum Tyrannus dicere solebat, *ἀναγκαῖον ἀδικεῖν τὰ μικρὰ τοὺς βουλομένους τὰ μεγάλα δικαιοπραγεῖν.* Est illud etiam perpetuò verum, priuatorum rei præscribi per publicam vtilitatem, cuius vtique

ratio potior eſt: ſecundum quę illud rectè Porcius Cato apud Liuium *Nulla lex ſatis commoda omnibus eſt: id modo quæritur ſi maiori parti, & in ſummum prodeſt.* Sed quemadmodum exigentibus variis neceſſitatibus, omnis ratio deſiderat, vt ferant ſubditi aduentitia quædam & fortuita onera: ita æquum eſt per temporum vices tranſacta calamitate eoſdem alleuari, cum etiam eô alacrius imperatas ſibi ſuperindictiones ſint ſubituri, quò ſciuerint non fore perpetuas, ſed veluti ſterilitatem, aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, aliquando ceſſaturas, & meliorum quoque interuentu hæc diſpendia penſatum iri. *Prouidentiſsimi principis eſt,* inquit Caſſiodorus, *grauiter imminutis relinquere tributariam functionem, vt rediuiuis ſtudiis ad implenda ſolennia recreentur, qui preſſi damnorum acerbitate defecerant.* Hinc eſt, quod Claudianus eo nomine Honorium Imperatorem commendabat.

Impia continui ceſſant augmenta tributi,
Non infelices tabulæ, non haſta refixas,
Vendit opes, auidus emptor non voce citatur,
Nec tua priuatis creſcunt æraria damnis.

Minus illud congruens eſt vt populus damnorum acceſſionem ſentiat, nihil vero compendij ex publica tranquillitate ferat. Etiam Iuriſconſulti admittunt propter ſterilitatem vnius anni mercedis & penſionis factam colonis remiſſionem vbertate ſequentium annorum reuocari, & damni ingruentis cum vberiori lucro fieri compenſationem. Decet interdum plebem delinimentis quibuſdam, id eſt imminutione tributorum aliqua aut vectigalium remiſſione inuitari, vt ferentibus interdum Imperij negotiis alacrius non modo veteribus oneribus ſe ſubijciant, ſed etiam nouorum adiectione ſe adſtringi ſinant. Temerarius quidem ille fuit & inconſultus iudicio carentis animi impetus, quo Nero cogitauerat cuncta vectigalia populo romano vel prouincialibus remittere, quaſi pulcherrimum donum generi mortalium eſſet daturus: Et propterea etiam ſenatus romanus per ſpeciem adulationis, laudata prius tanta & tam præclara illius liberalitate & munificentia, eum non ſatis damna vniuerſæ reipub. inde oritura perpendentem ab hoc conſilio dimouit: *Diſſolutionem imperij docendo, ſi fructus quibus reſpub. ſuſtinetur, diminuerentur: Quippe ſublatis portoriis, ſequens vt tributorum abolitio expoſtularetur.* Sed ex aduerſo illud negari non poteſt, quin ex beneficentia ſit optimi principis, pro vt ratio patitur publici ærarij, interdum alleuare priuatorum onera. Nam cum diuitiæ ſingulorum ipſius reipub. atque adeo principis opes ſint: Eo magis princeps opulentum ſe arbitrari debet, quo ſubditos habet ditiores, quod facile conſequitur cum erga eos aliquando ſe gratum & liberalem exhibet, patrimonialia munera minuendo. Et ita quamuis Alexander Seuerus maxime diligens eſſet in augendis reipub. ſubſidiis, id eſt in conficienda pecunia quæ ad molem reipub. Rom. ſuſtinendam ſufficeret: Nihilominus Lampridius

teſtatur eum Romæ negotiatorium & coronarium aurum remiſiſſe. Idem etiam tradit vectigalia publica eum in id contraxiſſe, vt qui decem aureos ſub Heliogabalo deceſſore ſuo præſtiterant, tertiam dumtaxat aurei partem præſtarent, hoc eſt prioris functionis triceſimam partem. Hoc nimirum vſus comprobauit, hoc ratio omnis euincit, veriſſimum eſſe illud axioma Ariſtotelis, inimicis & hoſtibus plenam eſſe ciuitatem oportere, in qua plures pauperes ſint & ab honoribus ſemoti. Ὅταν ἄτιμοι πολλοὶ ϰ πένητες ὑπάρχωσι, πολεμίων ἀναγκαῖον εἶναι πλήρη τὴν πόλιν. Forte etiam illud ipſum à præceptore ſuo Platone acceperat, qui lib. 8. περὶ πολιτ. tradit vbi in ciuitate plures fuerint pauperes, ibidem fures eſſe, ſacrilegos, marſupiorum exenteratores, ſaccularios, & omnium maleficiorum artifices. Δῆλον ἄρα ἐν πόλει, οὗ ἂν ἴδῃς πτωχοὺς, ὅτι εἰσί που ἐν τούτῳ τόπῳ ἀποκεκρυμμένοι κλέπται τε ϰ βαλαντιοτόμοι, καὶ ἱερόσυλοι, ϰ πάντων τῶν τοιούτων κακῶν δημιουργοί. Nec igitur illud tantum verum eſt, quod veteri prouerbio celebratum Feſtus & Seneca tradunt, tot eſſe ſeruos quot hoſtes: ſed etiam rerum ipſa argumenta docent manifeſtiſſime, tot in republ. ſeditiones & tumultus meditari, quot rerum familiarum anguſtiis ciues premuntur. Hinc fit quod vbi leuis aliqua occaſio ſpondere egeſtatis leuamentum videtur, ibi turba plurima egenorum cæco mentis impetu ruat, quaſi aut diuitias ſit celeriter adeptura, quas incaſſum auidè expetiuit, aut morte præcipiti grauem ærumnis, tædio confectam, & arctiſſima egeſtate vitam laborantem relictura. *Omnes qui in paupertate ſunt, malunt maleficio parare diuitias, quam officio paupertatem tueri,* inquit orator Romanus. Et plures inueniuntur, qui inſolentius auſint animi ſui votum ſimile teſtari, quod vir ſceleratus in tragœdia illo ſenario complectebatur,

Aut diues opto viuere, aut pauper mori.

Inde in Romana republ. crebræ fuerunt plebis infimæ ſeditiones & diſcordiæ. Hinc etiam ſeceſſio facta in Auentinum montem, cum ipſa patribus infenſa, quod commoda omnia reipubl. ad ſe pertraherent ad plebem vero incommoda delegarent, ſeorſim res ſuas egit, tribunos id eſt plebeios magiſtratus ſibi inſtituit, plebiſcita ſanciuit, inde toties in ea republ. repetiti tumultus, quos iniuriis potentiorum oppreſſi tenuiores cierunt, vt propterea oportuerit legem nouarum tabularum ſæpius promulgari, qua plebs ære alieno in totum vel ex parte ſedandarum ſeditionum gratia ſoluebatur: quod etiam Athenis eandem ob cauſam factum fuiſſe ſub nomine σεισαχθείας vulgares auctores referũt. Qui in tenui fortuna ſunt conſtituti, illi ſemper maximam reipubl. partem faciunt, ideoque non poſſunt ſine magno eius damno negligi, cum pars illa male affecta ſtatim ſui mole alteram quoque partem res nouas moliendo in ſocietatem ruinæ pertrahere poſſit. Igitur, quam fieri poteſt commodiſſime, infimæ plebis ſemper habenda eſt ratio, ne ſæpius ſuperindictionibus onerata iniuriam meditetur, & querentium

ſocietate vires ſuas agnoſcat. Parum curat populus quid agant magnates, quamque inſolenter ſe gerant, ſi res ſuas agere ei permittitur. Verum vbi repetitis exactionibus moleſtiam ex mala rerum publicarum adminiſtratione ſentire incipit, tunc veluti fera irritata laceſſentes ſe petit & ſiue doloris impatientiâ, ſiue ſtudio vindictæ, ſiue meliorum expectatione, turbulentiora conſilia ſequitur, quæ properus furor ſuaſerit. Impius Italus, qui ait plebem grauari debere multis vectigalibus & tributis, ne aucta nimiâ habētiâ laſciuiam potius quam cibum cogitet, id eſt ne opibus affluens res nouas ordiatur, modos proponit euertendæ reipub. non conſtituendæ, tuendæ, aut ſtabiliendæ. Et quæſo, quis florens facultatibus quærit rationem, perquam ex felici miſer, ex diuite pauper fiat, & quietum rerum ſuarum ſtatum incertâ futurorum expectatione perturbet. Ratione & exemplo tam fanatica opinio reprobatur. Ibi certa tranquillitas, vbi pauci aut nulli ſunt pauperes. Vbi vero magnatum iniuria plures infimos damno afflixit, & ipſi magnates aut dominationis impotentiâ, aut ambitionis inſolentiâ, aut diuitiarum cumulo facti audaciores ſeipſos euertere nituntur inuicē, tum ſtudio quiſque partium ſuarum tuendarum ſibi aſciſcit pauperrimos & deteriores quoſlibet, & ſpondet ipſis aureos montes, qui facile egeſtate oppreſſi oblatam conditionem accipiunt, atque, vt Horatij verbis liceat vti,

Excuſſi propriis aliena negotia curant.

Sic enatæ in repub. Romana Marij & Syllæ factiones. Sic Craſſi, Cæſaris, & Pompei opes in diuerſas partes rempub. traxerunt, vbi ſoli viſi ſunt omnem potentiam, & diuitias ciuitatis ipſius poſſidere. Sic coniuratio Catilinæ eandem rempub. prope perculit, cum illi qui grande æs alienum conflauerant, facile ſe ipſi mancipabant, quod illud interim aſſequerentur, vt actiones creditorum eluderent. Sic magna quælibet imperia interdum deſciuêre in tyrannidem, & illa præcipitantur in vltimum exitium lapſa eſt. Qui igitur ſartam tectam præſtare & tueri rempub. voluerit, is neceſſe eſt tenuiores ab iniuria potentum vindicet, & aliqua onerum parte alleuet. Certe eo ſaltem nomine pauperibus ſubueniendum, ne tam impotenter vſuris opprimantur, cum illa ratione fiat plerumque, vt peculiolo ſuo id eſt fundulis auitis auaritia & rapacitate potentiorum exuantur, qui ſub honeſto mutui nomine crudelem tyrannidem exercent. Nimis hoc in Rom. repub. eſt perſpicuum plures ob hoc Romæ ſeditiones coortas. *Vetus vrbi fœnebre malum*, inquit Tacitus, *& ſeditionum diſcordiarumque creberrima cauſa.* Quo nomine laudandus Imp. Alexander, qui vt refert Lampridius, vſuras fœneratorum antea grauiſſimas contraxit ad trientes penſiones pauperibus conſulens. Quin idem vere honeſta liberalitate pauperibus pleriſque ſine vſuris pecunias dedit ad agros emendos reddendas de fructibus. Eo amplius idem Lampridius refert eum pauperes iuuiſſe, & ho-

noratos maxime, quos pauperes vere non per ſimulationem vidit, ſemper multis commodis auxiſſe, agris, ſeruis, animalibus, gregibus, ferramentis ruſticis. Quæramus nunc & ſimul queramur cur tam ſæpe diſcordiis Gallia fatigetur: Pauperum nulla cura eſt, vt fere pluris aut equi aut canes æſtimentur, ac iis eſca denegetur, quæ ipſis animalibus abunde ſuppetit. Πένητες τῆς ὁμοτίμου φύσεως τὸ ἀτιμότατον μέρος, vt ait Diuus Gregorius Nazianzenus. *Ille quem deſpicimus*, inquit eleganter D. Hieronymus, *hic quem videre non poſſumus, ad cuius interitum nobis vomitus erumpit, noſtri ſimilis eſt, de eodem nobiſcum formatus luto, iiſdem compactus elementis; quidquid patitur, & nos pati poſſumus: vulnera eius exiſtimemus propria, & omnis animi in alterum duritia clementi in noſmetipſos cogitatione frangetur.* Sine principum noſtrorum ſuggillatione illud dicetur (nam de illis ſanctum debet eſſe venerandumque iudicium.) Sed cum magis magiſque in dies negotiorum neceſſitas extendatur, vt propterea opotteat etiam veteribus functionibus nouas accreſcere; illud incommodum eſt, quod vbique magnates ab illis ſe vindicant ſecuros, ſola fere plebs infima quæ in agris moratur perpetuis auxietatibus diſtringitur, vt plerumque friuolis ſuis diſtractis ab exactore publico, ſupellectili ruſtica carentes agricolæ incultos agros dimittere neceſſe habeant, & alias regiones quæ magis humanitatem colant inueſtigare. Qui potentia & ambitione plus valent, illi quærunt immunitatem, & vero contra fas plerumque conſequuntur: qua ratione fiet tandem, vt nulli ſint qui munera poſſint agnoſcere. *Non vltra valebit perpetuitas tributorum manere*, inquiunt Imperat. Theodoſius & Valentinianus, *paucis atque defeſſis impoſitâ ſarcinâ, quam potior detrectat, locupletior recuſat, & validiore recedente ſolus agnoſcit infirmior.* Et illud non minus rectè Saluianus. *Ecce remedia pridem nonnullis data quid aliud egerunt, quam vt diuites cunctos immunes redderent, miſerorum tributa cumularent: vt illis demerentur vectigalia vetera, iſtis vt adderentur noua: illos vt deceſſio etiam minimarum functionum locupletaret, iſtos vt acceſſio maximarum affligeret.* Quotidie ſunt qui nouam nobilitatem auſpicantur, quotidie ſunt qui ad honores codicillos alicuius dignitatis impetrant, quo ſe immunes à penſitandis tributis præbeant, vt in pauculos totum onus tributariæ functionis recidat. Bene tamen actum eſſet cum agricolis & tenuioribus hominibus ſi huc vſque iniuria progrederetur. Ecce ad hæc impotenti nobilium dominatione premūtur, quibus operas præſtare gratuitas coguntur, & quod eſt deterius ex pauperculo patrimonio, quod poſt exolutionē tributi ſupereſt, eiſdem dare mutuum inſolubile compelluntur. Noua etiam accedit moleſtia à magiſtratibus & iudicibus aut etiam ipſis tributorum exactoribus, qui aduerſam miſerorum fortunam in compēdium ſuum vertunt, & ſicubi ſtato die ad præcipitem ſolutionem non occurrunt, fit miſerabilis bonorum proſcriptio, quam ſi differri in paucos dies impetrauerint, maiori damno hoc beneficium redimunt, quam illud eſt detri-

mentum, quod volunt effugere. Horum malorum cumulus est, cum contra rationem omnem diuini & humani iuris grauiores ab his vsuræ exiguntur, vt iam oporteat omnem eorum substantiam funditus deleri, & cum liberis suis à laribus propriis esse extorres. Solatium illud superer at olim, vt ex bonis ecclesiæ alerentur, qui aliunde subsidia vitæ non habebant: nunc inclementiores & crudeliores illi, & qui maximè deberent leuare ægritudinem pauperum, eorum vulnera alligare, oleumque & vinum ipsis infundere, impudentius etiam duritiem sacerdotis illius & leuitæ imitantur, qui in euangelio viatorem à latronibus spoliatum & vulneratum neglexerunt, quem Samaritanus conducto suscepit hospitio, omnibus curationis impẽsis pro eo exsolutis. Clerici bona pauperum tenent, & tamen nulli sunt quos minus tangat eorum miserabilis conditio. In plateis & publicis viis conferti, in vestibulis ecclesiarum frequentes consistunt, stipem rogant, cuiusque misericordiam implorant, orationum suarum subsidia repromittunt, Christum loquuntur, eius nomen prætendunt, vt tam sancti pignoris momento alienam in se liberalitatem lacessant, vulnera nudant, corporis plagas patefaciunt, sermonem suum in omne genus blanditiarum conuertunt gratiâ eleemosinæ consequendæ, & tamen vix denariolum extorquent ab his, qui bona sua acceperunt administranda, & contra ius fasque eadem retinent. Illud est extremæ verecundiæ, quod in principe ciuitate Galliarum Lutetia, vbi tot reditus habent ecclesiæ, vbi tot magnates morantur opibus pauperum ditati, vbi tanta pecuniarum vis in annos singulos ex collatione priuatorum conficitur, tot tamen vagari quotidie egenos, quos fames, quos morbi, quos omnia corporis mala conficiunt. Descendant aliquando Ecclesiæ optimates è curribus suis, & per publicas solennitates (quibus aut supplicationes summus pontifex indicit, & pro potestate dispẽsationis suæ vere pœnitentibus Christianis indulgentiarum thesauros, & sacras quodammodo largitiones aperit, vel etiam quibus anni reduces tempestates pro festorum dierum celebritate fidelibus omnibus pietatis augent incẽtiuum) pedibus suis incedentes attentius inspiciant, quantas strages edant luxu nimio suo, dum tot pauperum curam negligunt, cum nec eis alimenta subministrantur ad vitæ subsidium, nec sacramenta Ecclesiæ impenduntur ad animæ salutem. Miserimum hoc est, tam vilem haberi eorum sanguinem, tam contemptui esse animas eorum, vt hi quibus à Deo & Ecclesia curandi dati sint, spoliis eorum superbi & ouantes impudenter eosdẽ despiciãt, quasi obtutibus suis indignos. Bona Ecclesiarũ tenẽt viri ecclesiastici vt fidelibus instẽt opportunè, importunè, vt saluti animarũ consulant, vt inconnuentibus oculis vbique circumspiciãt qua parte debeant impendere vel pie sæuientem disciplinam, vel iuste consulentem misericordiam, id est quemadmodum libera debeant increpatione incessere delinquentes, vel piis circumspectæ adhortationis

fomentis consolari afflictos. Bona Ecclesiæ tenent clerici, vt cum de altari viuunt altari quoque seruiant, & si quid superest necessariis sumptibus, id cedat cibariis & alimentis tenuiorum, non quemadmodum solent quidam, vt ex his infame satellitium inutilis famulitij alant, vel mensis suis habeant impudentes parasitos & moriones, aut quod improbius est inde ornamenta lapillos gemmas & mundum impudicis & immundis mulieribus parent. Tot facultates & opes in Ecclesiam sunt collatæ, vt gregi Christianorum vacarent docendo, & procurandæ omnium saluti, non vt sæcularia meditentur. Cur à Xenodochiis tam longe recedunt, vbi quotidie tam multi moriuntur quibus adesse deberent præsto, in eo maxime temporis momento, vbi de animæ salute agitur. Mirum quanta flagitia illic admittuntur, quantaque illis locis sæuitia expromatur in miseros, vbi maxime titulus sanctitatis spondet misericordiam. Parum est quod dum spes aliqua vitæ superest negligenter curãtur, nisi postquam cœpit eorum cura desperari, ad mortem ipsam impellerentur præcipites, nullo monitore qui morientibus ad Deum iter præmuniat. Non ineleganter ille dicebat, vnumquemque nascentium, qui ex matris ilibus in mundum prodit opus habere obstetrice quo commodior sit matri nixus & infanti egressus: sed magis tamen illos, qui à rebus humanis excedunt sapienti viro indigere, quorum interuentu melius quam fieri potest ad animæ salutem hinc ad futuram vitam pergant. Sed nec illo quidem momento vllum pauperes habent solatium, & fit vt illi quibus creduntur Christiani, cum magno suo periculo & cum certa damnatione animarum suarum curam dimittant salutis alienæ. Illa sunt crimina virorum ecclesiasticorum, qui substantiam pauperum velut canes auidi solent vorare, nec tamen eis vllas ferunt suppetias, sed illorum corpora fame confici, macie deformari, frigore vri, nullo intrinsecus dolore tacti sinunt: animas vero eorumdem negligentiâ supra modum incuriosâ in interitum ire præcipites permittunt. Etiam grauius ea parte peccant magistratus, qui cum deberent errones coërcere, & mendicantes validos operibus publicis addicere, & ad laborem impellere, ipsi quia inde nulla occasio suppetit aliquid corradendi ab eis, quos iam fortunis spoliauerunt artibus callidis, eos impune sinunt vagari, & sicubi fors tulerit etiam furari, dum in partem prædæ veniant, & tum demum ad vindictam publicam accenduntur, cum manifestum scelus dissimulari non potest. In nulla vnquam repub. bene instituta quisquam questus est plures esse ciues aut homines quam oportet. Quin potius Romæ fuêre proposita præmia iis qui plures ex honesto matrimonio liberos quæsiuissent, cœlibibus pœnę impositæ, iis qui matrimonium contraxissent, sed sterile nacti essent, propter orbitatem lucrum & emolumẽtum aliquod auferebatur. Hoc idem apud Lacedæmonios ex Lycurgi legibus obtinebat, vt & qui nuptias omnino non contraxissent, aut tardius contraxissẽt quam legibus

licebat mulctarentur. Iurisconsulti palam edicunt multa fauore dotis esse constituta, quod reipubl. intersit mulieres esse dotatas, ad complendas liberis ciuitates, & propterea etiam constituunt legem Papiam maxime reipubl. vtilem sobolis scilicet procreandæ causa latam interpretatione adiuuandam. Iidem liberorum fauore, quia mox ciues futuri sunt, etiam eorum liberis, de quibus propter scelus aliquod publice sumptum supplicium est, bona patris relinqui debere potius quam confiscari existimant cum plures sunt, quod deceat potius ampliari imperium liberorum educatione quam pecuniarum copia. Nec in liberis hominibus & ciuibus cura constitit antiquorum, sed etiam id egerunt maxime vt quam plurimos seruos haberent. Seruorum ingenti numero vt certissimis diuitiis Abrahamum floruisse sacræ litteræ testantur. Porcius Cato immensam seruorum familiam habebat vsque ad mille excurrentem. Eo amplius Plinius secundus testatur cuidam Isidoro fuisse quinquies mille. Etiam Athenis Nicias ille vir ditissimus per ingentem seruorum numerum quæstus vberes fecit. Ex lege Caninia manifestius illud constat, quam magnæ opes constituerentur in seruorum numero, quæ prohibebat manumissionem testamento factam valere si ex quacumque numerosa mancipiorum copia plures manumitterētur quam centum. Denique scrupulosa illa quæstio etiam clarissimorum Iurisconsultorum nobilitata dissentione, an partus ancillæ fructuariæ ad proprietarium, an vsufructuarium pertineret, satis perspicue docet quam magnum compendium antiqui existimarent, hominum accessione augeri familiam suam. Ergo magis erant industrij, vt cuique in domo propria pensum laboris esset assignatum neque vllus in tot numerosa familia esset otiosus. Nos (quantum à recta ratione non solum pietatis, sed etiam ipsius iuris naturalis aut ciuilis bene constituti desciuimus) de numerositate gentis nostræ querimur, & quasi nobis blandimur vbi ciuilis aliquis tumultus exoritur, sanguinis missionem ipsi reipub. necessariam esse dicentes. Vltro etiam pauperes incusamus, quod matrimonia contrahant & liberos suscipiant, quasi Ecclesiæ sacramenta solos diuites spectent. Inertia nobis & desidia hæc mala comparauit. Olim operas & arma nostra extraneis commodabamus, veluti orbis seminarium Gallia erat, quæ Reges quæ populos daret nationibus exteris. Etiam gens nostra olim in Italiam, olim in Græciam se effudit, aliunde sedes quærens, vbique victricia arma circumferens. Nunc otio marcentes sinimus vicinos populos virtuti Gallorum debita præmia ambire, & quod est Christianissimi Francorum imperij opprobrium, Turcam sinimus Christianos incessere, iniuriam inferre, pretiosa pignora redemptionis nostræ iure dominij retinere. Id patimur somno torpentes & ignauiâ; & tamen deridenda adulatione nobis ipsis blandimur, non iam veterū Gallorum virtutem referentes, sed inanem tantum vmbram francici nominis torpedini

noſtræ præferentes. Reipubl. & Monarchiæ noſtræ nulla res plus fuerit commoda, quam veterem illam ἀργίας γραφὴν repetere, quæ tam viſa fuit Athenienſibus vtilis, vt apud ipſos nihil agere pro ſummo delicto fuerit. Eſt ea de re conſtitutio in Iuſtiniani Codice quæ eſt de mendicantibus validis, vt in his qui ſtipem emendicantur exploretur integritas corporũ & robur annorũ. In eam rem N. 80. ipſe Iuſtinianus nouum prætorem in ciuitate Conſtantinopolitana inſtituit, qui inertiæ deditos coërceret, & in otio degẽtes inquireret, vnde & ἐρευνητὴς dicebatur. Habemus & nos ipſi principum noſtrorum conſtitutiones, qui eiuſmodi mendicantes corporis viribus valentes fabricis publicis reficiendis, muris ciuitatum reſtaurandis, aliiſque publicis operibus peragendis addici & ad laborem compelli conſtituunt. Tot fouentur in ciuitare fures, quot diſcurrunt per eam validi mendicantes ad menſarum reliquias colligendas, aut quærendum inertis vitæ ſubſidium, vt propterea ad eos pertineat prouerbium vetus, τῷ μὲν χεὶρ ἐν αἰτῦλοις, ὁ δὲ νοῦς ἐν κλοπαῖς. Quare Phocylides recte vnumquemque monet, vt ex laboribus manuum ſuarum victum ſibi honeſte quærat, neque alienæ menſæ aſſideat fruſtula quædam inſtar canis expectans.

Ἐργάζευ, μοχθῶν ὡς ἐξ ἰδίων βιοτεύσῃς,
Πᾶς γὰρ ἀεργὸς ἀνὴρ ζώει κλοπίμων ἀπὸ χειρῶν.
Μηδ' ἄλλου παρὰ δαιτὸς ἔδοις σκυβάλισμα τραπέζης,
Ἀλλ' ἀπὸ οἰκείων βιότου φαγέοις ἀνύβειστος.

Sed quod magis eſt alienum, beneficium expectantes ſubit inertiæ dulcedo, vnde fit vt omne iam præmium induſtriæ dematur & tantumdem deſidia emolumenti quantum ipſa diligentia compendij conſequatur. Et rectiſſime in illam ſententiam Tiberius apud Tacitum. *Langueſcet induſtria, intendetur ſocordia, ſi nullus ex ſe metus aut ſpes, & ſecuri aliena ſubſidia expectabunt, ſibi ignaui nobis graues.* Magno ſemper æſtimanda eleemoſyna, quippe ſemper certiſſimam à Deo retributionem conſequatur. Ὁ ἐλεῶν πτωχὸν, inquit poſt Salomonem D. Gregor. Nazianzenus, Θεῷ δανείζει. τίς οὐ δέχεται τοιοῦτον χρεώστην ἀποδιδόντα ἐν καιρῷ μετὰ τῆς ἐπικαρπίας τὸ δάνεισμα. Diuus quoque Baſilius etiam magis accommodè, tradit eleemoſynam reſpectu pauperis conſideratam, donationem eſſe διὰ τὴν ἀργυρίαν τῆς ἀπολήψεως; mutuum vero reſpectu Dei, διὰ τὴν αὐτοῦ μεγαλοδωρίαν, qui per manum pauperis beneficio accepto cum magno fœnore illud largitori ſuo redditurus eſt. Verumtamen certum eſt diligentius expendi debere, num is qui ſuccurri egeſtati ſuæ deſiderat, poſſit ipſe ſibi proprio labore & induſtria alimenta ſufficere: nam tum fiet, vt qui ejuſmodi mendico aliquid largitur, magis eius pigritiam foueat, quam eius paupertatem alleuet. Nunquam laborem meditanti occaſio poteſt deeſſe, qua ſe exerceat.

Εἰ δέ τις οὐ δεδάηκε τέχνην, σκάπτοιτο δικέλλῃ.
Ἔστι βίῳ πᾶν ἔργον, ἐπὴν μοχθεῖν ἐθέλῃσθα,

Ναύτιλος ὢ πλώειν ἐθέλεις, εὐρεῖα θάλασσα.
Εἰ δὲ γεωπονίην μεθέπεις, μακραί τοι ἄρουραι.

Et multi tamen exiſtunt quotidie, qui ſiue vera ſiue falſa ſunt dicturi, auſint eierare non inuenire ſe quibus operas locent, vt quemadmodum in euangelio dicitur hanc rationem otij ſui ſoleant reddere quia nemo eos conducit. Quandoquidem ea parte nimis incurioſa eſt magiſtratuum negligentia, æquum eſt principem ei rei per ſe conſulere, vt quemadmodum bonus paterfamilias id agit maxime, vt ægrotantibus ſeruis ſuis medicos adhibeat, ſanis vero qui integrarum ſunt viriũ foraginem ſuam & penſa diurna imperet: ita princeps neminem à ſua cura & ſollicitudine immunem dimittat, ſed veluti omnium parens, vtilitati ſingulorum prouideat. In corpore humano partes omnes & membra ſuis vicibus ſibi ſubſidio ſunt, nihil inutile, nihil perperam poſitum eſt. In ciuitate aut republ. bene conſtituta idem euenire debet, vt nullus ſit qui non aliquam vtilitatem ſui promat. Etiam qui corpore ſunt inualido, aut aliqua valetudine laborant, ſi obſequium iis neceſſarium impendatur, habent quo linguam & mentem ad Deum referant vt reliquo corpori per eorum preces bene ſit. Si beati ſunt illi qui intelligunt ſuper egenum & pauperem, neceſſe quoque eſt florentem & fœlicem eius reipubl. ſtatum eſſe, vbi ratio ſumma habetur, ne pauperibus quicquam abſit eorum quæ ad tuendam vitam pertinent. In eo princeps noſter habet quo eccleſiarum antiſtites non moneat tantum, ſed etiam compellat, vt domibus venerabilibus, quæ ſuſcipiendis hoſpitibus & pauperibus aliiſque miſerabilibus perſonis deputatæ ſunt, reditus ſui & facultates reſtituantur. Id agere debet maximè, vt iubeat magiſtratus ſui officij meminiſſe, & veterum conſtitutionũ quibus pleraque ab anterioribus principibus ſunt definita. Hinc erit ratio qua & fundamenta ſæculi beatioris poſſit iacere, & ipſum diuum Ludouicum propius imitari, cuius hæc laus fuit præcipua, quod pauperes diligeret maximè, & in eorum perſona crederet ipſum Chriſtum dominum ſe intueri, & eis miniſtrando arbitraretur ex diuino oraculo eidem Chriſto famulitium exhibere. Certè illud eſt animaduerſione digniſſimum in mundo maxima quæque rerum faſtigia plerumque à rebus minimis & infimis pendere. Sic omnia cohærent inter ſe admirandâ quadam ſocietate. Principes ex ipſis terræ penetralibus ſuum decorem ſumunt, & ad tuendam illam poteſtatem immẽſam petunt metalla, & ipſas auri & argenti fodinas inquirunt, atque ex imis terræ viſceribus extrahunt. Etiam ex ipſis vilioribus animalibus faſtui noſtro petimus aſcititium ornamentum. Ab ipſa terra quam pedibus conculcamus, neceſſaria alimenta petimus. Ipſa terra etiam ex animalium ſtercoribus fertilitatẽ ſuam nanciſcitur hominibus poſtea profuturam. Quod eſt in mundo maius, præſidium petit ab eo quod minus eſt. Hominibus egent principes maxime, qui ipſis præſunt: maieſtatis

ſuæ decus ab iis ipſis accipiunt, quibus imperant. Ambitioni ſuæ quantum poſſunt magnates blandiantur, pluribus egent qui pluribus dominantur. Conſtituamus igitur nihil eſſe principibus honori magis, quam ſi beneficia ſua ad tenuiores pertineant. A pauperum orationibus felicitatem ſuam mutuantur, quando in immenſum creſcere oportet eius dignitatem, qui plures habeat beneficia ſua prædicantes, & eos maxime, qui neceſſitate rerum impediti aliunde ſubſidium habere non videbantur, quam à munificẽtia principali. Quam illi libentiſſime pro ſalute principis vota ad Deum ferunt, qui meminerunt eius interuentu ſe à calamitatibus ſuis liberatos. Quanti etiam virtutum fomites inde excirantur, cum ipſi pauperes beneficiorum memores Deum ſalutis ſuæ laudant auctorem, & in benefactores ſuos grato animi ducuntur affectu. Quam multi ſunt, qui vel leuiter adiuti, aut ad virtutem incenduntur, aut à vitio retrahuntur. Qui ſe igitur oſtenderit munificum in pauperes, bonorum omnium inde conſequentium percipit fructum. Si verum dicendum eſt, eleemoſynæ compendium & emolumentum omne, non qui accipit, ſed qui dat conſequitur: adeo miſericordem animam Deus ipſe ſummè miſericors diligit, ac remuneratur. *Οἰκτίρμων καρδία δῆλον ὅτι οἰκτειρήσονται, καὶ ἐλεήσονται ἐλεήμων ὁμοίως*, inquir Marcus Heremita. Et ille etiam non illepide luſit, qui munus accipiens dare ſe beneficium illo contendebat epigrammate:

Si magis eſt, vt Chriſtus ait, donare beatum,
Quam de munifica dona referre manu:
Aſpice quam faueam tibi, ſis vt dando beatus,
Non fieri renuo te tribuente miſer.

Quantum vero debet princeps pauperes curare, cui omnis ratio conſtat expromendæ in eos liberalitatis ſuæ. Etiam ad id præſtantum illo nomine inuitari debet, quod eo modo ſaluum & incolume imperium ſibi præſtet. *Pauperibus educandis*, inquit Plinius in Panegyr. ad Traianum, *vna ratio eſt bonus princeps. Hic fiducia ſui procreatos niſi larga manu fouet, auget, amplectitur: occaſum imperij, occaſum reipub. accelerat. Fruſtra princeps plebe neglecta, vt defectum corpore caput, nutaturumque inſtabili pondere tuetur.*

De cura publicæ annonæ.

CAP. XX.

NIHIL eſt in quo magis pauperibus conſulatur, quam ſi ſumma ratio annonæ publicæ habeatur. Ex ſuperioribus quidem conſtitit maximam rei militaris partem in hoc conſtare, vt commode

annona militibus administretur: sed eo amplius constituendum hanc potissimam esse reipubl. stabiliendæ rationem, si ea quæ ad vitam tuendam sunt necessaria quam facile tenuiores possint comparare, vt ipsis cibaria non desint, sed quotidiana ipsis alimenta suppetant. Vbi populo deest hoc vitæ subsidium, statim ad seditionem & querelam prorumpit; ac propterea etiam in sacra scriptura defectus alimentis populus statim Moisem incessere cœpit, atque etiam cædem minari: Non facile est plebis habenas cohibere de fama aut caritate annonę conquerentis. *Frequens sermo est*, inquit Symmachus, *tenui victu in turbas plebem moueri.* Hoc frequenter narrant historici: & Tacitus sub Tiberio tradit grauitate annonæ iuxta seditionem ventum, multaque & plures per dies in theatro licentius efflagitata quam solitum aduersus Imperatorem. Ea suasit ratio vt Imperat. Arelianus dicere soleret nihil populo Rom. saturo esse lætius. Gratissimi inde populis semper aut principes aut magistratus, qui viliorem annonam & facilem præstarent, vt etiam eo nomine Antipatri filius Herodes infamiam flagitiorum suorum apud Iudæos aboleuerit, quod famis tempore frumenti rerumque necessariarum copiam ad hanc cladem amoliendam præstitisset. Plus ea res Pompeio ad consequendum Magni nomen præstitit, quam subactæ gentes, quam occisa hostium plura millia. Hinc recte Plinius secundus in panegyr. ad Traianum. *Instar ego perpetui congiarij reor affluentiam annonæ. Huius aliquando cura Pompeio non minus addidit gloriæ, quam pulsus ambitus campo, exactus hostis mari, oriens triumphis, occidensque lustratus.* Et de eodem Cassiodorus in formula præfecti annonæ. *Non immerito Pompeius fertur copiæ quantitate prouisa vsque ad rerum peruenisse fastigia, quia merito singularis est amor populi, cum potuit à penuria liberari: Hinc ille gratificationem meruit plausumque populorum: Hinc vnice semper amatus est, & in gratia ciuium omnium vicit facta maiorum.* Id egêre Imper. semper, vt bonis conditionibus annona constaret, & Iulius Cæsar vt forte vel in hoc parem se Pompeio præstaret, legem Iuliam tulit de annona, cuius etiam in Pandectis adhuc mentio fit, quâ pœna constituta est aduersus eos qui quid fecissent aut societatem contraxissent quo fieret annona carior. Cuius rei tantus fauor habitus est vt etiam ex hac causa potestas seruis facta sit dominos suos accusandi, si quid hac parte deliquissent. Quam rationem secuti I. C. aduersus dardanarios, qui annonam vexant extraordinem animaduerti solêre tradiderunt. Scilicet propter eandem causam specialis magistratus creatus est, qui sollicite procuraret ne quicquam eorum deesset, quæ possent populo commodam emptionem præstare rerum earum, quæ ad vitæ quotidianæ tuitionem pertinerent, qui ob hoc præfectus annonæ dicebatur. Sicuti etiam Athenis σιτοφύλακες fuerunt, & illi quidem numero viginti, qui curabant vt frumentum asseruaretur & iusto pretio venderetur, quorũ quindecim in ipsa ciuitate erant, quinque in Peiræo. Eôdem pertinent

constitutiones, quibus sæpius principes ex liberalitate plures modios frumenti plebi Romanæ concedebant, vt constat ex tit. C. de annonis ciuilibus, & aliæ, quibus piscis & panis pretium constituebatur, quæ continentur, C. Theod. Ex hac causa potissimum vetitum fuit monopolium, vt constat ex constitutione Zenonis C. de monop. Vetitum etiam fuit ne frumenta vinum & alia eiusmodi exportarentur, sicuti Athenis nulli licuit ex solo Atheniensi oleum exportare, nisi illis qui ludis panathenaicis vicissent, quibus situla olei plena dabatur, quæ & extrinsecus depicta erat & variegata: quemadmodum narrat Pindari scoliastes in Nemea, quod ea ratione fiebat, ne spe lucri captandi quisque inuitaretur extra prouinciam res victui necessarias euehere, vnde postea caritas annonæ induceretur. *Copia frumentorum*, inquit Cassiodorus, *prouinciæ debet primum prodesse cui nascitur: quia iustius est, vt incolis propria fœcunditas seruiat, quam peregrinis commerciis studiosæ cupiditatis exhauriat: alienis siquidem partibus debet impendi, quod superest, & tunc de exteris cogitandum, cum se ratio propriæ necessitatis expleuerit.* Eadem placuêre nostris principibus quibus inconsultis nemini licet extra imperij sui terminos efferre triticum, vinum, lanam, & alia eiusmodi: qua de re est etiam constitutio D. Ludouici, quæ victualia quælibet extra solum Galliæ deferri vetat. Ne liceat excurrere longius, non tantum Imperat. Alexander annonam militum diligenter inspexit, vt constitit sup. cap. 7. sed etiam id egit maximè, vt in publicum omnibus vilius constaret, idque vt præstaret, primum populi Rom. commeatum sic adiuuit, vt cum frumenta Heliogabalus euertisset, vicem de propria pecunia loco suo reposuerit. Negotiatoribus quoque, vt Romam volentes concurrerent, maximam immunitatem dedit. Oleum quod Seuerus populo dederat, quodque idem Heliogabalus imminuerat turpissimis hominibus præfecturam annonæ tribuendo, integrum restituit. Eô amplius congiariũ populo ter dedit, carnem quoque disttribui iussit. Sed & cum caro bubula & porcina carior diceretur, vt ei incommodo mederetur, iussit ne quis scrofam siue suem suminatam aut lactentem, vaccam-ve aut damalionem occideret, quo scilicet in genere bucerino aut porcino non deessent, quæ geminatis fœtibus vilitatem huic eduliorum speciei restituerent. Vnde etiam factum vt intra biennium vel annum propè magna copia fuerit carnis bubulæ & porcinæ. Est quod illa parte sacrosancta potestas nostri principis ad aliquod populi leuamentum intercedat, & anteriorum principum constitutiones in vsum reuocet optimè olim constitutas, & nimis improbè neglectas culpâ magistratuum, qui sua quam publica diligentius administrant.

De luxu coërcendo.

Cap. XXI.

CAput illud & ſumma politicæ adminiſtrationis luxum immenſum coërcere, qui ſemper rempub. omnem funditus labefactauit. Non alia ratione florentiora imperia à culmine totius fœlicitatis lapſa ſunt, quam vbi cura & labor omnis circa corporis delicatiorem cultum impendi cœpit, qui circa virtutem ſtrenue capeſſendam honeſtius & generoſius promi debuerat. Quare ille recte labentis reipub. romanæ fortunam augurabatur ex publicis moribus in luxum ſolutiorem inclinantibus.

Sæuior armis
Luxuria incubuit, victumque vlciſcitur orbem.

Multæ propterea Romæ latæ leges, quædam S.C. facta, quæ modum ponerent omni generi ſumptuum & impenſarum, ſiue ageretur de conuiuiorum & cœnarum nimio apparatu coërcendo, ſiuè nimis lauta ſupellex auro & argento fulgêret, ſiue mundus muliebris vim pecuniæ magnam conſumeret, ſiue ornamenta pretioſiora vniuſcuiuſque patrimonium exhaurirent, ſiue veſtibus ſericis aut auro intextis rem familiarem ſinguli arroderent. Cum ſæpius reſpub. rom. ab illa antiqua parſimonia & cœnarum tenuitate deſciuiſſet, quæ ipſi trophæa & triumphos aliquando pepererat, multis modis reuocare veterem diſciplinam è re pub. viſum eſt. Cenſores, quorum ſollicitudini incubuit, ne quid contra bonos mores peccaretur, huic rei operam dediſſe certum eſt: Nam & C. Fabricius Lucinus, & Q. Æmilius Papus Cenſores ipſi P. Cornelium Rufinum, qui bis Cõſul & dictator fuerat ſenatu mouerunt propter hoc ſolum, quod eum comperiſſent argenti facti cœnæ gratiâ decem pondo habere. Et ſimiliter M. Antonius & L. Flaccus cenſores etiam Duronium ſenatu mouerunt, quod legem de coërcendis conuiuiorum ſumptibus latam, cum eſſet Tribunus plebis, abrogauiſſet. Sed & ſenatus eam rem ad ſuam ſollicitudinem reuocauit, ſummamque præſtituit, quam nemo egrederetur in cœnis aut conuiuiis inter amicos, & parentes apparandis; hoc præterea addito, ne vino alienigena quiſquam ſed patrio vteretur, ne-ve in conuiuio argenti facti plus quam centum libras inferret. Hoc S. C. lex Fannia ſecuta eſt, Fanniam Licinia, aliæque quamplurimæ, quæ vt docet Gellius nuptiarum apparatum finierunt, & epulas quæ feriis quibuſdam fieri ſolebant. Etiam Iulius Cæſar, qui tot leges conſtituit, huic etiam rei proſpexit, quo ſumptui qui in nuptiis aut repotiis fieret modus poneretur.

Imo etiam circa macellum custodes eum dispositos habuisse, ac lictores etiam ac milites qui obsonia contra vetitum retinerent, & ad se deportarent, Suetonius refert in eius vita. Forte fallitur Gellius qui hanc legem Augusto tribuit, nam Iulium Cæsarem legis ipsius fuisse autorem, dum præfectus morum ob eam rem creatus esset in triennium, præter Suetonium non obscure Cicero docet in libris epistolarum familiarium. Etiam illis legibus vetustior fuerat lex Oppia, qua cautum erat, ne qua mulier plus semunciâ auri haberet, neu vestimento versicolori vteretur ne ve iuncto vehiculo in vrbe oppido-ve, aut propius inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causa veheretur. Etiam eorum repetita quædam sub Tiberio, quo tempore decretum factum à senatu, ne quisquam veste serica vteretur, ne-ve aureis vasis præterquam in sacris vteretur. Fucandæ & distrahendæ purpuræ & serici comparandi facultatem posteriores Impp. priuatis ademerunt, quod præter l. 1 & 2. C. quæ res vendi non poss. satis ostendit integer tit. de vest. holoueris & de tinctione sacri muricis. Etiam nulli licere in frænis & equestribus cellis aut balteis margaritas Smaragdos & Hyacynthos aptare Iustinus Imp. vetuit. Magnum ea parte operæ pretium præstitit Imp. Alexander Seuerus circa sumptus vestium, conuiniorum, aut ornamentorum. Et primum quidem in animo habuit omnibus officiis genus vestium proprium dare & omnibus dignitatibus vt à vestitu dignoscerentur, id edicturus nisi Paulo & Vlpiano displicuisset. Certe linteamina commendare solebat eaque pura, vt etiam diceret nihil opus esse purpura, si linea nihil haberent asperum. Imo in linea aurum mitti dementiam esse iudicabat. Cum asperitas adderetur & rigor: Sic illa vltima verba legit recte Casaubonus apud Lampridium. Sed nihil est à principe modestiam & frugalitatem commendari, nisi ipse prius ex propriis moribus censuram exerceat: Vnde recte Panegyristes ad Theodosium. *Tuæ, Imperator, epulæ mensis communibus parciores. Hinc certatim in omnes luxuriæ pudor, parcimoniæ cultus inoleuit, & quiescentibus legum minus subiit priuatim pœnitentia.* Et cum solutiores & magis voluptuariæ impensæ fuissent quam deceret sub primis imperatoribus rom. *præcipuus adstricti moris auctor Vespasianus fuit*, inquit Tacitus, *antiquo ipse cultu victuque: obsequium inde in principem, & æmulandi amor validior, quam pœna ex legibus metusque.* Sic ipse Imp. Alexander plus ipse domestici cultus moderatione, quam vllis edictis profuit ad omnes impensas noxias tollendas. Multa de ea re sparsim in eius vita Lampridius tradit. Illa præcipuè commemoratione dignissima. *Cum quidam legatus*, inquit, *(extranei scilicet principis) vxori eius per ipsum obtulisset vniones duos magni ponderis, & inusitatæ mensuræ, vendi eos iussit, qui cum pretium non inuenirent, ne exemplum malum à regina nasceretur, fico vteretur quod emi non possit, in auribus Veneris eos dicauit. Idem gemmarum quod fuit vendidit, & aurum in ærarium contulit dicens gemmas viris vsui non esse. Præterea matronas regias contentas esse debere vno reti-*

culo & inauribus & baccato monili & corona cum quasi-crificium facerent & vnico pallio auro sparso & cyclade quæ sex vnciis auri plus non haberet. Vestes idem sericas raras habuit, holosericas numquam induit. Quare etiam vt idem Lampridius tradit eum magni viri imitati sunt, & vxorem eius matronę pernobiles. Tantum scilicet ad formandos mores plus confert principum vita ad omnem modestiam composita, reiecto ab aula sua inani paratu retum inutilium, quam eorumdem repetitæ per tempora constitutiones, quæ luxui modum faciant: Adeo curiosius & ambitiosius etiam eos subditi recta peragentes imitantur, quam eis parent iusta & legitima imperantibus. Non satis fuit Imp. Alexandro ea seruasse quantum ad rationem vestium, aut ornamentorum: Sed omnem etiam aulam ita constituit, vt in eâ nulli ministrarent, nisi illi qui forent necessarij retinendæ dignitati romani imperij, cuius in persona sua maiestatem referebat. Quare narrat Lampridius aulicum ministerium in id contraxisse, vt essent tot homines in singulis officiis, quot necessitas postularet, ita vt annonas, non dignitatem acciperent fullones & vestitores & pictores & pincernæ. Externo cultu & ipso aulicorum comptè indutorum comitatu honos quidam & reuerentia maximo principi accedit, vt expediat quæcumque ad principem pertinent ipso conspectu esse magnifica, & non modo decorem & ornatum sed etiam splendidiorem habere apparatum: Sed nihil minus ex re principum est, quam prætorium suum & prætoriana ministeria nimio luxu diffluere, & ab vnoquoque eorum illa impendia fieri, quibus nec principis donatiuum quamuis amplum, nec patrimonij reditus possint sufficere. Nimis verum est quod ipse imperator Alexander dictitabat. *Imperium omne in virtute esse non in decore*, id est magis ex virtute, quam ex decore commendari, nam etiam virtuti decor adijciendus, ne cōtemptui sit, & vndecumque amplitudinem suam in principibus viris maxime nanciscitur. Denique nimis hoc verum est quod Plinius Secundus tradit. *Veste & comitatu non quidem augetur dignitas, ornatur tamen & instruitur.* Igitur vt & sibi accederet veneratio ex prætorianorum ministrorum cultu, quod nec fisci sui damno cederet, nec priuatorum incommodo, cautione hac & industria sagaci vtebatur imperator Alexander, vt etiam milites suos qui ostensionales vocabantur, non pretiosis, sed speciosis clarisque vestibus ornaret, nam & ipse chlamydes hirtas Seueri imperatoris, & tunicas asemas vel macrocheras ex purpura non magna ad vsum reuocauit suum. Narrat & illud Lampridius gemmas de calceamentis & vestibus tulisse, quibus vsus fuerat Heliogabalus, & veste alba vsum eum esse nequidem aurata, penulis togisque communibus. Quidam principes, & ex priuatis quamplurimi, astrictioris parsimoniæ sunt in aliquo impendiorum genere, & rigidi Catones sibi esse videntur, si aliqua in re frugalitatem & continentiam aliquam exerceant: Cæterum in aliis solutioris sunt prodigentiæ. Sunt qui amictus modestiâ censeri se desiderant, sed supellectilis do-

mesticæ pompâ immensè & super omnem insolentiam lasciuiunt: adeo lecti stragulis pretiosis, sedilia phrygio opere & acu contexta, serico mensæ, peristromatis abaci, picturis parietes vel aulæis superbiunt:

Omnia fulgenti splendent auro, atque argento:
Candet ebur soliis, collucent pocula mensis,
Tota domus gaudet regali splendida gaza.

Aliis vtrumque est despectui, & affectatæ vestimentorum munditiæ, & nimis sumptuosa supellex: sed ciborum affectant lautitias, & in rebus omnibus tenuitatem laudãtes, ventris tamen sequuntur ingluuiem, & circa splendidum conuiuij apparatum instruendum larga manu diuitias effundunt, aut in cæteras corporis voluptates conuertunt, quod ex æquo improbandum: quid enim refert, quo quisque modo insaniat, cum virtus suis septa finibus, vbique parem requirat in rebus omnibus moderationem. Imperator Alexander, & in eo quoque laudabile sui exemplum præbuit, quod in ipsius aulæ cultu non sumptum sed dignitatem quæsierit, & propterea in conuiuio aurum nesciebat, pocula mediocria sed nitida tamen semper habebat. Eo amplius ducentarum librarum argenti pondus ministerium eius numquam transiit. In cibis simplicitatem amauit, siue priuatim siue publice conuiuaretur. Et rectè Lampridius tradit conuiuium eius neque opimum neque nimis parcum, sed summi nitoris fuisse, ita vt nonnisi festis diebus iisque solennibus veluti ludis Apollinaribus & Iouis epulo & Saturnalibus fasianus adhiberetur, lepus vero quotidie, quo cibi genere apprime delectabatur. Scenicas etiam voluptates, quibus apprime anteriores principes delectati erant, ipse in conuiuio numquam habuit. Interdum tamen spectacula frequentauit, sed cum summa tamen parsimonia, dicens scenicos venatores & aurigas sic alendos quasi seruos. Nanos præterea & nanas & moriones ab aula remouit, eosque populi voluptatibus donauit. Denique nihil fingi potest ad exactam prudentiam quæ sua sunt moderate omnia dispensantem, quod non ille in summo rerum humanarum culmine constitutus exhibuerit. Vnde licuerit effusis indignationis habenis in luxum immanem inuehere, qui iam priuatas domos exhaurit & rempubl. funditus labefactat. Hac fere insaniâ iam quisque adigitur, vt amplissimum patrimonium suum tanquam grauem aliquam & inutilem sarcinam exquisitis vndecumque & arcessitis impensarum noxiarum rationibus quam celerrime abiicere cupiat. Qui nauigant plerumque ad nauem alleuandam dum tempestas poëtica quædam totum mare conturbauit, fortunas suas omnes in mare coguntur proiicere, & inuoluntarium hunc iactum esse & Philosophi & Iurisconsulti docent, quia non eo animo fit, vt qui merces suas proiicit earum dominium amittat, sed vt qui in naue sunt saluti suæ consulant: Verum longe infelicior iactus pecuniarum, qui ex dissolutis moribus fit, quan-

doquidem voluntarius eſt,& per eum nullius periculi fugiendi quæritur obtentus, ſed ad ipſam paupertatem, quam malorum extremum plerique putant, præcipiti itinere decurritur. Fœminæ inuicem contendunt quo modo delicatiori atque etiã pretioſiori mundo alia aliam ſuperet, nec iam ornatus quæritur, qui ſemper illis permittendis eſt, ſed impenſa. Vltro vna quæque nouas munditias, nouam eamque magnô conſtantem poliendi & ornandi corporis rationem comminiſcitur, & illa habetur comptior, quæ magis ſumptuoſo apparatu veſtimentorum exculta incedit, quibus non tantum caritas conſtat propter materiæ dignitatem, ſed etiam propter artificium & operas multorum dierum à phrygione & acupictore redemptas, vt ſerico ſericum inducat. Sed his adiiciendę gemmæ, & petiti ex indico mari lapides, quibus luxus impotẽtia maius pretium conſtituit, quam quo latifundia ingentis reditus redimuntur, vt interdum neceſſe ſit omnem domi egêre familiam, & ipſa mulier non tam mater familiaſ quam petulans nouerca haberi debeat:

Matrona incedit cenſus induta nepotum,
Et ſpolia opprobrij noſtra per ora tulit.

Et quidem ille delicatior corporis cultus circa pretium immenſum veſtimentorum in fœminis olim conſtiterat, quaſi certiſſimum imbecillioris ſexus teſtimonium: cum enim non habeant, quo in rerum publicarum adminiſtratione, vel re aliqua maioris momenti ſe extollant, hac prærogatiua cenſeri ſe voluerunt, vt quod foris imperium non habent, id in viros domi ſibi compararent cultu corporis aliquantum ambitioſiore, quem tamen facile negligunt. quæ virtute plus pollent, & indole ſui generoſâ pietatem in Deum, pudicitiam & amorem in maritum, caritatem in liberos, domus curam pro optimis ornamentis ducunt. Iam ea labes ad ipſos viros peruenit, & fere ad eos quos modeſtiæ leges ſancire oporteret. Hinc conſtat quantum deſciuerimus ab auorum noſtrorum virtute, qui decorem in veſtibus quæſiuêre non pretiũ. Quotidie ad noua conuertimur & deteriora. Externæ gentes, ad quas immenſam vim pecuniarum transferimus, vt ad nos tranſmittant alimenta luxuriæ, ipſæ leuitatem noſtram irrident, & dicaci ſcommate proſcindunt. Quiſque tamen ea animi cæcitate ducitur præceps, vt iam modeſtiæ pudeat, & frugi eſſe pœniteat: adeo præſtat aliena ſequi vitia quam proprias tueri virtutes, aut aliis ad cautius agendum facem præferre. Iam competit in plurimos vetus prouerbium ἅπασαν οὐσίαν ἠμφίεσαι, vt cum illo Philoſopho poſſint gloriari ſe bona omnia ſua ſecum portare. Ex eo ſequitur vt qui in publico pulchre amicti incedant priuatim algeant: Ἔξωθεν ὁλοπόρφυροι, τὰ δ' ἔνδον λευκοπάρυφοι. Quotus eſt qui pauper videri velit: nemo eſt qui Ariſtidem aut Epaminondam referat, & paupertatem vt vitæ innocentis teſtimonium circumferat. Nemo eſt qui ſub tam noxiæ arboris vmbra latere honeſtum ducat.

Ergo vnusquisque fucum facere desiderat, nec illud tamen felicibus semper auspiciis, nam vbi supra facultates spendidus apparatus quæsitus est, diu celata rei familiaris incommoda cum maiore dedecore tandem conspiciuntur. Sic fit igitur vt & diuites temere sua profundant, & pauperes statim concidant, dum illis pares se præstare desiderant. Sed nimis recte nobiscum ageretur, si immodici sumptus intra vsum curiosorum indumentorum consisterent. Cœpere etiam impudentius alio se efferre. Ius habendi currus olim nonnisi magnis magistratibus Romæ permissus fuerat, quales erant prætores & ædiles, qui etiam propterea ædiles curules vocabantur. Vltraquam de vehiculis lege Oppia erat definitum, Iulius Cæsar ipsum lecticarum vsum, item conchyliatæ vestis & margaritarum, nisi certis personis & æratibus & per certos dies, ademerat, vt Sueton. scribit. Ipse Imperat. Alexander teste Lampridio carrucas Romæ & rhedas senatoribus duntaxat vt argentatas haberent permisit, quod putaret interesse Romanæ dignitatis, vt his tantæ vrbis senatores vterentur. Etiam in Codice Iustiniani est Imper. Gratiani Valentiniani & Theodosij constitutio de honoratorum vehiculis, ex qua ciuili tantum vel militari dignitate præditis intra vrbem Constantinopolum licet vti vehiculis. Quod est amplius, ipsum equorum vsum exceptis senatoribus atque honoratis & ipsis prouinciarũ moderatoribus, decurionibus, vel veteranis, qui sub armis militia functi erant prohitum fuisse docent Imper. variæ constitutiones, quæ in C. Theod. referuntur sub tit. *Quibus equorum vsus concess. est, aut deneg.* Fidem facit Romana historia Consulem Catonem ab Hispania redeuntem equum suum distraxisse, ne sibi impendio esset per mare in Italiam redeunti. Idem tribus seruis comitatus Hispaniam rexit, & pellibus hoedinis pro stragulis vtebatur. Ipse Scipio Æmilianus post duos inclytos Consulatus, totidemque triumphos, septem seruis sequentibus officio legationis functus est, & per socios & exteras gentes iter faciens non mancipia sed victorias suas numerari malebat. Quam absunt ab hac frugalitate mores nostri, cum iam priuatis hominibus ipsę Narcissi aut Crœsi diuitiæ vix suffecturæ sint ad alendos equos, vehicula comparanda, ministrorum turbam exhibendam & vestiendam, supellectili domum instruẽdam, aurum vel argentum potorium & escarium, & vasa omnia argentea quæ cuilibet vili ministerio deputantur conquirenda, aulæa babylonica signa, tabulas, toremnata redimenda, & ipsas domos tantę fœlicitatis capaces marmore & lapidibus quadris substruendas. Turpioris probri illud est, quod in comparandis ciuilibus vel militaribus dignitatibus licitantium calor in immensum exurgit vt ad honores perueniatur, quibus dempto specioso nomine nihil iam aliud quam dedecus iunctum est. Extremum tamen & cæteris etiam deterius sæculi vitium gula & ciborum ingluuies, quod nec vllo momento durabili excusabile est, quo lautitiæ & exquisitæ deliciæ in conuiuiis

adhibentur, noua eduliorum vocabula confinguntur, aues peregrinæ vestigãtur, & nullum obsonium gratum est, nisi quod ipsa caritas commendauerit. *O miserabiles*, inquit Seneca, *quorum palatum nisi ad pretiosos cibos non excitatur, pretiosos autem non eximius sapor, aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas & difficultas parandi facit.* Iam sumptus & fastidium pro gustus suauitate cedit, & cum olim præfecti popinarum & luxuriæ arbitrarentur cœnam lautissimam esse, cum auium & altilium mensæ tantum apponeretur vt à cluniculis inferiori parte saturi conuiuæ fierent: nunc tanta ciborum varietas, tot fercula inferuntur, tot missus mensas onerant, vt non ad eos stomachus tantum, sed ipsi oculi fastidiant, & perinde integri cibi asportentur, ac appositi fuerant Legimus Persarum Reges singularum vrbium reditus integros in zonas, calceamenta, redimiculum, collum, & crines vxorum suarum ornandos concessisse. Ipsi Themistocli Myns vrbs à Xerxe data fuerat in opsonium, Magnesia in panem, Lampsacus in vinum, Scepsus ac Percope in vestes & stragulas. Sed eò iam fere rediit in omni genere impensarum insania, vt vix comitatuum & ducatuum ingentes prouentus priuatorum luxuriæ sint suffecturi. An nobis nascentibus adfuit Genita Mana, cui litare moris erat, ne quidquam domi probum nasceretur: adeo omnes ad impensas non tantum voluptuarias, sed etiam probrosas præcipitant.

Quo nobis mentes, recta quæ stare solebant
Antehac, dementi se se flexêre ruina?

Quonam recessit antiqua illa Francorum parsimonia, ex qua conuiuia vrbanitatem & hilaritatem, non luxũ non sumptus immodicos sapiebant, ex qua vestimenta omnia segmentata, fimbriæ auro & argento intextextæ, auro clauatæ vestes, petiti ex orbe peregrino limbi, caligæ sericæ, castorini galeri, aut omnino non visebãtur, aut solis principibus permittebantur. Leges latæ sunt nimium luxum coërcentes, negligũtur: & quod peius est, contemptæ semel securiorem audaciam interdictis maiora tentandi præstiterunt: quia vt recte apud Tacitum Tiberius: *Si velis quod nondum vetitum est; timeas ne vetere: At si prohibita impune transcenderis, neque metus vltra, neque pudor est.* Inter hæc ad quem statum res rediere. Coniugia omnia imparia, & sine præiudicio legis Iuliæ de maritandis ordinibus senatorij generis personæ cum plebeis matrimonia contrahunt, & vbi dolosi spes refulserit nummi ex infimis cocorum ergasteriis ad quos sæculi insolentia maximam partem diuitiarum contulit aut vxor quæritur aut maritus,

Γῆμαι δὲ κακὴν κακοῦ οὐ μελεδαίνει
Εσθλὸς ἀνὴρ, ἤν τις χρήματα πολλὰ διδῷ.
Οὐδὲ γυνὴ κακοῦ ἀνδρὸς ἀναίνεται εἶναι ἄκοιτις
Πλουσίου, ἀλλ' ἀφνειὸν βούλεται ἀντ' ἀγαθοῦ.
Χρήματα γὰρ τιμῶσι, καὶ ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἔγημε,

Καὶ κακὸς ἐξ ἀγαθῦ, πλῦτος ἔμιξε γένος.

Tolerabiles ſcilicet eiuſmodi nuptias, quas nemo bonus probauerit, luxus facit, cui fouendo & ſuſtentando ſubſidium vndequaque petendum eſt. Sic omnia ceſſim eunt, modo cuncta erunt in facili:

Quid non ſperemus amantes?
Iungentur iam gryphes equis, æuoque ſequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

Ex tam fauſtis nuptiis quæ ſequutur niſi lites, iurgia, querelæ, dum illa dotem exprobrat, ille ignobilitatem generis contemnit, vterque infelicitatem ſuam damnat. Maneat fides, integra ſit concordia inter coniuges: Etiam ſine mendacio viuant inter ſe, vt cum Iuriſconſultis loquamur; tamen vbi duo treſ-ve liberi prodierint, nullæ diuitiæ domum ira poſſunt beare, vt ad tantum onus poſſint ſufficere, & cum oportuerit lætius exurgere, quo plura enaſcuntur familiæ atque ipſius reipub. ſubſidia, maritus de fœcunditate vxoris queritur, & ipſa vxor incipit odiſſe puerpêria. Tum certe cogitandum eſt quantus numerus pædagogiorum & a pedibus ſeruientium eſſe debeat pueris adhuc in cunis vagientibus, tum ſupremorum ſubſelliorum quærendæ ingentibus pretiis dignitates, ad quotidianos etiam ſumptus magna pecuniæ vis eſt ſubminiſtranda: Maſculis edocendis ſiue bonarum artium diſciplinis imbuantur, ſiue arma & equitandi peritiam meditentur, magno pretio redimendi lugi magiſtri: Ipſis puellis etiam immenſæ dotes ſunt comparandæ, nam lex Papia quæ dotibus modum faciebat romanis data eſt, non nobis; quæ vero à regibus noſtris eadem de re latæ ſunt, iam dudum in deſuetudinem abierunt. His etiam adiiciendum puellare ipſum peculium, in quo ſolent contineri ſpecula, volſellæ, pectines, aciculæ, calamiſtra, annuli, inaures, torques, armillæ, gemmæ pretioſæ, petiti ex indico rubroque mari lapides, & cætera eiuſmodi ornamenta, in quibus recenſendis ſi laborant Iuriſconſulti, vt feſtiue doctus ait Paſſeratius, quid infelices mariti in comparandis. Interim quia tot impenſarum gurgiti domeſticum non ſufficit patrimonium quamuis ampliſſimum, ſubſidium ab eccleſia petendum. Si plures ſint quam duo liberi, natu minoribus pontificatus quærendæ infulæ, aut ſi tantam felicitatem non ferat adhuc enaſcens domus dignitas; minoris ſubſelij omni diligentia conquirendi ſunt perſonatus, vnde etiam aliquid parentibus accreſcat. Si nec hoc ferat ſors proſpera, ad cucullum damnanda eſt miſerorum parentum infelix proles. Puellis quoque eadem conditio imperatur & inuitæ ac reclamantes perpetuæ non tam caſtitati, quam impudicitiæ addicuntur; vt paratas habeant nuptias monachi quidam aut clerici apoſtatæ, ac noui iterum Caluini & Lutheri ipſi forte etiam per vim in monaſterium vel clerum cöiecti, conſarcinatâ aliquâ veteris cuiuſdam & iampridem damnatæ hæreſis rapſodiâ, è clauſtris ſuis erumpant iam ante flagitiis infames, & poſtmodum ex parthenonibus,

tanquam ex lupanaribus sibi incesta consortia sub specie matrimonij quærant. Annon tandem agnoscemus hæreses enasci ex prauis moribus,& enatas ab iisdem foueri & educari. An non aliquando ad mentem redibunt insani parentes, qui corpora & animas liberorum suorum infelicitati perpetuæ deuouent,dum aut inuitos,aut ignorantes,& penitus eius rei quam instituunt ignaros, ad ecclesiæ cultum delegant, non pietatis studio, sed vt auaritiæ tantum suæ satisfaciant, aut vt solent dicere, sibi sollicitudinem demãt,quam de liberis habent promouendis. Hæc scilicet præclara ratio qua familia exoneretur, & sumptus alleuentur: Tradere liberos ecclesiæ, qui patrimonium eius dissipent, bona pauperum diripiant,impudice viuendo animis fidelium offensionem causentur,clero ipsi sint opprobrio,& quod extremum malorum est,fidei orthodoxę aduersariis occasionem parent contumaciter errores suos defendendi, & aduersus Deum & Ecclesiam suas blasphemias euomendi. Eandem viam prorsus tenerent,qui seminarium libidinis, hæreticæ prauitatis, totius impietatis instituere vellent. Sed hoc quam iniquis conditionibus faciunt, qui cum ipsi plerumque maxime impudici sint in matrimonio degeneres & in senium præcipites, audent tamen à liberis & iuuenibus, & vitiorum suorum exempla secuturis, & omnium rerum licentiæ assuefactis sibi spondere probos mores,& certam castitatem. Adhuc verendum foret,ne nouæ iterum hæreses iis qui iampridem inualuerunt deteriores orirentur, nisi iam proximè Deus opt. max. per principem nostrum aliosque Christiani nominis sæculares vel ecclesiasticos magnates, mores ad peiora semper inclinantes ad meliora esset reuocaturus. Hæc igitur prima sunt nostri luxus incommoda. Alia sequuntur nec forte minora. Paupertas primum quæ iam omnes reipubl. partes labefactat: nec enim quærendum est vnde tot pauperũ cohortes: nulli sunt primum aut pauci qui iis quidquam erogent,cum domesticis voluptatibus quod ipsi habent non sufficiat, & semper quisque inueniat satis in domo sua esuriei,vt de aliena fame non cogitans se habere existimet idoneam excusationem. Quod olim in cultum pietatis erogabatur,in luxus alimenta vix sufficit. Sed illud est iam summæ modestiæ & loco beneficij etiam cedit,si aliqui in pauperes nihil erogent, modo ne quid iis auferant: quamplurimi enim sunt, qui damnum diuitiarũ suarum per luxus immodicos abeuntium ex tenuiorum peculio sarcire, & ruentem in exitium rem familiarem ex eorumdem facultatibus fulcire non vereantur. Cumulum illum pecuniarum, quibus honos gladij aut prouinciæ administratio emitur, plurium dispendia confecerunt, aut certè postmodum ob hanc rem æs alienum contractum plurium ruinâ dissoluitur. Non querantur nobiles assiduis bellis ciuilibus, quorum ingratum onus iactant se sustinuisse, exhaustas esse opes suas: has luxus consumpsit, dum præclaros titulos natalium suorum non magis sapientes quam alij, quibus superiores vi-

deri desiderant, vestibus supra modum sumptuosis, cultu supra omnem insolentiam magnifico, ministrorum nimis frequenti satellitio, equitio principum opulentiam vincente, ad fastidium exquisito mensarum apparatu, splendidâ vel vrbanâ vel rustica supellectili, arcibus non tantum ad pompam sed etiam vsque ad inuidiam superbe ædificatis, adornare voluerunt. Ad plebem etiam iam incipit peruenire hoc studium, vt se impendij magnificentiâ ab eiusdem sortis hominibus vinci nolint, & iam plures à fundulorum suorum possessione hic turbo decussit, & nimis multi iam existunt in omni fortuna, qui parem exitum sortiuntur, quem apud Æsopum ranuncula, quæ ad bouis crassitudinem gestiens contendere nimis se inflando media disrupta est. Verendum est, ne plures Otacilij, id est mediocris fortunæ homines Torquatos id est potentiores se homines velint imitari, ac tandem stultitiæ suæ pœnas ferant Etiam cum Martiale ludendum est, & ex ipsius epigrammate res tota explicanda. Sic vero eleganter iocatur sub nomine Otacilij aduersus tenuiores, qui maioribus se exæquare nituntur.

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum:
Ad quartum breue rus emit Otacilius.
Torquatus nitidas vario de marmore gemmas
Extruxit: cucumam fecit Otacilius.
Disposuit daphnona suo Torquatus in agro:
Castaneas centum seuit Otacilius.
Consul Torquatus; vici fuit ille magister:
Nec minor in tanto visus honore sibi.
Grandis vt exiguam bos ranam ruperat olim,
Sic puto Torquatus rumpet Otacilium.

Hoc pessimum est, vbi publici mores frænis nullis coërcentur, quod omnes certatim ad paupertatem properant, dum quisque æqualem maioribus se videri vult, & per sumptuum insolentiam tegere desiderat vilitatem suam. Naturalis plerisque parsimoniæ vel paupertatis pudor, hunc à se amoliri omnes desiderant, & statim quorum res est domi angusta, in voraginem egestatis decidunt: alij quorum lautius est patrimonium, diutius pereunt, sed pereunt tamen. Sic omnes aut in interitum rerum suarum citato gressu festinant, si ab alieno abstineant, aut in iniuriam, si per furta rapinas, fraudes, vt solent plurimi, ruenti propter immodicos familiæ sufflamen quærant. Censore & Consule digna sententia M. Porcij Catonis apud Liuium, dum legis Oppiæ à cultu nimis magnifico, & auri aut vehiculorum vsu mulieres prohibentis tuetur apud populũ seueritatem. *Vultis hoc certamen vxoribus vestris inijcere, Quirites, vt diuites id habere velint, quod nulla alia possit? pauperes ne ob hoc ipsum contemnantur, supra vires se extendant.* Æmulatio in re tam caduca non debet acquiescere, vt contendant inter se ciues, quis magis sumptuosis vestibus induatur, quis habeat lautiores epulas,

quis magis magnificam ſupellectilem, quis in domo plura marmora numeret, cui maiori pecuniæ quantitate ſua dignitas conſtet. Niſi circa virtutem ſtrenue capeſſendam ſuas vires & animum expromat, quaſi in vitium degener reprehenſionem non laudem meretur. Verum vt rectè Valerius Maximus: *Blandum eſt malum luxuria, quam accuſare aliquanto facilius quam vitare.* Quando itaque & hi interdum, qui ex ambone aut tribunalibus diligentius vitia & mores publicos inſequutur, non ſentiẽtes in illam delabuntur: Quis ſubueniet? Quis eã parte maxime laboranti reipub. medicas manus feret? Nullus eſt, qui iuſtius & ſpecioſius id honori ſuo debeat tribuere, quam princeps nõſter, de quo ſicuti de illo famigerato Scipione Æmiliano vnico, dum vixit reipub. rom. columine tradit Liuius illud dici poteſt veriſſimè, habitum corporis in eo nõ munditiis cultum, ſed virilem vere ac militarem eſſe, cuius ita eſt innocens vita, vt inuidiæ patere non poſſit, vt in eo non poſſit ipſe Momus inuenire quod carpendum ſit. Par eſt itaque, vt habet animum ad optima quæque conſentientem, ita ab eo expectari aliquod reipub. leuamentum in tollendo nimio luxu, qui ipſam arrodit: Quod eo vel maxime ſperandum eſt, quia D. Ludouici in ea re exemplum ſecuturus eſt, qui quo magis aulicos ſuos ad modeſtiam inuitaret, ipſe Hieroſolymam profecturus pretioſiora veſtimenta depoſuit, ac iuſſit pecunias, quæ in rem veſtiariam ſolebant conſumi, pauperibus diſtribui: Sed & eius illud dictum fuit nobile, quo poſſit etiam concludi hæc tota diſceptatio, eam in veſtium cultu ſeruandam eſſe rationem, vt quiſque ſecundum perſonarum conditionem ita induatur, vt neque qui ſapiunt magis poſſint veſtimentum arguere tanquam nimiis mũditiis excultum, neque alij tamquam nimis ſeuerum aut ad affectatam tenacitatem exquiſitum. Quam circa vſum veſtimentorum deſiderabat moderationem, nihil dubium eſt in aliis omnibus exegiſſe. Et quidem nimis hoc verum in rebus omnibus mediam quamdam viam ſequendam eſſe, atque illud tutius eſſe quod magis ad mediocritatem accedit. *Οὐδὲν τῶν ἐν ἀμετρίᾳ καλόν*, ait Iuſtinianus in nouellis: Et ſignificantius in ea quæ eſt de conſulibus *τοῖς περὶ ἡμῶν*, inquit, *ἐν μεσότητι τὸ βέλτιστον ἔδοξεν εἶναι, ὡς τῶν ἑκατέρων ἄκρων κινδυνευόντων, εὐθὺς εἰς ἁμαρτίαν ἐκβῆναι.* Illo nimirum fit vt parſimonia (quæ à Seneca definitur ſcientia vitandi ſumptus ſuperuacuos, aut ars re familiari recte vtendi) media conſtituatur inter auaritiam & luxuriam ſiue prodigentiam pecuniæ quæ fit temere in impendia voluptuaria & inutilia. Hanc merito veteres magnũ vectigal eſſe exiſtimauerunt, quia nullæ ſunt ita tenues & mediocres facultates quas parſimonia & recta diſpẽſatio nõ faciat tolerabiles & idoneas ad tuendam vitam, & ſubminiſtranda ea quæ vſui ſunt neceſſaria: Vt in contrarium, nulla tanta vis pecuniarum alicui poteſt ſuppetere, quam non luxus immodicus ſtatim conſumat: Quod accidit quam plurimis, heluonibus qui in ampliſſimo patrimonio conſtituti paſci nequeunt, quin

veluti

veluti gallinæ in pleno aceruo dispergant disperdantque omnia. *Sine parsimonia nec vllæ opes sufficiunt, nec vlla non satis patent, præsertim cum in vicino remedium sit, & possit paupertas in diuitias se, aduocata frugalitate, conuertere.* Nimis iam multi sunt ganeones & discincti nepotes, qui impune popinis suas abligurriunt facultates & demum

(Ære paterno
Et rebus versis in ventrem fœnoris atque
Argenti grauis, & pecorum agrorumque capacem.)

Ad extremam egestatem deducuntur. Nullibi modus, nullibi ratio prohibendæ stolidæ iuuentutis ab inconcessis sumptibus, quia qui olim curatores furiosis & prodigis dare solebant, ipsi quam sæpissime eius nunc conditionis sunt, vt ex lege Lætoria vel antiquiori duodecim tabularum ad agnatos & gentiles sint deducendi. Aderit vnus omnium curator princeps, qui omnes ad officium suum desides & oscitantes reuocabit. Hoc honori esse cœpit, si qui sint qui sumptu nimio rem familiarem atterāt: Non aliud remedium quæri commodius possit, quam si rebus versis in melius iisdem nota aliqua maioris infamiæ inuratur, non tantum curator constituatur. Hac cautione Solon existimauit maiori vinculo constringi prodigentiam propriarum facultatum, ac propterea illam legem sanciuit, *τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν δαπανήσων ἄτιμος ἔστω.* Imperator quoque Hadrianus decoctores bonorum, qui sui iuris essent & autoritatis, catamidiari & ludibrio haberi iussit. Nulla fere pœna maior est quam infamiæ: Ideoque cum Milesiæ virgines quodam veluti œstro percitæ in voluntariam mortem concederent, vt nebulones plerique sponte furiosum faciunt exitum fortunarum suarum, visum est vt quæ corporibus suspensis demortuæ forent eodem laqueo præuinctæ efferrentur, ac demum pudore solo tam inhonesti funeris fuerunt deterritæ.

De adulteriis coërcendis & pudicitia priuatim & publice custodienda.

Cap. XXII.

Commode postquam dictum est de luxu coërcendo sermo se transfert ad tractatum de adulteriis coërcendis & de pudicitia: Nemo enim non queritur caput omne impudentis audaciæ, qua palam & impune castitas aliena tentatur, vel propria vltro prodigitur, oriri ab immodicis sumptibus, quos facere & innocentiam tueri fere iam non est in procliui: Vnde fit vt ab intemperantia illa proximus sit gradus ad inconcessas voluptates. Mulieres maxime hoc sibi indulgent vt com-

ptiores sint, atque etiam quam fieri potest ornatæ in publicum prodeant. *Φιλοκόσμον genus fœmineum est*, inquit D. Hieronymus ad Gaudentium, *multasque etiam insignis pudicitiæ quamuis nulli virorum tamen sibi scimus libenter ornari.* Cum igitur iam sit veluti naturale illud desiderium in illis vt ornentur, & eò sæculi mores propendeant, vt sint illæ contemptui quæ insolentiam aliarum non insequntur, facile quæ sunt infirmioris animi vinci se ab aliis cultu ornatiori non patiuntur. Hinc est etiam, vt quia publici mores sumptibus modum non faciunt, non possit etiam domi maritus. Hinc querela, hinc discordiæ: vt iam quæ cœpit odisse aut contemnere maritum, facile subsessorem coniugij diligere incipiat, qui largitur aut promittit, quæ vel auaritia mariti vxori denegat, vel inopia suppeditare non potest. Quamplurimi inde alieno infortunio admoniti malunt alienas corrumpere vxores, quam vt eam aleam adeant vt possint corrumpi suæ, & dum poterant honesti coniugij legibus constringi, per omnia scelera vagantur, & quotidie nouis adulteriis, stupris, & quibuslibet libidinum monstris incestam vitam commaculant. Parum esset si à laicis tantum hæc peccarentur, quæ tamen districtioribus suppliciis vindicari expediret. Ea labes insolentius peruenit ad quosdam clericos, qui etiam impudenter solent gloriari se alienis vxoribus vitium inferre solere, suis non posse inferri. Alij qui magis pudici sibi videntur concubinas habent, & qui inter laicos pudice cum vna coniuge viuere poterant, plurium sibi adsciscũt consortia meretricum. Etiamsi pauciores sint, qui in eiusmodi dedecora prolabuntur, & iam incipiat maior clero constare amor castitatis, tamen verum est quorumdam flagitia ad omnium culpam referri, quia magnum est argumentum ecclesiasticæ disciplinæ rigorem non satis exacte seruari, cum illa etiam à paucis committuntur. Nec iam quærendum est, vnde tam impotenter insaniis suis hæretici acquiescant, qui scelus vnius duorum-ve in aliorum calumniam trahunt, & vitio vertunt Ecclesiæ, quod fibulam sacerdotibus imposuerit, quasi illa sit tot criminum rea, quot ab Ecclesiastici ordinis viris adulteria, stupra, aut fornicationes admittuntur. Et certè pro-vt secum argumentantur, pro-vt sacræ scripturæ locos torquent, pro-vt antiquos Ecclesiæ mores dissimulant, cum aliqua ratione furere sibi videntur: & si commentiriis suis captionibus id euincere possent, solos clericos quibus ius vxorem ducendi nõ est vitio impudicitiæ patere, magnum operæpretium adstruendis næniis suis iamdudum præstitissent. Etiam ipsi, quibus tam liberum est matrimonij ius, nec vxores ducunt plerumque, & vaga tamen venere vtuntur: & alij vxore ducta non magis continentiam seruant, aut ab alienis fœminis abstinent. Quid dicturi sunt si eiusmodi mores in aliquibus clericis Ecclesiæ orthodoxæ deprehẽdãt, statim innoxias Ecclesiæ leges criminantur, & personarum delicta in eius culpam transferunt. Quam multis liberum est vel nubere, vel

vxorem ducere,qui propterea à nequitia non abstinent. Ne iniuriose carpant Ecclesiam, quæ vbique sancta est in præceptionibus suis. Ecclesia continentiam clericis imperat: sed eadem eos diligi iubet castos, incorruptos, ab omni criminis suspicione immunes. Eligi iubet antiquæ prudentiæ viros, quorum vita vbique innocentiam prætulerit, qui bonos & pudicos mores coluerint. Vnum Ecclesiæ præceptum non diuidant ab aliis,& inanis fuerit eorum adlatratio. Non ignorant coli posse virginitatem,quam & ipso coniugio meliorem ipse D. Paulus esse palam constituit, & patres primitiuæ Ecclesiæ plurimi non solum laudauerunt,sed & sanctissime coluerunt. Quid igitur incōmodi est Ecclesiam iisdem clericorum munia delegasse,qui & possent virginitatem profiteri. At quidam eam non seruant,imo & multis vitiis laborant, qui præsunt Ecclesiæ? Non magis id ad illius culpam verti debet, quam ad medici dedecus ægrotantis intemperantia, qui eius mandata insuper habuit. Tam illud est ex sæculi & ipsorum hominum vitio,quam istud vt cœperint vendi magistratus,& fures, pueri,ignari, falsarij, reipubl. dignitatibus præfici. Denique quæcumque & nunc peccantur in Ecclesia, & olim male facta sunt, illa non doctrinæ vitio sed malo κακοπολιτείας impūtanda sunt. Nisi dives admodum fuisset Ecclesia, aut opes in eam collatæ aliò versæ non fuissent quam debebant,nihil esset quod in ea improbarent hæretici. Sed postquam facultatibus aucta est, & opes quæ alendis pauperibus impendi debebant, tuendæ magnatum ambitioni, aut paucorum explendæ auaritiæ cœperunt inseruire: tum nullus cœpit haberi delectus eorum qui ipsis præficerentur,& plerique ad gradus ecclesiasticos animum adiecêre, quia certior ratio visa est ad potētiam breuiori via contendendi: omnia fauori sunt concessa,nihil vitæ meritis datum. Magnates,qui ipso nomine flagitia sua tuentur, opima quælibet beneficia inuasêre, quibus non satis fuit improbè ea tenuisse, eadem ad hæredes suos instar proprij patrimonij transmisêre, qui integra conscientia putauerunt iure optimo se ea possidere, nec dissimili tamen impudentiâ, quam ipsi hæretici nuperrimè bona Ecclesiæ per vim rapta in Biarnensi regione tenebant,& adhuc in aliquibus locis retinent. Non difficile est vitia, quæ concipiunt ipsi magnates in eminentioribus Ecclesiæ dignitatis constituti in minores ordines transfundi. Quibus-nam summi Ecclesiæ honores dantur, nisi illis qui propter familiæ prærogatiuam nulli disciplinæ sunt obnoxij? Quibus-nam apices dignitatum dantur? Quinam Episcopi, Archiepiscopi, Abbates, nisi ex magnatum domo? Qui nihil ab Ecclesia quærunt, nisi familiæ subsidium, nihil vero conferunt ipsi, nisi exlegis vitæ exemplar inferioribus imitandum. Simulatque ab Ecclesię beneficiis remota fuit innoçens paupertas,& ambitiose & per gratiam quæsiti ab improbis quibuslibet, non vltro delati honores Ecclesiæ fuêre illis, qui vitæ inculpatæ conscientia florerēt, necesse fuit

S ij

inclinari in peius Eccleſiam, nec alia ratione in proprium redigi vnquam poterit libramentum, quam ſi deſierint tam iniquè fauores eius diſpenſari, & res eius magis commodè, & ex præſcripto canonum procurentur & adminiſtrentur. Sed ne à propoſito longius aberret ſtilus; vbi tam impotenter cœpit impudicitia inualeſcere, matrimonij honos cœpit etiam euileſcere. Vnde omnis malorum fomes, tum enim incerta ſpes liberorum eſſe incipit, nec vlla cura eorum probe educãdorum: tum etiam impudici ex impudicis parentibus naſcuntur, & præclarum reipub. ſeminarum corrumpitur.

Ὅταν δὲ κρηπὶς μὴ καταβληθῇ γένους
Ὀρθῶς, ἀνάγκη δυστυχεῖν τοὺς ἐγγόνους.

Summa igitur recte adminiſtrandæ reipub. in eo potiſſimum verſatur, vt matrimonij decus & honeſtas vigeat, quæ optimam ſobolem poſſit quotidie pereunti per varios caſus hominum generi ſufficere. *Maritale coniugium ſic comparatum eſt à natura, vt non ſolum iucundiſſima, verum etiam vtiliſſima vitæ ſocietas iniretur.* Iraque illud rectiſſime Iuſtinianus Imperat. Ὁ *γάμος οὕτω σεμνὸν, ὡς τῷ ἀνθρωπίνῳ γένει δοκεῖν ἀθανασίαν ἐπιτεχνητὴν εἰσηγεῖσθαι.* Etiam ab hac prima veluti ſocietate cœpit ipſum genus humanum, & ipſa etiam fundamentum eſt cuiuſlibet reipubl. vt oporteat in priuatis familiis conſtare affectionem coniugalem, quo totum reipubl. corpus firmiſſimis vinculis cohæreat, quando quæ rempubl. vitia labefactant ab improbis ſingulorum moribus oriuntur. Quare nihil magis curæ fuit iis qui rempubl. regerent aut ſtabilirent, quam vt ad matrimonia contrahenda ciues inuitarentur, & contractis pudor & verecundia conſtaret. Sed nihil etiam magis aduertendum, quam ne hòmines pecudum inſtar variis vagiſque libidinibus agantur, ac liceat vnicuique voluptatis incentiuum modis inconceſſis extinguere, ac honeſti coniugij leges ſpernere, vnde & vitæ honeſtas, & animæ ſalus, & liberorum ſeges reipubl. profutura, & beatorum ſedes aliquando aſſecutura. Aliquanto æquius eſſet ipſas cœlibatus pœnas non modo repetere, ſed etiam augêre, illis exceptis qui aut caſtam in ſæculo viduitatem colerent, aut in ſacra Eccleſiæ militia omnium virtutum documenta & vitæ incorruptæ ſanctitatem proponerent imitandam. Illud eſt ſæculi probrum, quod vbi vnus ex coniugibus in fata conceſſit, ſi ex coniugio liberi ſunt, qui iam ad firmatam ætatem peruenerint, vltro coniuratione facta parentem ſuperſtitem impediunt, quominus honeſtas nuptias repetat, ne ſibi agnaſcantur cohæredes, & malunt eum eam-ve impudico concubinarũ aut etiam meretricũ conſortio maculari, vel concubitu ſeruuli alicuius aut nebulonis fœdari, vnde plerumque iuſto Dei iudicio res familiaris magis atteritur, quam ex vitrico aut nouerca honeſte ſuperinductis aucto fratrum numero minui potuit. Ipſi parentes, tanta pecuniæ eſt auiditas aut egeſtatis metus; ne liberis ſuis aliquid depereat, malunt ipſi interdum poſt fata

prioris coniugis impudicam vitam agere, quam iterato secundum leges coniugio ancipitem aleam adire procreandorum liberorum: Ita vt propter solam auaritiam aut libidinis explendæ gratia matrimonia contrahantur, hactenus à plerisque prole desiderata, vt ad vnum aut ad extremum intra duos numerus consistat liberorum. Ita fit, vt nulla sobolis suscipiendæ cura habeatur, quam tamen & potiorem rationem contrahendi matrimonij, & diuinæ legis ratio, & reipub. bene institutæ tenor euicit. Non ad hoc à Christianis Principibus sublatæ sunt cœlibatus & orbitatis pœnæ, vt quisque sine coniuge vaga venere vteretur, aut ea coniux is ne maritus immensæ dotis aut matutinalis donationis expectatione quæreretur, aut aliquod cõiugiũ impar contraheretur, ex quo nulla spes liberorum esset, sed vt illi qui nomen Ecclesiæ sub honesto virginitatis aut continentię voto dare vellent, id citra legis Iuliæ Miscellæ pœnas & rei familiaris damnum facere possent. Summus hic pudor, summa hæc verecundia, nondum agnoscere veros Christianos, cur Deus permiserit nouam hæresim diaboli incude fabrefactam matrimonium prædicare, & pro vnico clypeo Sacerdotum impudicitiam prætendere, cum hæc sit certissima quod matrimonij honestas fere cœperit esse contemptui sæcularem vitam agentibus, & sub honesto castitatis nomine cœperit impudenter & impotenter in clericis & monachis discolis, ipsis etiam Deo dicatis virginibus nequitia & libido dominari. Quem rerum exitum expectare nunc par esset, nisi Deus supra omnem benignitatem summe misericors manum suam à vindicta atrocissimorum scelerum & omnium Christianorum excidio simul paucorum precibus impeditus temperaret. Flagitiosi clerici adhuc impune libidines suas exercent: Sanctimoniales ipsæ nullis claustri septis, non pudore, non voti religione coërcitæ adhuc nequissimorum hominum sibi sodalitia adsciscunt. Tam fere frequentia sunt adulteria, quam matrimonia: & alienarum nuptiarum sollicitatores, suarum contemptores, propriarum coniugum productores ita publicitus facinora sua perpetrant, vt ex his laudem & famã non promeritã necem consequantur. Violenti puellarum raptores, earumdem stupratores, de scelere suo tanquam re aliqua strenuè & fœliciter gesta gloriantur. Sine rubore ipsi voluptatum præfecti & libidinum institores alienam pudicitiam attentant, & lupanaria adire tam extra verecundiam cœpit esse, quam in casto iustæ vxoris gremio quieuisse. Incesti amores etiam impune exercentur, & quod ipso dictu fœdissimum & abominandum maxime, cum Francia saltem eo nomine innocẽs fuerit, vt tantum scelus perpetuò sit auersata, tamen venus mascula extremum portentosæ libidinis monstrum in pretio esse incipit, & alienigenum semper flagitium habitum, fit oscitanti nimis incuriã patrium & domesticum. Tibi Ludouice Rex noster, quia non nomine tantum & professione princeps Christianissimus, sed etiam vitæ sanctitate existis; Tibi inquã

hoc reſeruat Deus, vt inclinantes in omnem proteruiam ſæculi tui mores in melius reſtituas. Non poteſt niſi omnium virtutum dote præditus princeps aut fugare vitia, aut ab exilio reducere virtutes. Non poteſt niſi caſtus maritus, alieni tori violati iniuriam vindicare. Non poteſt niſi ab omni parte innocens aliis morum imperare ſeueritatem. Tu vnus es quem immenſa poteſtas ad iniuriam non deducit, quem aulæ licentia non corrumpit, quem laſciuia aliena ad dedecus non trahit, quem nullius exemplum ad delinquendum inuitat, qui potes cunctos fiduciâ tuæ pietatis ad recte agendum prouocare. Qui te præceſsêre principes, ſingulis virtutibus eminuêre, tu faſtigium vniuerſarium contigiſti. Tibi vox populi quæ Dei plerumque eſt iuſti titulum detulit, quam primum cœpiſti imperare & auſpicari Regis ſacroſanctam poteſtatem: Imple tu perpetuò tanti menſarum nominis, & qui cunctis imperas, ad rectum aut voca, aut compelle vniuerſos. Certe omnis iam ratio occurrit vt Princeps noſter in vſum reuocet antiquam D. Ludouici conſtitutionem, qua expelli meretrices iubebat, & quo magis à ſceleratæ vitæ turpitudine arcerentur, bona quoque earum vſque ad tunicam & pelliceum, publica autoritate capi, eos vero qui ſcientes prudenteſque ipſis habitationem præberent, damnum domus facere fiſco ſuo addicendæ voluit. Quicumque bene gerendæ & adminiſtrandæ famam quæſiuerunt, illi etiam pudicitiæ cuſtodiendæ & omnibus indicendæ curâm habuerunt. Auguſtus fœlicem nouæ reipub. ſtabiliendæ aut veteris reſtituendæ rationem hoc inſtituto auſpicatus eſt, vt præmia maritis & patribus proponeret, pœnas aduerſus cœlibes ſanciret, & ipſam etiâm legem iuliam de adulteriis & ſtupris coërcendis promulgaret,

Per quam intrare domos iuſſa pudicitia eſt.

Tiberius, quamuis ipſe nequiſſimus, tamen vel in hac re Auguſtũ voluit imitari, quod autor fuit vt matronas proſtratæ pudicitiæ, quibus accuſator publicus deeſſet, propinqui maiorũ more de cõmuni ſententia coërcerent. Idem etiam fœminas famoſas exilio affecit. Sed & hanc reipubl. partem aggreſſus eſt Imper. Alexander, & propterea, vt Lampridius ſcribit, mulieres infames quarum numerum deprehenderat publicari iuſſit, exoletis omnibus deportatis, aliquibus etiam naufragio merſis.

De animi conſtantia.

Cap. XXIII.

NImis illud verum eſt, ad res domi vel foris in bello vel pace componendas vbique opus eſſe recti animi conſtantiâ, quam nec poſ-

sint res aduersæ concutere, nec prosperæ supra modum efferre, vt idem semper sit vultus eademque frons aduersus fortunæ occursantis impetus. Magna pars illa constantiæ, quæ & summam autoritatem tribuit, si quis inter malos innocentiam tueatur, & nulla vitiorum proximitate afficiatur. Ἐστὶ περιουσία δυνάμεως, inquit Synesius, ὁμιλοῦντα τοῖς χείροσι μένειν ἐπὶ τῆς φύσεως, καὶ μηδένα τρόπον παθαίνεσθαι. Sed in eo versatur etiam si quis animo intrepido vitia quæ plus nimio temporum diuturnitate obsoleuerunt euellere è repub. nitatur, nec vereatur cuiusquam suscipere inimicitias, quem ea quæ ex bono publico constituenda sint possit offendere. Non potest alicuius momenti negotium sine difficultate aliqua & periculo peragi. *Nec corporis quidem morbos veteres & diu auctos nisi per dura & aspera coërceas: Corruptus & corruptor, æger & flagrans animus haud lenioribus remediis restinguendus est, quam liberinibus ardescit.* Vix est vt magna bona fiant sine offensione plurimorum. Etiam inuidiæ par esse debet, vt fiduciam sui aduersus iniuriam ferre queat, & facile possit contemnere obtrectantes. Non sine querelis plurium aliquid ex prauo in melius reformatur. *Equidem*, inquit Quintilianus, *intelligo hanc esse conditionem omnium, qui administrationem reipub. aggrediuntur, vt ea quæ maxime pertinent ad salutem communem cum quadam sua inuidia efficere cogantur.* In quacumque reipub. parte gerenda animo opus est.

Discedite segnes:
Non sunt hæc timidis castra sequenda viris.

Numquam magnus animus inuidiam veretur, vbique sibi est æqualis ac constans. Cum Cleombrotus dux Lacedæmoniorum iniuriam timeret, & propterea quod quasi meticulosus argueretur, temere cum Epaminonda conflixisset, cladem summam accepit. Idemque Callicratidæ contigit. Idem Pompeio probro vertitur, quod inuidię minuendę gratia, & quo rumores, qui de eo apud maledicos pessimi ferebantur, omnemque fugæ suspicionem à se amoueret, manus cum Cæsare contulerit; cum sibi & exercitui suo id expedire non sentiret. Econtra Q. Fabius Max. contempto eo, quod contumeliis & à militibus suis & ab ipso hoste Hannibale incesseretur, ac cunctator veluti per ignominiam vocaretur, saluum præstitit Rom. exercitum. Tantum scilicet commodi & vtilitatis præstat nullo modo à recto proposito dimoueri. Nihil est quod commouere possit eum, qui cœpit semel secum consistere, & ad omnes casus fortuitos se antea consilij optimi tenacitate præmuniuit. Id etiam docent poëtæ, dum suum proponunt Amphiaraum in medio certamine curru per medios hostes inuectum, terræ chasmate ex improuiso subsidentis ad inferos descendentem, nec illo tamen casu perterrefactum.

Non arma manu, non frena remisit,
Sicut erat rectos defert in tartara currus,
Respexitque cadens cælum.

Iulius Cæsar in senatu animaduertens se vndique strictis pugionibus peti, togâ caput obuoluit, & tribus ac viginti confossus vulneribus semel tantum ad primum ictum sine voce ingemuit. Fertur etiam & vultu & ore placido Bruto cum cæteris in se irruẽti hæc dixisse, καὶ σὺ τέκνον: Adeo vbique constans animus sui semper meminit, ne quid videatur non prouisum mentem adoriri. An non similis aut forte generosior Pompeij è vita excessus, quem Plutharchus refert aut poëta historicus.

Vt vidit comminus enses,
Inuoluit vultus, atque indignatus apertum
Fortunæ præbere caput, tunc lumina pressit,
Continuitque animam, ne quas effundere voces
Posset, & æternam fletu corrumpere famam.

Nec mors ipsa nec mortis metus eos potest conturbare, qui ad rectum semel consentientem & conformatum animum habent:

Si fractus illabatur orbis,
Impauidos ferient ruinæ.

Eiusmodi constantem in recto proposito permansionem maximo imperatori esse pernecessariam Alexander Seuerus docuit, cum milites suos, qui militaris disciplinæ obliti erant deliciis vacando, comprehendi primum iussit, & in vincula conijci: Mox cum seditio coorta esset, ac fremerent milites vniuersi, & ferro quoque minarentur, intrepidâ fiduciâ à cœpto non destitit, atque etiam audacius deponere eos arma iussit, mortem non veritus quam illi minabantur. *Quirites discedite,* inquit, *atque arma deponite. Deponite dexteras contra hostem erigendas, si fortes estis, me enim ista non terrent. Si enim vnum hominem occideritis non deerit respub. non senatus, non populus rom. qui de vobis vindicet.* Non potest non igniculus quidem & radius diuinitatis adesse menti tantæ securitatis consciæ: Vt enim Deus perpetuo bonus in eodem statu semper permanet: Sic animus virtute semel imbutus ita ei quodammodo hæret & infixus est, vt nullo modo ab ea possit diuelli. Hæc virtus maximis principibus est necessaria, siue eos oporteat strenue militiæ munia obire, siue res vrbanas domi componere, vt numquam ad aliud oculos mentis intendant, quam ad id quod sciant rationi conuenire. Sed patet etiam cæteris quicumque rempub. attingunt. Sic & eam in eximiis Iuriscõsultis virilius suas partes tuentem inspicimus. Papinianus cum iussus esset ab imperatore Caracalla dictare orationem, qua ipse imperator causas in senatu redderet propter getã fratrẽ suũ à se interemptũ, maluit mortẽ sibi certissimam eligere quam aut manũ aut linguã suam excusando tanto facinori commodare; atque id magno ingenio facere recusauit dicens, non tam facile parricidium à se excusari posse, quam ab illo fuerat factum. Q. Scæuola augur & ipse ex familia Iurisconsultorum truculentius Syllæ minitanti, vt in senatu sententia dicta Marium hostem iudicaret, non dubitauit hæc referre quæ Valer. max. memoriæ mandauit.

Licet

Licet inquit,*mihi agmina militum quibus curiam circumdedisti ostentes,licet mortem identidem miniteris,numquam tamen efficies., vt propter exiguum senilemque sanguinem meum, Marium à quo vrbs & Italia conseruata est, hostem iudicem.* Apud eundem Valerium Max. Cęselius vir iutis ciuilis scientia clarus nullius gratia aut autoritate potuit compelli, vt de aliqua earum rerum, quas Triumuiri dederant,formulam componeret. Eò amplius cum multa de temporibus Cæsaris liberius loqueretur,amicique ne id faceret monerent, respondit duas res magnam sibi licentiam præbere senectutem & orbitatem. Idem fere fuit Solonis responsum, nam cum à Pisistrato,qui tyrannidem Athenis inuaserat,interrogatus esset, qua tandem spe fretus sibi tam audacter obsisteret, respondere non dubitauit senectutem sibi tantas vires subministrare. Pleni sunt libri veterum eiusmodi exemplis quæ proponuntur eorum, quos vis nulla, non dominatio impotens,non potentum fauor aut gratia,non auaritiæ sordes, non egestatis metus, non infamiæ timor, non tormenta,non cruciatus potuere à recti animi constantia dimouere. Sed orthodoxæ ecclesiæ & Christianorum annales & monumenta omnem eius virtutis gloriam ipsis stoicæ philosophiæ vindicibus ademptam & in Christianos translatam satis perspicue testantur: Adeo illud etiam certum est non eorum modo quibus publica negotia curæ sunt, sed eorum omnium quibus propria salus in pretio est interesse, vt quisque in optimo quoque proposito permaneat,nec vllis dęmonum instigationibus,nullis voluptatum illecebris, nullâ honorum pellaciâ, nullo diuitiarum obtentu, nullius doloris acerbitate, nulla animi ægritudine, aut à recto deflectat, aut ad malum feratur. Et inde dici potest constantiam peculiarem esse Christianorum virtutem, cum vbique in priuatis actibus etiam quisque, dum secum moratur solus,illius documentum sibi ipsi ac Deo debeat promere.

Exoritur quoties turbatis sensibus intus
Seditio, atque animam morborum rixa fatigat.

Quam sæpe odium, libido, auaritia, ambitus, dolores, ærumnæ, mentem vel corpus fatigant: Quam sæpe quotidianæ agnascuntur occasiones quibus contra seipsum adniti necesse est: Ibi quisque iubetur constantiæ, & tenacis aduersus incursantium vitiorum molestias pertinaciæ meminisse:

Nam quod præsidium pro libertate tuenda,
Qua-ve acies furiis inter præcordia mixtis
Obsistat meliore manu?

Vnde satis commode potest dici constantiam esse veluti virtutem quamdam principalem, & genus virtutum omnium: Quandoquidem si illæ rectè definiantur, vbique constantiæ nomen loco generis nanciscuntur. Sic dicitur liberalitas constantia perpetuæ benignitatis, iustitia constans voluntas ius suum cuique tribuendi: Nec alio

pertinebat illud Epicteti ἀνέχου καὶ ἀπέχου, quo contineri totius Philosophiæ summam & compendium dicebat, quam vt doceret eum qui recti studio ducitur & ad certam beatitudinem peruenire desiderat, cuius ipsi etiam aliquam notitiam habuerunt, illa duo præstare debere, vt constanter rebus illicitis careat, & quamcumque ingruentem mali & iniuriæ speciem perseueranter toleret & sustineat. Quamuis autem in omnibus vitæ partibus constantia & animi æquabilitas maximè necessaria sit, vt nec priuatim nec publice vacare eius officium possit: tamen vel maximè duobus temporibus ea præsidio esse debet, scilicet cum blandius fortuna arridet, aut dum contumacius aduersatur infestum vbique vultum prætendens: vix enim est vt quisque aut in prosperis non insolescat, aut in aduersis non deficiat. Summæ constantiæ eum esse oportet, qui vtramque ferre fortunam potest vultu semper æquali. Quod si constituendum sit qua parte constantia magis officio suo fungi debeat & vtilitatem suam exerere, non difficulter Gobrias ille apud Xenophontem iudicium tulerit. *Δοκεῖ μοι*, inquit, *χαλεπώτερον εἶναι εὑρεῖν ἄνδρα τἀγαθὰ καλῶς φέροντα, ἢ τὰ κακά· τὰ μὲν γὰρ ὕβριν τοῖς πολλοῖς, τὰ δὲ σωφροσύνην τοῖς πᾶσιν ἐμποιεῖ.* Est & illud Catonis apud Gelliū apprime conueniens: *Aduersæ res se domant, & docent quid facto opus sit: Secundæ res Lætitia transuorsum trudere solent à recte intelligendo atque consulendo.* Sic videmus plurimos, vbi supra omnem suam & alienam expectationem elatos se nouerint, tum demum sui ipsius, imo & amicorum suorum, quibus antea coniunctissimi erant, obliuisci: illud est quod dici solet in vulgus, mores honoribus & prosperitate rerum immutari, qua de re est etiam illud elegans Arnulphi lexouiensis episcopi. *Noua dignitates veteres solent amicitias immutare: Creat enim cor nouum & nouos affectus noua conscientia dignitatis, diuitesque facti paupertatis amicos cum ipsa paupertate fastidimus, ne quid penes nos de veteri videatur inopia resedisse.* Illa tamen sunt accipienda de his qui iudicio carent, & proprij ingenij leuitate, vbi quid vltra sortem suam sunt consecuti, iam incredibilia quæque sibi fingunt & meditantur. Vnde etiam illud rectè Cicero, *insipiente fortunato intolerabilius nihil fieri posse.* Moderatus ille est, qui nihil inde sibi maius concedit, sed humana omnia reputans conditionis suæ caducam & fragilem naturam æstimat, oblatam sibi à Deo fœlicitatem verecundè suscipiens & quantum potest etiam ad alienam transferens commoditatem. Præmium etiam modestiæ est, si quis delatum sibi honorem non agnoscat, sicuti fecit Imp. Alexander qui nomen Magni & Antonini sibi à senatu venerationis causa delatum sæpe rogatus vt acciperet recusauit, vnde Lampridius hoc etiam nomine eum commendat. *Multo clarior*, inquit, *visus est alienis nominibus non receptis quam si recepisset, atque ex eo constantiæ, ac plenæ grauitatis famam obtinuit.* Qui rebus prosperè fluentibus exactâ prudentiâ animi alacritatem moderatur, is aduersas æquiori animi tolerantia patiatur necesse est: Vt in contrarium qui insolen-

tius se gerit nactus fœlicitatem, idem fortunæ auersos vultus præbenti succumbit.

> *Quem res plus nimio delectauere secundæ,*
> *Mutatæ quatient.*

Licet vnicuique quæ nocitura sunt fugere, quæ vero sunt profutura aliquo voto desiderare aut etiam summa cum diligentia quærere: sed sapientis est vtrumuis accidat tolerare. Hoc & ipse Imper. Alexander oratione habita apud milites suos Herodiano autore profitebatur. Χρὴ ἄνδρας γενναίους καὶ σώφρονας εὔχεσθαι μὲν τὰ βέλτιστα, φέρειν δὲ τὰ συμπίπτοντα. Omnium autem ille optime fecerit qui semper recti studio ducatur, & cætera ad Deum referens ex Christianæ religionis præscripto grata manu & prono mentis obsequio vel commoda vitæ vel incommoda ab eo sit accepturus eius exemplo, qui dum in medio mari tumentibus vndis opprimeretur, tamen rectam se nauem aduersus ipsos fluctus, vsque dum mergeretur, retenturum se dicebat. *Ille vel in naufragio laudandus est, quem obruit mare clauum tenentem & obnoxium.* Est etiam alicuius ex philosophis antiquis illud,.

> Ἄγου δέ μ' ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ πεπρωμένη,
> Ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμὶ διατεταγμένος.

Aliquanto tamen plenior affectus Cleantis se totum diuinæ prouidentię permittentis, quem his versibus quos fecit latinos Seneca complectebatur.

> *Duc me parens celsique dominator poli*
> *Quacumque placuit, nulla parendi mora est.*
> *Adsum impiger; fac nolle, comitabor gemens,*
> *Malusque patiar, quod pati licuit bono.*
> *Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.*

De placabilitate & clementia.

Cap. XXIV.

Recte superiorem tractatum hic sequitur: nulla enim in re magni animi constantia magis deprehenditur, quam si humanum vbique se prębeat atque placabilem, & meminerit se quo pręest pluribus, multis quoque proprias suas iniurias condonare debere, atque omnino Dei instar sæpius erga aliorum errata promere benigne parcentem misericordiam, quam seuere pœnas peccatorum repetentem iustitiam. Inter regias dotes & principū supellectilem, clementiā primas tenere nemini dubium est: Ideoque hoc Iustinianus Imp. rectissime. *Nihil tam peculiare est imperialis maiestatis, quam humanitas, per quam solam Dei seruatur imitatio.*

Mansuetudo in eo maxime consistit vt princeps se facilem omnibus tribuat, nec propter illam summi honoris prærogatiuam qua cunctos superat, vllo fastu se extollat, sed vbique meminerit se hominem esse & hominibus imperare. Ac propterea Plutharchus in libr. quem edidit περὶ τῶν πολιτικῶν παραγγελμάτων, hanc maxime desiderat conditionem in eo quem parat administrandis reipubl. honoribus idoneum reddere, vt sit accessu facilis & in ipso sermone placidus & comptus. Δεῖ πρὸς τοῖς ἀπαντῶσι τὸν λόγον εὔστροφον ἔχειν καὶ γεγυμνασμένον τὸν πολιτικόν. Et certe cum principatus sit constitutus à Deo ipso omnium hominum gratiâ, æquum est vt quicumque principem est aliqua de causa aditurus, eum sedatum & tractabilem experiatur, vt non sit honestum aliquem ab eius colloquio molestiam nasscisci & animi ægritudinem aliquam: quod & fuit axioma Titi Imp. *Non oportere quemquam à sermone principis tristem discedere.* Illud est quod de Imperatore Alexandro notat Lampridius: *Numquam tædiauit, aut morosus aut iratus resedit, fronte semper pari & latus ad omnia.* Ex eadem modestiæ & lenitatis ratione procedebat, quod se dominum appellari nolebat, & epistolas ad se tanquam ad priuatum scribi iubebat seruato tantum nomine imperatoris. Eo amplius, moderationis tantæ fuit, quemadmodum idem Lampridius scribit, vt omnibus se blandum affabilemque præberet, & amicos non solum primi ac secundi loci, sed etiam inferiores ægrotantes viseret, & sibi ab omnibus liberè quæ sentiebant dici cuperet. Numquam minuere cuiusquam honorem potest modestia. Ipsa virtus scilicet culmini tantæ maiestatis adiuncta satis per se splendescit & nitet, nec eget titulis superbioribus. Plus etiam dignitatis tribuit principibus nostris ipsa humanitas & moderatio, quam externis sua tam diligens & ad scrupulum examinata veneratio, perquam videntur ipsi Deo iniuriosi, dum eam à suis salutandi rationem desiderant, quæ propius in speciem adorationis cadit soli debitam Deo. Sed & in eo constat laus mansuetudinis, si princeps verbis ciuilibus & sedato non perturbato animo quæ aliquanto à recta ratione descifcunt corrigat & emendet & clementer admoneat errantes, sicuti facere solebat ipse Imperator Alexander, qui si minus bene factum esset aliquid, ipse conuincebat, idque sine fastu & sine amaritudine animi. Sed longe in illo principe id gloriosius fuit, quod dictis & factis palam testaretur sibi gratissimã esse illam à Christianis receptam sententiam, *quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*, quam vsque adeo omni mentis affectu complectebatur, vt eam in palatio & publicis operibus perscribi iuberet. Nec id abs re, nam breuis hæc sententia continet præcepta omnia seuerioris Philosophiæ, quæ possit homines ad humanitatem & benignitatem conuertere, vnde & illud recte Gregor. Nazianzenus,

Τί χρηστότητος δόγμα σωτηριώτερον.
Τοιοῦτος ἴσθι τοῖς φίλοις καὶ τοῖς πέλας,

Οἷος σεαυτῷ τῶν ἂν τυγχάνειν θέλεις.

Sic hoc dicto princeps ille vnumquemque arcebat ab iniuria facienda, quam nemo fieri sibi desiderat, & quod magis est omnes monebat, vt sibi inuicem causas iræ & doloris remitterent, vix enim vllus est qui alicuius erroris aut delicti conscius eius veniam sibi concedi non desideret. Hoc animi proposito omnis fere disciplina recte agendi continetur. Quare etiam ipse Deus totius mansuetudinis exemplar apud D. Mathæum, ea primum ratione proposita recte viuendi, quam Christiani ab eo acceperant, & ab ipsis Imp Alexander, *vt omnia quæcumque vellent sibi fieri ab hominibus, eadem illis facerent:* Illud adiecit nominatim, *hanc esse legem & prophetas,* Id est omnes legis diuinæ præceptiones in eo versari, vt quæcumque velimus fieri nobis, ea ipsi aliis faciamus, quæ nolimus in nos constitui, ea nequaquam in alios decernamus. Id qui probe exsequi desideret, neque fraudem comminiscetur aduersus alium, neque alienum rapuerit, neque iniuriam fecerit. Imo si talia passus fuerit, facilem se alieni errati & criminis æstimatorem præstabir, vt magis sit ad veniam & iniuriæ obliuionem procliuis, quam vltionis appetens. Sed & si illud Christiana religio non doceret, tamen ius illud non scriptum & ratio ἐνδιάθετος, quam in animis hominum insculpsit Deus, satis nos admonet ad hoc natam hominũ societatem, vt neque quisquam alteri iniuriam inferat, aut illatam clementer remittat. Ea propter magni illi philosophi aut summi in ciuitatibus viri, qui sola naturæ duce in ipsis tenebris paganæ religionis vixerunt, id sibi tribuerũt semper vt neque quicquam facerent quod ad cuiusquam damnum aut iniuriam posset referri, & ipsi vltro si quid iniquius passi essent id condonauerunt. In eo maxime Socratis patientia enituit, qui ipsius philosophiæ extitit pater, nam tantum aberat vt talionem iniuriæ sibi factæ desideraret, quin potius quasi contemptâ iniuriâ illam scommate aliquo excipiebat, & si quid in ea erat ad ferendum graue summa animi alacritate retundebat. Vnde cum per viam publicam incedens colapho fuisset percussus, nihil aliud retulit quam iocum illum peruulgatum, sibi hoc videri molestissimum quod homines nescirent quando cum galea è domo sua in publicum deberent prodire. Alia vice cum similis iniuria sibi esset facta, & indignarentur plerique quod se non vlcisceretur; An, inquit, si me asinus aliquis calce percussisset, iuberetis cum eo pugnis cõtendere. Illud etiam Lycurgi legislatoris Lacedæmonij solenne est & dignum memoriâ, quod cum ei aliquis per iniuriam oculum effodisset, ac propterea populus noxium lapidibus vellet obruere, ipse Lycurgus illum à supplicio vindicauit, & domi verbis mollioribus coërcitum ex ciue nefario eundem optimum virum fecit. Aristotelis, Periclis, Alexandri magni meminit D. Gregorius Nazianzenus in carmine περὶ θυμοῦ, quos docet acerbas iniurias neglexisse. Et certe veri philosophi est proprium & præstantis cuius-

libet animi, vbi maior ſuccenſendi cauſa eſt, ibi iniuriæ concedere abolitionem. Tantum honoris ipſi Athenienſes miſericordiæ impendêre, vt ipſi aram extruxerint, & ei tanquam numini ſacra fecerint, illa ratione ſcilicet quod hæc virtus homines Deo ſoleat proximius coniungere, & facile cæteras ſui prærogatina ſuperare. Sic Cicero Cæſarem allocutus nullam de virtutibus eius plurimis gratiorem & laudabiliorem eſſe tradit quam ipſam miſericordiam. Et M. Antoninus Philoſophus in epiſtola quadam ad Fauſtinam vxorem, quam refert Vulcatius Gallicanus, ait propter clementiam ipſum Cæſarem fuiſſe inter Deos relatum. *Non quicquam eſt*, inquit, *quod Imperatorem Romanum melius commendet gentibus quam clementia. Hæc Cæſarem Deum fecit, hæc Auguſtum conſecrauit.* Quamuis itaque militaris virtus generoſi animi promat experimentum, tamen etiam clementia ſpecioſius vim ſuam exerit, quia homines præſtat incolumes, quos illa interdum proterit & extinguit: Ideoque clementiæ & placabilitatis fama aliquanto æquiore beneficij conferendi conditione exurgit.

Conueniens homini eſt hominem ſeruare voluptas,
Et melius nulla quæritur arte fauor.

Hoc autem eſt certiſſimum duas illas virtutes quaſi ſocias ſecum ſemper morari, vt non alius ſit in bello generoſus, quin idem ſit poſt victoriam mitis & manſuetus, hoſtibuſque ſuis ſe munificum præbeat & indulgentem. *Si egregium eſt hoſtem abijcere, non minus tamen eſt laudabile ſcire miſereri.* Etiam ipſe leo, qui inter animalia rationis expertia magnanimitatis aliquem ſenſum habere dicitur, aliquam etiam clementiæ gloriam quærere comprobatur.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Pugna ſuum finem cum iacet hoſtis habet.

In hanc ſententiam præclarum eſt illud Ciceronis, *viri fortis eſſe qui de victoria contendant eos hoſtes putare, qui victi ſunt eos homines iudicare.* Alternæ ſunt vices humanæ fœlicitatis, & propterea non oportet eum quem victoria aliqua extulerit ſupra modum inſoleſcentem propriæ conditionis obliuiſci. Notatu digniſſimum eſt quod refertur ab imperatore Conſtantino in eo lib. quem ſcripſit ad Romanam filium de adminiſtrando imperio circa Soldanum quemdam Sarracenorum, qui cum captus à Ludouico Rege Francorum in vinculis haberetur, ac propterea vultu ſemper ſubtriſti & tetrico eſſet, tamen prætereuntem currum videns præter morem in riſum effuſus eſt: Cuius rei rationem reddere rogatus incertam ſe conditionem rerum humanarum ridere reſpondit, ex qua quondam multorum hominum princeps poſtea inferior omnium eſſet factus, ita vt rurſus Deo id ita volente in antiquam poſſet redire dignitatem. Nimis proſperitati credendum non eſt, etiam vt ille antiquorum dixit,

Fortuna vitrea eſt, cum ſplendeſcit frangitur.

Illius victoriæ fama longius euagatur, quam modestia & clementia temperat & sui ipsius cognitio:

Bis vincit, qui se vincit in victoria.

Ἀνδρῶν ἐστι inquit Aristides, *τοὺς μὲν ἀνθεστηκότας κατείργειν τοῖς ὅπλοις, τοὺς δὲ ὑποπίπτοντας μεταχειρίζεσθαι.* Ille itaque demum bellicosus esse censetur, qui vtrumque illud potest, quod & vulgatus Virgilij versus complectitur,

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Propterea etiam degenerem animum maxime sequitur crudelitas, & vindictæ affectus imbellibus fœminis magis aptior quam viris (si & illud conueniens alicui potest fingi quod sui natura probrosum est) sic & illud satyricus poëta rectissime.

Minuti
Semper & infirmi est animi exiguique voluptas
Vltio, continuò sic collige, quod vindictâ
Nemo magis gaudet quam fœmina.

Qui inimicum vlciscitur, docet primum se læsum esse ab eo, & fatetur nocendi potestatem habuisse; qui occidit etiam pauorem suum detegit, quasi securus esse non possit quam inimicum tollendo: Qui vero benignitate vtitur docet se nullatenus lędi potuisse, nec habere se quod timeat. Illud est in anglicana historia celebratissimum: Cum aduersus Guillelmum Regem Angliæ cognomento Rufum Normania tum temporis ad ditionem Regum Angliæ pertinens contumaci discessione constitisset, commisso prælio ac fusis hostibus captus est rebellionis autor Helias quidam. Is superbiore atrogantia adhuc insolescens contendit se iniqua belli fortuna victum, liberatum vero se adhuc regi terrori futurum: qua re intellecta magni animi princeps eum dimisit, atque vltro eum verbis lacessiuit vt liberatus quodcumque vellet moliretur, & illâ animi magnitudine hoc assecutus est, vt doceret hostem à se & vinci potuisse & contemni, & præterea malignum nocendi consilium constantiâ humanitatis flecti posse, siquidem ille Helias vinculis solutus nec quicquam postea contra ipsum aggredi cónatus est. Sic nimis verum est illud Senecæ, non posse generosum animum contumeliam pati. Et illa quoque Martini Episcopi in libro de formula honestę vitæ siue de quatuor virtutibus Cardinalibus quam præclara sunt. *Si magnanimus fueris*, inquit, *numquam iudicabis tibi contumeliam fieri: de inimico dices non nocuit mibi, sed animum nocendi habuit, & cum illum in potestate tua videris, vindictam putabis vindicari potuisse. Scito enim honestum & magnum genus vindictæ esse ignoscere.* Verè generosi animi est nec timere, nec odio prosequi inimicum: Et qui parcit dum vlcisci se potest, longe se potentiorem aduersario ostendit, cum pœnæ repetendæ habeat potestatem quam non exsequitur: Deinde etiam se esse meliorem palam facti moderatione declarat, cum ne quidem lacessitus ad referendam

iniuriam prorsit, vt postmodum oporteat eum qui hostili animo erat in perpetuum tanto beneuolentiæ testimonio obligari, qui & iudicio caruisse se sentit quod eum sit expertus beneficum, quem inimicum sibi vano opinionis errore finxerat. Certe nihil est præclarius quam parcendo sibi acquirere beneficij debitorem, qui inuitus licet vbique virtutis nostræ exemplar in se circumferet. Quicumque pacato est animo & facile iniuriæ illatæ obliuiscitur, is etiam non solum illius beneuolentiam erga quem se misericordem præstitit conciliat, sed etiam omnium fauorem nanciscitur, & si plures habeat virtutis suæ æmulos, eos improbi odij pertinaciâ exarmat. Illud fuerat Liuiæ consilium apud Dionem & Xiphilinum, quæ longa oratione Augustum maritum suum ab hoc deterruit, ne supplicium ab his sumeret, quos aduersus se res nouas aggressos & sibi etiam insidiatos senserat: Quod ita ei prosperè cessit, vt nullus postmodum ei molestiam vllam exhibuerit, sed iam tum omnes amicè conspirauerint, vt se obsequentes eius imperio præberent. In contrarium qui per vindictam vnum tollere studet aut atrocius lædere, omnium in se prouocat odium & iracundiam, vt si quidam pœnæ metu insidias non meditetur, plures tamen tacita odia concipiant quæ mox in publicam rebellionem sunt eruptura. Clementia semper securum principem facit, vt vel semel subire periculum malit, quam cauere semper, vt ipse Iulius Cæsar dicebat. Quod si non sua ipsi profuit mansuetudo, id eo referendum est quod contra ius dominationem in libera republ. vindicasset, ac statum antiquum peruertisset. Quamquam & is semper æquiore aliquanto conditione & fato meliori mortem occubuisse dicendus est, qui & innocens & securus finem vitæ inuenit, vt nihil oporteat clementiæ & mansuetudini propterea imputari quasi non profuerit Cæsari, quando per eam summam laudem est assecutus nec magis se indolis acerbitate tutum ab insidiis præstitisset. Eo semper est inclinandum, quo humanitas vocat: cætera diuino iudicio sunt permittenda. Plures etiam sunt quos illa seruauerit, quam qui suppliciis & pœnarũ metu præsidiũ aduersus odia sibi præbuerint. Quod si etiã in asperitate vindictæ aliquod inesset cõmodum, tamen vtilitati semper honestatem præualere debere certũ est, vt & ibi secũdum philosophos nulla esse vtilitas censeatur, quam honestas non commendat. Quid autem hominum societati magis conueniens est quam restringi odia, & omnem contentionum & discordiarum fomitem penitus aboleri. *Non oportet*, inquit Quintilianus, *immortales esse inimicitias: & ita demum tutum perpetuumque erit humanum genus, si amor ac fides nullam habuerit obliuionem.* Et ad idem pertinet Græcum senarium,

Ἀθάνατον ἔχθραν μὴ φύλαττε θνητὸς ὤν.

Propterea Plutarchus tradit in romanicis quæstionibus, id obtinuisse apud Romanos, inter ea quæ diis offerre solebant, spolia ab hostibus detracta & eisdem diis dicata neglectui haberi, & rubigine

obsita

obſita dimitti, quod odioſum videretur, memoriam inimicitiarum quę olim cum hoſtibus interceſſerant, refricare. Græci non diſſimiliter propter victoriam contra ſe inuicem deportatam tropheum quidem in præſentia extruebant, hac lege tamen ne in perpetuum maneret; & ideo cum Thebani Lacedæmoniis bello ſuperatis æneum ſtatuiſſent trophæum quaſi in perpetuum duraturum, accuſati ſunt apud Amphictionis commune totius Græciæ concilium hoc nomine, quod æternum inimicitiarum monimentum Graios de Graiis ſtatui non oporteret. Æquius aliquanto homines amicabili conſortio coniunctioris amicitiæ ſecum inuicem conſtringi, & querelarum litiumque aliquem exitum eſſe, quam perpetuis iurgiis inter ſe eſſe diſcordes. Omnis honeſta ratio eſt, qua inter eos gratia redintegratur, & grato animorum commercio, ſtrictiori vinculo iungunt amicitias, quam antea contumaciter ſimultates ſuas exercebant.

Βέλτιον αὐτ' ἐχθροὺς τυχεῖν φίλους ὠφελοῦντας

Speciofius aliquanto iniuriæ beneficiis vincuntur quam mutui odij pertinacia vincuntur, vt rectè Valer. Max. Sic & Auguſtus Iulij Cæſaris ſecutus exemplum plures diuerſarum partium venia & incolumitate donatos ſummos honores Romæ adminiſtrare paſſus eſt. Et L. Cinnam ac Cneum Cornelium, quos ſibi ſtruxiſſe inſidias conſtabat, Conſules ipſe fecit. Sic Valerius Heptacordus Cornelium Balbum, quem ſæpius hoſtem erat expertus, qui opera eius & conſilio compluribus priuatis litibus fuerat vexatus, & ad vltimum ab eodem capitali crimine fuerat accuſatus, omnium bonorum ſuorum moriens reliquit hæredem. Sic alij plerique eos ipſos à quibus magnas iniurias acceperant beneficiis auxerunt. Et ne aliunde exemplum ſumatur ipſe Imp. Alexander hoc etiam manſuetudinis axioma non politicum modo & ethicum, ſed etiam Chriſtianum vere comprobauit, vt non ſatis haberet iniuriam ſibi factam condonare, ſed etiam vltro certaret male animatos erga ſe hominum animos beneficiis in amorem ſui pellicere. Quid egerit circa Ouinium Camillum antiquæ familiæ ſenatorem, qui tyrannidem aduerſus eum affectauerat Lampridius narrat, tantum enim abfuit vt poſt ſceleris probationem eum ſupplicio affici voluerit: Quin potius ei vltro gratias egit quod curam reipub. quæ recuſantibus bonis imponeretur ſponte reciperet. Mox eundem ſollicito terrore commotum, & tanti criminis ſibi conſcium participem imperii appellauit, in palatium recepit, ornamentis imperialibus affecit, & poſtmodum hæc omnia ſiue ex timore, ſiue ex pœnitentia recuſantem, & commeatum deſiderantem non prius dimiſit, quam illum ſuis militibus commendaret, & tutum ad villas ſuas ire præciperet, in quibus diu vixit. Quod vero adiicit idem Lampridius eundem Ouinium iuſſu imperatoris poſtea occiſum, rectè & Caſaubono & Salmaſio ſuſpectum eſt, quid enim ad laudem Alexandri pertineret Senatorem in crimine manifeſto deprehenſum

V

eius iussu occisum, post quam criminis gratia tantæ beneuolentiæ cumulo ei facta esset. Magis Salmasij coniectura placet, pro (iussu) legentis (iniussu) nam & ipse Herodianus palam inctuentum eius imperium fuisse duobus locis docet, vt ne quidem vnus fuerit occisus, *τινῶν μεγίστας αἰτίας ὑποπτευόντων, ὅμως ἐφείσατο ὡς μὴ φονεῦσαι.* Hic licebit vsurpare verba D. Gregorij Nazianzeni in carmine *περὶ θυμοῦ.*

ὧν μὲν κρατεῖν καὶ σφόδρ' οὐ σφόδρ' αἴτιον,
Τούτων κρατεῖσθαι καὶ λίαν πόσον κακόν?

Quam enim illud esse debet Christianis opprobrio, quod à paganis quorum virtutes imitari minimum est, mansuetudinis tamen & humanitatis studio vincantur. Eius nomen sibi venditant & circumferunt, qui ipsius autor est misericordiæ, & tamen nihil nisi lites & odia exercent, nihil nisi cædes meditantur. Iam obtinet vt vel leuissimam iniuriam tulisse probro sit, vt contra ius grauiorem intulisse sit decorũ. Sic nihil mirum est omnia vel in priuatis vel in publicis negotiis cessim ire, quia iam fere nulli sunt, qui Christianos se esse doceant, præter eos qui in monasteriis seorsum à sæculo vitam agunt magis incorruptam. Quicumque vitam sæcularem agunt illi vbique se litium sumptibus dilacerãnt, vt malint bonorum omniũ ferre iacturam & fœdam seruitutem, quæ iudicibus & ipsis magistratuum ministris & mancipiis exhibenda est, experiri, quam aliquid de suo iure concedere, aut leuem offensionem patiendo, aut modicum dispendium rerum suarum sentiendo: & quod est omnium sceleratissimum quicumque gladio accincti sunt (sint illi nobiles vel in extremis numeris ex plebe lecti milites gregarij) nihil melius, nihil antiquius ducunt, quam vt eos interimant, à quibus aut per negligentiam minus gratiosa salutatione sunt accepti, aut per lasciuiam & vrbanitatem inter amicos aliquo dicterio sunt petiti. Si per principum edicta vetantur sibi vadimonium dicere ad internecionem mutuam, colore quæsito repentinos fingunt occursus, vbi infestis ensibus se inuicem petant, & in vtramque & corporis & animæ mortem desili[illegible]. Si Christiani nominis dignitatem retinere desiderant, meminerint se eius ducis militiæ ascriptos primum in sacri babtismatis lauacro, qui & ipse quotidie parcit in cœlos elatus, & inter homines moratus probris & contumeliis lacessitus non maledicebat, verberatus tacebat, qui ad mortẽ iniquè cõdemnatus ei æquo animo se subiecit, ipsos inimicos sanauit, pro eis odio contumaci aduersus se flagrantibus orauit. Si fidem suam impiè, & ipsum fidei Christianæ autorem sunt abnegaturi: & illud tamen constituant generosi animi apud paganos illum solum esse characterem, si quis iniurias patienter ferat, nemini inferat. Illud est axioma Aristotelis in lib. de virtutibus *τοῦ ἤδη γενναίου ἀδικεῖσθαι δυνάμενος, καὶ οὐ τιμωρητικός.* Iniuriam pati sit malum aliquod, quod stoici non admiserint, qui in sapiẽtem nõ cadere iniuriã contenderunt: Ex Platone maius erit malum facere iniuriam, *μεῖζον δὴ*

κακὸν τοῦ ἀδικεῖσθαι τὸ ἀδικεῖν. *Miserior*, inquit Cicero, *qui suscipit in se scelus, quam qui facinus alterius subire cogitur.* Si aliquam constantiæ & fortitudinis speciem constituunt, dum periculum mortis vbique propter pueriles nænias adeunt, vt infamiam inde quam sibi fingunt accedentem fugiant, illud audiant à vetere Poëta:

Fortissimus ille est,
Qui promptus metuenda pati, quæ comminus instant.

Sed illud Aristotelis ima etiam pectora eorum validius feriet, qui in voluntariam mortem per infanda duella proruunt. Τὸ ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν, οὐκ ἀνδρείου ἀλλὰ μᾶλλον δειλοῦ. Illud generosè apud Liuium is Mutius, cui doloris patientia Scæuolæ nomen dedit. *Et facere & pati fortia Romanum est.* Dicamus similiter, si quid habet ægritudinis iniuria, illud ferre & veri militis est, & Christiani. Addamus illud etiam in tam manifestis deliriis, quorum ratione tanta vis sanguinis in priuatis discordiis solet effundi, plus habere magnum animum quod sui fiduciâ innixus contemnat, quam puniat. Fuerit vero illud optimum & Christianæ Religioni conueniens, atque ex magni animi constantia iis acquiescere priuatum vnumquemque, & obseruare quæ imperatores edixere de remittenda iniuria, quam passi essent. *Si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, eum pœnæ nolumus subiugari, neque durum aliquid aut asperum volumus sustinere, quia si id ex leuitate processit contemnendum est, si ab insania miseratione dignissimum, si ab iniuria remittendum.* Qui odij pertinacia vel vltionis desiderio alienum sanguinem expetunt ex aduerso Deum ipsum impugnant omnis creaturæ autorem: ἀφανιστικὸν τοῦ δημιουργοῦ δύνατε πλάσμων, inquit Synesius. Deinde etiam aduersus Dei miserationem consistunt, qui assiduâ & quotidianâ indulgentiâ hominum peccatis ignoscit. *Perierat vniuersus orbis, nisi iram finiret misericordia*, ait Seneca, & fortasse ex Christianorum disciplina. Funditus etiam illi omnem humanam politiam peruertunt quia quod solis magistratibus permittitur, vt cuiusque iniuriam æstiment & pœnas delicto congruentes præstituant, ipsi nullo iure sibi tribuunt. *Ideo*, inquiunt Imp. *iudiciorum vigor & iuris publici tutela in medio est constituta, ne quis sibi permittere valeant vltionem.* Sed quod omnium peius est, sibi illi aditum ad Dei benignitatem præcludunt, dum venia se reddunt indignos, quam obfirmato ad nocendum animo iis denegant, à quibus aliqua ratione læsi sunt. Non potest non Dei misericordiam flectere, qui ipse est misericors; & optimum factu esset si quisque expenderet illud Marci Heremitæ pronuntiatum, qui manifestè tradit eum qui vel læsus est patrimonio tenus, vel contumelia affectus, aut alio modo iniuriam sentit, non præsens damnum aut quæ ex contemptu nascitur momentaneam ægritudinem æstimare debere, sed præmia quæ vel in huius vitæ breui transitu, vel in futura beatitudine, vel in vtroque sæculo & temporali & æterno

Deus repositurus est eis, qui patienter & pro eius nomine sibi illatas iniurias ferunt, vt qui animo non perturbato sit illa iudicaturus, possit illud compertum habere non iniuriam se accepisse sed beneficium, dum ei occasio oblata est Dei amorem & misericordiam tam grato mentis obsequio promerendi. *Ζημιωθεὶς, ἢ ὀνειδισθεὶς, ἢ διωχθεὶς παρά τινος, μὴ λογίζῃ τὸ παρὸν, ἀλλὰ τὸ μέλλον ἐκδέχου. ὠφέλησεις ὅτι πολλῶν σοι ἀγαθῶν γέγονε πρόξενος οὐ μόνον ἐν τῷ παρόντι ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι.* Nimis illud est in Gallia insolens & probri plenum, ita rixas, ita contentiones in immensum excreuisse, tam raram esse aut veniæ spem, aut iniuriarum etiam leuium obliuionem, vel in priuatis negotiis concordiam, vt quotidie litium enascens seges, ad iudices & magistratus vires Imperij detulerit, ac dum cęteri tumultuantur, anguntur sollicitudinibus, sumptibus vexantur, ægritudinibus languent, curam rei familiaris deserunt, obsequio plus quam seruili se macipant: ipsi soli beati habeantur, vultu ad seueritudinem & grauitatem composito miserorum vota dedignentur, litigantium turbis stipati incedant, elato supercilio omnes infra se despiciant, aliena impune rapiant, sua probè tueantur, & inter tot commoda quæ aliena imprudentia plerumque illis non virtus propria defert, amara dicacitate iactare soleant se stultorum opibus ditari. Nec est quærendum cur cœperint nobiles ensibus lites suas dirimere, quia maluêre semel mori, quam quotidie perire per longas litium ambages, vbi qui potior discedit nihil nisi Cadmeam victoriam refert & pluris constantem, quam si sine quietis & patrimonij dispendio grauiori à principio rem controuersam deseruisset. Quanti sunt qui discendentes à iudicio victores possint vocem Pyrri Regis Epirotarum vsurpare, qui post victum cum magna suorum strage Romanorum exercitum dicebat, *ἂν ἔτι μίαν μάχην νικήσωμεν, ἀπολώλαμεν.* Vbi tanti constitit litigasse fere omnibus in peiora inclinantibus necessarium fuit vnumquemque ius sibi dicere voluisse, quod eo magis visum est tolerabile (si id potest dici tolerabile, quod re ipsa impium est) quando omnia cœpêre aut per potentiã aut per auaritiæ sordes in iudiciis peragi, inter eos tantum seruata iuris æquitate, qui paribus conditionibus litigarẽt. Sed causa potissima, cur tam sæpe mutuis cædibus nobiles se inuicem peremerint ea est, quod nullâ disciplinâ exculti, & penitus ignari qua in re vera gloria & honos constet temere famam & existimationem quæsiuerunt vnumquemque fiduciâ virium suarum & gladiaturæ solertiâ lacessendo, hoc sibi persuadentes eo magis strenuos & generosos aliis videri se, quo pluribus iniuriam inferrent. Accessit ea labes, quod succrescente fœminarum impudicarum familiâ, ipsis nobilibus honori cœpit haberi impudicitia, & propter eandem rationem suscepta certamina honoris earum tuẽdi gratia, quarum vita omni dedecori patebat. Omnium etiam malorum extremum extitit pudor reprobus, vt qui leuiorem aliquam offensionẽ maiore iniuria non pensasset inter infames

haberetur. Deberent illi succenſere prætori Romano vel Iuriſconſultis, qui cauſas recẽſentes ex quibus infamia irrogatur hanc referre omiſerunt. Olim ſi quæ orta fuiſſet occaſio diſcordiæ inter nobiles præſto erant alij qui diſſidium ſtatim arbitrij ſui æquitate diſcingerent. Fere iam extitêre qui odia incenderent, & ſceleratam manum alienæ indignationi nullam ipſi iniuriam paſſi commodarent. Aluit etiam quorundam audaciam abolitionis facilitas, ſi quis contra principum edicta duellum aut indixiſſet aut ſuſcepiſſet. Sed iam proſpere principis noſtri prudentia huic parti medicam manum admouere cœpit edictorum ſeueritate nimis effrenem duellorum petulantiam cohibendo. Faxit Deus vt genus omne diſcordiarum & litium ita tollat, vt quietos & pacatos ſubditos ſemper habeat ipſe princeps, qui hoc maximè nomine Chriſtianos ſe doceant quod pacem & humanitatẽ colant, vt domi parta tranquillitate, foris contra hoſtes Francici & Chriſtiani nominis piorum armorũ ſtrepitus inſonet, illic fidem Deo obſequium principi debitũ nobiles teſtentur & vniuerſa Gallia referat trophæa, triumphos ducat, victorias reportet, vbique verum Dei & orthodoxæ Religionis cultum inferat, magnitudinem ſui principis extollat, virtutem propriã & rei militaris peritiam commendet. Narrant Plinius & Dioſcorides herbæ genus quoddam eſſe quę Lyſimarchia vocatur, cuius vis ea eſt vt iumentis diſcordantibus iugo eorum impoſita aſperitatem illam coërceat. Lyſimachiæ effectum ipſis hominibus mox præſtabit integritas morum reſtituta, cum didicerit vnuſquiſque in eo Chriſtiani nominis dignitatem exurgere, veram laudem ſtrenuitatis acquiri, animi tranquillitatem comparari, ſi nec iniuriam aliis velit inferre, & illatam ſibi liberrimè paratus ſit condonare.

De coërcitione criminum in genere.

Cap. XXV.

NOn illa inter ſe pugnant vnum eundemque moribus eſſe placabilem & delicta ſeueriſſime coërcere: nec enim iuſtitiam clementia euertit, nam & ipſe Deus qui vbique miſericordem ſe futurum ſpondet idem etiam promittit ſe futurum acerbum vindicem ſcelerum vt etiam patrum delicta vſque ad tertiam & quartam generationem ſit vlturus. Tanto inter ſe amicitiæ vinculo ſibi inuicem virtutes omnes conſtrictæ ſunt vt nec vna aliam excludat, & vix in vno homine poſſit vna virtus perfecte conſtare quin & cæterarum ſodalitium eam facile ſequatur, vt quemadmodũ per encyclopædiam mutuis officiis inter ſe ſcien-

tiæ omnes cohærere dicuntur, ita virtutes quoque vniuersæ nectantur inuicem, & nodo quo non ipse Gordius explicatu magis difficiliorem adinuenit strictissime copulentur. Si autem virtus aliqua est, quæ magis inter alias emineat, & cæteras quoque habeat veluti sibi ancillantes & fidissime comitantes, ea est iustitia quod & ipse probat Aristoteles illo laudato carmine quod prouerbij loco circumferri ait,

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετὴ ἐστι.

Propterea idem Aristoteles iustitiam vocat κρατίστην τῶν ἀρετῶν, & Iustinianus ἀρετὴν τελειοτάτην. N. 69. Certissimum autem est iustitiæ partem maximam in eo constare, vt crimina seuerissime vindicentur ne impunita coalescant & nullum tandem sit innocentiæ præsidium. Verum est, quod ait Seneca, clementiam nisi post crimen superuacuam esse & solam hanc virtutem inter innocentes cessare: Sed ex eo non sequitur aut omnibus delinquentibus delictorum veniam impendi aut criminis cuiuslibet gratiam fieri posse. Primum illud est certissimum clementiam ad eas tantum iniurias pertinere, quæ ipsi factæ sunt qui ignoscit: Sicuti enim ille iustitiæ leges infringeret, qui ex alieno largiretur: Ita nihil est in quo clementiæ gloriam vel princeps vel alius quærat, si ad vindictam iniuriæ alij factæ conniueat, aut alieno crimini, cuius atrocitatem solus qui patitur sentit, patrocinium præstet. Hoc in Francia summæ est verecundiæ magnatum plerosque eò peruenisse insolentiæ, vt honori suo & ambitioni id tribuant, si quoscumque facinorosos sui nominis obiectu contra publicam tueantur disciplinam. Nec est quærendum cur id faciant, vt scilicet domi habeant domesticos veluti asseclas & emissarios suæ factionis, quos proposito impunitatis præmio è propriis laribus tanquam è cauea efferatissimæ crudelitatis belluas ad quidlibet audendum emittant. Vt plurimum illud ex ignauia magistratuum venit, qui vel sordibus corrupti vel gratiæ dantes aut potentiæ alienæ, vt sibi postmodum vel suis paria reddantur, publicæ vindictæ habenas remittunt, ita vt ij tantum supplicio afficiantur, qui neque opibus, neque potentiorum præsidio sunt muniti. In eodem criminis genere plectitur ex tenuioribus aliquis ad pompam & speciem, vt adumbratæ iustitiæ vigor aliquis superesse videatur: Alij qui habent quo se redimant, vel qui magnatis alicuius nomen prætendunt, ne appellantur quidem. Nihil tam facile quamlibet florentem rempub. euertit, quam criminum impunitas, quia illa spe proposita improbus quisque ad delinquendum audacior existit, & quam mente tantum concipiebat iniquitatem, effectu ipso & factorum atrocitate impudentius promit nullo patriæ metu retardatus: Vnde necessariũ est in plurimos manare licentiam peccandi, vt etiam qui ingenij & indolis aliquanto meliori conditione nati sunt, & sua sponte futuri erant ad modestiam procliues, criminum segete in dies augescente facile in crimina delabantur. Quapropter illud rectè constitutiones apostolicæ. Ἁμαρτία

ἀνέλεγκτος χείρων ἑαυτοῦ γίνεται, καὶ εἰς ἄλλους τὴν διανομὴν λαμβάνει. Nec minus ſcite Pub. Mimus.

Inuitat culpam, qui peccatum præterit.

Hanc habent rationem improbi quique, vt crimina ſceleribus adiungant, & perſeuerantius delinquant. Hanc boni habent illecebram, vt virtutem quaſi noxiam deſerant, vitia amplectantur quaſi ſibi magis profutura, cũ in contrariũ certũ ſit pœnæ metu pleroſque bonos fieri, qui alieno exemplo in vitia erant procurſuri, aut ſua ſpõte futuri erant ad flagitia procliues. Solonis illud fuit pronuntiatum vt Cicero refert, duabus rebus maxime contineri rempub. præmio ſcilicet & pœna: A cuius opinione Plutarchus non diſcedit in lib. περὶ παίδων ἀγωγῆς, qui duo virtutis facit veluti principia & elementa vt ipſe vocat στοιχεῖα, ſpem ſcilicet honoris & ſupplicij metum, quaſi ſine his duabus rebus nulla virtus poſſit ſeipſam exerere & vim ſuam proferre, ac propterea adijcit: Τιμὴ πρὸς τὰ κάλλιστα τῶν ἐπιτηδευμάτων ὁρμητικωτέρους, τιμωρία πρὸς τὰ φαῦλα τῶν ἔργων ὀκνηροὺς ἀπεργάζεται. Virtus ſecundum ſtoicos dicitur αὐτάρκης πρὸς εὐδαιμονίαν, ſed hoc de virtute perfecta dicendum eſt. Cæterum dubitandum non eſt quin plerique ad eam capeſſendam calcaribus egeant. Æmulatione igitur opus eſt, quæ ipſa facile non accenditur, niſi boni alicuius & commodi expectatione. Neceſſarium eſt ibi deſidiam & inertiam dominari, vbi hominum animi nihil habent quo ſtimulentur, vbi pretium induſtriæ nullum eſt, vbi tantumdem otio conceditur quantum negotio, vbi æquali conditione ſunt qui ingenuo labore eniteſcunt & vegetâ diligentiâ, qua illi qui ignauiâ marcent & moratoria cunctatione omnia adminiſtrant. Illud nimirum eſt in quo errare pleraſque ciuitates tradit Euripides.

Ἐν τῷ γὰρ μὲν κάμνουσιν αἱ πολλαὶ πόλεις,
Ὅταν τις ἐσθλὸς, καὶ πρόθυμος ὢν ἀνήρ,
Μηδὲν φέρηται τῶν κακιόνων πλέον.

Et Xenophon ſimiliter in libris de republica ſiue de inſtitutione Cyri maioris, nihil iniquius nihil æqualitati quæ mater eſt æquitatis magis contrarium dari poſſe conſtituit. Οὐδὲν ἀνισώτερον νομίζω τῶν ἐν ἀνθρώποις εἶναι, τοῦ τῶν ἴσων τόν τε κακὸν καὶ τὸν ἀγαθὸν ἀξιοῦσθαι. *Indiſcreti hominum mores*, inquit Caſſiodorus, *confuſique vagarentur, ſi aut culpa formidinem aut virtus præmia non haberet.* Sed ſi illud queratur vtrum ſit peius, aut virtuti nullum eſſe præmium, aut vitium nulli pœnæ eſſe obnoxium, non difficulter illud conſtabit multo tutiorem fore reipub. ſtatum vbi virtuti nulla merces, quam vbi vitio nullum ſupplicium proponatur: *Bonus enim tantummodo ſegnior fit vbi negligas, malus improbior.* Et eapropter Cato Cenſorius ſe malle honorario virtutis priuari, quam delictum aliquod & peccatum impune à ſe admitti dicere ſolebat: Ratio illa potuerit adferri quod pœnæ metus cautiores homines reddat & in futurum ſui officij magis memores.

Ὁ μὲν δεξιὸς ἄνθρωπος οὐ πημαίνεται.

Sic optime Synesius pœnas vocat *δαίμονας καθαρτηρίους*, & gladium publicum quo puniuntur nocētes vocat *πέλεκυν καθαρτήριον*, quod eandē præstent operam purgandis animæ vel ipsius ciuitatis sordibus, quam fullones vestimentis lauandis poliendis-ve, quandoquidem qui puniuntur habent quo postea correctiorem vitam instituant, si delictum morte leuior pœna secuta sit, vel aliis sint exemplo vt à culpa simili vacent, ne pœnæ simul se reddant obnoxios, siue ea supremum exitium intulerit, seu famæ aut bonorum dispendium. Vnde fit etiam vt fulminibus supplicia comparentur, quæ vt inquit Seneca latius terrent quam nocent, & paucorum periculo cadunt, omnium metu. Igitur qui bene ciuitatem quamlibet aut rempub. constituere velit, is pœnas maxime grauiorum delictorum exigi curet necesse est, vt nec potentioribus parcatur, nam tenuiorum ad necem & supplicium data capita vitiorum segetem nequaquam sustulerint, integris manentibus qui ipsi prauo exemplo alienas cupiditates irritant, quorum impunitas plus aliis tribuit audaciæ ad delinquendum, quam proletarij alicuius supplicium infert formidinis ne peccetur. Iam constitit supra Imp. Alexandrum seuerissime disciplinam militarem exercuisse, vnde etiam Seueri nomen nactus est: Sed non minus etiam districte omnium criminum publicam vltionē exercuit. Contra fures primū extitit iudex seuerissimus, & cōtra eos maxime qui in dignitate constituti securius putarent, dum potentiâ propriâ freti essent, popularium bona per varias fraudes & calliditates posse se suppilare & extorquere. Quin & si vnquam furem iudicem vidisset, paratum digitum habere se dicebat, vt illi oculum erueret. Non æquiore conditione apud eum fuerunt illi qui de eo fumum venderent, id est eius familiaritatem ementiti fumosum suffragium apud eum essent polliciti se præstare; nam vnum ex his, qui centum aureos acceperat, in crucem tolli iussit per eam viam qua esset seruis suis ad suburbana imperatoria iter frequentissimum: Alium in foro transitorio ad stipitem ligari præcepit, & fumo apposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri iusserat necauit præcone dicente, *fumo punitur qui fumum vendidit.* Ad hæc notarium quemdam qui falsum causæ breuem in consilio imperatorio retulisset incisis digitorum neruis, ita vt numquam posset scribere, deportauit. Nimis iam plures tam necessariam corporis partem haberent aut mancam aut inutilem, si tam districte cum falsariis ageretur, adeo iam gloriæ esse cœpit per falsas natalium tabulas crudam adhuc & incoctam iuuentutem præmaturis honoribus admouisse: Ita fere nullus magistratum aliquem auspicatur, quin alij falsum baptisterium procuderint, alij concinnari curauerint, plures falsum sibi subijci vltro & volentes se decipi patiantur. Aliquanto honestius foret palam edicta principum violare, quam per tot ambages affectare simulationem innocentiæ, & contemptui regiarum constitutionum adiungere

alia

alia crimina & fœdissimum scelus hypocrisim. Iam cœpêre crimina excusari, & is color huic prætenditur, quod nulli iniuria fiat, sed maturius tantum quam per leges licebat ad fœlicitatem iuuentus perueniat. Sic crimen non ducitur contempta edictorum maiestate iuuenes penè adhuc pueros, ignaros, inexpertes, interdum etiam moribus infames dignitatibus præficere, in quibus de bonis & fortunis, de fama ciuium iudicent. Nihil periculosius quam praua initia non cauere: Vbi enim à recto vel modicum cœperis deflectere, quo lõgius progrederis, eo magis aberrare necesse est, & in obliqua præcipitia impingere. Ἔργων τῶν γινομένων ἀπὸ μικροῦ ἄρχεται καὶ κατὰ μέρος τρεφόμενον λαμβάνει τὴν αὔξησιν, vt ait Marcus Heremita. Sæpe ex paruis initiis magnarum rerum momenta ducuntur. Sit illud condonandum nemini per hæc commenta iniuriam fieri; tamen vbi animus semel hæc modica cœpit contemnere, maioribus malis se applicat, sicuti sunt exempla manifesta eorum qui in maioribus dignitatibus constituti ea iam audere incipiunt, quæ Deum simul & homines offendunt. Nihil est quod crimina foueat magis, quam negligentia incuriosa circa illa vindicanda aut præcauẽda: & propterea quicumque publicam personam gerit eò maximè debet intendere diligenter, vt improbi ad pœnam vocẽtur nam eo maxime quies publica consistit, ac propterea eleganter Vlpianus de officio præsidis prouinciæ tractans. *Congruit*, inquit, *bono & graui præsidi curare, vt pacata atque quieta prouincia sit, quod non difficile obtinebit si sollicite agat, vt malis hominibus prouincia careat eosque conquirat.* Illud etiam eleganter Cato apud Salustium. *Qui paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum eunt*, vt propterea dixerit rectè Archidamidas Lacedæmonius par esse peccatum crudelẽm esse erga bonos, & vti indulgentia erga improbos. Id maxime maximos principes spectat, qui interdum vltra quam par est vel gratia personarum moti, vel propria lenitate, dum ad æquitatem iustæ vindictæ parem animum non habent, se præbent remissos ad veniam & abolitionem criminum indulgendam. Quicumque fructus dulciori sapore præditi sunt, plerumque cariem & vermes contrahunt. Ita quicumque placabilitate intempestiua vtitur is fit in socordem degener: Et animi mansuetudo in illud mentis vitium, quod ἀναλγησία vel doloris vacuitas vocatur, transit; vnde fit vt principes ex se innocentes, alieni tamen criminis infamia laborent, & apud Deum reos se neglecti officij sui constituant, cum etiam apud D. Paulum dicantur gladium ferre εἰς ὀργὴν τῷ κακὸν πράσσοντι. Sic Arnulphus lexouiensis episcopus illud rectè in carminibus,

Præstat opem tacitam, viresque ministrat agendi,
Qui tacet & poterat obuius esse malo.

Sic Claudio imperatori romano aliena crimina, quorum negligens vltor extitit, probro fuere: Nec ei sua simplicitas profuit aut innocentia, quin infamiæ pateret propter nimiam patientiam in alieno dede-

core non vindicando vnde etiam de eo ille versus iactatus est,

Non faciendo nocens, sed patiendo fuit,

Etiam Franciæ cuidam Regi fertur exprobratum (cum scelerato alicui iussisset gratiam criminis fieri, & is in alia scelera & cædes postmodum proruisset) eum tot innocentium cædem admisisse, quot fuerant ab ipso homine post criminis abolitionem interempti. *Facilitas veniæ incentiuum tribuit delinquendi*, vt ait D. Ambr. vel vt Arnulphus Episcopus Lexouiensis, *Securitas alit audaciam, & ad delinquendum fiducia remissionis inuitat.* Non sunt concedendæ quorumlibet criminum abolitiones, nec habet clementia quo semper officium suum tueatur. Sed nec erga omnes promi debet, sed erga eos tantum qui probati fuerint magis imprudentia, quam animi iudicio deliquisse. Habet etiam sua tempora, vt tum demum vim suam exerat cum alias salus publica periclitaretur pluribus supplicio affectis, qui possint ad bonam frugem ex pœnitentia redire. Cæterum vbi sceleris atrocitas vel delinquendi consuetudo non veniabile crimen reddit, ibi indulgentia omnem immanitatem superat. Recte illud in annalibus nostris D. Ludouicus. Cum precatoris alicuius importuni instantiâ deuictus reo alicui veniam fecisset, ad se reuersus quam cõcesserat retractauit abolitionem, illud adiungẽs sceleratos puniri opus esse consummatæ misericordiæ, ita vt is qui scelerum vindictam non reposceret illorum inuidiam in se transferre crederetur. Id etiam in sacra pagina dicitur, ἐπίχαιρον εἶναι ἀσεβῶν ἀπώλειαν. Et apprime est illud elegans Ioannis Sarisberiensis Episcopi. *Multorum excessibus viam aperit, qui subditorum dissimulatis erroribus præstat audaciam delinquendi.* Sed illud cauendum tamen, ne is qui crimina auersatur, etiam durius quam par est illa coërceat, ne-ve qui nimiam in puniẽdo lentitudinem fugere desiderat, in contrarium vitium crudelitatis incurrat. *Miscenda est ergo lenitas cum seueritate*, inquit D. Gregorius apud Gratianum, *faciendumque quoddam ex vtraque temperamentum, vt neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate soluantur. Sit amor, sed non emolliens. Sit rigor, sed non exasperans. Sit zelus, sed non immoderate sæuiens, Sit pietas, sed non plus quam expediat parcens.* Hic primum modus seruandus est, vt ne pœna maior sit, quam culpa.

Ad sit oportet
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas:
Nec scuticâ dignum horribili sectere flagello.

Idque quo magis fiat, maxime cauendum, vt magistratus nulla iracundia, nullo vindictæ studio & ardore ducantur, sed sola coërcendorum & minuendorum criminum desiderio. Etiam crudelis ille censendus est, qui pascere oculos potest supplicio reorum, & cruore eorum quærit exsaturari.

Qui fruitur pœnâ ferus est, legumque videtur
Vindictam præstare sibi, cum viscera felle

Canduerint, ardet stimulis,ferturque nocendi
Prodigus, ignarus causæ: diis proximus ille est,
Quem ratio non ira mouet, qui facta rependens
Consilio punire potest mucrone cruento.

Illud nimirum est præceptum Callistrati I. C. qui præsidem prouinciæ in cognoscendo vetat excandescere aduersus eos quos malos putat, quasi illud proprium non sit constantis & recti iudicis in quo animi motum vultus detegit. Etiam in cuiuslibet atrocis criminis vindicta exigenda meminisse iudices oportet clementiæ & misericordiæ, nec omnino humanitati conuenit sceleris immanitatem crudelitate coërcere. Nihil est quod magis Iustitiæ sit aduersarium, quam id, quod æquitatis nomine prætenditur; cum diris cruciatibus ipsa prope anima eius de quo pœna sumitur ad omnem desperationem compellitur. Quidquid est in supplicio præter amissionem animæ id turcicum est, barbarum, ferum. In eo respubl Romana commendari debet, quod ad mortis & animæ diuidias supplicum omne terminauit; quod Liuius vindex acerrimus dignitatis ipsius reipub. Rom. palam docet lib. 1. vbi ait: *Nulli gentium præterquam Romanis mitiores placuisse pœnas: & primum vltimumque supplicium apud Romanos exempli parum memoris legum humanarum fuisse, cum Tullus Hostilius Metium Suffettum quadrigis in diuersa nitentibus illigatum lacerari iussit.* Ne quidem, quod contra parricidas instituerunt, supplicij genus admodum atrox fuit, quia oportuit culeo inclusum statim interire propter interceptam spirandi potestatem. Solum crucis tormentum potest Romanis obijci quasi nimis asperum, sed seruorum tantum fuit quos fere magis cum animantibus comparabant. Et præterea commentum illud fuit diaboli certissimum, qui quantum potuit illud supplicij genus infame voluit reddere, quia didicerat in cruce peragendam generis humani à Deo redemptionem. Quod ei tamen in contrarium cessit, quia mox cœpit honos crucis in immensum exurgere, vt omni eius ignominiâ abolitâ veris Christianis id fuerit cordi semper, vt eam colerēt & illâ tanquã sigillo aliquo regio aut potius diuino omnes suos actus signarent & sanctificarent. Hanc frustra hæretici voluerunt à Christianorum memoria auferre, dum eam ab oculis remouere studuerunt, nam magis magisque eius gloria efflorescit, & mox Princeps noster exemplo D. Ludouici ac pietatem eius imitatus diuino benè fauente numine eius cultum deferet in gentes exteras, à quibus per temporum iniuriam cum maximo rerum humanarum damno exulauit. Sub Imperatoribus Romanis cœpit suppliciorum crudelitas obtinere, quia putauerunt qui magis improbi erant tormentorum asperitate suæ vitæ consulere, si maiestatis reos grauissimis suppliciis subijciendo alios terrerent: quam tamen inutilem rationem sunt experti, quia etiam quicumque seuerius animaduertere voluerunt in eos quos putarent aduersus se aliquid moliri, numquam potuerunt

vlla pœna propoſita promeritam necem effugere, quin poſtea ab aliis fuerint interempti. Fruſtra qui improbus eſt aduerſus inſidias quærit præſidium; quo cautius eas declinare nititur, eo properantius in eas licet inuitus ruit.

ἄγει τὸ θεῖον τοὺς κακοὺς πρὸς τὴν δίκην.

Cauſa alia quæ effecit vt ſub imperatoribus ſuppliciorum atrocitas reperta ſit hæc eſt, quod tum temporis cœperit Chriſtiana Religio inualeſcere, quam enaſcentem operâ tyrannorum, quos habebat ſuæ nequitiæ adminiſtros, diabolus extinguere voluit: atque vt id præſtaret, nouos cruciatus, pœnas efferatiores exquiri ſtuduit, & à carnificibus proponi, quibus tamen nihil profecit aliud, quam vt martyrum ſanguine irrigata altius caput efferret. Mirum tamen illud eſt, Chriſtianos quos maximè manſuetudo decet & lenitas, id ab Eccleſiæ & pietatis oſoribus didiciſſe & retinuiſſe, vt in genus ſuum ſæuirent tam atrocibus ſuppliciis. Sint rei qui puniuntur nefandiſſimorum ſcelerum, ſunt homines tamen & Chriſtiani, & ab hominibus & Chriſtianis condemnantur. Fruſtra prætenditur acerbitate ſupplicij terrorem inijci, ne homines in ſimilia crimina incurrant, nam mortis pœna ſemper ſatis eſt acerba, vt metum poſſit inferre: quamquam ne quidem ipſa pœnarum acerbitas deterrimos quoſque à vitiis abducit aut abſterret: *νόμων ὅτι πλείω καὶ φοβερώτερα τοῖς παραβαίνουσι γέγονε τὰ ἐπιτίμια, τότε μᾶλλον αὐτοῖς αἱ πονηραὶ φύσεις ἐνεκυβίσθησαν*, vt ait Syneſius. Quicunque obfirmato animo ad ſcelus accedit, facile omne tormentum contemnit. Imo qui de ſcelere perficiendo cogitat, ita furore habet excæcatum animum vt ne quidem aduertat mentem ad ſupplicium, quod ſe effugere poſſe nullus fere eſt, qui non credat, vel dum crimen celare nititur, vel dum potẽtia ſe fretũ exiſtimat qua poſſit leges ipſas & publicã diſciplinam eludere. Demus ſceleratos dum delinquunt de pœna cogitare, ſi ſint deprehenſi; qui mortem contemnere poteſt, & tormenta quælibet grauiora neglectui poteſt habere quaſi minus duratura. Etiam ſibi fingunt interdum in lecto ægrotantes miſeris modis angi, *nec interdum*, vt ait Seneca, *grauiora ſunt carnificum tormenta quam cruciamenta morborum*. Reos coërceri reipub. intereſt, ſed ne tamen à ſupplicio clementia abſit, ne ratio inueniatur qua etiam animæ vis inferatur, vt Dei reus obliuiſcatur miſericordiam. Si autem quæratur ratio qua non ita frequenter crimina coaleſcant; etiam magnates pœnæ ſubijciantur, etiam magiſtratus, qui reis ipſis quos damnant acerbitate ſupplicij, interdum deteriores ſunt, ad æqualitatem pœnæ cum infimis vocentur. Non prout potẽtior aliquis iniuria ſit laceſſitus, ſed ſola iuſtitiæ ratione ſupplicium ſumatur de noxiis, nullus gratiâ, nullus pecuniâ vltionem publicam fugiat, omnia ad recti conſenſionem deuenient, à vitiis ad virtutes ſtatim fiet regreſſus.

De Philoſophia & bonarum artium diſciplinis.

Cap. XXVI.

SED quandoquidem fere inter omnes conſtat indagatricem & expultricem vitiorum eſſe Philoſophiam & optimarum ſcientiarum cognitionem, atque eandem etiam aperire ad bene & fœliciter viuendum iter certiſſimũ, ac omnia vitæ officia definire, ipſis quoque virtutibus munia aſſignare; nihil videtur eſſe commodius, quam vt ſuperiores diorismos ſequatur is tractatus, qui ad ipſam Philoſophiam pertinet prope virtutum reginam, & omnis politicæ gubernationis aptam & conuenientem moderatricem. Vt honeſta matrefamilias abſente omnis familia tumultuatur, liberi licentius agunt, ſerui operas dimittunt, ancillæ cupidius animum remittunt ab imperato ſibi labore vt otio vacent, omnes inſolentiam meditantur, petulantiam, laſciuiam: & rurſus vbi illa redux limina domus ſuæ cõtingit, ad penſum redit vnuſquiſque & officij meminit, nullus eſt qui etiam tacitus vel leuiter obmurmuret, cuncta lato ſilentio conticeſcunt, omnes præſentem aut timent aut venerãtur, ſtudent ſe quam obſequentes exhibere, imperium expectant, nutum obſeruant, iratam placant, placidæ adulãtur, proſpere actam ab ea foris negotiationem collaudant, dicta eius factaque omnia comprobant, etiam ad laudis ſuæ commemorationem commotum eius pudorem & verecundiam maioribus blanditiis cumulant: ita non diſſimiliter vbi abeſt ſtudium Philoſophiæ, ibi animus geſtit ad proteruiam erumpere, vitia ſecurius mẽtem occupant, iracundia efferueſcit, cupiditates imperant, inertia ſubit, ſuperbia ceruices erigit, voluptates impotenter dominantur: vbi vero illa gratum & iucundæ dignitatis vultum adiecerit, & animę ſedem ſibi propriam tenuerit, tunc virtutes imperium recipiunt, libidines ſedantur, ira cohibetur, diligentia fugat tarditatem, moderatio impetus omnes violentos mitigat. Philoſophia & recta inſtitutio morbis animi medetur, non ſecus ac medicina corporis ægritudinibus: Imo etiã aliquanto fœlicius, nam medicina acrioribus doloribus dolores ipſos fugat, remediiſque vtitur quæ ipſis morbis ſunt interdum periculoſiora:

Curando quædam fieri maiora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit.

At Philoſophia ſine doloris ſenſu, imo etiam cum quodam oblectamento animi ægritudines aut demit aut ſedat, & illam de qua tantopere olim diſputatum præbet *ἀπαθείαν*. Eandem ipſa prorſus operam præſtat hominum mentibus, quam tradunt Phyſici cretenſibus ceruis her-

bam nomine dictamnum præbere, cuius est hæc vis propria, vt sagittas ossibus altius & pelli inhærentes absque volsella aut forcipe extrahat: nam animi vitia sensim & sine sensu ad motis ex penu philosophiæ medicamentis decidunt, & in contrarium virtutes vacuum semel vitiis animum mira beatitudine perfundunt. Nec incommode omnis hæc institutio bonarum artium humanitatis nomine & olim & nunc temporis vocitata est, quia qui eas cupiunt appetuntque ij sunt vel maxime humanissimi, id est omne genus beneuolentiæ & vel maxime homines decentis clementiæ, & magnitudinis in vnumquemque solent expromere. Si morum dexteritas quæratur & comis suauitas, id à bonarum artium disciplinis est exquirendum:

Ἅπαντας ἡ παιδεία ἡμέρους ποιεῖ.

Si præsidium desideratur aduersus casus varios & aduersos, quibus assiduè vita nostra supposita est, inde licet securitatem & constantiam mutuari:

Βακτηρία μέν ἐστι παιδεία βροτοῖς.

Certè illud est extra omnem controuersiam mores doctrinâ componi. Quemadmodum enim is qui peregrinatur ex frequenti hominum societate aliquid sumit quo vitam suam instruat,

Πλάνη βίον τίθησι σωφρονέστερον:

Sic qui disciplinis se erudiendum tradit, mirum in modum ingenij sui vires promptius exerit, & apis matinæ instar inde mutuatur quod ad communem omnium societatem transferat: Verum est rerum honestarum semina ipsis animis inhærere, sed nihil etiam dubium est vberibus Philosophiæ fontibus largius irrigatos ingentem virtutum ferre prouentum, & fructus promere mirificos, quod & lyricus vates docet non obscurè.

Doctrina sed vim promouet insitam,
Rectique cultus pectora roborant.

Hoc consequimur legentes, vt ex erratis aliorum res nostras ad melius componamus, ex recte factis sumamus exemplum. Doctrinæ beneficio nos ipsos in moribus aliorum intuemur, & pro-vt aliquid male gestum summorum hominum iudicio condemnatur, in eundem errorem non incurrimus: pro-vt recte gestum laudatur, ad idem faciendum industriæ nostræ conatus ingenuos promouemus. Vbi quis antiquorum Philosophorum monumentis & maxime sanctorum veteris Ecclesiæ patrum lucubrationibus (qui ipsi veram non affectatam Philosophiā professi sunt, & vitę sanctitate doctrinę suæ veritati fidem, honorem, famam adstruxerunt) operam nauiter solo virtutis & veræ pietatis amore impenderit, vix est vt non inde exeat instructissimus ad omne genus officij in hominum societatem expromendi, & quodlibet vitæ institutum arripiendum. Sic Plutharchus in libello *περὶ παίδων ἀγωγῆς* docet eum, qui probe ad virtutis studiū institui debeat, plures libros

colligere debere, & apprime Philosophiæ intendere, ex qua discere licet quid bonum sit quid turpe, quid iustum quid iniquum, quid agendum quid fugiendum, quomodo Deos colere oporteat, honore prosequi parentes, parere legibus, magistratibus obtemperare, amicis beneuolentiam impendere, erga fœminas continentiam promere, erga liberos amorem, erga seruos iniuria abstinere. Nulla scilicet pars vitæ carere potest Philosophiæ præceptis, cuicũque fortunæ conueniunt, ad quamcumque ætatem se applicant, ad omnes homines commoda sua transmittunt. Bonarum disciplinarũ vbique vsus experimento comprobatur pernecessarius. *Hæc studia*, inquit Cicero in hanc sententiam, *adolescentium alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.* Sed si aliqua hominum conditio id maximè desideret, vt ei tam necessario ad vitam probè & ex officio tuendam instrumento opus sit, non dubie erit constituendum principes & magnates quoslibet tuto hoc præcipuum potestatis suæ firmamentum negligere non posse: Nam cum plus videre & longe perspicariori prudentia instructus esse ex rei veritate existimetur, qui adminiculo Philosophiæ vna cum litterarum bonarum subsidio vtitur: consequens est vt hoc munimento ad res agẽdas debeat princeps animum fortiter obuallare. Illud nimirum est, quod ptimum Romano filio præcipit Imperator Constantinus in eo libro quem ad eum scripsit de administrando imperio, vt cum maximè optimum sit vnumquemque ex subditis fideliter bonarum artium disciplinis dare operam, ei tamen principaliter hæc cura debeat incumbere, qui de omnium salute cogitare necesse habeat, & ad clauum sedere reipubl. Φημὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν εἶναι καλὸν τῶν ὑποτεταγμένων τὴν μάθησιν, διαφερόντως δέ σοι τῷ ὑπὲρ τῆς πάντων σωτηρίας ὀφείλοντι διαμεριμνᾶν, καὶ τὴν κοσμικὴν ὁλκάδα πηδαλιουχεῖν τε καὶ κυβερνᾶν. Equus quicumque animosus nisi assidua cura dometur, nisi ab ineunte ætate ita instituatur, vt pro vt equiti visum fuerit modo in dextram modo in sinistram dirigi possit, modo procurrat, modo cessim eat & in gyrum cursus suos contorqueat, aut etiam edoctus sit sub armis in bello ad nutum sessoris

Insultare solo, & gressus glomerare superbos,

Vix est vt eius opera quisquam vti possit; quin potius effrenis & indomitus neminem dorso admittet, nullum sui commodum poterit præbere; ita princeps quantũlibet sui indole generosus, quantumlibet felici sidere natus, vix virtutes suas promere & in lucem edere poterit, nisi adminiculum habeat doctrinæ alicuius, qua imbutus edifcat quid facto opus sit. Sic Socrates pater philosophiæ dicere solebat se tenere artem obstetricandi, quod optimos iuuenes sibi creditos ita commonefaceret, vt quemadmodum obstetrices operam dant quo commodius mulieres fœtus suos edant: Ita ipse præceptis philosophiæ iuuen-

tuti id præstaret, quô felicius ingenij sui fœtus, id est vberrimam virtutum segetem in commune reipub. profecturam emitteret. Igitur scientia vti principem oportet, non solum vt ornet dignitatem suam, sed etiam vt quotidie ipse instruatur veterum exemplis ad rectè & constantor tuendum officium suum. *Nullus est*, inquit Vegetius, *quem oporteat plura & meliora scire quam princeps, cuius doctrina omnibus debet prodesse subiectis.* Sic quicumque floruerunt iusta & æquabili rerum vrbanarum vel militarium administratione, ij semper sibi sumpsêre doctrinam & philosophiam adiutricem; & verum est ipsum sapientiæ studium, & principum sacram potestatem diuinitus inter homines fulsisse, & Dei donum esse certissimum, vt & illa quæ agenda sunt præciperet, illa optima quæque vi imperij sui ad exitum perduceret. Scilicet scientiæ fructus omnis in actione magis, quam in contemplatione consistit, & vim omnem suam in rerum publicarum administratione exerit. Non idoneum sui leuamentum adfert, si ad infimos quosque homines & scolas tantum quasi promiscuâ hominum societate indigna relegetur. Iucundius aliquanto & honorificentius dignitatem sui obtinet, si bellis summa cum arte, prudentia, æquitate agendis applicetur, si fœderibus inter populos aduersis exercitibus concurrentes sanciendis operam adhibeat, si conciliandæ inter populos concordiæ, si iungendis cum exteris gentibus amicitiis, si tuendæ paci adhibeatur, si populi tranquillitatem conseruet, si ciuibus singulis ius tribuat, si componendis ciuium controuersiis vtilitatem suam exhibeat. Denique vt Gellij verbis vtamur; *hæc demum vera philosophia est, quæ virtutum omnium disciplina est, quaque in publicis simul & priuatis officiis excellit, ciuitatesque & rempub. si nihil prohibeat, constanter, fortiter & perite administrat.* Habent principes quo per philosophiæ studium fortitudinem suam & virtutem militarem augeant, audaciam & temerarium pugnandi furorem minuant. Quapropter Chion rectè ad Matridam hoc se consuetudine Xenophontis Socratici philosophi simul & summi græcorum ducis (cuius etiam extant hodie de philosophia & re militari lucubrationes) assecutum dicebat quod se speraret egregiè nauatâ circa philosophiam operâ & meliorem se exiturum, & fortiorem sed minus audacem, quippe oportet eum valentissimum & generosum euadere, qui philosophiæ vsus præceptis auaritiam, ambitionem, cupiditates omnes domuit, à quibus qui hostes vincere solent interdum superantur. Armis litterarum cognitio iudicium tribuit & prudentiam, ac sicuti quicumque hac supellectili instructus est, duplici veluti acie oculorum cernere dicitur, ita geminatos ictus in hostem dirigit: Vnum quem fortitudo, alium quem prudentia ex optimarum disciplinarum petita documentis infligit. Sic non incompte versum illum Menandri:

(Δίπλουν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα)

Henricus Stephanus ad rem militarem ita contorsit,

Παίουσ

Πάντα δῆλον οἱ μαθόντες γράμματα.

Hinc Cæsar, hinc Pompeius, hinc Lucullus, hinc alia reipub. romanæ lumina subsidium sumpserunt, quo virtutem bellicam proferrent in exteras nationes. Hinc ipse Augustus consilia cepit, quibus vel hostes vinceret, vel pacatis rebus rempub. stabiliret. Ipse Alexander magnus non magis rex fuit inuictissimus, quam summus philosophus: Adeo vt summam rerum adeptus palam tamen testaretur malle se alios anteire doctrinâ, quam opibus & copiis. Nimirum hoc præceptum callebat quod ei dederat præceptor suus Aristoteles ad eum libros Rhetoricorum dirigens. Πόλυ κάλλιόν ἐστι καὶ βασιλικώτερον τὴν ψύχην ἔχειν εὐγνωμονοῦσαν, ἢ τὴν ἕξιν τοῦ σώματος ὁρᾶν εὐημεροῦσαν: Cui etiam istud idem adiunxit eodem loco. Καθάπερ ἐστὶ φυλακτικὸν σώματος ὑγεία, οὕτω τῆς ψυχῆς φυλακτικὸν καθέστηκε παιδεία. Ταύτης γὰρ προηγουμένης οὐ πλάνην συμβήσεταί σοι περὶ τὰς πράξεις, ἀλλὰ σώζειν ἁπάσας, ὡς ἔπος εἰπεῖν, τὰς ὑπαρχούσας σοι τῶν ἀγαθῶν κτήσεις. Hac vero conditione præcipue censi sunt duces græcorum, vt inter eos qui in aliquo pretio fuerunt (sunt vero quamplurimi) vix vnus possit iuueniri, qui non apprime litteris fuerit eruditus, & non sit egressus è scola Socratis, Platonis, Aristotelis, Pythagoræ & aliorum Philosophorum. Eius assertionis fidem faciũt Alcibiades, Xenophõ, Dion Syracusanus, Epanimondas & cæteri eiusmodi. Quin ipse pater Philosophiæ Socrates multoties cum hostibus manu conflixit, & ipsum etiam Alcibiadem corporis sui obiectu ab impetu hostium iam vulneratum eripuit. Alexander imperator ne quidem ea parte & ipsi Alexandro magno & cæteris magnis ducibus & regibus cessit, sed ipse imbutus ab ineunte ætate bonis artibus & disciplinis, etiam factus imperator hæc studia non dimisit. Quin solebat post actus publicos, seu bellicos, seu ciuiles lectioni græcæ vt plurimum operam dare, & maxime libros Platonis qui erant de repub. peruoluebat. Adiungebat latina interdum, nec alia tamen quam libros Ciceronis de officiis, & de repub. Scilicet vt ex eiusmodi lectione quædam legeret, quæ posset postea in communem omnium quibus imperabat vtilitatem transferre. His ad voluptatem & iocum addebat interdum oratores & poëtas. Eo amplius tanto discendi desiderio tenebatur, vt etiam cum priuatim conuiuaretur librum in mensa teneret. Hoc rectissime imperator, qui præstantis indolis dote & ingenti fortunâ non contentus, eam longe splendidiorem optimarum artium accessione fieri voluit; & certe vt ait Cassiodorus: *Vbique desiderabilis eruditio litterarum, quæ naturam laudabilem eximiè reddit ornatam: Ibi prudens inuenit vnde sapientior fiat, Ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur: Inde princeps accipit, quemadmodum populos sub æquabilitate componat, nec aliqua in mundo potest esse fortuna quam litterarum non augeat gloriosa notitia.* Potest etiam dici in eò principes magis adminiculo Philosophiæ egere, quod non passim tutò aut seriò ab his quibus assuescunt possint sui officij admoneri, quod tamen commode consequuntur ex librorum lectione.

Vnde Demetrius cum videret regem Ptolemæum adhuc iuuenem gubernari ab hominibus timidis, qui non audebant eum reprehendere ſicubi in quibuſdam erraret, monuit eum vt aſſuefieret legendis libris, qui loquerentur de inſtitutione, officio, & munere principum, vt ab eis addiſceret, quod minus ex fide ei præceptores iniuriæ metu præfinirent. Eadem fere fuit ſententia Alphonſi regis Arragoniæ, qui interrogatus quos conſiliarios magis probaret, & ſibi vtiles magis reperiſſet, reſpondit libros, quod illi ſiue timore, ſine adulatione, ſine vlla præmij expectatione, fideliter exponerent, quod ſcire deſideraret. Sed quia vix eſt, vt princeps maximis rebus intentus poſſit ſemper legendi ferre moleſtiam, longe melius fecerit, cum recti ſtudio ducitur, ſi ſine temporis diſpendio, & maiore etiam cum fructu deligat ſibi & ſecum habeat ambulantes atque ἐμψύχους bibliothecas, id eſt homines rerum omnium gnaros, quos audire perpetuo velit diſſerentes, qua continentia vti eum oporteat, cui omnia licent; qua animi magnitudine debeat eſſe præditus & conſtantia, qui omnes tueri & ab iniuria defendere debet; qua prudentia momenta rerum omnium expendere & moderari neceſſe habeat, cui cura ſalutis publicæ incumbit; qua æquitate opus habeat, qui iuris ipſius & æquitatis eſt arbiter, & ſupra leges dignitatis ſuæ infulas extollit. Otium quod libris legendis accommodatur nimio plus langueſcit, nec ſatis commouet, aut magnum animum incitat: Stimulos quidem virtuti adijcit, ſed non pungit. At quæ à doctis hominibus & vſu rerum conſummatis liberè loquentibus ad principem vox peruenit, in aures & animum audientis infuſa fortius ſonat. *Altius ſemper in animo ſedent, quæ pronuntiatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis adfigit.* Verum illud eſt, circumſpectè prudentiâ ſuâ vti eum debere, qui principibus debeat aliquid præcipere; & in omnibus acquieſcendum cõſilio reginæ Paryſatidis, quæ nonniſi verbis ſericis ſiue vt Plutarchus loquitur ῥήμασι βυσσίνοις cum principibus agendum dicere ſolebat. Sed verum etiam illud eſt optimum principem facile probaturum modeſtam eorum libertatem, quos viderit nullo alio deſiderio, nulla alia cupiditate affectos, quam vt in omnibus ſe ei rectos præſtent monitores.

Nouit equus plauſæ ſonitum ceruicis amare,
Nouit & intrepidus verbera lenta pati:

Sic princeps generoſus qui aliquem viderit ſolo amore ſui ductum, & propenſa pietate obſequij leges maieſtati ſuæ debiti non egredientem ex animi ſui ſententia loqui, etiam refragantem ſibi diliget, & honore proſequetur: quemadmodum de Theodorico Rege Caſſiodorus teſtatur. *Patiebatur ille inuictus prælijs pro ſua fama ſuperari, & dulcis erat iuſto principi rationabilis contrarietas obſequentis.* In ſumma quemadmodum verum eſt bonos principis amicos inſtrumentum eſſe boni ſæculi, vt ait Tacitus: ita decet eoſdem eſſe Philoſophos, id eſt ſapientes, vt eorum conſuetudine doctior & melior princeps fieri poſſit. Sic Themiſtius

Valentem commendat, quod apud ipſum eundem locum haberent Philoſophi, quem militares Magiſtratus. Sic idem docet Alexandrum magnum, Auguſtum, Imperatorem Marcum Aurelium, non alio adminiculo ad tantam gloriam perueniſſe, quam quia non procul à paludamentis militaribus pallia Philoſophorum verſarentur. Et ipſe quoque Imperator Alexander plures Philoſophos, id eſt Iuriſconſultos ſecum habuit ſemper, nec ſolum muto librorum alloquio vſus eſt. Itaque cum inter ſuos conuiuaretur, Vlpianum ſummum illum Iuriſconſultum (cuius ſit toties mentio in Pandectis) & alios doctos homines adhibebat, vt haberet fabulas litteratas, quibus ſe recreari dicebat & paſci. Ait & Lampridius litteratos homines illum amaſſe vehementer, imo & reformidaſſe etiam, ne quid de ſe aſperum ſcriberent. Singula quæque, quæ aut priuatim aut publice egiſſet ſe ipſo docente volebat eos addiſcere, ſi non adfuiſſent. Illud etiam ex eodem Lampridio ſupra fuit relatum, optimam hanc illi fuiſſe conſuetudinem, vt ſi de iure aut de negotiis tractaret ſolos doctos & diſertos adhiberet: ſi de re militari, veteres & ſenes & bene meritos & locorum peritos caſtrorum & bellorum, qui ipſi litterati eſſent & maxime hiſtoriam nouiſſent, vt vel ab illis ſummè ipſe doctus requirere ſoleret, quid in negotiis quæ occurrerent veteres Romani Imperatores vel exteri definiuiſſent. Sic didicerat Alexander Imperator eos principes, qui cum Philoſophis & ſapientibus ſæpius fabularentur, ab his ediſcere quo ipſi ſapientes exiſterent, quod vetus prouerbium docet,

Σοφοὶ τύραννοι τ͂ σοφῶν συνουσίᾳ.

Sed quia Philoſophiæ & philoſophorum incidit mentio & ipſe Vlpianus Iuriſconſultos hoc nomine vocari voluit: etiam cum eo adnotandum eſt duplicem eſſe Philoſophiā, veram ſcilicet & ſimulatam: ac propterea conſtituendum de veris philoſophis nos loqui qui ad litteras accedunt meditatè vt meliores fiant: ſicuti Paulus Iuriſconſultus in titul. ad exhibendum ait, librorum lectione nos doctiores & meliores fieri: Nam ſunt plerique qui omnem vim Philoſophiæ circa variam rerum notitiam verſari putent, & verborum floſculos quærendos, moribus vero ſint corruptiſſimi, quos nemo bonus tanto nomine dignari debeat, & ſi ipſi ſe velint tam præclaro nomine cenſeri. *Nihil indignius, nihil intolerantius, quam quod homines ignaui ac deſides operti barba & pallio mores & emolumenta Philoſophiæ in linguæ verborumque artes conuertunt, & vitia facundiſſimè accuſant intereuntibus vitiis madentes.* Sic illud rectè Arrianus in Epicteto, non in eo virtutem conſtare, ſi quis omnes Chryſippi libros teneret, qui ipſe Philoſophus plura de philoſophię pręceptis ſcripſerat, ſed ſi quæ rationi conueniunt ipſe exſequatur. Magnum quidem adminiculum ad rectè agendum præbet cognitio litterarum, & quæ optimis libris peruoluendis opera impenditur, ſed intellectum tamen inſtruit tantum, vt cognoſcat quo officio pietas erga Deum,

iuftitia erga homines,virtutes cæteræ erga nofmetipfos conftent: Cæterum nullam imponit voluntati neceffitatem,animum præparat non cogit,fibi quifque imperat,vnufquifque liberum mentis fuæ arbitrium moderatur. Sic vero audiendus Valer. Maximus. *Quid doctrina proficit? vt politiora fcilicet, non vt meliora fiant ingenia,quoniam folida virtus nafcitur magis quam fingitur.* Plurium adeo ferox & aduerfus omnem culturam contumax ingenium,vt nullo modo ad virtutem formari poffit. Alij funt ad virtutem ita propitia indole,vt ftatim mitefcant. Neroni nihil profuit præceptorem habuiffe Senecam,quia optimam literaturæ frugem neglexit,& maluit fæuos animi impetus ad omnem fœditatem & crudelitatem laxare, quam eofdem ratione moderari: Traiani vero Plutharchus promouit induftriam,& præcepta philofophiæ rudem in eo naturam expoliuerunt. Eadem fore eft ratio ingeniorum quæ ipfius terræ,vbi ferax eft folum,ibi agricolæ leui qualibet induftria adhibitâ magnos fructus percipiunt,è contra vbi conditio foli eiufmodi eft, vt fpinis fentifque perpetuo horrefcat,& faxis frequentius quam cefpitibus abundet,ne quidem ipfa Triptolemi cura auenas aut hordeum expreflerit,nedum lætam frumenti aut filiginis fegetem. Nifi quis patientem aurem præcipienti Philofophiæ accommodet, vix eft vt non deterior fiat. Λόγου δύναμις τοῖς μὲν ἐπιεικέσι ἀρετῆς ὅπλον, τοῖς δὲ μοχθηροτέροις κακίας κέντρον γίνεται. Fere iam obtinet vt ad pompam litteris opera nauetur,magis vt quifque fecurius vitia fua occultet,& fub vmbra innocentiæ latere credatur,quam vt virtuti ftrenuè nomen det. Nemo non eft eloquens circa infequenda vitia, omnes de luxu queruntur, ambitum damnant, auaritiam improbant, & nulli doctius vnquam locuti funt, nulli vixerunt improbius.Quo tam facundæ orationes,vbi morbi acerbitas medicam manum requirit.

Οὐκ ἔστιν ἰατροῦ σοφοῦ
Θρηνεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομῶντι πήματι.

Nullus eft qui de temporum conditione non queratur, nullus eft qui veluti in choro tragico flebili voce & ad muliebrem confternationem vultu compofito illa Poëtæ carmina non decantet.

Neglecta vitia per tot ætates diu
In nos redundant; fæculo premimur graui,
Quo vitia regnant, fæuit impietas furens.

Et interim tamen perinde vt antea nobiles infolefcunt, pauperes iniuriis premuntur, magiftratus furantur, luxus exiftit folutior,ambitus dignitatum impudentior, ex fide minus priuatis ius redditur, omnia exiftunt corruptiora, & illi ipfi interdum qui tam facundè & animosè de fugandis vitiis, de reducendis virtutibus catonio fupercilio difputant,exiftimant fe noxias fuas fub tam grauis eloquentiæ latebris occultare. Olim ftudium philofophiæ in inuidiæ crimen eft deductum, quafi vnamquamque rempub.corrumpat,hac maxime ratione quod eo

demum tēpore floruerit maxime, quo ipsæ laberentur. Sic & ipse Cato censorius ad filium scribens de Græcorum philosophia. *Bonum est eorum litteras discere non perdiscere, quandocumque ista gens suas litteras dabit omnia corrumpet.* Est etiam qui vitio ipsi philosophiæ verterit, quasi animos debilitet & enerues faciat. Alij etiam dixerunt generosiorem Romam fuisse antequam litteris vacaret. Eo etiam plerique venerunt insolentiæ, quo ignauiæ suæ & inscitiæ patrocinarentur, vt dicerent Francigenas tum prorsus militari virtute excelluisse, vbi maximè ipsis ignota erat ratio tam diligens excolendorum ingeniorum, quibus omnibus improbe calumniam patitur tam necessarium optimę cuiusque reipub. instrumentum: nam & ratio omnis, & temporum fides, & ipsa rerum documēta testantur ab ea feros mores mitigari, audaciam iudicio temperari, fortitudinem augeri, vitiis bellum iudici, virtutes coli, ingenia ad omne recti studium fingi & conformari. Sed in hoc tantum obtrectationi patere visa est, quod inclinante in deterius alicuius reipubl. statu, tum maximè philosophiæ studium ab vnoquoque in id duntaxat converteretur, vt cautius vitia sua tegeret, magnificentius innocētiam simulatam adumbraret, sagacius aliis calumniam strueret, occultius fraudes suas & calliditates dissimularet, securius in omne genus nequitiæ prorumperet, quæ omnia ad iniquam temporum conditionem debebant referri, non temere innocenti philosophiæ exprobrari. Id par est iam vnumquemque eniti, ne tam inique litterarum scientia vtatur, vt eam habeat veluti cupiditatum suarum administram, quæ debet omnes animi irrationabiles impetus moderari. Nullus fructus ex doctrina nascitur, si circa nudam cognitionem versetur, & ibi consistat, vlterius progrediatur & vim suam ostendat necesse est: alioqui nihil vltra profecerit, quam vt stultam arrogantiam animis ingeneret, sicuti sunt multi qui vbi vel primoribus labris scientias attigerunt, iam existimant vnumquemque à seipsis tanquam reconditioris doctrinæ thesauris, quidquid cognitione dignissimum est mutuo sumere debere, ac plane nihil sciri posse, quod ab eis nō fuerit acceptum, quo quid stultius, quid stolidius dici potest? Prodeat summus Iurisconsultus, vix latine loquentem medicum audiet. Summus etiam medicus de iure peritè respondentem Iuriscōsultum vix intelliget, vtrumque sua theoremata proponentem nugas agere arbitrabitur maximus theologus: adeo fluxa, adeo fragilis est rerum cognitio, vt oporteat eum qui plurima sciuerit, multa & longe meliora ignorare. Et qui consummatissimus in qualibet scientia vel etiam in pluribus, si hoc pati possit humana conditio, aliquid se assecutum putat, ei plane similis est, qui ex periculosa & difficili pregrinatione regressus sibi gratularetur, quod ex medio mari & immenso illo Oceano aquæ guttulam reportaret, tot enim res tantæque in mundo cognitione dignissimæ, vt quod doctissimus quisque tenet comparatione eorum quæ ab ipso ignorātur

ad minimum momentum accedant. Vna est igitur & sola & maxima philosophiæ & scientiæ vtilitas, si præparet animum ad omnes sæuientis fortunæ iniurias tolerandas si omnem operam suam collocet circa vitam recte instituendam, si homines eius præceptis imbuti perpetuo sui officij meminerint, quod erga Deum, principem, & parentes, aut proximum ipsum impendere iubentur, si Dei mandatis admoniti studio semper recti ducãtur, & sibi perpetuo proponant illam, quam Deus bonæ voluntatis hominibus repromittit fœlicitatem non temporali fastigio nutabundam, sed æternitatis firmitate securam.

De artibus mechanicis.

Cap. XXVII.

An non vel hinc magnum argumentum est stultam esse eorum cogitationem, qui se magnum aliquid consecutos arbitrantur cognitione litterarum, & in ea sistunt omnem disciplinæ commoditatem: Artes omnes mechanicæ, quarum infinitus est numerus, inanem & futilem illarum arrogantiam comprobabunt, cum illæ plus vtilitatis conferant in rebus humanis, quam nuda illa cognitio scientiarum omnium. Illud certissimum est humanæ imbecillitatis indicium, nullum in terris ita beatum fingi posse, siue animi dotibus se insignem præbeat, siue fortunæ bonis commendetur, quin præsidium ab eo petere necesse habeat, qui longis spatiis possit videri infirmior. Qui toti contemplationi inhærent, tamen eos ab aliis quæ ad fulturam corporis pertinent requirere oportet, vt omnino nullus fingi possit, qui ita secum moretur & consistat, quin certis vicibus ope aliorum indigeat. Hæc lex scilicet à Deo inter homines est perpetuò sancita, vt mutua societate coalescãt & omnem insolentiam ab animo repellant. Hinc habent quod discant magnates, ne sibi vnquam innitantur, & meminerint semper fluxæ & fragilis conditionis suæ, per quam in summa fortuna constituti egent tamen opera tenuiorum, quorum etiam operas magnô coguntur redimere. Illa tam longo repetita principio non aliò pertinent, quam vt appareat etiam in republica bene constituta honorem artibus constare debere, vtcumque illæ à plebeis & tenuioribus tractentur, quando nulla ciuitas his carere potest. Sic rectè Aristoteles in politicis τεχνίτας ἀναγκαῖον εἶναι, πάντα γὰρ δεῖται πόλις τεχνίτων. Et alio loco ἄνευ τεχνῶν πόλιν ἀδύνατον οἰκεῖσθαι. Scientia litterarum & philosophiæ studium ea quæ ad animam pertinent moderatur, motus eius regit ac gubernat, impetus aliorsum eam trahentes quam rationi conuenit ad rectum virtutis callem reuocat, & ad tranquillitatem & fœlicitatem deducit: Artes vero

mechanicæ vt plurimum varias corporis necessitates,& ipsam plerumque oblectationem respiciunt,& in omnibus vel ab iniuria corpus defendunt,vel ita instruunt,vt paratissimum sit ad munia omnia sua peragenda.Sed nec minimum conferunt etiam ipsi animo,quando vix est vt plurimarum rerum cognitione imbuatur,nisi subsidium petat ab omni artium genere,quæ tam magnifice ipsam instruunt philosophiam & omne genus doctrinæ iucundioris & politioris. *Quid enumerem artium multitudinem*, inquit Cicero ,*sine quibus vita omnino nulla esse potuisset, quis enim ægris subuenisset: Quæ esset oblectatio valentium, aut victus aut cultus, nisi tam multæ nobis artes ministrarentur, quibus rebus exculta hominum vita tantum destitit à victu & cultu bestiarum.* Quemadmodum igitur homo anima & corpore constat,& ita vtrumque inuicem sibi subsidio est vt amicabili consortione res sibi nocituras amoliantur, profuturas vndique conquirant: Sic par est plurimas artes iuuentas esse,vt & per eas corpus animæ quædam ministraret, & anima corporis societatem non aspernaretur ab eo adiuta iis rebus quæ possint interdum esse necessariæ ad perfectam contemplationem. Et propterea verum est artes ipsas à contemplatione ductas & varia collectione causarum quæ aliæ ex aliis nectebantur,non secus ac philosophia: Vt rectè Plutarchus dixerit in lib. περὶ τύχης, artes esse μικραὶ φρονήσεις ϗ ἀποῤῥοίας ϗ ἐγκαταλείμματα διεσπαρμένα τῆς χρείας περὶ τὸν βίον, sicuti etiam autore Seneca Possidonius dicebat artes mechanicas à philosophia esse inuentas. Quin & ipse Moses ipsam artium cognitionem Exodi capit.31. vocat πνεῦμα θεῖον σοφίας ϗ συνέσεως, & docet perinde eam à Deo infundi animis hominum ex gratia, ac aliæ animarum dotes magnificentiores, quæ ad contemplationem & secretorum diuinorũ notionem spectant. Illa tamen non propterea dicuntur,vt qui rebus publicis præsunt cognitionem aliquam tenere debeant artium mechanicarum aut eas aliquatenus exercere, nec enim illud sequitur, vt docet Plutharchus in Pericle, eius rei quæ quoquomodo grata est artificem semper in pretio esse, imo plerumque laudato opere propter vtilitatem & oblectationem quæ ei inest, spernitur & contemnitur qui illud fecit. Sed eo tantum illa spectant vt appareat in republ.bene constituta non debere curam artium negligi, sed & ipsis artificibus constate debere præmia quædam , quandoquidem illa ratione fit vt primum in ciuitate nullus sit otiosus, sed vnusquisque vitæ sibi compendium quærat.

Λιμὴν ἀτυχίας ἐστὶν ἀνθρώποις τέχνη.

Deinde eriam cum ipsis artibus pretium & premium aliquod additur,honesta contentione quisque id efficere nititur,quo se ipso aut aliis in dies peritior existat. *Honos alit artes,omnesque incenduntur ad studia gloriæ, iacentque ea semper quæ apud quosque improbantur.* Sic & Impp.tit.de excus.artif.lib.10.C.omnibus artificibus,quorum ibi fit mentio, immunitatem ab omnibus muneribus concesserunt. *Siquidem*, inquiunt, *in*

discendis artibus otium est accommodandum, quo magis cupiant ipsi artifices peritiores fieri & suos filios erudire. Id ipse Imperator Alexander suæ curæ & sollicitudinis fecit, vt corpora constitueret vinariorum, lupinariorum, caligariorum, & omnium omnino artium. Eisdem etiam ex sese defensores dabat. Artium varietas & artificum decorem ciuitati adiicit & amorem industriæ: Ideoque quam maxime necessarium est, vt præcipua cura in id impendatur, quo frequentia artificum copiam rerum omnium ciuitati suppeditet, nec opus sit illa ab extrantis redimi, quæ minimo sumptu in ipsa vrbe constare poterant. Si qua vero ars vlla est quæ splendorem & ornatum possit ciuitatis augere, ea est architectura qua mensura & numero æquabili ædificia priuatim vel publice construuntur. Nulla vero res plus commēdat principis famam, quam operum publicorum structura, quia hæc impensa veluti in perpetuum durat. Etiam adhuc ægypriacarum pyramidum memoria post multa sæcula remansit. Æqui bonique consulunt subditi, dum vident eorum quæ ipsi in commune contulerunt monumentum aliquod, veluti pontes, collegia, portus publicos, & alia eiusmodi, quæ in vulgus conspiciuntur. In nulla re lætius principis liberalitas exurgit, quia illa pertinent ad commoditatem & tuitionem singulorum. Imò etiam dum eiusmodi honestis impendiis & in æuum duraturis operibus pecuniam princeps insumit, promouet ciuium suorum industriam, & eis occasionem præbet cum aliqua commodi expectatione operas suas locandi, qui forte desides & otiosi extitissent. Ita fit vt pecuniam, quam vndiquaque ab ipsis subditis tributorum aut vectigalium nomine collegerit, in eosdem refundat, dum illorum ingenuos labores & gratam in curandis & faciendis publicis operibus sibi exhibitam nauitatem remuneratur. Sic in omni administratione, pecuniæ publicæ princeps magnum illum & terram omnem ambitu suo complectentem oceanum aliqua ratione refert: Quemadmodum enim in eum influunt omnium fluuiorum & lacuum aquæ, quas postea per occultos terræ meatus vbique immittit, vt ex his terra irrigetur, & fontes laticibus manent, vnde rursus fluuiorum aluei complentur: Ita ex omnibus regni vel imperij partibus ad principem subditi pro sua quisque parte solenni tributorum præstatione vim propriarum facultatum deferunt, quas ipse mox in plebem & per vniuersorum ciuium manus distribuit, pro-vt quisque annonas mercedes salaria ab eo accipit. Sed ne digrediamur, verum illud est magno animo illud conuenire maxime, vt operibus publicis extructis munificentiæ suæ testimonium posteris commemorandum relinquat. Sic Semiramis muros babylonios admiranda crassitie extructos reliquit. Sic propylea Pericles & porticus, in quibus Athenienses longas & valetudini conducentes inirent deambulationes. Sic Augustus cum Romam lateritiam accepisset, marmoream à se factam prædicabat. Sic alij principes magnifica sibi prætoria ædificari voluerunt. Et omnino, vt inquit Cas-

ſiodorus, in formula curæ palatij, *Magna voluptas eſt prudentiſſimæ mentis pulcherrima iugiter habitatione gaudere, & inter curas publicas feſſum animum reficere dulcedine fabricarum.* In eo principem magnificum ſe præſtitit Imperator Alexander, quod plura opera fecerit, & illa quidem ſumptu impenſiori. Itaque, vt ait Lampridius, opera veterum principum inſtaurauit, ipſe noua multa conſtituit. Thermas etiam nominis ſui iuxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, fecit. Pontes quos Traianus fecerat inſtaurauit pene in omnibus locis, ipſe quoque aliquos nouos fecit. Horrea in omnibus regionibus publica fecit, ad quæ conferrent bona illi qui publicas cuſtodias non haberent. Balnea adiecit quæ dicebantur eſſe Alexandri. Idem multis ciuitatibus, quæ poſt terræ motus deformes erant, ad inſtaurationem operum & publicorum & priuatorum pecuniam ex vectigalibus dedit. Proximè artium vario generi quibus debet reſpublica pollêre, vt fœlicitatem poſſit nāciſci, ſuccedit negotiatio & mercatura, quæ ipſa ingentes prouentus & omnium rerum affluentiam ciuitatibus adfert, & toti reipubl. cum per eam, ſi ſyncere exerceatur, & tenuiores compendium ſentiant, & potentiores amplas ſibi parent facultates, ac propterea ſemper iis qui rempub. conſtituerũt, viſa eſt admodum vtilis & neceſſaria. Habemus in Pandectis Platonis locum à Calliſtrato laudatũ, ex quo ſatis conſtat quam ſit reipub. vtile exiſtere aliquos, qui merces euehant, & aduehāt, quia ſcilicet populorũ plerique multis rebus indigent quibus alij affluunt, & plerique quibus multa ſunt ſuperflua, quæ alienam poſſint ditare inopiam; vt non ineleganter Vlpianus commercium vocet vſum promiſcuum, & propter vtilitatem eius conſtituat morte præponentis non finiri officium inſtitoris, etiam ſi pupillus defuncti hæres fuerit. Xenophon Philoſophus ipſe, & in eadem ſcola Socratis in qua ipſe Plato educatus, non à Philoſophia alienum eſſe putauit librum ſcribere, περὶ πόρων ſiue προσόδων, in quo de reditibus publicis agens, & commoda vectigalium impoſitione & adminiſtratione, quibus poſſet augeri ciuitatis Athenieñſis ærarium, illud cauet nominatim, etiam honoribus afficiendos negotiatores, & publice ipſis conſtituendos magiſtratus, qui celerrime & cum omni æquitate cauſas eorũ diiudicarent, ne à negotiationis ſtudio longis litium ambagibus auocarentur. Is ipſe Calliſtratus I.C. negotiatoribus, quamdiu in eiuſmodi actu ſunt, immunitatem à muneribus publicis tribui æquum cenſet, quaſi reipubl. cauſa abeſſe cenſeantur, qui neceſſaria ipſi ſuppeditant, & annonam ciuitatum adiuuant. *Remuneranda*, inquit, *pericula eorum, quin etiam & hortanda præmiis merito placuit, vt qui peregre muneribus & quidem publicis cum periculo & labore funguntur, à domeſticis vexationibus & ſumptibus liberentur.* Illam rationem & ipſe Imperator Alexander ſecutus eſt, qui negotiatoribus vt Romam concurrerent maximam immunitatem dedit, vt & ſupra conſtitit. Non eſt omnino indigna animis ingenuis negotiatio, illa maxime quæ ſordida non eſt, &

quam homines exercent non domi & officinæ alicui vel ergastetio cum otio sedent, sed per varias & externas gentes & populos peregrinantes. Etiam per eam cœperunt iungi fœdera cum exteris gentibus, & constat quosdam philosophos hanc etiam sibi causam sumpsisse, vt commodius possent sine suspicione ritus exterarum gentium ediscere, & ex his mores suos ad omnem virtutis disciplinam formare. Etiam Solonem summum illum Atheniensium legislatorem aliosque complures magni nominis viros negotiationem exercuisse Plutharchus docet: quin etiam mercatores aliquos maximas vrbes condidisse, & Massiliam quoque, cuius etiam apud nos adhuc est fama celebris, à negotiatore fuisse conditam idem testatur. Non est certe quod quæstui, qui per mercaturam comparatur, honos & dignitas detrahatur, maximè cum quæsitis per eam amplis facultatibus liceat postmodum domi quiescere, & honesto otio vacare. Placet etiam de ea Ciceronem audire, dum de omnibus vitæ humanæ officijs copiose differit. *Mercatura*, inquit, *si tenuis est, sordida putanda est: sin magna & copiosa, multa vndique apportans, multisque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda. Atque etiam si satiata quæstu vel contenta potius, vt sæpe ex alto in portum, sic ex ipso portu se agros possessionesque contulerit, videtur iure optimo posse laudari.* Certè nemini non probatur mos, qui obtinet apud nos in Britannia armorica, vt nobilibus non sit fraudi ad dispendium propriæ nobilitatis, quod aliquandiu negotiati sunt, si modo post aliquantum temporis comparatis quibusdam vitæ subsidiis testatô actis interuenientibus fidem faciant, dimittere se negotiationem. Et forte fuisset vtilius per vniuersam Franciam idem obtinere: minori in numero essent qui vias publicas obsident latrones, qui ipsi nobili aliquâ orti familiâ sed egenti, hoc colore quod nullum eis honestum esse ex negotiatione compendium potest, ad scelus publica quasi autoritate adiguntur. Ipsis equitibus Romanis non fuisse indecorum, si negotiarentur aut publica vectigalia redimerent ac publicani essent, satis perspicue docent orationes Ciceronis, quæ sunt pro Rege Deiotaro & de prouinciis consularibus & autorum loci complures. Illo vitæ genere nec Veneti, nec alij Itali, neque Germani, aut Scoti & Angli sanguinis claritatem fœdari existimant, & forte cum maiori sua & vtilitate & dignitate. Nullum fere negotium potest videri inhonestum, quod non sit ipsa pigritia & turpi otio melius. Generosus quilibet animus ei quod cum ratione aliqua honestatis instituerit tribuit decus. Etiam cum animi gratia artes ipsas mechanicas tractaret Alexãder magnus, indolem principis ad summa nati ostẽdebat. Cum Epaminõdæ ciues irati sternendarũ viarũ curam mandassent contumeliæ causâ, quod apud eos eiusmodi ministerium esset sordidissimum, fiduciâ sui innixus ausus est sperare & spondere se operam daturum, vt breui speciosissimum esset eiusmodi munus, simul ac illud obiisset, quod & præstitit, docuitque verissimum esse dictum vetus

quod in Pompeio refert Plutharchus versu senario comprehensum,
φεῦ ποῖοι ϕυγαίοισιν ὡς τὰ πάντα ποιεῖ.

Non arcentur à negotiatione nobiles per l. 3. C. de commerc. & mercat, nisi cùm præter generis claritatem in honoribus reipub. id est ciuilibus vel militaribus dignitatibus versantur, ac sunt etiam patrimoniis ditiores. Non prohibentur etiam per l. 5. nemo de remilit. lib. 12. C. quia lex est de militibus, qui actu stipendia merent, quos certum est debere vacare vtilitati publicæ per armorum operam, non priuatæ per mercimonij quæstum.

De publicis artium & scientiarum professoribus instituendis, & erudienda iuuentute.

Cap. XXVIII. & vltimum.

HOc nimirum est ibi metam sistere, vnde illi qui melius de reipub. optima institutione scripserunt exordium sumpsere: Sed neque Lampridius seriem rerum secutus est in proponendis Imp. Alexandri politicis axiomatibus, neque nos in eisdem exponendis admodum rationem ordinis habere oportet. Non est autem animus ea omnia in hunc locum transcribere & quæ antiqui grauiter & perite de puerorum institutione dixerunt, & quæ recentes doctissime de eadem re tradiderunt. Est Plutharchi specialis tractatus περὶ παίδων ἀγωγῆς. Plurima Plato in libris de repub. Multa Aristoteles in politicis lib. 7. & 8. Varia Xenophon siue de Cyri institutione tractet, siue de Atheniensium aut Lacedæmoniorum repub. Eadem de re Baptista Geraldi copiose disserit in libris, quos lingua italica composuit *della vita ciuile.* Sunt etiam quædam à nostris sermone gallico eleganter conscripta, vt fere res fuerit negotij non modici per indicem ipsa autorum nomina referre, qui de illa materia diuerso idiomate libros integros, vel tractatus aliquos ediderunt. Sed aut illi omnes aut ex his plerique, id egêre tantum, vt patriæ ciues formarent, non cœlo incolas fingerent, quod melius doctores ecclesiæ sunt executi, vti D. Hieronymus ad Lætam & Gaudentium, & alij latinæ vel græcæ ecclesiæ patres in plerisque locis & maxime in epistolis & versibus. Cum autem omniũ hæc sit sententia, maximam in educatione diligentiam desiderari, quandoquidem in tenera ætate totius vitæ prima veluti fundamenta in longum valitura iaciuntur, vt pro- vt illa constiterint vel ad virtutem assurgat animus, vel in vitium procliues ferat decursus, omnis cura in id incumbere debet vt quam optime ipsa pueritia & tenera iuuentus atque adeo ipsa infantia instituatur. Nemo dubitauerit à pietate ordiendum & ipso Dei cul-

tu. Et rectè veteres etiam pagani protreptica sua ab illis verbis orsi sunt, πρῶτα θεὸν τίμα: Quod Phocylidis & Pythagoræ carmina ostendunt. Sed omnium optime D. Gregorius Nazianzenus in carmine, quod scribit ad quemdam iuuenem Seleucum.

Πρῶτον μὲν ἐν φρονοῦντι καὶ πόθον ἔχε
Θεοῦ. θεὸς γὰρ πᾶσιν ἀρχὴ καὶ τέλος
Τοῖς εὖ φρονοῦσι γίνεται παντὸς βίου.

Hoc dicunt medici, hoc naturales philosophi, herbas ipsas mortiferas & venenata animalia, si quis rectè illis vtatur, magno emolumento esse & maxime corporibus humanis esse salutaria, & contra toxicum ipsum præsentissimam opem ferre. Hoc & Theologi profitentur mala omnia, ipsa etiam scelera in mundo Dei permissu existere, vt inde plura bona contingant. Habemus & nos itaque quod hæresi & ipsis hæreticis gratulemur, si in compendium nostrum vertamus quod ab illis optimi ediscere potuimus. Ecce nos satis illud docuerunt nimiam esse incuriam & indiligentiam nostram circa formandos & imbuendos veræ pietatis & religionis præceptis pueros, imo & adolescentes & senes. Apud eos vtriusque sexus infantes, dum in ipso penè matris gremio & sinu educantur, discere iam incipiunt sui erroris & falsæ religionis prima rudimenta, etiam momenta controuersiarum tenent, & ipsas tendiculas & captiosas argumentationes quibus mendaciis suis adstruant fidem. Arrogantiæ aliquid & superbiæ semper admixtum est, quæ in peculio & supellectili hæreticæ prauitatis cuiuscumque & nunc & olim semper fuerunt, adeo apud eos infantissimus quisque & ipsæ etiam mulieres sibi persuasissimum habent, se melius tenere sensum sacrarum scripturarum, quam ipse D. Augustinus, aut D. Hieronymus aliique vel Latinæ vel Græcæ Ecclesiæ patres sanctissimi, qui enarrationibus suis ipsas illustrarunt. Sunt etiam ita suaues ad ridendi materiam, vt vel ipsum Caluinum suum & Lutherum aliosque, quos habent in rebus pluribus sui erroris improbos administros, inscitiæ, ignorantiæ & mendacij audeant arguere, si quid aliter senserint quam ipsi opinantur, vt mirum non sit eos cum orthodoxa ecclesia non consentire, qui ab eis quos vocant prophetas & veros sacræ paginæ enarratores dissentiunt. Sed in summa cur non saltem id fit in veritate edocenda, quod illi fecêre in propagandis suis mendaciis. Cur minor diligentia adhibetur inter orthodoxos in formanda iuuentute & ad pietatem erudienda, quam illi faciunt in sua ad fanaticos errores instituenda. Non oportet omnes homines esse Theologos, Philosophos, scientiarum omnium peritos, nam statim perierit omnis honos cæterarum artium, & per res vsu & inuentu honestas omnis ordo rerum humanarum conturbaretur. Tam ex Dei dono sunt artes omnes ad tuendam vitam necessariæ, quam est ipsa Theologia, & aliæ scientiæ quibus animi hominum ad pietatis cultum & cæterarum virtutum munia peragenda forman-

tur. Et præterea conuenit diuinæ prouidentiæ tantam in mundo hominum multitudinem per varia vitæ officia sibi sociari, vt pro-vt plurimæ sunt, & diuersæ hominum conditiones, & varia instituta, ita sibi inuicem subsidio sint & mutuâ beneuolentiâ seipsos inuicem complectantur. Sed vna est scientiæ & doctrinæ species, & omnium communis, & omnibus necessaria, quæ ne quidem in rusticanis hominibus integra singulorum & vniuersarum incolumitate potest esse neglectui, Dei scilicet & orthodoxæ religionis cognitio, vt quisque ad minus summam eorum teneat, quibus ad verum pietatis cultum peruenitur: Imo etiam eousque tenuiores & minimos quoslibet peruenisse expediret, vt nullus esset qui non legere recte posset, vt saltem minus turpi otio vacarent plurimi, & dum in Ecclesiis adsunt cum diuina mysteria peraguntur, haberent quo pascerent animas suas, preces ab Ecclesia & sanctissimis in ea patribus dictatas voce & mente proferendo. Vix est vt ex illis qui sunt ab orthodoxa Ecclesia segregati quisquam ex infima plebe inueniatur, qui non in conuenticulis suis probe sciat orationum suarum pensa, & ea etiam domi meditetur. Cur non ab his discunt Catholici quid in vera religione facere debeant. In magnis ciuitatibus & maximè in vrbe regia plures sunt summæ scientiæ clerici, qui veluti agmine facto ad eam corruunt, quibusque impensè cura pietatis cara esse videtur. Cur non ex his aliqui rusticorum habitacula & mapalia per vices frequentant, vt eam à se suspicionem amoliantur qua nimio plus laborant, eos magis aliquam eloquentiæ & doctrinæ existimationem aucupari, quam quæ Dei sunt & Ecclesiæ quærere. Nimis sæpe alienum gregem curare contendunt; sibi commissas oues, quarum lana fruuntur benignius, deserunt, aut mercenariis pascendas dimittunt. An vero soli qui in oppidis opulẽtioribus degunt cultu religionis debent imbui, vt quemadmodum pauperculis agricolis sunt potentiores in sæculo, ita iisdem sint beatiores in cœlo? Annon ex æquo Ecclesiæ & religionis officia in vniuersos debent impendi? An pro diuersitate rerum temporalium ita spiritualia beneficia inæqualiter debent dispensari? Sed ex iis ipsis, qui in primariis prouinciarum ciuitatibus tanto ambitu contendunt, quis maioris & populosioris Ecclesiæ ambonem conscẽdat, fere nullus est, qui Xenodochia, qui carceres, & alia publicę misericordiæ loca adeat, vt eos quos dolor aut aliqua corporis vel animi ægritudo consumit, solatio aliquo afficiat; & si qui sunt, qui eiusmodi personis miserabilibus vacant, illi plerumque sunt qui clero & Ecclesiæ acceptum tantum habent dignitatis & ordinis sacerdotalis characterem, & ex tenui suo patrimonio viuunt ægerrimè nullis aucti Ecclesiæ stipendiis, quæ largiter iis conferuntur, qui nullam sui in curandis pauperum corporibus & animabus vtilitatem promunt. Ne ab instituto sermone discedamus: An non est illud ex officio & munere cleri & ipsorum clericorum prouidere, vt pauperum & tenuiorum filij

Ecclesiæ ſumptibus inſtruantur, electis per ſingulas Eccleſias ſcolarum magiſtris. Vnde & illud eleganter in Concilio Lateranenſi quod & relatum in cap. 1. extr. de magiſtris. *Eccleſia Dei ſicut pia mater prouidere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus iuuari non poſſunt, legendi & proficiendi oportunitas ſubtrahatur.* Quo loci illud verbum (legendi) notatu digniſſimum, quaſi id maxime requiratur, vt ſaltem infimi quique Chriſtianorum id maxime nouerint, ſine quo vix vllum pietatis obſequium Deo poſſint exhibere. In Concilio Maticenſi cuius lacinia extat in capit. 3. extr. de vita & hon. cler. cauetur illud maximè vt quiſque Presbyter qui plebem regit clericum habeat ſecum, qui poſſit temere ſcolas & admonere ſuos parrochianos, vt filios ſuos ad fidem diſcẽdam mittant ad Eccleſiam. Ex ſynodo Eugenij Papæ idem fere refert Gratianus in can. de quibuſdam 37. diſt. quibus adijci poteſt quod conſtitutum in Capitularibus Caroli magni lib. 5. cap. 103. & 143. Presbyteros proſpicere debere, vt quicumque Chriſtiano nomine cenſentur orationem dominicam & ſymbolum memoriter teneant & intelligant. Et illud non modo fuit Latinæ Eccleſiæ inſtitutum ſed & Græcæ, vt docet Duarenus in lib. de ſacris Eccleſiæ miniſteriis & beneficiis. Nuper in comitiis Aurelianẽſibus fuerat conſtitutum, vt in cathedralibus Eccleſiis & collegialibus vnus præceptor inſtitueretur, qui ciuitatis iuuentutem gratis edoceret, ſecundum quod definitum fuerat in Concilio generali ſub Innocentio tertio ſummo Pontifice, vt traditur in cap. quia nonnullis extr. de magiſtris. Et vix tamen illud obſeruatur. Sed nec debebat iuuentutis cura in agris degentis negligi & aliquanto foret æquius rurales Eccleſias ſtipendiis augere ex prouentibus eorum qui opima beneficia poſſidẽt, quam ruſticam plebem carere tam neceſſariis adminiculis ad ſalutem, vt nullos habeant cui liberos ſuos tradant primis litterarũ elementis imbuendos; vix enim eſt vt qui in parrochiis agrorum conſiſtunt presbyteri illud onus in pleriſque locis ferre poſſint, quia eorum reditus ita ſunt tenues vt commode non poſſint ex his aliquid decerpere, quod ludi magiſtro poſſit erogari. Certè illa cura non modo ad cultum pietatis, ſed etiam ad ſummam reipubl. ſpectat, quo enim magis pietas colitur & cura propenſiori etiam tenuiorum liberi erudiuntur, facilius quoque vitiorum ſeges tollitur, facilius etiam honos & gloria virtutis effloreſcit. Etiam hæc cura veteribus ſumma, & ipſi Iuriſconſulti aiunt valere legatum ciuitatibus relictum, ſi in eruditionem vel alimenta puerorum aliquid ſit publice relictum *l. 117. Si quid l. ciuitatib. ff. de legat.* 1. Plinius ſecundus collata in ciuitatem ſuam magna pecuniæ copia ad conducendos pueris præceptores, rectè rationem facti ſui dabat. *Edoceantur qui hic naſcuntur, ſtatimque ab infantia natale ſolum amare, frequentare conſueſcant.* Πηγὴ καὶ ῥίζα καλοκαγαθίας τὸ νομίμου τυχεῖν παιδείας, inquit Plutharchus: Propterea enitendum vt non deſit pueris præceptores qui eos erudiant & bonis præceptis inſtruant, *Nam diffi-*

taliter existit vitiosus cui admonitor insistit assiduus. Id vero præstabitur commodissimè, si honestis stipendiis inuitentur artium liberalium professores, vel hi quicumque erudiendæ iuuentuti dant operam, nam quia à cura rei familiaris euocantur, dum suam operam præbent publicæ vtilitati, æquum est vt damnũ illud aliquibus è publico honorariis rependatur. Nullo argumento sæculi fœlicitas aut principis dignitas melius commendari vel exurgere potest, quam illo in rempub. collato beneficio, vt sedulo iuuentus excolatur, quod fieri nequit sine publicis præceptoribus, quibus pensiones condictæ repræsentẽtur. Est vero in hanc sententiam illud Symmachi elegans. *Specimen est*, inquit, *florentis reipubl. vt disciplinarum professoribus præmia opulenta pendantur.* Et hæc itaque fuit cura Imp. Alexandro Seuero, qui, vt refert Lampridius, rhetoricis, grammaticis, medicis, aruspicibus, mathematicis mechanicis, architectis salaria instituit, & auditoria decreuit, & discipulos cum annonis pauperum filios modo ingenuos dari iussit. Quod de aruspicibus mentio fit, id ad temporis conditionem referendum, quo vt diximus cap. 3. sup. nondum inualescente penitus sacri Euangelij veritate, delusi errore veteres aruspicinæ vt probatæ alicui scientiæ vacare poterant, quamuis aliàs magicæ artes etiam illis fuerint improbatæ. Placet vero quod non solum Imp. salaria professoribus scientiarum & artium instituit, sed etiam auditoria decreuit, nam nihil magis est ex reipubl. dignitate, quam vt scolarum fastigia in decorem exurgant, vt etiam ipsius loci splendida & magnifica facies iuuenum mentes demulceat, & ad strenuè capessenda studia aliquod tribuat inuitamentum. Sic Academia Platonis, sic Lyceum Aristotelis, sic porticus Zenonis, quę stoë dicebatur vnde stoici emicuerunt, plurium studia excitauit. Decorus templorum conspectus, pretiosus altarium apparatus, cultus omnis Ecclesiæ externus etiam animorum interiorem pietatem magis magisque accendit, & ad diuini numinis maiestatem maiori obsequio colendam prouocat. Non dissimiliter destinata publicis disciplinis auditoria, si aliquo ornatu ædificiorum affabre structorum splendescant, etiam ipsam ad honesta studia excitant tarditatem, & diligentiæ augent incentiuum. Inter tot opera publica, quæ Henrici Magni liberalitatem & munificentiam in perpetuum commendabunt, vnum est quod destinauerat tantum; scilicet Athæneum Parisiense. Illud Gymnasium etiam principis nostri benignitas in id extulit, vt ad decorem possit regiæ ciuitatis simul & academiæ parisiensis exurgere. Nullum vero genus magnifici impendij magisque famam maximi principis commendantis facere vix potuerit, quam vt tribuat honori suo & principis Galliarum ciuitatis, eiusmodi opus omnibus suis partibus consummari, vt quod nunc ἔργον dicitur, aliquando vocetur ἀποτέλεσμα. *Sine vsu iacere non debet, quod potest ad decorem crescere ciuitatis, quia non est sapientiæ profutura contemnere.* Sed à principe ad sæculi fœlicitatem nato aliud, quam quod

tantæ maiestati conueniat, vel deceat principem studiorum amantem, quibus imperia solent efflorescere, religio est expectare. Hîc terminus hæret. Etiam oportuit ab omine fœlici cœptam hanc qualemcumque lucubrationem sub nomine quoque nostri principis ipsum accipere colophonem. Cæterum poterant illa forte in immensum excrescere, quia hæc erat rerum tractandarum dignitas, vt vel ab exarescente penitus ingenio potuerit vberiorem verborum & sententiarum vim exprimere, & eloquij vel doctrinæ inopia aut tenuitas ipsa subiecti & materiæ claritate viuidius exurgere, quandoquidem vt rectè Euripides,


Τὰ χρηστὰ πράγματα
Χρηστῶν ἀφορμὰς ἐνδίδωσ' ἀεὶ λόγων.

Sed satis meo, satis alieno otio fecisse me existimaui, si pro-vt occurrebat, nudam rerum faciem legentibus obijcerem, & res iam per se perspicuas breui animaduersione notarem. Quod si occasione id ferente, publicos mores in vitia nimis decliues meditatò perstringere tentaui: Non est quod quis succenseat etiam parcenti stilo & ipsam rerum atrocitatem dissimulanti. Scriptis quoque animosiorem vocem dabit Deus, qui etiam liberè & constanter susceptam iuris defensionem prosperabit.

Finis axiomatum politicorum & ethicorum.



COMMENTARII



COMMENTARII IN RESCRIPTA AVRELII ALEXANDRI SEVERI IMP. ROMANI, QVÆ LIBRO PRIMO Codicis Iustinianæi continentur.



SVPEREST, vt ad instituti operis partem secundam perueniamus, & aggrediamur enarrationem rescriptorum Imperatoris Alexandri, quæ per libros 12. C. Iustiniani sunt in diuersis titulis posita ad numerum circiter quadringentorum & quinquaginta. Sunt tantum tria relata in digestis. Primum & secundum relatum est à Paulo I. C. in l. 87. Titia 5. Imperator de leg. 2. & l. 25. Imperator de appellat. Tertium Macer I. C. refert in l. 1. si pend. appel. mors interuenerit, quæ mirum est in indice Labiti esse prætermissa. Non autem secuti sumus ordinem eiusdem Labiti in exponendis rescriptis ipsius Imperat. Alexandri, habitâ consulum ratione & temporis, quibus fuerunt promulgata & emissa: magis enim è re visum ipsam Codicis seriem sequi, vt eorum interpretatio proponatur, pro-vt singulis libris & titulis inserta se se obtulerint. Ex libro primo sunt tantum sex constitutiones. Prioris hæc verba sunt.

IMP. ALEXANDER A. CAPERIO.

LICET *postquam supplicasti, priusquam rescriptum impetrares, præses prouinciæ vir clarissimus pronuntiauerit: cum tamen à sententia non prouocaueris, rescri-* Lex. 1. C. vt lite pendēte vel post prouocationem

aut sententiam definitiuam nulli liceat Imp. supplicare.

ptum, quod postea secutum esse suggeris, ad retrahenda, quæ decreto terminata sunt, non patrocinatur. D. Kal. *Mart. Lupo & Maximo Coss.*

HVius rescripti non est difficilis enarratio. Id breuiter complectitur: sententiam, à qua non est prouocatum, sui momento niti, nec posse retractari, licet imperator ad preces sibi antea oblatas post vltimam definitionem rescripserit. Constituendum illud primum preces Caperium imperatori obtulisse ante motam controuersiam: Nam si lite pendente, alia ratione non valeret rescriptum ad eas elicitum, quod ex generali definitione hoc titulo proposita obtineat, omnino non licere supplicare lite apud iudicem instituta, nec dum finita: Vt nec interim etiam innouare quicquam licet, quod & *νεαρὰς*, quas edidimus in libros decretalium, satis docent, *ad tit. vt lite pend. nihil innou.* Excipiendum illud nisi actorum editio postuletur *l. 2. hoc tit.* aut forte dilationem petenti instrumentorum vel testium causâ iudex non indulserit, nam & ob eam causam à iudicis interlocutoria appellare quis potest *l. 18. C. th. quorum appell. non recip.* Quod passim non obtinet *l. 2. eod. tit. & C. & l. pen. eod. tit. in C. Iustinian. l. 2. C. de episc. aud.* Sed idem etiam obtinebit, si lite pendente à principe petatur, quod magis litis adminicula & ipsum iudicis officium quam causam principalem respiciat, vt constat ex N. 113. His positis superest vt huius legis species sic possit fingi. Cum Caperius controuersiam mouere vellet aduersus Titium, preces imperatori obtulerat, forte ad iudices extra ordinem obtinendos, vel quid eiusmodi. Interim vocatus ab aduersario in ius coram præside prouinciæ, id est magistratu ordinario, iudicium accepit, & definitiua quoque sententia litem diremit. Ab ea sententia, cum potuisset Caperius, non appellauit, & biduum elabi passus est, quod prouocationi interponendæ præstitutum erat eo iure quod tunc obtinuit *l. 1. §. biduum. ff. quando appellandum sit;* postea enim decem dies huic rei sunt præfiniti N. 23. quamquam iure Francico appellandi ius est intra triginta annos, nisi is qui appellare desiderat iudicatum impleuerit. Contigit postmodum vt precibus à Caperio oblatis rescripserit princeps post sententiam, & eô nitebatur Caperius rei iudicatæ fidem conuellere, quod tamen fieri posse negat imperator. Mouebat, quod lata esset sententia dum adhuc speraretur principis rescriptũ: Sed nihil huic rationi locus est, cum sibi debeat imputare, cur commune appellationis beneficium neglexerit, vt iam sera expostulatione vulneratæ causæ remedium quærere videatur. Sequitur lex prima de diuersis rescriptis & pragmaticis sanctionibus.

Non licet supplicare lite pendente.

Exceptio superioris regulæ.

Species legis.

Intra quod tempus à sententia appelletur.

IMP. ALEXANDER A. SVPERO.

SI *libellum de communi causa tu, frater-ve tuus dedisti, quamuis rescriptum ad vnius personam directum sit, vtrique tamen prospectum est. D. Idib. Iul. Alexandro A. II. & Marcello Coss.* Lex. 1. C. de diuersis rescriptis, & pragmaticis sanctionib.

DE causa quam Superus cum fratre communem habebat, preces siue ἱκετείας Imperatori obtulerat, quasi de re propria: In quæstionem venit num rescriptum, quod directum esset ad eius libellum, etiam fratri, qui non supplicauerat, proficeret: & constituit Imperator vtrique prodesse, cum enim in vtroque sit par ratio, vi ipsa ad vtriusque personam emissum censetur: eademque ratione idem Imp. Alexander in l. 1. inf. si vnus ex plur. appell. docet vno appellante ex pluribus, qui vna sententia condemnati sunt, emolumentum victoriæ, ad alios qui non appellauerunt pertinere: quod ita demum locum habet, si eadem causa defensionis fuerit: qua distinctione Vlpianus in l. 10. §. fin. ff. de appell. videtur restrinxisse d. l. 1. inf. si vnus ex plur. quamquam id etiam iam satis fecerat ipse Imp. Alexander in l. 2. eod. tit. ex qua illud definitur, maiorem qui non prouocauit, eo obtẽtu à iudicato recedere non posse, quod is, qui eadem sententia condemnatus est, beneficio ætatis contra sententiam restitutionem impetrauerit, aut ius appellandi omissum fuerit ei redintegratum, quod fit dum aduersus sententiam peti restitutio non potest, *l. 1. C. si sæp. in int. rest. post.* Hæc eadem ratio facit, vt minore in integrum restituto aduersus transactionem, quam ipse fratresque consortes cum alio fecerunt, non possint alij eodem beneficio vti *l. 1. C. si in comm. causa rest. post.* vt nulla ratione ætas minoris possit maioribus patrocinari, quam si res sit indiuidua, & impendi fauor minori non possit, quin ex consequẽtia quadam necessaria commodum maiori accedat. *l. 10. §. communem. ff. quemadm. seru. amitt. l. 29. etiam §. 1. ff. de minor.* Alioquin quod in specie l. 49. tutor. §. 1. ff. eod. tit. proponitur, curatore fundum, quem cum minoribus communem habebat, distrahente, ac mox ipsis adolescentibus pro parte sua in integrum restitutis, posse emptorem à tota emptione recedere, etiã pro parte curatoris: id non fit quod minoris restitutio emptori aut curatori prosit, sed quod iniquum sit emptorem socios habere minores in fundi dominio, qui eum integrum emerat: quæ iuris ratio etiam inter maiores ob-

Species legis.

Si ex pluribus vnus appellet & obtineat id proficit cæteris.

Minoris restitutio non prodest maiori communem causam habenti nisi in indiuiduis.

tinet *l.* 13. *Iulianus.* §. *idem Celsus. ff. de act. empti. l.* 7. *communi.* §. *inter duos. ff. comm. diuid.* Quod autem constitit victoriæ commodum non appellanti, qui parem causam habet & eadem defensione nititur, proficere, hoc verũ est, cùm eâdem sententiâ condemnati sunt: nam si diuisim & separatim diuersâ sententiâ fuerint condemnati, eius victoria qui appellauerit non proficiet ei qui non prouocauit. *d. l.* 10. *in pr. ff. de appellat.* Sed nec quod in causa appellationis ab vno interpositæ obtinere dictũ est ex d. l. 1. C. si vnus ex plur. idem dici debet in prima iudicij instantia, in qua victoria vnius alteri vtcumque parem causam habenti non prodest quidquam. *l.* 31. *si petita ff. de iudic. l.* 7. *ff. fam. hercisc. l.* 22. *si cum vno. ff. de except. rei iudic.* Ratio diuersitatis illa esse poterit, quod in primo iudicio vnus non possit vltra partem suam in iudicium deducere, vt propterea debeat sententia ei tantum proficere, qui vicit: vbi autem vnus appellauit à sententia contra duos pluresue lata, res fuit iam in iudicium deducta pro omnium parte, & ideo facilius prodest victoria aliis. Si tamen vnus omnium nomine egerit, aut res diuisionem non capiat, victoria vnius in priore quoque iudicio aliis proderit. *l.* 31. §. *fin. ff. de neg. gest. l.* 4. §. *si fundus. ff. si seru. vind. l.* 4. *ff. de crim. expil. hær.* Transeundum est ad l. 1. & 2. de officio præfecti Prætorio orientis & Illyrici.

Victoria vnius in prima iudicij instantia socio non proficit.

IMP. ALEXANDER A. THEODORO.

Lex. 1. C. de officio præfecti prætoriorum, Orientis & Illyrici.

LIBELLVS *præfecto prætorio datus pro litis contestatione haberi non potest. Dat. prid.* Kalendas *Octobris, Agricola & Clementino Coss.*

Idem Augustus Restituto.

L. 2. eod.

FORMAM *à præfecto datam, & si generalis sit, minime legibus vel constitutionibus contraria si nihil postea ex auctoritate mea innouatum est, seruari æquum est. Dat. Idib. August. Seuero & Quintiniano Coss.*

Præfectus prætorio summus magistratus.

PRæfectus prætorio habet honorum apicem, & summus est magistratus post principem, vt etiã Eunapius in Proæresio præfecturam vocet βασιλείαν ἀπόρφυρον, quasi ei omnia ad maiestatem im-

perij accedant, purpurâ dumtaxat regali exceptâ. Et Herodianus lib. 5. hanc dignitatem hoc nomine commendat, quasi complectatur *φερέξειν ὁ πλὸ ἐξουσίας ἢ δυνάμεως βασιλικῆς ἀποδέουσαν*. Est igitur ambientis animi solstitium, vt de Franciæ Cancellario loquitur Budæus; nec enim est quod vltra aliquem princeps possit extollere. Hic vtramque vicem & cancellarij & comitis sacri stabuli gessit. Quod autem præses prouinciæ dicitur in l.4. ff. de offic. præs. habere in prouincia maius imperium omnibus post principem, adijciendum illud & post præfectum prætorio, nam & ipse pater prouinciarum, & ab imperatore secundus, cuius vicariam tum in rebus ciuilibus, tum militaribus habet potestatem. Quin & edicta palam promulgat, quæ perinde ac constitutiones Imperatorum vim obtinent suam, & formæ dicuntur siue *τύποι*, quod & docet Imperat. Alexander in l. 2. hoc tit. Hoc nomine in Nouellis Iustiniani veniunt passim Imperatorum rescripta, & pragmaticæ sanctiones. Hinc in l.4. ff. de censib. Forma censualis id est lex census. Capitolinus in Antonino Pio. *Neque de prouincia, neque de vllis actibus quicquam constituit, nisi quod prius ad amicos retulit, atque ex eorum sententia formas composuit.* Hæ formæ vocantur etiam *ἐπάρχια*, vt docet Cuiac. lib. 6. obs. cap. 10. quia & ipse præfectus prætorio dicitur *ἔπαρχος αὐλῆς* apud Plutarchum in Galba. Prætorium autem sumitur pro aula principis, licet interdum sumatur pro eo loco, vbi prætor ius reddit, aut etiam pro ædificio, quod multo sumptu ruri structum est, vt in illo versu apud Martialem.

Ab Imperatore secundus.

Edicta potest promulgare.

ἐπάρχια quænam sint.

Prætorij quotuplex sit significatio.

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum,
Ad quartum breue rus emit Otacilius.

Ex his autem quæ supra posita sunt, in specie l.1. hoc tit. quærebatur, an quemadmodum libellus principi oblatus litis contestationem inducit, & moratur actionis temporalis interitum. *l. 1. &* 2. C. *qu. lib. princ. obl. litis contest. fa.* idem constitueretur, si libellus præfecto prætorio sit oblatus: quod non est dicendum, ne parem summo rerum culmini potestatem & dignitatem præfectus prætorio habere dicatur, quod Constituit Imp. Alexander in hac l.1. Sed nec passim eius formæ vim suam obtinent, sed tum demum cum iuri non obloquuntur, nec quid in his postea auctoritate principali est innouatum l. 2. Ius quod ipse princeps constituit, solus potest abrogare, præfectus prætorio non potest: is enim principi subest, & ab eo iurisdictionem omnem & ius gladij accipit. Imperator autem quasi rerum humanarum arbiter neminem supra se habet, & ideo dicitur *κόσμου κύριος*, vt Antoninus ait in l. 8. *ἀξίωσις*, ff. ad leg. rhod. de iactu.

Libellus oblatus præfecto prætorio litis contestationem non facit.

Imperator summus rerum humanarum arbiter.

Αὐτῷ καθυπείκουσι πάντα μακρόθεν.

Idem multo magis de principe nostro dicendum est, qui non

Rex Franciæ nemini lituum regalem ſubmittit.

habet in terris, cui lituum regalem ſubmittat, aut quemadmodum loquitur ſummus pontifex in cap. per venerabilem. extr. qui fil. ſunt legit. neminem in temporalibus ſuperiorem agnoſcit, vt de eo poſſit accipi illud Æſchyli,

Τεχχὸς μέταρχος ἐδ' ὑπεύθυνος κρατεῖ.

Succedit l. 1. de offic. rect. prou.

IMP. ALEXANDER A. IVLIANO.

Lex. 1. C. de officio rectoris prouinciæ.

POTEST *de falſo cauſam cognoſcens præſes prouinciæ incidentem quæſtionem proprietatis dirimere. Dat. VI. Kal. Apr. Maximo II. & Vrbano Coſſ.*

Species legis.

In rem actio vbi intendatur.

QVæſtio falſi mouebatur apud præſidem prouinciæ: in eam controuerſiam incidit quæſtio de fundi vel domus proprietate, quæ cum actionem in rem inducat, definiri ſolet vbi res ſita eſt, aut vbi poſſeſſor domicilium habet, *l.* 1. C. *vbi in rem act. exerc. deb. l. fin.* C. *de præſcr. longi temp.* At in alia prouincia res erat, aut domicilium poſſeſſoris, in alia falſi quæſtio agebatur. Quæſitum itaque fuit ab imperatore an præſes prouinciæ, qui de falſo cognoſcebat, poſſet de domus aut fundi proprietate iudicare, & conſtituit Imperator poſſe. Mouebat iuris ciuilis ſuperius relata definitio: Sed vtcumque ſeorſim motâ proprietatis controuerſiâ, is qui ex lege Cornelia diſceptationem habet, non poſſet interponere partes ſuas, qui ne quidem ex interdicto extra prouinciam ſibi demandatam, aut in eum qui eiuſdem prouinciæ non eſt poteſt cognoſcere. *l.* 2. C. *de interd.* tamen quia eiuſmodi controuerſia in aliam incidit, cuius diſceptator eſt competens & legitimus: vtramque poterit definire, quaſi ad eius officium pertineat incidentem quæſtionem dirimere, nec tam de ipſa quam de principali pronuntiare videatur, *l.* 1. C. *de ord cognit.* & non abſimili ratione fit, vt quis per coniunctam perſonam habeat quod per ſe non erat habiturus. *l.* 3. *ff. quæ res pig. da. obl. non poſſ. l.* 74. *mulieri. ff. de condit. & dem. l. fin. ff. de lib. & poſth.* Secundum hanc Imp. Alexandri conſtitutionem, quod dicitur in l. 60. ſolemus. §. fin. ff. de iudiciis, latrunculatorem id eſt maleficiorum iudicem (qui βιοκωλύτης & λῃστοδιώκτης dicitur N. 8. capit. 12. & εἰρηνάρχης alibi) de re pecuniaria iudicare non poſſe, ita erit intelligendum, rei pecuniariæ principaliter mota quæſtione: nam ſi in cauſam criminis incidat, non erit dubium quin eam poſſit diſcingere. Et ita I.C. in l. 4. §. ſi dicantur. ff. fin. regund.

Præſes prouinciæ extra prouinciã de re quacunque non cognoſcit.

Interdum quod quis per ſe non conſequitur per alium obtinet.

Iudex maleficiorum incidenter de re pecunia cognoſcit.

recte eum qui de terminis amotis & exaratis cognoscit finium etiam regendorum quæstionem terminare posse ait, nec ab hac ratione ius quoque nostrum recedit.

IMP. ALEXANDER A. DECIMIO. PP.

PROCVRATORES *meos vel rationales multæ indicendæ ius non habere, sæpe rescriptum est. D. XIII. Kal. Septemb. Modesto & Probo Coss.* Lex 2. C. de modo mulctarum quæ à iudicibus infliguntur.

Solenne est illud, quod scribit I.C. in l.2. §. fin. ff. de iudic. illis tantum dicendæ multæ ius dari, quibus publice iudicium est, id est qui publicam habent iurisdictionem aut imperium: Aliis non item, nisi illis specialiter aliqua lege permissum sit: Quô constat rationalem, siue procuratorem Cæsaris (qui & procurator rei priuatæ dicitur in l.pen.inf de edendo) cui hac lege mulctæ dictio interdicitur, publicam iurisdictionem non habere, quod videlicet passim inter ciues ius non dicat, sed tum demum quando priuatus litem habet cum fisco. *l.nec quidquam. ff. de offic. procons. l.ad fiscum. C. vbi causa status. l.1. C. de iurisd. omn. iud.* Sed quia interdum vnus idemque in prouincia procurator Cæsaris est, & vicem quoque præsidis gerit *l.non valet. C. ad l. fab. de plag. l.2. C. de pœnis.* Dubium non est quin tum possit mulctam dicere, vt & habet publicorum iudiciorum exsecutionem, vt tradit Vlpianus apud pariatorem legis Mosaicæ tit. de plagiariis. Certè præsides multę dicendæ potestatem habent, *l.131. aliud. ff. de verb. signif.* vbi proponitur differentia inter multam & pœnam, de qua etiam quædam adscripsimus ad Cuiac. in parat. ffrum ad tit. in ius vocati vt eant.

Quis multam possit dicere.

Procurator Cæsaris iudicat tantum inter fiscum & priuatos.

Mulctam etiam non dicit nisi quando præsidis vicem gerit.



COMMENTARII IN CONSTITVTIONES AC RESCRIPTA AVRELII ALEXANDRI SEVERI IMP. romani quæ lib. 2. C. Iustinianæi continentur.



SVNT in 2. lib. Codicis Iustiniani quadraginta septem constitutiones Imp. Alexandri ex quibus quatuor primum occurrunt quæ sunt sub tit. de edendo.

IMP. ALEXANDER A. VALENTINIANÆ.

Lex 5. C. de edendo.

NON *est nouum, eum à quo petitur pecunia, implorare rationem creditoris, vt fides veri constare possit* P P. *VII. id Mart. Maximo II. & Æliano Coss.*

Idem A. Vranio.

L. 6. eod.

IVstum *est desiderium eius, à quo pecunia petitur, licet nomine publico, vt rationibus publicis exhibitis constet, quantum sub nomine suo solutum sit.* PP. *XVI. Kalend. Decemb. Maximo II. & Æliano Coss.*

Idem A. Valenti.

L.7.eod.

PRocurator *priuatæ rationis, instrumentorum, quæ communia tibi esse dicis cum fisco, describendorum facultatem secundum morem fieri iubebit: Et si quando res exegerit, ad fidem petitionis tuæ apud alium iudicem præbendam, aliquid eorum proferri desiderante eo, qui conuenitur, vt id fiat præcipiet.* PP. *X.* Kal. *Mart. Fusco & Dextro Coss.*

Idem A. Floro.

L. 8. & fin. eod.

ET *quæ à Diuo Antonino Patre meo, & quæ à me rescripta sunt, cum iuris & æquitatis rationibus congruunt: Nec enim diuersa sunt vel discrepantia, quod multum intersit, ex parte eius, qui aliquid petit, quique doli exceptione submoueri ab intentione petitionis suæ potest, ratio-*

nes promi reus desideret, quibus se posse instruere contendit (quod vtique ipsa rei æquitas suadet) an vero ab eo, à quo aliquid petitur, actor desideret rationes exhiberi: quãdo hoc casu non oportet originem petitionis ex instrumento eius, qui conuenitur, fundari. PP. Kal. Octob. Fusco & Dextro Coss.

CONstat ex l. 4. hoc tit. actorem alienorum instrumentorum inspiciendorum ad fundandam intentionem suam non habere facultatem. Et quod dictum est alienorum, id est eorum, quæ sunt in potestate rei cum quo agitur; nec enim desiderium eius est admittendum, qui petitionis suæ originem ex instrumento, quod penes reum est docere velit, *l. nimis. C. de testibus.* Certe si editionem instrumenti sibi fieri ab alio actor desideret, quam ab eo contra quem agit, id impetrare facillime potest *l. vlt. C. de fide instr. quæ ex basilicis restituta est à Cuiacio lib. 10. obs. cap. 8.* nisi aduersus parentes, affines, aut cognatos illius agatur, qui instrumentum tenet: Nam vt inuitus nemo compellitur testimonium dicere aduersus eiusmodi personas: Ita nec instrumenti copiam aduersus eosdem facere cogitur, vt d. l. fin. cautum est Sed eodem iure etiam fiscus censebitur, quo parentes aut propinqui, vt scilicet aduersus fiscum agenti nemo teneatur instrumentum, quod penes se habet, edere. *l. 45. in fraudem. §. neque. ff. de iure fisci.* Forte illa ratione, quod eadem reuerentia debeatur principi, quæ parenti, cum sit ipse communis omnium parens: Quo sensu rectè Aristides in panathenaïco maiore obseruatione & honore Deos colendos tradit, quam parentes, quod erga omnes homines affectionem veluti paternam habeant: *Τοὺς θεοὺς καὶ πρὸ τῶν γονέων τιμᾶν νενόμισται, ὡς κοινὰ ὄντας ἁπάντων γονέας.* Quod autem dictum, eum qui conuenitur non cogi ad edenda sua instrumenta, vt ex his intentioni suæ actor fidem adstruat, in fisco similiter locum non habet, qui agens contra aliquem eo colore ab eo sibi instrumenta edi desiderare potest, quod in fraudem eius subtracta esse credantur. *l. 5. ff. hoc tit. l. 2. §. 2. ff. de iu. fisci.* Argentarius etiam, siue contra eum agatur, siue contra alium, rationes à se conscriptas edere cogitur, quia codex rationum argentariæ commune quodammodo instrumentum est ipsius argentarij, & eorum qui quid cum eo contrahunt. *l. 10. argentarius. ff. hoc tit.* Idemque dici potest de testamento quod penes se hæres habet, cum enim non modo ipsius sit sed vniuersorum, quibus quid in eo adscriptum est, atque adeo veluti sit publicum instrumentum, dubium non est, quin illud, ijs quorum interest, exhibere necesse habeat. *l. 1. & 2. ff. testam. quemadm.*

Actor petere non potest sibi edi instrumenta a reo sed ab alio potest.

Nemo tenetur alteri edere aduersus parentes aut cognatos suos.

Editio instrumentorum non fit contra fiscum.

Fiscus potest reum compellere vt instrumenta sua edat.

Argentarius tenetur ad editionem etiamsi contra eum agatur.

Hæres defuncti edere tenetur testamentum legatariis.

In actione depositi reus rationes suas actori edere tenetur. *aper.descr.* Extra eiusmodi causas verum est neminem cogi aduersus se edere actori instrumenta. Et quod dicitur in l.1.hoc tit.ex causa ad officium iudicis pertinere, vt ea, contra quam agebatur, rationes suas exhiberet, forte in actione depositi speciale est, cuius fauore multa contra strictam iuris rationem sunt introducta: Et in ea etiam specie non tam actionis iure id obtinet, quam ex iudicis officio, qui ex rei & personarum circumstantia diuerse motum animi sui instruit; nam potest ita actor esse integræ existimationis, & reus ita subiectæ fidei, vt iniquum non sit circumscribi communem definitionem. Sed vt rei fauorabiliores sunt quam actores, sicuti iuris ciuilis regula constitutum: Ita Imp. Alexander in l.5.hoc tit.rescripsit eam iuris definitionem, de qua initio dictum est, non *Actor tenetur edere reo.* pertinere ad reum, qui si conueniatur, cogere actorem potest, vt sibi edat instrumenta, & priuatarum rationum codicem, vnde probare possit soluisse se, & in calendarium suum eum qui agit retulisse solutionem sibi factam. Amplius constituit in l. 6. id quoque obtinere, vt si nomine publico quid petatur reus possit desiderare edi sibi publicas rationes, quibus doceat quid quantum-ve soluerit: Ne-ve id videatur contrarium ei quod dictum est, non posse actorem compellere reum ad instrumenta, quæ sibi conscripsit exhibenda, vt ex his probet intentionem suam: Idem Imp. *in l. fin.* *Cur actor reo edat non e contra.* rationem diuersitatus assignat: quasi par non sit ratio rei postulantis edi sibi rationes actoris, vt fidem exceptioni suæ adstruat, & actoris illud idem desiderantis à reo, vt inde originem intentionis suæ fundare possit: Quia scilicet qui ad iudicium accedit aliquid petiturus paratas habere debet probationes, & ideo actori pleramque dilatio denegatur, quæ reo indulgetur: Quod ille potuerit tunc inferre controuersiam cum omnia litis adminicula habet in expedito, & contra in rei non fuerit potestate quando lite pulsaretur, cum præter spem plerumque in iudicium vocetur. *l.5.§.fin.ff.de do.ma.& me.except.l.2.C.de dilat.l.pen.* C. *de tempor.in int.restit.* Ratio tamen dubitandi non modica erat, quod incongruens videretur & minus æquabile, vnam eandemque regulam & dispositionem actorem adstringere, reum non tenere: aduersus actorem vim suam obtinere, reo non nocere: denique iuris constitutionem eandem in vnius persona locum habere, in alterius non: quod multa prudentum responsa pluribus casibus improbant. *l.21.quid tamen.* §. 11. *si in aliquem.ff.de recept.arb. l.6. si vina. ff. de peric. & comm. rei vend. l.* *Fauorabiliores rei quam actores.* 4. §.1. *ff.de vul.& pup.subst.* Sed vt dictum est hanc differentiam euicit reorum fauor, qui summus est, & hæc vulgaris regula, actore non probante reum qui conuenitur absolui. Et ad id etiam pertinet quod tradit Aristoteles in problematis sectione 24.cum rationem reddit cur paribus existentibus iudicum sententiis secundum

reus absoluatur. Superest l. pen. de qua nihil dictum est. Ipsa autem illud constituit, ei qui instrumentum commune habet cum fisco si aliquando eo instrumento egeat, iudicis autoritate vel procuratoris priuatæ rei subueniri, vt eius describendi facultas permittatur: quin etiam, si forte authenticum ipsum proferre oporteat, cum forte apud alium iudicem quam procuratorem Cæsaris controuersia moueretur, eiusdem iussu is qui commune instrumentum sibi esse dicit cum fisco id consequetur, *l. 2. ff. de fide instr.* quia eo tantum fides probationis constat in iudicio. Cæterum cum editio aduersario fieri debet, sufficit edere exemplum: quia id fit dicis gratia, vt admoneatur tantum, & sciat de qua re controuersia sit futura. Ob eam rem nec dies, nec consul aduersario editur, ne qua occasio falsi concinnandi præbeatur, *l. 1. §. editiones. ff. hoc tit. l. 2. §. diem. ff. testam. quemadm. aper. describ. inspic.*

IMP. ALEXANDER A. TROPHINIO.

SICVT *bonis moribus conuenit reuerentiam manumissoris hæredi præberi: ita re exigente in ius eam sine permissu pretoris vocari prohibitum est. P P. IV.* Kal. *Apr. Agricola & Clementino Coss.*

Lex 1. C. de in ius vocando.

EX iure antiquo 12. tab. qui in ius vocabatur, protinus sequi vocantem debebat, nec dies certus dicebatur quo deberet reus iudicio sistere se: Sic Lucianus bis accusato, ἴτω μάλα πρὸς τὸ δικαστήριον. Si nō sequeretur, testatione eius rei facta manus inijciebatur, & obtorto collo trahebatur ad iudicis tribunal, quam in rem verba ipsius legis notissima sunt. Poterat tamen reus se expedire, si locupletem & idoneum fideiussorem offerret, & caueret iudicio sisti, quod est διδόναι ἐγγυὰς ὑπὲρ παραστάσεως καὶ προσεδρείας, vt ait Zonaras ad can. 20. apost. & eiusmodi cautio à Iustiniano N. 112. vocatur ἀσφάλεια τοῦ προσεδρεύειν μέχρι τοῦ πέρατος τῆς δίκης. Quia vero eiusmodi ratio vocandi in ius erat admodum iniuriosa: eô fiebat vt parentes aut patroni, quibus honos aut reuerentia debetur, vocari non possent veniâ à prętore non impetratâ: alioquin eorum contumax petulantia pœna 50. aureorum mulctabatur, si pudoris & verecundiæ immemores id tentassent. *§. fin. de pœna tenui litig. apud Iustinianum l. 12. & 24. ff. hoc tit.* Sed & si veniâ impetratâ filius vel libertus parentem aut patronum in ius vocauerint, benigne etiam voluit prætor

Qui in ius vocatus est statim venire tenetur.

Satisdatio iudicio sisti cur fiat.

Cur liberi aut liberti venia non impetrata non possint vocare in ius parentes vel patronos.

cum his agi circa cautionem ab his exigendam, vt possint qualemcumque fideiussorem offerendo detrectare illam necessitatem adeundi protinus ad prætorem, quo fideiussore si non esset contentus filius aut libertus, coërcebantur etiam eadem pœna 50. aureorum, quæ in commodum parentis aut patroni cedebat, *l.2.§.prætor.ff.qui satisd.cog.* Sed iam hac l. quæritur, an quod obsequium & reuerentia patrono debetur, vt sine venia à prætore impetrata vocari in ius non possit, idem honoris cultus vxori patroni debeatur, vt in pœnam incidat mariti libertus, qui aduersus eam agens formam edicti neglexit. Rescribit Imper. sine permissu prætoris patroni vxorem vocari non posse. Eô moueri potuit, quod facile non debeant iura patronatus, quæ aliqua ratione libertatem minuunt, trahi vltra personam manumissoris: cum nec extraneis hæredibus patroni defuncti libertus operas debeat, *l.10.liberto.C.de operis libert.* Sed aliud suasit rei æquitas, & indiuidua vitæ consuetudo, cum socia & consors diuini & humani iuris vxor marito esse dicatur. *l.4.C.de crim. expil.hæred.* Qui honos marito debetur idem & coniugi ipsius, nam vt inquit Iustinianus N.105. *Αἱ γαμεταὶ συνεκλάμπουσι ταῖς τῶν συνοικούντων ἀξίαις.* Quin & vtcumque operas defuncti libertus hæredi extraneo non debeat, non minus tamen ei obsequium debet, quod sine dispendio vllo & incommodo rei familiaris præstatur, ac propterea eum in ius vocare non potest, nisi veniam impetret. *l.2.hoc tit.* & quod dicitur *in l.vn.§.sed si sub conditione. C.de lat.lib.tol.* ius patronatus non transire ad extraneos hæredes, id intelligitur quod ad hæreditatis vel operarum commodum. Tum demum autem libertus contra extraneum hæredem patroni sui agens veniam impetrare debet, cum ex contractu patroni eum conuenit: alioquin si ex suo, necesse non habet edicto satisfacere: nam & potest aduersus hæredem patroni sui libertus agere de dolo ab ipso hærede commisso, *l.hæredibus.ff.de dolo.* licet aduersus eum agentem non habeat exceptionem de dolo patroni, cui non minus mortuo quam viuo honorem habere debet. *l.4.§.aduersus.ff.de do.ma.& me.exc.* Secundum hanc definitionem dici debet, quod in l. fin. C. qui accus. non poss. dicitur hæredes patronorum non posse à liberto accusari, id ad defuncti liberos qui & ipsi patroni sunt pertinere: nam cum in accusatione factum hæredis extranei arguat non defuncti, ex eo sequeretur indistinctè honoris obsequium hæredibus extraneis deberi, quod nullus I.C. locus satis probat, licet id defendere velit Cuiac. lib. 10. obs. cap. 10.

Vxor fulget mariti honoribus.

Libertus hæredi extraneo patroni honorem seruat & quando.

IMP. ALEXANDER A. MVCATRAVLIO.

SI *pascenda pecora partiaria (id est vt fœtus eorum portionibus, quibus placuit, inter dominum & pastorem diuidantur) Apollinarem suscepisse probabitur: fidem pacto præstare per iudicem compelletur. P P. IIII. Kal. Octobr. Alexandro A. II. & Marcello Coss.* Lex 8.C.de pactis.

HÆc lex in plerisque Codicibus tribuitur Antonino: tribendam tamen Imp. Alexādro ipsa subscriptio docet, fasti etiam consulares ostendunt: nec vnquam Alexander Imp. sub Antonino Caracalla consul fuit, sed sub Heliogabalo primum cum ipso Heliogabalo, deinde postquam extitit Imp. anno 4. imperij iterum fuit Consul cum Quintilio Marcello. Melius etiam in Codice Holoandri posita est post legem cum posteaquam, quæ sequitur: licet enim vtraque iisdem consulibus, id est eodem anno edita sit, tamen hæc promulgata est quarto ante Kalendas Octobres, illa pridie idus Septembres, diebus circiter duodecim ante istam. Notandum obiter, quod neminem fugit, illas singulares litteras, P P. Idem significare quod, *Propositum*. In aliis ponitur singularis littera D. Id est *Datum*. Interdum etiam littera S. pro, *subscriptum*, aut *signatum*, vel S, D. Id est *subscriptum datum*. Sed enarranda est lex ipsa. Eius sententia est: conuentioni standum esse, per quam datis pecoribus pascendis placuit, vt partem fœtus dominus consequeretur, aliam retineret is qui eorum pascendorum curam suscepisset. Mutraucaulius (id est ad quem Imp. rescribit) Apollinari forte colono suo & pastori pecora dedit partiaria eo conuentionis placito, vt fœtus pecorum inter eos diuideretur certa partium facta assignatione, puta vt duas partes ferret Mutraucaulius, tertiam Apollinaris, pro cultura scilicet & cura, vnde & partiaria pecora dicuntur in hac l. vt in l. 25. si merces. §. vis maior. ff. Locati. partiarius colonus dicitur, qui non mercede fundum colit, sed cum domino in fructuum portionē venit in pensationem curæ & diligentiæ, quam præstat in fundo excolendo. Etiam olim partiarius legatarius dicebatur, cui titulo legati partio bonorum aliqua legata erat, quod legati genus etiam partitio vocabatur, *vt est in §. sed quia. de fideicomm. hæred. apud Iustin. l. 104. nomen §. 1. ff. de verb. signif. &*

Sententia legis. *Species.* *Partiarius colonus quis.* *Partiarius legatarius quis.*

apud Vlpianum in fragm. tit. de legatis. Cum autem pacti fidem non impleret Apollinaris: Consuluit Imperatorem Mutraucaulius. Rescripsit Imperator, pastorem ipsum Apollinarem per iudicem compellendum, vt fidem conuentioni præstet. Mouebat dubitationem, quod non appareret actionis titulus, qua posset conueniri Apollinaris, cum pactum nudum ad agendum iure ciuili non pro-

Non est pactum nudum cui traditio accedit.

sit. Sed cum pactum de quo hic agitur, rei id est pecorum traditione sumpserit effectum, non potest nudum videri, imo potius transiit in contractus legem, ideoque pacti nomen in hac lege pro contractu accipiendum, & omnino tota conuentio, de qua hic agitur, contractus est qui causam habet. Sed an nominatus sit, an vero nomine vacet, non constituit Alexander. Videtur autem Vlpianus in ea esse opinione eiusmodi conuentionem societatem inducere. *l. 52. cum duobus. §. si in coeunda. ff. pro socio. l. 13. si tibi rem. §. sed si puerum. ff. de praescr. verbis.* eamque sententiam hoc loco Cuiacius tuetur in recitationibus. Sed in hac lege non omnino adsimilis species proponitur quæ illis locis: siquidem pecorum partiariorum proprietatem dominus retinet, solus tantum fœtus partem pastori communicatam voluit: At in d. §. si in coëunda & in d. §. sed si puerum, ita pecora sua dominus dederat, vt non modo fœtus, sed capita ipsa communia fierent societatis iure, quasi opera & industria pastoris quodammodo in pensationem pecorum datorum veniat, sicuti certum est ita valere contractam societatem, vt alter pecuniam conferat, alter industriam suam duntaxat, quia sæpe opera pro pecunia valet. §. *nam & ita. de societate apud Iustin. l. 5. §. 1. l. 52. cum duobus paragr. vtrum. ff. pro socio.* Nec quidquam facit quod dicitur in d. paragr. sed si puerum, dominium remanere penes dantem: nam id intelligendum pro parte quam recepit ex lege societatis. Constituendum igitur magis in hac specie locationem intercessisse, vt Apollinaris opera in pascendis pecoribus conducta esse censeatur, assignata fœtus parte mercedis loco. Nec his obstat quod dicitur

An locatio pecunia tantum interueniente fiat.

pecuniâ tantum datâ contrahi locationem, re alia data non contrahi. *l. 5. naturalis. paragr. at cum do. ff. de praescr. verbis.* nam hoc non est semper verum, quod comprobatur in colono partiario, qui non minus actione locati tenetur, quod fructuum portionem mercedis loco retineat: nec omnimodo alia debet esse coloni partiarij conditio, quam pastoris partiarij. Id euincit etiam l. 21. si olei. Cod. de locato conducto, quæ certa olei ponderatione locari fructus fundi constituit. Et omnino id constitui potest, generaliter quidem contrahi locationem mercede interueniente in pecunia numerata, sed posse etiam re alia interueniente quæ loco fructuum & accessionis veniat ex ipsa ea re quæ locatur, vt in hac lege fœtus parte quæ ex ipsis pecoribus pascendis datis

enaſcitur: in d.parag.vis maior.fructuum parte quæ ex fundo percipiuntur,& in d.l.21.ſi olei. certa ponderatione olei, quod ex ipſo fundo locato naſci potuit.

IDEM A. DIONYSIO.

*C*V M *poſteaquam aduerſarius matris tuæ victus eſſet,matrem tuam circumuenerit,vt ei caueret nullam de ſeruis controuerſiam moturam : id pactum mala fide factum irritum eſt: & cum ex ea conuentione cum matre tua agi cœperit, iudex eam liberabit. PP. prid. Id. Septemb. Alexandro II. & Marcello Coſſ.* L.9. eod.tit.

PErſpicua eſt huius l. ſententia, pactum dolo malo factum nullius momenti eſſe. Species item plana hoc modo. Seruos quoſdam poſſidebat Titius: Hos Mæuia ſuos eſſe aſſerebat,& inſtituta in rem actione vindicabat. Secundum Mæuiam ſententia lata eſt. Cum id Titius reſciuiſſet, necdum Mæuiæ de victoria conſtaret, fraude illam pellexit,& incertum iudicij prætendens, ac dubiam ſpem victoriæ efficiens eô compulit, vt ipſa à lite diſcederet. Quin etiam pacto ſubiecta pœnali ſtipulatione,vt aſſolet, cauit ſe de ſeruis ipſis controuerſiam non moturam. Id poſtquam actum eſt,comperit Mæuia ſecundum ſe latam fuiſſe ſententiam, nec de lite dubia tranſegiſſe, ſed ius ſuum quod certum præ manibus habebat quodammodo abieciſſe, & propterea deluſam ſe eſſe mendacio Titij, qui id ſciuiſſet. Exequitur itaque iudicatum,ac ſeruos repetit. Titius contra eam agit ex ſtipulatu quaſi pœna commiſſa. Quærebatur an pœnam ſtipulatione comprehẽſam iure repeteret. Conſultus Imp. à Dionyſio Mæniæ filio reſcribit iudicis interuentu eam à pœna liberandam. Mouebat prætoris edictum, quo pacta ſe ſeruaturum promittit,vt recte videretur Titius opponere exceptionem pacti ſi iudicati actione conueniretur,aut etiam ex ſtipulatu agere, ſi pœnalis cautio interceſſerit. Quinetiam recte Symmachus, *apertam eſſe*, ait, *eorum improbitatem,qui deducunt in quæſtionem pactionibus terminata, & per impatientiam quietis finem iurgij ſecunda lite commutant.* Sed cum callido conſilio, & fraude commentitia eam pactionem & ſtipulationem pœnalem Titius extorſerit ab ignorante Mæuia: iniquum imperatori viſum eſt,vt dolus ipſius aut ad

Sententia & ſpecies legis.

Pacta ſeruanda.

exceptionem prodesset, aut pareret actionem. Adijcitur autem in fragmentis Codicis Gregoriani, vbi etiam est hæc lex inserta, ad finem huius legis hæc clausula, *quia de re iudicata pacisci nemo potest*, quæ non debebat abesse à Codice Iustiniani. Ratio autem huius definitionis illa est, quia de rebus incertis & dubio litis euentu transigitur, non de his quæ certa esse cœperunt, postquam pronuntiauit iudex. Sed de sententia illud est accipiendum, à qua non est appellatum, quæque totam controuersiam definiuit, vt iam nullo remedio eius vires infringi possint: si enim vel hoc ipsum incertum sit an iudicatum sit, vel an sententia valeat, aut qui condemnatus est prouocauerit, rescriptis quæ prohibent de re iudicata transigi locus non est. *l.7.& post rem.ff.de transact.l.23.eleganter.paragr.1.ff.de condict.indeb.* vtcumque vero transactio non valeat, valet tamen pactum, ne iudicati agatur. *l.7.iuris gentium.paragr.13.si paciscar.ff.de pactis.* Pactum est de re certa: quod autem certum est donandi animo potest remitti; transactio de re incerta fit, & aliquo dato vel retento vt discedatur à lite, quæ nulla est post sententiam, quæ negotio finem imposuit.

De re iudicata non valet transactio sed pactum valet.

IDEM IMP. NICÆ.

L.10.eod. tit.

LEGEM, *quam dixisti, cum dotem pro alumna dares, seruari oportet: Nec obesse tibi poterit, quod dici solet, ex pacto actionem non nasci; tunc enim hoc iure vtimur, cum pactum nudum est. Alioquin cum pecunia datur, & aliquid de reddenda ea conuenit, vtilis est condictio. PP. III. Kal. Mart. Albino & Maximo Coss.*

QVod in hac l.10. dicitur, idem repetitur in l.1.C.de pact. conuentis. Nec tamen ea lex tribuitur Imp. Alexandro, vt ista, sed DD. Seuer. & Antonino, & nihilominus in vtraque Nicæ rescribitur, quamuis dies & consules sint diuersi. Cæterum in fastis consularibus sub hoc imperatore inueniuntur consules vno anno Albinus (qui & ipse postea imperator fuit) & M. Clodius Pupienus Maximus. Cum autem hæc constitutio sit posita inter duas, quæ sunt Alexandri, dubio procul eius esse eam dicendum est. Sed his non est nimis immorandum. Proponenda tantum strictim est eius sententia & species, atque ab intricatis quæstionibus abstinendum, quibus illam doctores, Cuiacius etiam ipse vltra ingenitum morem

morem onerauerunt. Sententia hæc sit, legem dotis dationi adiectam seruari,& vtilem condictionem dari ex pacto, cui rei alicuius traditio accessit. Species hæc est. Nicas Mæuiæ educator siue nutricius, cum eam in matrimonium collocaret Sempronio, dotis nomine pro ea centum aureos dedit, pactusque est soluto matrimonio dotem sibi restitui. Decessit Mæuia, aut etiam inter ipsam & Sempronium maritum intercessit diuortium. Repetit dotem Nicas,& pacti conuentionem allegat:Sempronius negat ex pacto ipsum habere actionem : Consultus Imperator rescribit Nicam condictionem vtilem habere,nec conuentionem,quæ de reddenda dote adscripta est, nudum pactum videri,cum traditione sumpserit effectum:cui rationi illud est consequens,vt censeatur quoddam negotium ciuile intercessisse, *do,vt certa lege reddas*,cui nomen non est,causa tamen subest: Ex quo nascitur actio præscriptis verbis,vt id fiat quod conuentum est. Non datur actio de dote,quia soli vxori datur,vel patri qui eam habet in potestate,cui filia ipsa in causa dotis est veluti particeps & socia obligationis. *l.* 34. *qui hominem.* §. *si gener. ff. de solut.* & vt dos communis est patris & filiæ, ita communis actio est. *l.* 2. *&* 3. *ff. sol. matr.* quod obtinet dum in potestate remanet:Si enim eam emancipauerit, quæ erat communis actio,iam fit filiæ propria. *l. vn.* §. *videamus. C. de rei vxor. act.* extraneo autem,vt dictum est,datur actio præscriptis verbis, quasi deficiente alia. *d. l. vn.* §. *accedit. & l.*6. *auia. C. de iure dot.* Si pacto fuerit subiecta stipulatio vt plerumque fit, *l.*23. *cum pater. ff. de pactis dotal.* tunc agi poterit actione ex stipulatu. Pater agit tantum si stipulatus sit, non si pactus. *d. l. auia.* & stipulatum cum dicimus, intelligimus à principio : Quæ enim ex interuallo interponitur sine voluntate filiæ inutilis est stipulatio. *l. cum dos l. ob res.* §.1. *ff. de pactis dotal.* Rationem differentiæ tradunt Accurs. ad d.l.6.& Cuiac. hoc loco,quia officium patris est dotem filiæ suæ dare, & datam conseruare, vnde eam temere sibi recipere & quodammodo adimere non potest,nisi solennis stipulatio sit adhibita. Cui distinctioni obiici potest l.7. cum dos. ff. de pactis dotal. quæ tradit optimum esse cum dos pro filia datur cum vtroque generum pacisci. Potest dici illic non agi de dote patri recipienda sed filiæ:Sed verius est vt dicatur eiusmodi pacto subditam fuisse stipulationem, vt fere totus hic titulus est de pactis dotalibus,id est de legibus & conditionibus dotis dationi adiectis, quibus adiectam esse stipulationem dubio procul est. Obiici etiam potest l.5. C. sol. matrim. quæ exigere videtur stipulationem in fratre, qui dotem sibi recipit, quem pro extraneo esse, quantum ad hanc iuris partem, certum est. Sed non excludit pactum quoque proficere ad agendum : Vel dicendum est ei qui dotem dat, si non sit pater, pactum sufficere si sibi recipiat: Alteri vero

Sententia & species legis.

Quid differat pater ab extraneo cum dotem dant.

Prima obiectio.

Responsio ad eam.

Secunda obiectio.

Responsio ad eam.

qui dotem recipit quam non dedit, stipulationem esse necessariam. *l.2.C.de iu.dot.l.37.paragr.nuptura.ff.de leg.3.* Rectè verò Imp. Alexander ait pactum nudum non esse cum pecunia datur, & aliquid de ea reddenda conuenit, ac propterea eiusmodi conuentionem proficere ad agendum. Cui definitioni tamen obstare videtur l.27. si tibi. C. de locato. sed in ea specie licet pecunia data sit, tamen non ei est data qui nudo pacto promisit se restituturum, & ideo non magis actio competit contra eum. Obstare etiam videtur lex 2. C. de euict. vbi si res data vel donata sit, & donator nudo pacto non etiam stipulationis vinculo de euictione cauerit, re euicta ex pacto quod rei traditioni adiectum est non agitur. Sed responderi commode potest pactum quidem in ea specie esse adiectum dationi rei, sed non ex parte & ad commodum dantis, ideoque non potest cadere hæc conuentio in formam & negotium contractus innominati, cum is contra quem agitur nihil ipse acceperit, quo possit videri obligatus ad parendum legi conuentionis: Nec probe fiet comparatio cæterorum contractuum, quibus adiectæ pactiones ex continenti prosunt ad agendum, nam præterquam quod hæc regula habet tantum locum in contractibus bonę fidei, vt mox dicetur: constituendum est etiam, id obtinere quoties contractus vltro citroque est obligatorius, & is, qui pacto se adstrinxit, habet ipse quoque aduersarium obligatum ad aliquid dandum faciẽdum-ve, quod in donatione locum non habet, in qua donatarius nihil præstat. Quia autem nudæ pactionis mentio incidit: non extra rem fuerit aliquid plenius circa hanc quæstionem inquirere. Pactum nudum est conuentio, quæ placiti fine stetit, & in suo nomine stat, nec transit in aliquod genus contractus nominati vel innominati, quæ denique vacat nomine & causa. Contractus nominatus simplicis conuentionis nomen egreditur, & induit formam contractus, siue re constet, vt mutuum, depositum, commodatum; siue verbis, vt stipulatio, dictio dotis, iusiurãdum liberti, siue consensu, vt emptio, mandatum, & alij eiusmodi: hinc fit etiam vt ex contractu nominato actio fit. Contractus innominatus nomine quidem vacat, causam tamen habet. Si dedero aliquid, vt inuicem aliquid dares, & acceperis volens, datione ipsa obligaris, & habeo contra te actionem præscriptis verbis, vt ex parte tua fidem contractus & conuentionis impleas. Idem est si ita conuenerit tibi à me certam rem dari, vt quid faceres, vel aliquid à me fieri vt tu inuicem aliquid facias, & dederim ego vel fecerim, tu ex parte tua cesses, datio vel factum meum mihi parat actionem contra te, nec iam nuda conuentio erit, licet nomine vacet, quia datione vel facto meo sumpsit effectum. Si neutra ex parte adhuc quid datum aut factum est, nudum pactum esse censetur, quia & nomine & causa

Obiectio tertia & responsio ad eam.

Obiectio 4. & respõsio ad eam.

Definitio pacti nudi.

Vid. quæ notata sunt ad par. ff. rũ Cuiacij, & in indice obligationũ eis subiecto.

Contractus innominatus quid sit.

Contr. innom. factum vel dationem requirit, alias est nudum pactum.

vacat, nec tu contra me, nec ego contra te actionem habeo. Et hinc est, quod passim dicitur in contractibus innominatis locum esse pœnitentiæ, quandoquidem non conuentio ipsa obligat, sed traditio rei vel factum quod secutum est. Id probat manifestissime l. 3. C. de rerum permut. quæ docet ex placito permutationis, si nulla res secuta est, actionem non dari, nisi stipulatio intercesserit, quo casu ex stipulatu agitur, nec pactum nudum esse censetur, cui stipulatio accessit. Licet autem ex pacto nudo actio non detur; tamen si post pactum de non petendo, intercesserit pactum de petendo, propter posterius pactum actio quæ exceptione elidi poterat, beneficio sequentis pacti quodammodo resuscitatur, non vt ex sequenti pacto videatur actio nasci, sed vt tollatur exceptio, quam prius pactum induxerat, quæ inanem actionem potuit constituere, & id quidem ita, nisi pactum prius tale fuerit, vt ipso iure actionem tolleret, quale est quod fit circa remittendam actionem furti & iniuriarum: Nam secundum pactum nihil proficeret ad restituendam actionem, quæ non tantum elisa, sed etiam prorsus est extincta priore pacto. *l. 27. si vnus. §. pactus & §. sed si. ff. de pactis.* Quo exemplo diceremus stipulatione per acceptilationem sublata, pactum, quod postea intercesserit, nihil proficere ad renouandam actionem ex stipulatu, cum acceptilatio, quæ ipsa fit per stipulationem, obligationem priorem penitus sustulerit. Sed & intercedunt casus quidam, in quibus ex pacto datur actio, veluti ex dotis pollicitatione. *l. ad exactionem. C. de do. promiss.* ex pacto donationis. *paragr. perficiuntur de donat. apud Iustin. & l. si quis argentum. paragr. vlt. C. eod.* & iure prætorio ex constituto, si quis citra stipulationem pro se vel pro alio quid se daturum intra certum tempus promiserit; vel de pignore, cum citra vllam traditionem, quæ iure ciuili requiritur, ad inducendam obligationem res aliqua hypothecæ nomine supponitur. Nouissime etiam N. 72. Leonis Philosophi ex nudo pacto generaliter est actio, si cum sacrosanctæ crucis nota sit scriptum, & in eo sit inuocata diuina Trinitas. Posset etiam illud dici in specie l. nuda. C. de contr. stip. ex pacto nasci actionem: sed verius est agi aduersus volentem, qui si id non patiatur, ex stipulatione quanti interest, quæ pacto subdita est, conuenietur, qua de re etiam Cuiac. lib. 19. obs. cap. 32. Quantum ad l. 26. inter. paragr. conuenit. ff. de donat. inter vir. & vx. procliue est vt respondeatur, etiam semoto pacto maritum teneri viatica præbere vxori ad se venienti; sicuti verum est in l. si ita quis. 135. paragr. Seia. ff. de verb. obl. non agi ex pacto, sed ex stipulatione quæ præcesserat. Cæterum in l. 3. paragr. 3. quid si. vers. quinimo. ff. de condict. causa da. can. non sec. factum censetur præcessisse, quia seruus decesserat ante moram manumittendi: & condictionis nomen ibi ponitur pro actione ad petendum

Non est pactum nudum cui stipulatio accedit.

Pactum penitus extinguit actionem iniuriarum.

Quibus casibus actio fit ex nudo pacto.

non ad repetendum, vt docet Cuiac. in recit. ad l. 5. §. at cum do. ff. de præscr. verb. Frustra vero ex l. vn. Cod. de suffrag. & l. fin. §. fin. ff. de obl. & act. ducitur argumentum, vt dicatur actionem dari ex pacto, nam conuentio de suffragio ferendo, vel negotiis administrandis facto sumpsit effectum, & ideo in contractum res transiisse censetur: quod idem dicendum in l. 3. inf. an seruus pro suo fa. post manum. ten. & l. 7. & eleganter. paragr. seruus pactionis. ff. de dolo. nam aliqua contractus species censetur intercessisse, quia factum domini præcessit, qui seruum manumisit. Igitur superioribus casibus ideo obtinet agi ex nudo pacto, quia ita lege cautum est, aut à prætore constitutum. Alias ex pacto nudo, quod nomine aut causa vacat, actio non datur: & hoc ita videtur obtinuisse, ne ea omnia, quæ plerumque inter homines temere aut lusoriè dicuntur, traherentur in obligationis vel legis necessitatem. Et quod constitutum in testamēto militari, non quæcumque verba, non quamcumque voluntatem eius, qui se bona sua alicui relinquere testatur, pro testamento accipi, nisi seriò id actum sit. *paragr. cæterum de militari testam. apud Iustinianum.* ita non quodcumque oris enunciatum ad contractus & obligationis legem trahi debet, nisi tractatus ipse meditate & ex præparato habitus sit, vt in negotium ciuile transierit, quod nomen à iure gentium vel ciuili habeat; aut certe factum aliquod vel datio ex parte vnius interueniens iam fidem conuentionis impleuerit & firmauerit. Illud non est omittendum pacta siue conditiones, quæ ex continenti adiiciuntur contractibus bonæ fidei, nuda non censeri, sed partem facere ipsius contractus, ac quodammodo subinduere eius naturam, vnde & vestita passim dicuntur. Ex his itaque actio est, aut certe formant ipsam actionem. l. 7. paragr. quinimo. ff. hoc tit. vt quæ ex ipso contractu enascitur, eadem ex pacto quod ipsi inhæret competat, nisi si pactū ipsum sit contra naturam & substantiam contractus, vt liquebit in enarranda specie l. 2. inf. de pactis inter empt. & vend. compos. quæ est eiusdem Imp. Alexandri. Sed huic iuris constitutioni multa obstant. Obiicitur primum l. 7. ff de seruis expert. vbi si quis seruum vendiderit & ex continenti pactus sit, vt is seruus exportaretur, ne ve in Italia esset, alioquin pœna solueretur: nihilominus ex pacto non agit, etiam si non sit conditioni paritum. Verum hanc rationem Papinianus ipse reddit, quod eiusmodi pactum duritiem tantum contineat & æquum non sit vindictæ solius ratione agi, quod animo sæuientis domini non sit satisfactum. Hanc rationem expendant amari iniuriarum suarum æstimatores, qui magnum operæ pretium præstitisse arbitrantur, si se ipsos vlciscantur, cum speciosius aliquanto & longe iucundius sit pepercisse, quam animū truculentioris feræ modo vindictâ exsaturasse. Non negat tamen

Cur non detur actio ex pacto nudo.

Pacta adiecta in continenti contractibus bonæ fidei non sunt nuda.

Formant actionem.

Prima obiectio contra definitionem superiorem.

Responsio.

Papinianus ex eo pacto agi posse, si ei stipulatio sit subdita, vel si intersit eius qui pactus est, quod pœnam ipse priori domino qui legem dedit serui exportandi promiserit, & facto secundi emptoris in eam inciderit. Quod autem ait, promisit, id est per stipulationem, vt fere semper in iure sumitur: alioquin vt secundus venditor in secundum emptorem ex pacto non ageret, ita nec primus venditor, à quo lex prius dicta est, in primum emptorem posset agere. Sed aliam rationem postea idem Papinianus secutus est, & indistinctè ex pacto eiusmodi agi posse respõdit ex sentẽtia Massurij Sabini veteris I. C. quia potuit seruus viliori pretio distractus esse propter eiusmodi pactum, vt iam non tantum vindictæ ratione intersit venditoris inuisum forte seruum ab oculis suis amandari, sed etiam pecuniâ & patrimonio tenus, quod seposita lege venditionis pluris eum esset distracturus. *l. 6. paragr. fin. ff. de seruis export.* in qua nouissima Papiniani sententia refertur ex lib. 27. quæst. cum d. l. 7. eod. tit. sit ex lib. 6. Denique si valet conuentio in vendendo seruo adiecta, vt ad libertatem non perducatur, ita vt aduersus fidem pacti præstita libertate seruus maneat. *l. pen. C. si mancip. ita su. al. vt man. vel contra. l. seruus. ff. de manumiss.* multo magis illa conuentio, vt seruus exportetur, actionem præstabit, si in continenti sit adiecta, cum minus sit dura, nec manumissio prohibeatur modo ab eo loco abstineat, de quo in venditione cautum est; nam si in ea ciuitate moretur, quam venditor excepit, etiam manumissus seruus fisci fit, aut in potestatem prioris domini concedit, si sibi manus iniectionem receperit. *l. 1. C. si seruus export. ven.* Opponuntur deinde l. pen. ff. hoc tit. & l. 11. quod si locus. ff. de relig. & sumpt. fun. quæ constituunt pactionem fundi venditioni adiectam, *ne liceat emptori in eo aliquem sepelire, ne-ve locum dedicare liceat*, esse inutilem & actionem non præstare: Sed illud ideo ita obtinet, quia non intererat venditoris: si enim aliqua ratione docuerit sua interesse fidem conuentionis impleri, quod sibi vicinum forte alium fundum habenti prospicere voluit, ad amoliendam hominum frequentiam, qui solebant ad sepulchra certis anni temporibus conuenire, conuiuia celebrare, defunctis parentare, lucernas in monumentis accendere, & alia eiusmodi, quę mortis solennia dicuntur in l. 44. Mæuia. ff. de manum. testam. tunc agi poterit. & ita accipienda l. fin. Cod. de pa. inter empt. & vend. compos. quæ alioquin posset esse contraria superioribus. Igitur cum non interest paciscentis seruari legem contractus in continenti adiectam, ex pacto agi non potest: sed si in vicem pacti pœnalis stipulatio sit adiecta, agi poterit ex ea. d. l. quod si lotus. nam quoties agitur ex stipulatione pœnali, non spectatur an intersit agentis factum quid non esse quod fieri voluit & è contra: sed id tantum an stipulatio sit commissa. *l. 38. §. alteri. ff. de*

Secunda obiectio

Responsio.

In stipulatione pœnali non spectatur quod intersit agentis.

Obiectio tertia & responsio ad eam.

verb. obl. Opponitur deinde l.79.fundi partem. ff.de contr.empt. Verum illic abscisse non denegatur actio ex pacto,sed tum demum si nihil intersit,si propter pactum de conducenda parte fundi certo pretio, pars alia quæ vendita est,viliore pretio non sit distracta: quamquam potest etiam dici verba illa quæ sunt in ea lege (*si modo ideo vilius fundum distraxisti,&c.*) magis esse ἐπιτατικὰ quam ἀναγορευτικὰ, id est magis protendere,quam restringere agendi facultatem, vt omnino & sine distinctione corrigatur sententia Labeonis & Trebatij,qui negauerant ex eo pacto actionem dari. Possit etiam opponi l. pen.& fin.C.si mancip. ita fuerit alien. vt manumitt. vel contra.vbi si hac lege venditum sit mancipium, vt manumitteretur,vel non manumitteretur,pœnali pacto adiecto ex continenti,si contra factum esset, ex eo nullam actionem competere venditori dicitur. Sed procliue est quod respondeatur,hac ratione illud fieri, quia in primo quidem casu ipso iure seruus non est manumissus, refragante conuentionis lege,quæ ipsi seruo inhæret: in secundo ex constitutione DD. Marci & Commodi ipso iure post moram emptoris repræsentatur libertas, & perinde est ac si seruus ab emptore fuerit manumissus,quia ipse hac lege emendo causam semper præbuisse libertati videtur, quam ius repræsentat. Hæc de pactis ex continenti adiectis bonæ fidei contractibus. De his quæ ex interuallo breuiter id constituitur,ea ad exceptionem proficere reo qui conuenitur,si eius gratia pactum intercessit: ad actionem vero non proficere,si is qui agit ipso niti velit. *l.7 §.quinimo.vers.idem responsum est,& seq. ff.de pactis.* cum enim eiusmodi conuentio nomen non habeat, nec hæreat contractui nominato, nec causam habeat, aut facto vel datione effectum non sumpserit, consequens est nudum pactum esse,ex quo iure ciuili nulla actio est,vt supra constitit. Et hoc habet locum cum pactum ex interuallo de adminiculis contractus intercessit,non si de substantia,siue de his,quæ pertinent ad naturam contractus: ea enim insunt ex vtraque parte, quia magis nouus contractus factus videtur per pactum posterius, quam priori contractui pactum accedere, *l. 7. §.adeo l.27. si vnus §.pactus ne peteret vers. idem dicemus. ff. de pactis. l.72. pacta conuenta. ff. de contr.empt.* Adminicula contractus cum dicimus,ea dicimus quæ possint ita abesse vel adesse,vt nihilominus contractus substãtia & natura integra maneat. Substantiam cum dicemus,id dicimus, quod contractum ipsum constituit,quod adesse debet abesse non potest. Exemplum sit in emptione & venditione: Conuentio,vt fideiussorem det venditor euictionis nomine,pactum,vt venditor de euictione non teneatur,sunt de adminiculis; quia possunt & adesse & abesse,vt nihilominus venditio subsistat,& habeat constãtiam suam,siue σύστασιν. Consensus de re quæ veneat,de pretio quo væneat, abesse non po-

Obiectio quarta. *Solutio.* *Pacta ex interuallo contractib. adiecta reo proficiunt non actori.* *Differentia pactorum quæ fiunt ex interuallo.* *Adminicula contractus quæ dicantur.* *Substantia contractus quid sit.*

teſt,ita vt venditio ſui natura conſtet. Pacta priora ſi ex continenti adiiciantur, vel vt Græci loquuntur *συνεχῶς τῇ συστάσει τοῦ συναλλάγματος* (nam alias accepta *παραχρῆμα* significanr intra triduum proximum. *l. fin. C. de errore aduoc. & preces concip.*) poterit emptor ex empto agere, vt ſibi fideiuſſor præſtetur propter euictionis periculum: venditor inuicem, ſi re euicta conueniatur, ab emptore de euictione ipſo iure tutus erit, ne de euictione teneatur, nec opus habebit exceptione. Sed ſi eadē pacta ex interuallo interceſſerint, emptor non habebit actionem vt fideiuſsor ſibi præſtetur, quia pactum cohærentiâ contractus non munitur: venditor vero re euicta ſi conueniatur, neceſse habebit opponere pacti exceptionem, alioquin condemnari poterit. Quod ſi pactū poſterius, quod ex interuallo interceſſit, ſit de pretio augendo vel minuēdo, vel vt rei venditæ aliquid accedat aut decedat, ad nouum contractum proficiet, quia vt emptio, quæ conſenſu perficitur, potuit in totum contrario diſsenſu diſſolui ipſo iure, ita & poteſt immutari. Hæc de pactis in continenti vel ex interuallo adiectis bonæ vel malæ fidei contractibus certa ratione conſtant, nec dubitationem vllam faciunt: magna quæſtio eſt de his quæ contractibus ſtricti iuris adiiciuntur. Plures enim perinde ineſse ex parte actoris conſtituunt, ac in bonæ fidei contractibus. Cuiacius vero id conſtanter negat, & contendit ineſse ex parte rei tantum, idque ad l. 7. paragr. quinimo. ff. de pactis. & lib. 10. obſ. cap. 24. & in recitatione ſolenni ad l. lecta. ff. de reb. cred. adeo vt contumaces eos vocet, qui contrariam ſententiam tuentur. Forte in re tam dubia, quæ certa Iuriſconſultorum definitione non conſtat, licuerit cum magnæ auctoritatis viris errare, nam etiam error honeſtus eſt magnos duces ſequentibus, vt ait Quintilianus. Id certe contra Cuiacium facit quod ea pacta quæ fiunt in continenti videntur quodammodo partem ipſius contracus facere: *τὸ παρὰ μικρὸν ὥσπερ οὐδὲν ἀπέχειν δοκεῖ*, vt inquit Ariſtoteles. Cur itaque non dicemus pactum ineſse etiam ex parte actoris in ſtricti iuris iudicijs, quod ſi forre non eſset adiectum, infectum negotium foret; vt etiam videatur dediſse cauſam contractui. Non apparet manifeſta ratio differentiæ. Sed inanis prorſus eius quæſtionis diſquiſitio, quæ & nugacis tantum ſubtilitatis argutiis conſtat, & nullam ſui vtilitatem præber iis qui probe eam tenuerint: cuiuſmodi ſunt pleræque iuris diſputationes, quas vbi anxia & ſollicita animi contentione tractaueris, nihil es conſecutus, quo mores tuos informes, aut in communem vtilitatem conferas. Igitur parum illis eſt immorandum, & omnimodo bene actum eſset cum iuriſprudentia, ſi his cereret nugis, quæ quo magis ſunt inutiles, eo plerumque magis nodoſæ & perplexæ: ad quas poſſit etiam illud Martialis pertinere.

Pacta quæ ſunt de ſubſtātia contractus proficiūt ad agendum.

An pacta in continenti adiecta contractibus ſtricti iuris inſint ex parte actoris.

Turpe est difficiles habere nugas,
Et stultus labor est ineptiarum.

Quantum ad iuris Gallici rationem, securior illa definitio, omnes contractus esse bonæ fidei, & omnia pacta, quæ iuri non refragantur, proficere ad agendum, nec ab ipsis contractibus separari.

IDEM AVGVSTVS CAPITONI.

L.10.C.eod. *EX conuentione quidem, qua pactam nouercam tuam cum patre tuo dicis, cum fundum in dotem daret, vt creditoribus, quibus fuerant prædia obligata, vsuras solueret, actio tibi aduersus eam competere non potest, & si pactum in stipulationem deductum probetur. Sed si fundus æstimatus (ita vt pars instrumenti significat) in dotem datus est, ex vendito actio, vt placitis stetur, competit. P P. Non. Decemb. ipso A. III & Dione. II. Coss.*

COniungenda est species l.1. Cod. sine censu & reliq. fundum comp. non posse: nam pertinet ad eandem quæstionem, quæ hîc proponitur, & habet etiam inscriptionem & subscriptionem eandem. Eodem etiam verborum tenore conscripta est. Sic itaque vtriusque hypothesis proponenda. Titius, suscepto Capitone filio ex priori matrimonio, secundas cum Mæuia nuptias contraxit, & ab ea accepit dotis nomine fundum, quem ipsa pridem cum aliis quibusdam prædiis, quæ ipsa retinebat, nec in maritum dotis titulo transcribebat, creditoribus suis obligauerat. Cum vereretur Titius, ne aliquando creditor in rem agens actione Seruiana siue hypothecaria fundi possessionem auocaret, pacto cum Mæuia facto ex continenti ita sibi prospexit conuenitque, vt Mæuia vsuras creditoribus solueret; conuenit item, vt census & intributionis onus fisco expendendæ ad ipsam pertineret. Pactis etiam subdita stipulatio est; Mox decessit Titius. Capito priuignus contra nouercam vult agere actione ex stipulatu, vt fides conuentionis impleatur. Quæritur num possit: constituit Imperator non posse. Mouet quod quæ competit actio defuncto, eadem dari debet hæredi. Sed nequaquam huic iuris regulæ in hac specie locus est, quia natura dotis est vt ad hæredem mariti non transeat, sed mulieri debeat restitui, vt de preca-

Species huius l. & l.1.C. sine censu vel reliq.

de precario constituit I. C. in l. 12. §. fin. ff. de precario, ad hæredem eius qui precario rogauit non transire: quippe ipsi non sit concessa possessio. Itaque cum propter vsuras, vel tributa fundi non sit obligatus hæres mariti personali vlla actione, sed actio hypothecaria vel tributi exsolutio sequatur fundum ipsum, non est quod in futurum caueri sibi desideret, cum sua desierit interesse, nec possit conueniri vsurarum aut tributi nomine possessione fundi ad mulierem translata. Sed vel hinc maior dubitandi ratio desumi potest quod cum fundo obligato fructus quoque obligati esse censeantur. *l. 3. inf. qu. ex causis pig. vel hyp. tac. contr.* videtur hæredem mariti posse conueniri pignoris iure, fructuum à marito perceptorum nomine, dum causa dotis constitit, vt eius possit eatenus interesse. Sed quod d. l. 3. constituitur tum demum obtinet, cum fructus debitor percepit: At cum alter ab eo, vt in hac specie maritus ipsius debitricis, nequaquam obligati cẽsentur, cum debitoris numquam fuerint *l. 1 §. 2. l. 29. Paulus* §. 1. *ff. de pignor.* & ita constat inanem esse sollicitudinem hæredis, contra quem mulieris creditores nullam instituere actionem nec personalem nec hypothecariam possunt. Cæterum si maritus proponatur constante matrimonio vsuras exoluisse, vtiliter agere posset contra nouercam Capito, quia tum sua interesset patrem fundum illum ab onere vsurarum possedisse: & id quidem non dicit Imperator, id dicturus si de ea quæstione consultus fuisset. Verum quod dictum est, pertinet ad fundum inæstimatum in dotem datum, cuius alienatio marito interdicta erat, qui quidem omnino soluto matrimonio ipsi mulieri debebat restitui. Maior quæstio est de fundo æstimato certâ pecuniæ summâ, vtrum soluto matrimonio liberum eum ab onere pignoris & tributorum præstare mulier debeat. Cum fundus in dotem datus æstimatur, venditio quædam contrahi censetur, vt pleno dominij iure marito acquiratur, ac eius periculo sit, magisque pecunia, qua æstimatus est, in dote esse videatur, quam fundus ipse. *l. vn.* §. *& cum lex. vers. licet enim. C. de rei vx. act.* Hac ratione eius alienandi facultatem habet maritus, nisi electionem sibi receperit mulier, vtrũ velit soluto matrimonio sibi restitui fundum ipsum, aut æstimationem. *l. 11. quod si fundus. ff. de fundo dot.* quo solo casu fundus æstimati [illegible] lienari non potest, ne electionem mulieri tollat maritus. Eo igitu[illegible] [illegible]su, cum tam marito quam hæredi eius liceat restituta mulieri [illegible]cuniæ quantitate, qua æstimatus est, ipsum fundum quasi emptum possidere *l. 5. inf. de iur. dot.* dubium non est, quin hæres mariti iure possit agere, vt legi contractui appositæ pareatur, nec vsuras modo ipsa mulier exoluat, sed omnino ipsum hęredem ab omni metu hypothecariæ actionis, cui fundus erat subiectus, securum præstet: quare actione empti venditi agetur, vt placitis stetur,

Fructus fundi obligati iure pignoris tenentur & quomodo.

Æstimatio fundi dotalis dominium maritum facit.

quemadmodum hac l. cauetur. Sed non ita etiam in hac secunda specie rectè poterit cogi mulier, vt censum vel tributum quod ratione fundi fisco debetur soluat, vt constitutum in l.1.C.sine censu vel reliq. quæ, vtcumque eiusdem Imp. Alexandri sit, & de controuersia eadem, vt dictum est, magnopere tamen huic nostræ videtur aduersari. Et est qui arbitratus sit tollendam esse negationem in fi.d.l.1. vt omne dissidium componeretur. Sed non temere quicquam expungendum est, si alia ratio occurrat nodi istius explicãdi. Differentia itaque constituenda est inter vsuras & tributa, quam constituit etiam Accursius, vt scrupum hunc eximat. Vsurarum obligatio, vt & pignoris quoque, qua fundus afficitur, inutile prope dominium constituit, quia potest aliquando auelli pignoris iure, & ideo non minus euictionis nomine potest emptor agere aduersus venditorem, cum hypothecaria conuenitur & possessio auocatur, quam si de rei proprietate ab aliquo controuersiam pateretur, quia scilicet rem ei habere non licet. *l.65.rem hæreditariam. ff.de euict.* Cæterum tributi onus leue est & ordinarium, nec originem habet ex facto venditoris: Imo sequitur perpetuo dominium & possessorem. l.36. prædiis. ff.de iure fisci. nec minus vtile dominium prædij emptor habet aut quilibet alius, quod tributum exoluat: Imo nec sine pensitationis onere ad emptorem aut donatarium transferri potest, nec conuentio valet vt venditor vel donator eius sarcinam agnoscat. *l.fin. Cod.sine censu & reliq. fundum comp. non posse.* Obstare tamen videntur l.42. inter. & l.52. epistola. §.2. ff.de pactis, ex quibus constituitur, pactum, quod in fundo tradendo pignoris nomine interpositum est inter debitorem & creditorem, vt debitor, qui non possidet onus tributi agnoscat, quantum ad fisci causam qui possessorem sequitur semper, non valere quidem, sed ipsos tamen contrahentes lege conuentionis teneri: Sed procliue est quod respondeatur, id in ea specie esse singulare, quia possessio creditoris momentanea est, nec causam dominij aut proprietatis continet, & ideo æquum est, vt si dum creditor pignori incumbit conuentus à fisco tributum exoluerit, id sibi restituatur; cum non tam sibi quam debitori censeatur possidere, & propterea constitit etiam eidem debitori proficere possessionem creditoris ad vsucapiendi facultatem, si forte fundum vel rem aliam à se emptam & bona fide possessam, antequam vsucepisset, pignori tradiderit, vt non prius ei vsucapiẽdi conditio perimatur re in creditorem translata, quam creditor in alium eiusdem rei sibi pignoratæ possessionem transmiserit. *l.33.non solum. §.qui pignori. ff.de vsucap. & vsurpat.* Contra emptor sibi possidet, omne emolumentum fundi percipit, & ideo iniquum est vt ad venditorem, vel vt proponitur in d.l.1. C. sine censu vel reliq. ad mulierem, quæ fundum

Explicatur l.1.C. sine censu & reliq.

Emptor qui conuenitur hypothecaria agit de euictione cõtra venditorem.

Tributi onus possessorem sequitur

Obiectio.

Solutio.

Creditoris possessio debitore proficit in vsucapione rei pignoratæ.

suum æstimatum vel inæstimatum in dotem dedit, onus tributariæ functionis respiciat. Indictiones quælibet ad onus fructuum pertinent. *l. 28. quæro. ff. de vsu & vsufr. leg.* & propterea etiam fructuarius eas exoluere tenetur, dum vsufructus in eius persona constat. *l. 7. §. hactenus. ff. de vsufr.* ergo & maritus, qui constante matrimonio fructus percepit, nihil habet quod hoc nomine mulieri reputet aut hæres eius. Certè si de præteriti temporis tributo aut vectigali agatur, non minus etiam eo nomine conuenietur emptor. *l. 36. prædijs. ff. de iu. fisci.* sed actione ex empto idà vẽditore, qui eũ non præmonuerit, consequetur. *l. 7. Imperatores. ff. de publ.* sicuti responsum est hæredem cogi soluere solarium vel tributum aut cloacarium præteritum quod fundus legatus debet. *l. 39. cum seruus. §. 5. hæres. ff. de leg. 1.* licet legatarius quantum ad fisci causam non possit detrectare solutionem, etiam ratione præteriti temporis. *l. 5. cum possessor. §. fin. ff. de censib.* Sed potest etiam fiscus agere contra hæredem defuncti, quia scilicet tributa fructuum sunt onera, quos percepit defunctus: & illa ratione etiam potest fiscus agere contra venditorem, si non idoneus sit emptor & ita accipiendum, quod est in Iustiniani N. 17. cap. 8. §. non permittas. vnde sumpta est auth. sed & periculum. C. sine censu & reliq. Fit interdum etiam, vt præteritorũ tributorum nomine emptor non possit conueniri, si videlicet auctione fiscali distractus sit fundus, quasi scilicet videatur fiscus remittere præterita tributa, qui de his soluendis nihil prædixit *l. 6. C. de fide & iu. hastæ fiscalis. lib.* 10.

Indictiones ad onus fructuum pertinent.

Onus tributi præteriti spectat emptorem sed habet actionem ex empto.

IDEM IMP. FLACCILLÆ.

PACTA *nouißima seruari oportere, tam iuris, quam ipsius rei æquitas postulat. Quapropter si conuentione quæ præceßit diuersa pars se vsuram non esse consensit: & maxime si vt proponis id etiam apud acta Præsidis asseuerauit, actionem quæ super prima conuentione fuerat exercere non prohiberis. P P. III. Kal. Martij; Agricola & Clemente Coss.*

L. 12. C. eod. tit.

CVm hac l. enarranda quoque est l. 4. inf. ad exhib. quæ huic coniungẽda est, & ad eandem speciem pertinet, eandem etiam inscriptionem & subscriptionem habet. Primum hac l. regula ge-

Pacta nouissima sunt p[oti]ora.

neralis proponitur, pacta nouissima seruari, quasi præualeat: vt Modestinus de principum edictis recte in l.fin. ff. de constitut. princ.

Vltima constitutiones principum derogant priorib.

αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσί. Idem obtinet in testamẽtis & cuiuslibet generis supremę mentis testationibus, nam & in his posteriores scripturæ valent omnimodo *l.12.si mihi.§.fin. ff.de leg.*1. Sed hoc ita obtinet, nisi priori scripturæ adiecta fuerit

Clausula derogataria quæ sit.

clausula derogatoria, qua testator cauerit, se nolle posteriori scripturæ, quæ ab eo emanauerit fidem adhiberi. *l. 22. si quis in principio. ff.de leg.*3. qua de re plura Cuiac. lib.14. obs. cap.7. & dominus *Louet* in collecta decretorum senatus Parisiensis in litt. T. cap.9. cum luculentissimis commentariis Iuliani Brodæi fratris matruelis mei.

Prior institutio pura præualet posteriori quæ conditionalis est.

Excipiendum illud etiam, si institutio hæredis in eodem testamento pura sit, mox sequatur alia conditionalis hæredis eiusdem, quia enim prior scriptura plenior est, sequenti præualebit: item si eadem portio sub diuersis conditionibus vni eidemque hæredi data sit, inspicitur ea quæ prior extiterit, non quæ prior institutioni adscripta est. *l.27. si te solum. §.1. ff.de hæred. instit.* quod non idem obtiner in legatis, in quibus posterior voluntas aut scriptura semper valet, licet prior pura, secũda conditionalis sit, vt & cõditio nouissima inspiciatur. *l.87. quod traditum cum duabus seqq. ff.de condit. & demonstrat.* Ratio diuersitatis hæc, quod hereditas semel data non possit tacita voluntate adimi, quæ auferretur tamen tacitè, si posterior institutio conditionalis priori puræ derogaret: Legata autem possunt & tacitè adimi. *l.3. §.fin. ff.de instr. fundo & instrum. leg.* Verumtamen quantum ad causam libertatis, idem obtinet quod in instiu-

Secus in legatis.

Scriptura potior est quæ pro libertate facit.

tione hæredis obtinere diximus; nam si seruo relicta fuerit libertas, mox idem legatus fuerit, aut per fideicommissum relictus sit, potior est datio libertatis quæ præcessit, quam legati, quod posterius est; nisi euidens ademptio libertatis ostendatur. *l.14. si idem. ff. de leg.2. l.10. si peculium. §.fin. ff.de manum. testam. l. 50. si seruus. ff.de fideicom. libert.* Item si sub diuersis conditionibus sit data libertas, nouissima & quę ipsi seruo commodior est spectanda est. d.l. quod traditum. quod accipiendum est de directa libertate: nam in fideicommissaria, in qua strictius voluntas defuncti spectatur, nouissima potior est. *l.90. per fideicommissum. ff.de condit. & dem. l.5. ff.de manum. testam.* Regula autem quam in hac lege proponit Imp. non perinde generaliter obtinet, vt fere nulla ęst definitio iuris, quæ aliquando subuerti non possit, aut aliquas exceptiones non habeat. Accipiẽda

Exceptio superioris regulæ.

Interdum pactũ tollit actionem.

igitur est de his pactis quæ exceptionem pariunt, non de his quæ actionem tollunt: quale est quod intercessit de furti aut iniuriarum actione: nam si ego pactus sim ne mecum ageres furti aut iniuriarum, quia illo pacto actio omnis quę suberat perempta est, si tecũ rursus sim pactus vt ageres, illud pactum non restituet actionem

ſemel extinctam,& propterea ſi experiris contra me,& pacto priori me defendam,non habebis replicationem ex poſteriori pacto, quandoquidem actio ſemel perempta me non tenet, quæ non ex pacto,ſed ex maleficio cõpetit.*l.27.ſi vnus.§.pactus ne peteret.verſic.ſed ſi pactum.ff.hoc tit.* Regulariter pactũ non tollit obligationem,ergo nec actionem, ſed inefficacem vtramque conſtituit ope exceptionis. *§.propterea.de except.apud Iuſtinianum.* Verum duobus prioribus caſibus non iam ope exceptionis tantum,ſed ipſo iure ciuili tollit. Nam quod generaliter dicitur in l.Stichum.§.naturalis.ff.de ſolut. pactum ipſo iure actionem tollere, accipi debet de iure naturali non ciuili,ex quo nudum pactum prodeſſet etiam ad actionem,niſi iuris ciuilis ratio impediret. Non habet etiam locum hæc regula in bonæ fidei contractibus,cum res non ſunt integræ: veluti in venditione,ſi vel re tradita vel pretio ſoluto conuenerit vt ab emptione diſcedatur: hæc conuentio irritam emptionem non conſtituit, nec inuitus emptor rem reſtituere, nec venditor pretiũ reddere pacti obtentu cogi poteſt.*l.1.& 2.C.qu.lic.ab empt.diſc.* Si res ſit integra, nec vlla pretij ſolutio aut rei traditio interceſſerit, iam ipſo iure ſublata emptio eſt, quia quemadmodum ſolus conſenſus ad obligationem conſtituendam ſufficiebat, ita contrarius ſufficit ad diſſoluendam. *§.fin.qu.mo.toll.obl.apud Iuſtin.l.7.§.adeo.l.ab emptione.ff. hoc tit.* Fideiuſſore vel arra data venditionis nomine,non minus res integra creditur,quia hæc adminicula ſunt emptionis tantum,non vero eius ſubſtantiam conſtituunt. Et ideo ſi poſtea diſceſſerint emptor aut venditor,non minus diſſenſus ille contractum tollit.*l.35.quod ſæpe.ff.de contr.empt.l.3.ff.de reſc.vend.l.95.Stichum.§.fin.ff.de ſolut.* His præmiſſis quæ pertinent ad definitionem initio huius legis propoſitam;facile erit ſpeciem explicare,quæ in ea proponitur, & ſimul in l.4.inf.ad exhib.quam diximus huic eſſe coniũgendam. Flaccilæ Titius centum debebat ex chirographo aut ſyngrapha manu publica exarata. Conuenit inter eos,ne Flacilla hos centum aureos peteret. Iſtud pactum,vt diximus, actionem & obligationem non tollit,ſed Titio,ſi ab eo petatur,pacti conuenti exceptionem parat. Sed & Titio Flaccilla reſtituit cautionis inſtrumẽtum. Poſt eiuſmodi pactum rurſum conuenit inter eos,vt Flaccillà peteret: imo quo magis poſteriori pacto fides conſtaret,Titius apud acta præſidis profeſſus eſt, ſe priori conuentione, qua debitum Flaccilla remiſerat,non vſurum.Agit igitur Flaccilla ac petit etiam ſibi exhiberi & reſtitui inſtrumentum cautionis, quod Titio reddiderat. Non petit edi,ſed reſtitui. Petimus nobis edi aliena inſtrumenta,vt ſcianus quid à nobis petatur; intendimus exhiberi & reſtitui noſtra.Opponebat autem Titius pactum de non petendo à Flaccilla factum,allegabat etiam cautionis inſtrumẽtum ſibi fuiſſe

Nudum pactum ſoluit emptionem rebus integris.

Datio arræ vel fideiuſſoris non impedit nudo pacto emptionem diſſolui.

Species huius legis.

Edere inſtrumentum & exhibere quid differant.

reſtitutum. Conſulit Imperatorem Flaccilla. Reſcribit Imperator iure eam agere poſſe, & pactum poſterius & profeſſionem factam apud acta prioris pacti vires infringere, & vtiliter eam petituram, vt cautionis inſtrumentum ſibi reſtituatur. Mouebat quod ex poſteriori pacto actio non eſſet. Sed in hac ſpecie ex poſteriori pacto non agitur, ſed priſtina actione, quæ ope replicationis conſtituitur efficax: ſi enim opponat exceptionem Titius ex priori pacto, obijciet Flaccilla replicationem ex poſteriori. Vbi per pactum ſublata actio non eſt, replicatione exceptio eliditur, & diſſoluitur. *l. 27. ſi vnus. §. 1. ff. hoc tit. §. 1. de replic. apud Iuſtin. l. 2. §. 1. ff. de except.* Inde etiam dicta eſt quod implicatam, & quaſi tectam exceptionis iniquitatem replicet & patefaciat. Idem dicendum, ſi poſt pactum poſterius de petendo, rurſum pactum aliud interuenerit de non petendo: nam vt aduerſus exceptionem pacti prioris datur replicatio ex poſteriori, ita aduerſus replicationẽ daretur duplicatio ex ſupremo, & ita deinceps, vt traditur apud Iuſtin. d. tit. de replic. Additur autem in d. l. 4. non reſtituto cautionis inſtrumento, iuſiurandum in litem Flacillæ deferri oportere, quod fit litis æſtimandæ gratiâ, vt quoties reus rem aliquam vel inſtrumentum, quod penes ſe habet, reſtituere renuit, aut dolo fecit quominus reſtituere poſſet, coercendæ contumaciæ gratia litis & eius quod intereſt æſtimatio ipſi actori permittatur. Si dolus abſit, licet culpa interceſſerit, rem æſtimat iudex ſuo arbitrio non eius æſtimandæ facultatem actori facit. *l. qui reſtituere. ff. de rei vindic. l. 2. l. 4. §. fin. l. 5. §. ſed in his. ff. de in litem iur.* idque ita obtinet in actionibus in rem, & bonæ fidei iudiciis, vt & in actione ad exhibendum, quæ de inſtrumentis redditur, vt tanti condemnetur reus, quanti actoris intereſt ea proferri. *d. l. 5. & l. pen. ff. eod. tit.* Sed in actionibus ſtricti iuris interdum ex culpa iuſiurandum in litem actori deferetur, ſi poſt moram res debita interierit quia iudex ſine delatione iuſiurandi rem æſtimare non poteſt quæ non extat. *d. l. 5. §. fin.* Extra hunc caſum nonniſi dolus rei arguatur iuſiurandum in litem deferri poteſt, & ſic accipienda eſt l. 6. eod. tit. alioquin ſi generaliter verum eſſet omnino iuſiurãdum non deferri in actionibus ſtricti iuris, plerumque reus ex contumacia & dolo ſuo lucrum ſentiret. Deinde falſum eſſet quod dicitur in d. l. 6. in actione ex teſtamento in litem non iurari: nam id fieri poſſe docet l. 60. cum pater. ff. ad L. falcid. ſed facilis eſt concordia ex ſuperiori diſtinctione, vt propter culpam rei non deferatur, ſed propter dolum & contumaciam tantum. Sequuntur leges quatuor quæ ſunt ſub tit. de tranſactionibus.

Replicatio elidit exceptionem.

Propter non reſtitutum inſtrumẽtum defertur iuſiurandum in litem.

Quo caſu ex culpa iuſiurandum deferatur in actionibus ſtricti iuris.

IMP. ALEXANDER A. TVLLIÆ.

AGE cum Geminiano, quod pater eius curator tibi datus negotia tua gesserit: Et si apud iudicem negabit se hac actione teneri, quoniam transactio & Aquiliana stipulatio interposita est: Iudex contemplatione iudicij quod bonæ fidei est, quæret de quanta pecunia nominatim transactum sit, & si apparuerit de minore transactum: Quantam pecuniam reliquam ex administratione curæ deberi probatum fuerit, soluere eum iubebit, quod non in stipulationem Aquilianam obligationis iure tantum deductum est, quanta erat quantitas pecuniæ, quæ debebatur. Datum prid. Id. August. Maximo II. & Æliano Coss. L. 3. C. de transactionibus.

QVod primum ex Alexandro rescriptum est in tit. de transact. est hæc lex tertia, cuius species eiusmodi est. Geminianus pater, Tulliæ curator datus est, & cum curam administrasset reliqua traxit. Tullia maior facta 25. annis rationes curæ administratæ reposcebat, & instituit forte actionem vtilem negotiorum gestorum. Directa agere non potuit, quia competit contra eum qui volens & vltroneus ad negotia aliena sine mandato accessit: Curator autem plerumque inuitus ex necessitate muneris publici quod repugnanti iniungitur. Instituit igitur vtilem actionem negotiorum gestorum de quadam pecuniæ summa, quam residuam apud eum esse ex reditu patrimonij sui contendebat: Lis ea transactione finita est: Transactioni etiam adiuncta fuit stipulatio Aquiliana, qua causa obligationis, quæ erat ex quasi contractu, in verborum stipulationem nouatione facta deducta est, quæ mox acceptilatione est perempta ijs verbis eo-ve modo ac forma, quæ descripta est in §. est autem. qu. mo. toll. obl. apud Iustin. & in l. 18. & vno. ff. de acceptilat. Mox decessit Geminianus pater. Tullia autem comperit sibi alia deberi, & reliquatum esse curatorem Geminianum ampliori pecuniæ summa, quam in iudiciũ, mox in transactionẽ deduxerat. Consuluit imperatorem, qua ratione indẽnitati suæ subsidiũ ferre posset. Rescribit Imperator ipsã agere debere cum Geminiano filio, qui patri suo curatori eiusdem Tulliæ successerat. Mouebat ex-

Species legis. *Directa negotiorũ gestorũ actio cõtra quem competat.* *Aquiliana stipulatio quid sit.*

ceptio transactionis; mouebant Aquilianæ stipulationis verba hæc, *quidquid te mihi ex quacumque causa dare facere oportet præsens in diem-ve &c.* quibus ab omni controuersia, quæ curæ à Geminiano patre administratæ nomine intendi potuit, videbatur esse discessum, vt iam non modo exceptio ex transactione competeret, sed acceptilatione, quæ Aquilianam stipulationem sequitur, omnis actio esset perempta. Sed non existimauit imperator verborum generalium complexum vltra esse porrigendum, quam ad id quod in iudicium esset deductum, ad id enim spectant hæc verba huius legis (*& si appareat de minore transactum*) ex his enim apparet non omnem curationis & gestorum negotiorum causam in iudicium, & mox in Aquilianam stipulationem esse deductam, sed speciem tantum eius aliquam. Ad id spectant etiam alia verba quæ antea proponuntur, *iudex contemplatione iudicij quod bonæ fidei est, quæret de quanta pecunia nominatim transactum sit*, id est de qua specie. Curæ vt plurimum sunt implicitæ rationes, multa capita, multi articuli, qui nihil sibi inuicem cohærent, & inde tot sententiæ, quot species vel capita aut certe vnius sententiæ capita plura. *l. 29. etiam. §. 1. ff. de minor.* & inde in actionibus bonæ fidei quæ mutua expensi & accepti collatione constant, frequẽter arbitri dantur non iudices. *Iudicium*, inquit Cicero pro Roscio commodo, *est pecuniæ certæ, arbitrium incertæ.* Iniquum igitur est, vt qui de vna specie transegit, exceptione excludatur, si alias species in iudicium postea deducat, ne captiosa liberalitas induceretur, quam interpretatio prudentum fregit, vt recte I. C. in l. 5. cum Aquiliana. ff. hoc tit. nam nec quis facile præsumitur iactare suum, vel donare, cum alia potest induci præsumptio aut coniectura. *l. cum de indebito. §. 1. ff. de probat.* Quod ad clausulam generalem, quæ stipulationi Aquilianæ solet adhiberi, ea nihil obest, quia quemadmodum obtinet, verba quæcumque etiam contra sui naturam ex subiecta materia interpretationem accipere. *l. 15. ex conducto. §. Papinianus al. l. si vno. ff. Locati.* ita eiusmodi generalis clausula secundum id quod agitur restringi debet. *l. 10. quoties. C. famil. hercisc. l. 20. Seiæ in pr. ff. de fundo instr. & instrum. leg. l. 2. & l. fin §. fin. ff. de vino & oleo leg.* quod & manifestius probatur. *l. 47. emptor. §. fin. ff. de pactis. l. 31. si de certa. C. eod.* & inde quemadmodum dicitur in l 134. vitia. § 1. ff. de verb. obl. quæ in stipulationibus concipiuntur, ea in stipulationibus repetita videri: ita dici potest, cum tractatus circa hanc transactionem de specie certa esset, non de omni causa administratæ curationis, ad eam quoque speciem transactionem restringi, quasi ipsa acceptilatione id fuerit repetitum. Et simili ratione obtinet rei iudicatæ exceptionem non habere tutorem, si de specie de qua mox agitur in priore iudicio actum non sit, vt sententia generaliter prolata ad ea tantum pertinere

Curationis sunt implicitæ rationes.

Verba interpretationẽ accipiunt ex subiecta materia.

pertinere censeatur, quæ in iudicium sunt deducta. *l. 2. Cod. de iudic.* Non his definitionibus obstat l. sub prætextu specierum. hoc tit. ea enim intelligi debet de speciebus, quæ pertinēt ad id negotium, de quo transactum est, quasi accessionis vice: eæ si de nouo emergunt, non rescindunt transactionem, nec possunt etiam peti, quia continentur transactione generali, quæ finiit omnem controuersiam. At in hac lege, species, de qua mox agebatur, non pertinebat ad priorem, nec ei accedebat quasi παρενθήκη, sed erat æque principalis. Si tota causa administratæ curæ in iudiciū deducta esset, & super ea lite transactio aut res iudicata intercessisset, admittendum esset exceptioni locum fore, vt in l. 4. C. de iudic. dicendum est omnem tutelæ administrationem in iudicium venisse. Quæ igitur post sententiam aut transactionem de nouo enascuntur, ea cum pendeant ex priori iudicio, quod generale erat, non possunt rursus in controuersiam deduci: Imo nec si quis vltra quadruplum se captum ipsa transactione dicat. *l. 78. Lucius. §. fin. ff. ad S.C. Trebell.* & ita obtinet ex constitutione siue edicto Caroli IX. Franciæ regis, ei qui transegit, si res ex se dolum habeat, non esse subsidio beneficium l. 2. C. de resc. vend. quæ venditori in rei suæ alienatione vltra dimidium iusti pretij decepto præbet in integrum restitutionem. Sed excipit ipsa constitutio, excipit etiam Accursius hoc loco, si dolus, calliditas, aut aliqua praua machinatio contrahentium contractui causam præbuerit, quod quid subreptum sit, quod fraude aliqua subtracta instrumenta fuerint, aut quid eiusmodi transuersarium inciderit, quod vnius ex contrahentibus malum animum & fallaciam arguat. *l. sub prætextu instrumenti. hoc tit. l. 33. tres fratres. ff. de pactis l. 9. qui cum. §. per fallaciam. ff. hoc tit.* Excipit Accursius casum alium ex l. 12. non est. §. fin. & l. 3. §. 2. ff. eod. tit. quo constat transactionem, quæ facta est de his quę testamento scripta erant, non porrigi ad ea, quæ in codicillis post repertis relicta inueniuntur. Ratio dubitandi poterat iure sumi, quod codicilli sint pars ac veluti sequela testamenti, & ita secundum supra positam definitionem, sub prætextu codicillorum post repertorum non potuisse institui nouam actionem: Sed quod dicitur codicillos esse portionem testamenti, id pertinet ad ius, vt ex testamento valeant, omnemque ab eo vim suam mutuentur. *l. 14. quidam. ff. de iu. cod.* Cæterum nequaquam dici potest, id quod codicillis relinquitur, esse accessionem partem-ve eorum, quæ testamento sunt relicta: cum omnino separatæ species sint, & separatam habeant substantiam, naturam, qualitatem, quantitatem, constantiam.

Respondetur ad l. sub prætextu specierū. hoc tit. quæ videbatur obstare.

Transactio non rescinditur & si vltra quadruplū quis sit deceptus.

Transactio rescinditur propter dolum personæ.

IDEM A. NVMIDIO.

L. 4. C. eod. tit.

ACTIONE *administratæ curæ ab eo, qui legitimæ annos compleuit, in aquilianam stipulationem deducta, & per acceptilationem extincta: nullam aliam superesse, nisi de dolo intra concessa tempora non ambigitur: nisi specialiter etiam de dolo transactum sit. P P. II. Non. Mart. Albinio & Æmilio Coss.*

Idem A. Euocato.

L. 5. C. eod. tit.

C*Vm te transegisse cum hærede quondam tutoris tui profitearis: si id post legitimam ætatem fecisti, frustra desideras, vt à placitis recedatur: licet enim vt proponis nullum instrumentum intercesserit, tamen si de fide contractus confeßione tua constet; scriptura, quæ probationem rei gestæ continere solet, necessaria non est. P P. Kal. Mart. Albinio & Æmilio Coss.*

QVod his duobus rescriptis continetur minimum habet dubitationis, sed ex his, quæ ad superiorem constitutionem dicta sunt, lucem capiunt. Generaliter autem id definitur, eos qui maiores 25. annis cum tutore aut eius hærede de tutela aut cura transegerunt, omni causa in stipulationem Aquilianam deducta, & ipsa actione per acceptilationem extincta, frustra placitis postea obsistere, & retractare pactione semel finitam controuersiam, nisi dolus aliquis ipsius tutoris aut hæredis arguatur, qui sciens quæ in vero erant, adolescentem ignorantem decepit, & coëgit vt minimo contentus à lite discederet; quo casu intra constituta tempora, id est intra annum vtilem iure antiquo, intra biennium iure nouo agi debet. *l. fin. Cod. de dolo.* Hinc illud obtinet vt eiusmodi transactiones factæ postquam minores peruenerunt ad legitimam ætatem non valeant non visis tabulis aut dispunctis rationibus, quod aliquando S. C. Parisiensi comprobatum est causam mecum agente Petro *de Lamet.* Sed est etiam vetustius ea de re ipsius senatus decretum,

Transactio super rationibus tutelæ aut curæ non visis tabulis non valet.

quod profert senator eruditus in collecta placitorum eius curiæ, in littera T. num. 13. vbi notanda sunt quæ illic tradit Iulianus Brodæus, aduocatus singularis doctrinæ, eloquentiæ non vulgaris. Sed verear cum mihi sit frater matruelis, ne ipsum laudando suffragari mihi videar. Certe de eo libro, vt nunc est doctissimis elucubrationibus auctus, dici potest vnum esse qui forensis prudentiæ omnem contineat supellectilem, & numquam ex manibus eius deponi debeat, qui velit probe & consulendo & perorando munus suum & officium exequi. Cum autem Imperator Alexander dicat maiorem 25. annis transigentem excludi ab actione: satis ostendit non idem obtinere in minore, cui ex hac causa, si damnum se accepisse alleget, restitutionis beneficium indulgebitur. *l. de tutela. C. de rest. min. 25. annis.* nisi forte minor, qui transegit, ętatis beneficium à principe impetrauerit: is enim tutelæ actionem tutori vel negotiorum gestorum curatori remittere potest vtiliter, vt non tam donare, quod prohibetur, quam transigere quod ei concessum est videatur. *l. 39. tutores. §. 13. si ab eo. ff. de admin. & peric. tut.* sic enim Cuiac. ad Papinianum illum §. interpretatur. Illud adiicit Imper. in l. 5. hoc tit. non ideo minus transactionem valere, quod scripto non constet, cum enim res non instrumentis gerantur, sed in hæc tantum rei gestæ fides & testimonium conferatur. *l. cum res. C. de probat.* consequens est vt sine his valeat quod actum est, si aliunde probationem habeat confessione aduersarij, testibus aut alia qualibet ratione. *l. contrahitur. ff. de pignor.* sed hoc non ita obtineret iure nostro, quo earum rerum nomine, quæ summam 100. librarum excedunt, testium interuentu non fit fides, sed omnimodo ad probationem necessaria est cautio chirographi vel instrumenti publici.

Minor post beneficium ætatis recte iure ciuili de tutela aut cura transigit.

Transactio valet sine scripto.

Non idem iure Francico.

IDEM A. POMPONIIS.

Lex 6. C. eod. tit.

CVM *mota inofficiosi querela matrem vestram cum diuersa parte transegisse, ita vt partem bonorum susciperet, & aliter discederet, proponatis: instaurari quidem semel omissam querelam per vos, qui matri hæredes extitistis, iuris ratio non sinit. Verum si fides placitis præstita non est: in id quod interest, diuersam partem recte conuenietis. Aut enim stipulatio conuentioni subdita est: & ex stipulatu actio competit. Aut si omissa verborum*

obligatio est, vtilis actio, quæ præscriptis verbis rem gestam demonstrat, danda est. P P. VIII. Idus Ian. Agricola & Clemente Coss.

Species legis. Titia à patre exhæredata, aut à matre præterita, quod pro exhæredatione habetur, mouerat querelam inofficiosi testamenti contra hæredem scriptum. Is vt ab ea lite se expediret veritus incertum negotiorum exitum, hanc Titiæ conditionem obtulit, vt partem bonorum acciperet, puta trientem, atque à lite discederet. Titia libens conditione oblata vsa est, & liti renuntiauit in totum necquicquam dubitans, quin placitis esset hæres pariturus. *Habita fides*, inquit Liuius, *ipsam obligat fidem.* Decedit ipsa interim nulla tradita portione hæreditatis ex fide conuentionis. Ipsi succedunt liberi qui Pomponij dicuntur, quos videlicet ex Pomponio marito susceperat. Hæres, cum quo Titia transegerat, promissionis suæ fidem destituit. Consulunt Imperatorem, quanam ratione sibi prospicere possent: Rescribit Imp. necquicquam ipsos semel omissam à matre inofficiosi testamenti querelam posse repetere, sed agere tantum posse ex stipulatu contra hæredem, vt defunctæ matri promissam ab eo bonorum hæreditariorum portionem consequantur: aut si stipulatio non sit interposita, habituros eos actionem præscriptis verbis petendæ eius portionis nomine. *Obiectio prima.* Obstant tamen huic legi, lex 21. eum qui. & l. 27. si instituta. in pr. ff. de inoff. test. quæ constituunt inofficiosi querelam instaurari posse ab eo qui à lite discessit, si fides ei non præstetur, quod hic tamen negatur. *Solutio.* Multi multa comminiscuntur: Expeditius fuerit ex sententia Accursij (quamuis Alciato displiceat ad hanc legem & lib. 5. paradox. cap. 6.) constituere, ipsi cui competebat querela facilius actionem suam restitui, si fidem pacti non seruauerit hæres, quæ est species d. l. 21. & 27. non vero idem hæredibus eius esse permittẽdum, quod in specie huius legis obtinet, quia cum semel querelæ sit renuntiatum ab ipso cuius principaliter vindictæ & doloris ratione intererat, & ipsa dissimulatione sit abolita; iniquum est vt eam suscitet hæres, maxime cum aliunde possit sibi consulere, id petendo quod defuncto fuerit promissum. *Obiectio secunda* Obstãt rursus huic legi, l. 28. hoc tit. & l. 21. cum proponas. C. de pactis. quæ constituũt nullam actionem competere, si transactionis fides non seruetur, sed instaurari pristinam actionem, aduersus quam si opponatur exceptio pacti aut transactionis, actori replicatio doli vel in factum datur. *Solutio.* Dicendum in specie illis locis proposita non esse ipso iure sublatam actionem, vt in hac lege, in qua querela dissimulatione, & morte eius cui competebat euanuerat, vt iam hæredibus

nulla alia superſit: quod idem eſſet ſi acceptilatione & ſtipulatione Aquiliana ſublata eſſet actio, nam & tum actio præſcriptis verbis, vt in hac lege competeret, vel ex ſtipulatu ſi ſtipulatio ſubdita eſſet. Cæterum his caſibus ſemotis conſtat regulam illam, qua definitum ex pacto nudo actionem non dari, pertinere quoque ad tranſactionem, quæ & ipſa eſt ſpecies pacti, & tum demum contractus eſſe incipit, cum quis ita deſtitit, vt omnino prior actio ſit perempta ipſo iure, remiſſione ſcilicet litis facta apud acta. Sed obſtat huic legi etiam l. naturalis. §.3. quod ſi faciam. ff. de præſcr. verbis. vbi ex contractu facio vt des, qualis hoc loco videtur proponi, non præſcriptis verbis actio datur, ſed de dolo quaſi alia deficiat. Solutio eſt in facili quæ eſt Accurſij hoc loco & Cuiacij ad l.7. ff. de pactis, hic fuiſſe contractum do vt facias, ex quo datur actio præſcriptis verbis: nam vtcumque factum præceſſerit, & ex rei natura debuerit præcedere, nimirum remiſſio litis: tamen contractus debet cenſeri origine non implemento, quia omnimodo ita conuenit, vt hæres daret, & Titia à lite diſcederet, vt ipſe legis contextus docet: nec audiendus eſt Alciatus, qui contendit conuentionem non facere contractum, ſed factum aut dationem, non enim ſequitur conuentionis formam mutari, ſi poſtea prius datio aut factum interceſſerit. Verum eſt in contractibus innominatis conuentioni ex alterutra parte accedere debere dationem aut factum, vt obligatio naſcatur, & ei detur actio qui ex parte ſua contractus fidem impleuit, ſed cum nullus ſit contractus nulla obligatio quæ conuentione vacet, *l.1.§. fin. ff. de pactis.* abſurdum eſſet non ex ipſa conuentione contractum formam accipere, cum paſſim dicatur conuentionem contractui legem dare. Denique factum vel datio ſubſequens cauſam dat conuentioni, quæ antea erat nuda, & efficit vt iam ex ea ſit actio, cum antea non eſſet: ſed non ideo ſi factum aut datio primum interuenerit, quicquam mutatur ex forma conuentionis, quę pridem inter contrahentes placuerat.

Obiectio tertia.

Solutio.

IMP. ALEXANDER POLYDORO.

NEC *cæterorum liberti, nedum mei quidem, ſi ita ſunt litteris eruditi, vt patrocinia deſiderantibus præſtare poßint, prohibentur hoc facere.* P P. *Non. Mart. Iuliano II. & Criſpino Coſſ.* L.2. Cod. de poſtulando.

IN specie eius legis quærebatur, an qui libertinæ essent conditionis, id est ij qui aliquando serui extiterant, post manumissionem possent causas agere, & pro quibuscunque postulare: an etiam illud possent liberti principis. Dubitationem facit lex Viscellia, quæ eos honores à libertinæ conditionis hominibus geri vetuit, quos solis ingenuis deferri mos est, adeo vt etiam in libertos animaduertatur, qui dissimulata conditione sua ad dignitatem prohibitam peruenerint. *l. vn. C. ad l. viscell. l. vn. C. qu. cum. actio crim. præiud.* ita nec libertus decurio fieri potest, *l. 1. si seru. vel libert. ad decur. peru. lib.* 10. C. nam illud etiam fuit prohibitum, ne ingenuæ conditionis hominibus se in adoptionem dando liberti in iura ingenuorum euaderent, ac propterea adoptione statum non mutabant, vt tradit A. Gellius lib. 5. cap. 19. quod & docet nominatim l. vlt. ff. de statu hom. Igitur quod dicitur in l. 35. ff. de adopt. per adoptionem dignitatem augeri, id ad libertos non pertinet, sed ad ingenuos qui cum plebei essent se adoptandos senatoribus permiserunt, vt è contra, qui erant senatorij generis, plebeiorum conditione censebantur si adoptati essent à plebeis, vt de Claudio tradit Cicero in orat. pro domo sua. Libertus autem ab ingenuo adoptatus aliquatenus iura ingenuitatis consequitur, & tamen vt libertinus filiam aut neptem senatoris ducere non poterit. *l. 32. sciendum. ff. de ritu nupt.* nam generaliter definitum, ne senatores eorum-ve liberi cum libertinæ conditionis personis nuptias contraherent. *l. 44. ff. de ritu nupt.* imo nec filij libertinorum, quamquam ipsi ingenui essent, poterant in senatum allegi, nisi prius ab equite Rom. essent adoptati, vt testatur Sueton. in Claudio cap. 24. quod tamen postea correctum, & libertini filiis aditus ad senatum sine distinctione est patefactus, *l. 9. de dignit. lib.* 12. C. sicuti etiam tandem obtinuit ex N. 78. cap. 3. & N. 117. cap. 6. eos qui quamlibet obtinent dignitatem libertinas posse vxores ducere, quod tamen Cuiac. lib. 35. ad edictum Pauli ad l. 16. ff. de ritu nupt. negat porrigi ad filias senatoris, vt possint nubere libertinis, quasi plus tribuere voluerit Iustinianus mari quam fœminæ, quia vir honorem tribuit vxori. *l. mulieres. C. de dignit. l. 12. C.* non è contra: & turpius fœmina se impari applicat, quam vir. Hoc præterea notandum, quominus niterentur liberti iura ingenuitatis sibi asserere, id constitutum, vt si patronus passus esset per collusionem libertum suum sententia iudicis ingenuum pronuntiari, patronatus iure decideret, eo translato in eum qui collusionem detexisset. *l. 2. C. de collus. deteg. l. 1. Dig. eod.* Cum igitur præclusus sit aditus libertinis, ne ad honores accedant: aduocatorum autem corpus seminarium sit dignitatum, vt dicitur in N. Theodosij & Valentiniani de postulando, iusta ratio dubitandi videbatur in hac lege, cur à munere patrocinij libertinæ

Libertini ab honoribus repelluntur.

Non possunt esse decuriones.

Non fiunt ingenui etiamsi adoptati sunt ab ingenuis.

Per adoptionem dignitatẽ augeri quid significet.

Senatores nuptias non contrahunt cum libertina conditionis personis.

Ius patronatus amittit patronus qui passus est per collusionem libertũ suum ingenuum pronuntiari.

Aduocatorum corpus seminarium dignitatũ.

conditionis homo repellendus foret. Sed ea omnia intelligenda sunt de honoribus reipub. Cæterum vtcumque aduocatis dignitas tribuatur aliqua, tamen ea est sine administratione vlla, & magis priuato & quieto honore absque maiestate tribunalis, quam publica dignitate funguntur. Et gerunt illi tamen perpetuum quodammodo sine fascibus imperium, sine securibus consulatum: Eoque dignitas illorum maior est, quod non emendicatis principum codicillis, non auitis paternisque reditibus, aut vllo ambitus crimine quæritur; sed meritorum dote, honestis vigiliis, doctrinæ præsidio, eloquentiæ subsidio, rerum honestarum cognitione comparatur. Hæc si libertino præsto sint, cur industriam suam promere vetabitur? Sed multo magis libertus principis ad postulandum admitti debet, quod quanto maior est potestas manumittentis, tanto manumissi honor augeri videatur. *Quæ nam sit aduocatorum dignitas.*

IMP. ALEXANDER A. AVRELIÆ.

EA, quæ aduocati præsentibus his quorum causæ aguntur, allegant, perinde habenda sunt, ac si ab ipsis dominis litium proferantur. PP. Kal. Mart. Albino & Maximo Coss. L. 1. C. de errore aduoc. & libellos seu preces concipientium.

BReuis est sententia eius rescripti; errorem aduocati clienti nocere, si præsens fuerit, cum ea quæ aduocati allegant, perinde habenda sint, ac si ab ipsis dominis prolata essent. Exemplum eius rei est apud Senecam lib. 7. controuers. de Albutio patrono, qui inter perorandum conditionem iurisiurandi aduersario detulerat, magis orationis impetu quodam id ferente, quam quod ex animi sententia, & voluntatis inductione libera causæ definitionem aduersarij iureiurando permitteret: Et nihilominus cum aduersarius accepta iurisiurandi conditione illud præstitisset, sententia Centumuirorum absolutus est. Sed illud nimis seuerè Centumuiri, cum palam ipse Albutius protestaretur, se conditionem non detulisse, sed schema tantum dixisse, id est colorem orationi suæ quæsiuisse, quo aduersarium perculeret. Sed & potest cliens ipse, qui præsens est, ex continenti contradicere, & errorem aduocati reuocare, quod cum quodam temporis tractu, atque ἐν πλάτει est accipiendum, vt intra triduum possit pars ipsa errorem aduocati corrigere. *l. fin. hoc tit.* Alias cum requiritur aliquid fieri confestim, id fieri debet in ipso negotio, iudice adhuc pro tribunali sedente, quod *Sententia legis.* *Errorem aduocati potest cliens reuocare.*

maxime obtinet in his, qui citati peremptorio edicto non respon-derunt, mox eodem ipso die prætorem adhuc ius dicentem adie-runt. *l. pen. ff. de restit. in integr.* Quod dictum de his qui causam agunt apud magistratum: Idem debet intelligi de illis, qui preces siue li-bellos principi vel magistratui offerendos à partibus conficiunt, quod etiam aduocatorum munus est, vt docet elegans ille locus Petri Rauennatis Archiepiscopi serm. 70. vbi de dominica oratio-ne ab ipso saluatore Iesu Christo composita, qui etiam adnotatus fuit à Iureto lib. 1. Epist. Symm. ep. 17. *Rex ipse*, inquit, *functus est ad-uocati officio, vt preces, quibus responsurus erat, ipse dictaret.* Sed solent etiam illud idem præstare quidam alij, qui se ministros in iudiciis præbent, & vocari solent pragmatici, de quibus loquitur Vlp. in l. 9. moris. §. 4. & 5. ff. de pœnis. Cicero lib. 1. de orat. & Quintil. lib. 3. cap. 8. lib. 12. cap. 3. Illi igitur si quem errorem admiserint in narra-tione facti, vel quid tacuerint, quod exprimi è re litigatoris fuit, error eiusmodi rebus integris emendari potest, dum vel nondum sententia dicta est, vel sententia, quæ intercessit, beneficio appella-tionis conuelli potest. l. 2. C. hoc tit. Sequuntur tria rescripta ex tit. de causis ex quibus infamia irrogatur.

Aduocatorum munus est preces & libellos confi-cere.

IMP. ALEXANDER A. HERENNIO.

L. 11. C. de causis, ex quibus infa-mia irroga-tur.

DEBITORES, *qui bonis cesserint, licet bona eorum venierint, infames non fiunt.* PP. Kal. *Maias. Ma-ximo II. & Æliano Coss.*

Sententia legis.

DEfinit hoc loco Imp. eos, qui bonis cesserint, infames non haberi, vtcumq; ex ea causa bona venierint, curatore scilicet bonis dato, quod fieri assolet post cessionem bonorum. l. fin. ff. de cur. bonis dando. Dubitationem mouet hæc vetus cessionis for-mula, quæ extat apud Apuleium: *Cedo bonis, non possum soluere, abycio annulos & omnia insignia dignitatis, Pax.* Quin & eleganter Cicero pro Quintio. *Cuius bona*, inquit, *ex edicto possidentur, huius omnis fama & exi-stimatio cum bonis simul possidetur: De quo libelli in celeberrimis locis propo-nuntur, huic ne perire quidem certè obscuréque conceditur: Cui magistri fiunt & domini constituuntur, qui qua lege pereant pronuntient: De quo homine præ-conis vox prædicat & pretium conficit, huic acerbissimum viuo videntique fu-nus ducitur, si funus id habendum sit, quo non amici conueniunt ad exequias co-honestandas, sed bonorum emptores vt carnifices, ad reliquias vitæ lacerandas, & distrahendas.* Sed is Ciceronis locus pertinet ad infamem illam

Cessionis bono-rum formula.

Forma proscri-bendorum bono-rum aduersus inopem debito-rem.

pro-

proſcriptionem, quæ in cauſa iudicati olim fiebat per multas ambages, bonis debitorum venditis auctione publica, cuius rei peragendæ rationem omnem aperit Theoph. in paraphraſi inſtitutionum ad tit. de ſucceſſ. ſublatis &c. Quæ quidem bonorum diſtractio ſucceſserat illi immani debitoris, qui reliqua traxiſset, inter creditores ſectioni, quam lex 12. tab. permiſerat, licet in repub. rom. nullum eius rei exemplum exciterit vnquam, vt Gellius docet lib. 20, cap. 1. & hinc notus ille locus Tertuliani in Apologetico, *In pudoris notam, quæ ex bonorum ſolenni illa proſcriptione ſequebatur, capitis pœnam, id eſt ipſius debitoris inter creditores partitionem eſſe conuerſam, vt ſanguis potius ſuffunderetur, quam effunderetur.* Sed tandem ſucceſſit etiam lex Iulia, quæ ceſſionem bonorum admiſit ſine vllius infamiæ metu. *l. 4. C. de ceſſ. bon.* Itaque quod ex Apuleio ſupra poſitum, id magis ad verecundiam & pudoris ſugillationem inter bonos & graues, quam ad exiſtimationis maculam pertinet, vt facto magis quam iure onerentur qui bonis ceſserunt. Interdum fit, vt qui verbis edicti non habentur infames, re tamen ipſa & opinione hominum non effugiant infamiæ notam: Exempla ſunt in l. 13. & 17. hoc tit. & in l. 2. ff. de obſeq. par. & patr. præſt. Igitur à ferendo in iudiciis vel teſtamentis aliiſque eiuſmodi actibus teſtimonio non repellentur, neque ab his omnibus remouebuntur, quibus abſtinere edictis vel conſtitutionibus infames iubentur. Iure noſtro, propter neceſſitatem ferendi viridis pilei, eum qui bonis ceſſit infamia ſequitur, nec diſtinguitur ſuo ne, an fortunæ vitio decoxerit & facultatibus lapſus ſit, quæ ſit tamen Iuſtiniani N. 135. vbi vid. Cuiac.

Proſcriptio bonorum ſucceſſit ſectioni debitorum

Ceſſio bonorum infamiam non irrogat.

Iure francico infames ſunt qui bonis ceſſerunt.

IDEM A. DONATO.

SI te expilaſſe hæreditatem, ſententia præſidis conſtiterit: Non ex eo, quod non & alia pœna tibi irrogata eſt, furti improbioris infamiam euitaſti. PP. Cal. Iul. Iuliano II. & Criſpino Coſſ. L. 12. C. eod.

IVdicium extraordinarium expilatæ hæreditatis datur in ſubſidium, ſi quid ex hæreditate quæ nondum adita eſt, aut ex rebus hæreditariis quarum poſſeſſionem nondum nactus eſt hæres, ſit ſublatum *l. 2. §. fin. ff. de crim. expil. hæred.* hæreditariæ enim rei propriè furtum non fit, niſi quo caſu pignori eam dederit defunctus, aut commodauerit, vel vſusfructus in ea alienus fuerit. *l. 68. hæredibus.*

Rei hæreditariæ non fit furtum niſi certis caſibus.

Ff

tariæ cum duabus seqq.ff.de furtis. Id eam rationem habet, quia furtum est interuersio possessionis, quæ alicuius fuit: Res vero hæreditaria interim dum iacet hæreditas nullius est. *l.1.§.1.ff. de rerum diuis.* Tribus casibus superioribus ab aliquo, etiamsi mortuus sit dominus, res hæreditaria possidetur, & ideo eius fieri furtum potest, & ex ea contrectatione furti actio competere. Sed quemadmodum furti actio infamiam irrogat: Ita & iudicium expilatæ hæreditatis, quamuis ex eo pœna ordinaria non fit, sed extra ordinem à magistratu infligatur. Licet itaque præses prouinciæ, qui de crimine cognoscit, nullam pœnam reo irrogauerit, sed ipsum tantum ad restituendam rem ablatam condemnauerit, non minus tamen legis potestas exercenda est, vt infamia condemnationem sequatur: Vtcumque enim varius sit criminis titulus, tamen idem peccatum est: Aut certè delictum proxime affine & proximum furto. Non mouet quod nulla pœna reo est irrogata; nam & citra iudiciariam autoritatem qui de furto paciscitur infamis fit. *§. sed furti.de pœna tem. litig. apud Iustin. l.1.l.6. §. pactus.ff. hoc tit.* Imperator crimen expilatæ hæreditatis vocat furtum improbius, quia eo magis coërcendum videtur, quod nullus est furti tempore, qui rem hæreditariam defendat, aut eius nomine agere furti possit, cum sit veluti ἀδέσποτος. Natura autem æquum est eum grauius puniri, qui spe impunitatis ad delinquendum proiectioris audaciæ fuit. *l.1.§. si quis testam. liber esse iussus erit.*

Iudicium expilatæ hæreditatis infamiam irrogat.

IDEM A IVVENTIO.

L.13. C.eod. *EA, quæ pater testamento suo filios increpans, scripsit, infames quidem filios iure non faciunt, sed apud bonos & graues opinionem eius, qui patri displicuit, onerant. PP. XVII. Kal. Nouembr. ipso A. III. & Dionysio Coss.*

HOc condonatur patriæ potestati, vt pater possit filios suos instituere vel exhæredare cum elegio, siue maledicto, & conuitio. *l.3.ff. de lib. & posth. l.48. his verbis. paragr.1.ff. de hæred. inst.* Extraneus autem non ita potest institui *l.9. quotiens. paragr. si quis nomen. ff. de hær. inst.* Turpia quoque legata, quæ denotandi magis legatarij gratia scribuntur, odio scribentis pro non scriptis habentur. *l.54. turpia. ff. de leg.1.* Legati vel hæreditatis datione honos & gratia confertur legatario vel hæredi. *l.4. si patronus. ff. de confirm. tut. l.36. amicissimos ff. de*

Pater potest filios instituere cum maledicto.

Turpia legata pro non scriptis sunt.

Legatum vel hæreditas honorem confert.

excuſ.tut.l.5.paragr.ſed ſi prætor.ff.de leg. præſt.l. diuus.paragr. 1.*ff. ad l. Corn.de falſ.* Cicero in orat. pro. Quintio. *Reliquit Caius Quintius Pub. Quintium fratrem hæredem, vt ad quem ſummus mæror morte ſua veniebat, ad eundem ſummus honos quoque veniret.* Inde quoque Græcis Iuriſconſultis legata προστίμια dicuntur, quæ Homeri interpres Iliade θ. vocat ἐπὶ τιμῆς διδόμενα δῶρα. Ea ratione olim obtinuit, vt legata pœnæ nomine relicta non valeant, quaſi eſſet contra naturam legati, quod magis coërcendi hæredis, aut cuiuſquam alterius, quam beneficio afficiendi legatarij datum videretur. Sed vtcumque, vt diximus, id patris maieſtati detur, vt verbis ſæuire in filios male de ſe meritos teſtamento poſſit, id tamen infames eos non facit: opinionem tantum eorum vellicat, & exiſtimationem ſuam, quod patri ſuo diſplicuerint, apud bonos & graues honeſtatis arbitratores minuit, quod Imperator hoc loco conſtituit hac l. 13. Sunt ex tit. de procuratoribus Imp. Alexandri conſtitutiones ſeptem. Prioris hæc verba ſunt.

Cur olim pœna nomine legata relicta non valuerint.

IMP. ALEXANDER A. MARTIANO.

REVM *criminis conſtitutum, defenſionem cauſæ ſuſcipere non poſſe, antequam purget innocentiam ſuam, incognitum non eſt.* VI. *Kal. Mart. Maximo* II. *&* *Æliano* Coſſ.

L. 6. de procuratoribus.

QVi alicuius criminis poſtulatus eſt, vt neminem accuſare poteſt. *l. neganda.* 19. C. *qui accuſ.* ita nec quemquam defendere poteſt, priuſquam innocentiam ſuam purget quod hac l. Imp. conſtituit. Sed nec idem poterit ad honores aſpirare interim, *l.7. D.de muner.& honor.l.vn.C.de reis poſtulat.lib.*10.C. quam huic l.6. coniungendam eſſe & inſcriptio & ſubſcriptio docent. Priſtinam tamen dignitatem pendente cauſa criminis retinet. *l.* 17. *libertus.* § 12. *in quæſtionibus. ff. ad municip.* Hoc ideo, quod neque is qui admiſſi nomine ſuſpectus eſt impudenter honorem debeat petere: neque æquum ſit eum, qui illum aſſecutus eſt, propter ſolam ſuſpicionem quæ falſa eſſe poteſt, honore iam quæſito ſpoliari. Non idem ſemper qui accuſatur & reus eſt, ſed pleraque incidere poſſint, quæ impediant deferendum, quæ tamen non auferunt iam antea delatum. Sed poterit etiam poſt annum, quo inſcriptio aut accuſatio prolata eſt, honorem petere qui inter reos eſt delatus, niſi per ipſum ſteterit quominus cauſa intra annum expediretur. *l. reus. ff. de*

Qui eſt in reatu non poteſt alium accuſare.

Non poteſt etiam eſſe procurator aut honores petere.

Ff ij

Causæ criminales olim annua fuerunt, nunc biennio possunt terminari. *muner. & honor. l. 2. C.Theod. vt intra annum quæst. term.* hoc ita nimirum, quia causæ criminales anno finiebantur: *l. 2. C.Th. ad l. Corn. de falsi.* vt inde videretur destitisse accusator, qui intra annum causam non peregerat. Nunc ad biennium vsque excurrere possunt *l. fin. C. vt intra certum tempus crim. quæst. term.* ex qua verosimile Tribonianum in l. 15. §. pen. ff. ad Turpil. hæc verba (vel biennio) inseruisse, quod & probat Cuiac. cap. 21. de præscr. & term.

IDEM A. MACRINO.

L. 7. C. eod. MILITEM *nec pro patre, vel matre, vel etiam vxore, nec ex sacro rescripto procuratorio nomine experiri oportet: cum neque defensionem alienam suscipere, vel redimere negotia, vel quasi suffragatorem accedere vtilitate publica permittatur.* PP. VIII. *Maximo* II. *& Æliano Coss.*

Milites debent adesse signis suis. Milites signis suis frequentes & vexillis adesse debent, & rempub. à qua aluntur ab omni bellorum necessitate defendere. *l. milites. C. locati. l. 15. milites. Cod. de re milit.* & inde ratio vna, quod ipsis circa testamentorum ordinationem multa remittuntur, cum in expeditionibus sint occupati, quæ desinunt habere cum militare *Milites mitti non debent ad opus priuatum.* desinunt. Hac eadem ratione, vt soli armorum exercitationi occupentur, non licet duci aut proposito militem mittere ad opus priuatum. *l. officium. §. paternis. D. de re militari,* & qui id ausus fuerit quinque librarum auri multâ punitur. *l. nemo miles. C. eod. tit. lib. 12.* Quin & milites ipsi capite puniuntur. N. 116. & inde Posthumium consularem virum, quod opera militum in agro suo vsus esset damnatum à pop. Rom. narrant Florus & Plinius, quod & relatum supra in axiomatis politicis cap. 6. Milites etiam ducesque militum, illos præcipue, qui limitanei passim vocantur, & terminos imperij ab omni barbarorum iniuria vindicant, quibusque gentes, quæ maxime formidabiles sunt imminent, in ipsis limitibus commorari *Milites limitanei debent in limitibus commorari.* nec ab his recedere præcipiunt Imp. Theod. & Valentin. *in l. vlt. C. de offic. milit. iud.* & eam ob rem, quo magis ad eos limites defendendos adstringerentur, agri ipsis assignati erant fine vllo tributi onere. *l. vlt.* *Milites non possunt prædia conducere aut etiam negotiari.* *C. de fundis limitr. &c. lib. 11.* quod & solebat facere ipse Imperator Alexander, vt dictum fuit in axiomatibus politicis cap. 9. Eadem ratio illud etiam euicit, vt conducere prædia aliena vel etiam ne-

gotiari milites non possint *d. l. milites. C. locati.* quod non tantum armorum occupatio, cui intenti esse debent expostulat, sed hæc etiam, ne occasione cinguli militaris graues prædiorum dominis existant, & armorum atrocitatem, quam in hostes debent dirigere, in ciues ipsos conuertant. *l. fin. C. eod.* Ad idem quoque pertinet hæc lex septima, vt pro quoquam experiri procuratorio nomine milites non possint, aut redimere actiones, quas postmodum in iudicium deducant; imo si quid ipsis eo nomine ab ignorante datum sit, repetitur. *l. 5. C. de condict. ob caus. dat.* quod idem obtinet in tutelæ munere, ad quam ne volentes quidem admittuntur. *§. item maior. instit. de excusat. tut.* quamquam si quid eis relictum sit, cum dati sunt tutores, possint illud consequi, cum per eos non stet quominus testatoris voluntati pareant. *l. 8. si ab administratione. C. de legatis.* Cæterum suis negotiis superesse possunt, & in rem suam agere, idque ciuiliter siue criminaliter, nam etiam accusationem instituere possunt, si suam suorumque iniuriam persequantur. *l. non prohibentur. C. qui accus. non possunt.* Possunt etiam mandatas actiones exercere, si honesta causa intercesserit, puta si in hæreditate nomina fuerint, quæ ipsis iudicio familiæ hercifcundæ citra fraudem fuerint assignata, vel si donationis gratia à patre aut proximioribus cognatis mandata fuerint, vt in rem suam procuratores sint, quod imperator ipse Alexander constituit in l. 9. hoc tit. Sed & interdum communem causam sui numeri suscipere potest miles, quasi suam causam agat. *l. 8. filiusfam. §. penult. ff. de procurat.* quod ita verum erit, nisi sint in principum comitatu, nam nec sibi quidem possunt vacare *d. l. nemo miles. C. de re milit. lib. 12.*

Non possunt esse procuratores aut tutores.

Possunt tamen negotiis suis vacare.

Possunt etiam agere causam muneri sui.

IDEM A. MANSVETO.

L. 8. C. eod.

QVOD *quis sibi debitum exigere mandauit, ante litis contestationem tu alij petendum mandare non potes.* PP. VIII. *Kal. Septembr. Maximo* II. *&* *Æliano Coss.*

QVi datus est procurator ad agendum rem per se explicare debet, quasi sit eius electa industria. *l. inter. ff. de solut.* quod verum est ante litem contestatam vt hac l. definitur: Cæterum cum lis contestata est, substituendi alterius habet facultatem, quia tunc dominus litis esse incipit. *l. neque. l. nulla. C. hoc tit. l. 4. §. vlt. ff. de procu-*

Procurator post litem contestatam substituere alium potest.

Procurator in litem potest substituere procuratorem.

Quibus casibus procurator ad negotia substituere non potest.

rat. Excipit glossa hoc loco eum qui procurator in rem suam datus est, id est eum, cui cessa, vendita, aut donata est actio, cuius emolumentum ad eum rediturum est: Is enim cum nomine tantum procurator sit, reipsa dominus actionis, procuratorem ante litem contestatam potest constituere. *l. 33. illam. C. de donat.* Excipit etiam rectè procuratorem ad negotia, qui & ipse substituere potest. *l. 8. procuratorem. §. 3. si quis. ff. mandati.* cui opponitur l. pen. §. item adiiciendum. ff. de diuers. & tempor. præscr. Sed quod ibi traditur speciale est, cum quis mandauit rei suæ venditionem, ne procurator rem magni momenti suæ curæ permissam alij mandando fidem fallere videatur: Sicuti nec is qui constitutus est procurator ad contrahendum matrimonium nomine alterius alium substituere potest. *cap. fin. de procur. in 6.*

IDEM IMP. AVFIDIO.

L. 9. C. eod. *QVI stipendia merentur suis negotiis superesse inoffensa disciplina possunt. Nec potest dici eum, qui honesta & verecunda præcedente causa mandatas sibi actiones exercuerit, alieno negotio fungi: cum licet contentio ex persona alterius bona fide sumatur: hunc tamen rem suam gerere non ambigatur. Quod militibus meis interdici non modo absurdum, verum etiam iniquum est. Sine die &* Consule.

ENarrata est hæc l. 9. cum l. 7. sup.

IDEM A. CASTIÆ.

L. 10. C. eod. *SI procurator ad vnam speciem constitutus, officium mandati egressus est: Id quod gessit, nullum domino præiudicium facere potuit. Quod si plenam potestatem agendi habuit, rem iudicatam rescindi non oportet: Cum siquid fraude vel dolo egerit, conuenire eum more iudiciorum non*

prohibearis. PP. III. Kal. Mart. Albino & Maximo Coss.

DE officio procuratoris aut cuiuslibet mandatarij circa mandatum expediendum hoc rescriptum est Alexandri: Cuius rei non leue momentum est: Nam & apud Philosophos & apud Iurisconsultos, seu de priuata seu de publica causa agatur, huius rei est diligens inquisitio, & in hoc maximè, vtrum ita diligenter mandati leges sint custodiendæ, vt dictante aliqua vtilitatis ratione nihilominus à pręscripto mādāti recedere non liceat. Hoc primum ciuilis ratio, & militaris disciplinæ certa definitio euicit, vt in bello, qui rem à duce prohibitam fecerit, vel exactâ & ad omne obsequium compositâ diligentiâ imperatoris mandata non seruauit, *Miles qui mandatum ducis non seruat punitur.* capite puniatur. *l.3.§.in bello. ff. de re milit.* quam militaris disciplinæ legem Posthumius Tiburtus, Manlius Torquatus, & Epaminondas, sanguine filiorum suorum sanxerunt, quod iniussu, vel contra *Superior definitio* mandata imperatoris prælium commisissent, idque licet ab hosti *probatur exem-* bus victoriam reportassent, & maluerunt se fortibus filiis, quam *plis.* patriam militari disciplina carere, vt referunt Valerius Max. Titus Liuius, & Plutharchus in parallelis. Eo factum vt Chrysantas iure laudatus videatur apud Xenophontem lib. 4. παιδείας Κύρου, quod *Laudabile factū* cum in certamine hostem gladio confodere manu iam sublata pa- *Chrysanta mili-* ratus esset, nihilominus tuba receptui canente, ictum continuit, *tis.* quasi mādati legem egressurus, si post reuocatam occidendi licentiam hostem percussisset: Vnde & de eodem milite loquens Arrianus in Epicteto lib. 2. cap. 6. [illegible] (inquit) ἔδοξεν αὐτῷ τὸ τοῦ στρατηγοῦ πρόσταγμα, ἢ τὸ ἴδιον ποιεῖν. In hanc rem memorabile factum Publij *Memorabile fa-* Crassi Mutiani, qui cum opus haberet firma ac procera trabe, qua *ctum Pub. Crassi* arietem faceret ad muros cuiusdam vrbis diruendos: Et magistro *Mutiani.* cuidam architectoni mandasset, vt ex malis duobus, quos penes eum vidisset, maiorem mitteret, & ille comperto quamobrem malum submittendum Crassus curasset, non vti iussus erat maiorem, sed quem magis idoneum faciendo arieti minorem misisset: Crassus eum vocari accersirique iussit, & causis rationibusque quas dictitabat spretis, virgis eum detractis vestimentis cæcidit, corrumpi atque dissolui officium omne mandantis & imperantis ratus, si quis, ad id quod facere iussus esset, non obsequio debito, sed consilio non considerato responderet, atque id ita Gellius lib. 1. cap. 13. *Diligenter fines* In causis & negotiis priuatis non longe ab hac iuris publici regula *mandati seruan-* discessum; & videtur Iurisconsultus eorum opinionem admittere, *di.* qui cautè mandati conditionem adimplendam, nec ab ea recedendum censuerunt, dum in l. 5. diligenter. ff. mandati, ait eum qui

mandatum excedat, aliud quiddam facere, & si susceptum mandatum non impleuerit teneri. Hinc illa à Iurisconsultis tractata quæstio circa hanc hypothesim. Titius mandauerat Mæuio, vt certo quodam pretio puta centum fundum quemdam emeret. Ille, quia æquiore conditione mandatum explicare non poterat, mandati fines egressus, rem pluris emit quam mandatum fuerat, forte datis aut promissis centum & viginti aureis. Desiderat Mæuius sibi dari centum & viginti aureos quos impenderat, aut quorum nomine venditori esset obligatus: Et quidem certum est non posse compelli Titium vt fundum accipiat, & hanc summam restituat, cum Mæuius mandati legem sit egressus. Sed ad aliam quæstionem est decursum, num scilicet si paratus Mæuius sit remittere viginti aureos, an illo saltem casu Titius teneretur fundum accipere, & restituere centum aureos Mæuio, qui inutilem fundum rationibus suis allegat, & mauult dispendium pati illius summæ, quam vt cogatur fundum retinere, quem seposita causa mandati non erat empturus sibi. Ea de re diuersa fuit Iurisconsultorum sententia: Nam abscisè quidam responderunt Mæuium mandati actionem non habiturum, etiamsi paratus esset viginti aureos remittere, quos supra mandati legem impendit: Et hac vsi sunt collectione, quod iniquum esset Mæuium si nolit, conueniri iudicio mandati non posse, vt fundum præstet: Illum vero si velit, remittendo mandati iudicium habere posse. Hanc sententiam refert Paulus l.3.§. fin.ff.mand. idque nullo autore relato, quæ palam Sabino & Cassio tribuitur in §. is qui exsequitur eod. tit. apud Iustin. Sic igitur illi constituunt: Æqualis vtriusque contrahentium debet esse conditio, nec æquum est vnum adstringi vinculo necessitatis, ex alterius vero voluntate pendere statum obligationis. *l.21. quid tamen. alias est l.22. si cum dies. §. sed si in aliquem. ff. de rec. arb.* maxime cum iure ciuili obtineat, vt contractus in alterius contrahentium voluntatem collatus nullam pariat obligationem. *l. in vendentis. C. de contr. empt.* quod fieret tamen in proposita specie: namque Mæuius, parato Titio non modo centum aureos sed etiam integros centum & viginti restituere, posset dicere se sibi non Titio fundum emisse, posteaquam comperit pretium fundi egredi summam centum aureorum sibi præfinitam, atque ita eluderet intentionem agentis aduersarij, vnde æquitatis quadam ratione censuerunt mandatarium nullam habere actionem contra mandatorem, etiamsi paratus sit remittere id in quo mandatum excessit, cum mandator nullam sit habiturus, si ipse cõtendat mandatarius se sibi fundum emisse. Sed aliter tamen Proculo visum est, qui mandatarium vsque ad centum aureos, id est pretium mandato præstitutum agere posse existimauit, cuius sententia benignitatis summa ratione obtinuit. l.4.ff. mandati.

Species circa cuius definitionem dissensere Sabinus & Proculus.

Æqualis vtriusque contrahentium debet esse conditio.

mãdati.ne scilicet mãdatario suum officium nimis damnosum esse videatur, qui solo amicitiæ obtentu quomodo potuit mandatum expleuit, cuique satis pœnarum est, si dispendium eius summæ patiatur,in qua mandatum est supergressus. Sed & Proculi sententiam tuetur etiam hæc ratio, quod in maiori summa minor insit. *l.1.§.4.si stipulanti.ff.de verb.obl.l.27.diem.§.si plures.ff.de recept.arb.* vt propterea videatur mandato obsecutus qui concurrentem quantitatem sibi definitã petit,cum maiori summa qua emit illa cõtineatur: iuxta quod statuitur in eo qui rogatus vt crederet decem,viginti credidit:nam licet non habeat mandatorem obligatum in eo quod mandati tenorem excedit,tamen decem ab eo recte petet. *l.si vltra. Cod.de fideiuss.* quemadmodum qui in maiorem quantitatem quam iussus est pro aliquo fideiussit & soluit, hactenus habet actionem quatenus rogatus est. *l.rogatus.ff.mand.* idemque est in eo qui mandatum monumenti extruendi vsque ad summam certam suscepit: si enim plus impenderit quam iussus est,nihilominus in id quod impendere ex lege mandati debuit cum hærede habebit actionem,reliquum facilitati suæ debebit imputare,quod erogationis modum, quem testatoris voluntas circumscripserat, excesserit. *l.liberto.§.si libertus.ff.de negot.gest.* nec ab ea regula recedit illud, si proponatur aliquis mandati conditione neglecta, eius formam omisisse,quod obtinet in eo qui cum suscepisset mandatum ab aliquo vt Mæuio crederet centum sub fide pignoris,ipse ex nudo chirographo citra vllius pignoris vinculum centum crediderit,hoc casu cum conditioni mandato adscriptæ non paruerit,cum mandante frustra experietur. *l.si mannatu.§.fin.ff.mandati.* Ad hanc ferme sententiam accedunt quæ Imp.Alexander hac l.10.constituit: scilicet procuratorem ad vnam speciem constitutum, nullum præiudicium domino facere potuisse,si officium mandati sit egressus: plenam vero potestatem agendi habente procuratore si quid dolo fecerit fraudis nomine iudicium mandati contra eum dari. Huic vero legi 10. hæc potest affingi species. Cum Castia petitura esset centum à Mæuio, procuratorem dedit Titium, qui forte litis decidendæ causa iusiurandum detulit Mæuio: is iurauit se nihil debere,& absolutus est: vel cum eadem Castia liberam agendi facultatem Titio permisisset,ipse non ex fide causam egit,sed translatitiè agendo,& dissimulatis causæ firmamentis,victa est Castia. Ipsa libellum querelæ Imperatori obtulit desiderans sibi subueniri. Rescribit Imperator, primo quidem casu nihil factum procuratoris ipsi nocere, quominus contra debitorem denuò agat: in secundo, res iudicatas nequaquam rescindi posse, sed procuratorem fidei ruptæ nomine conueniri. Mouebat in vtraque specie,quod quæ acta sunt cum procuratore perinde habeantur,ac si cum domino

In maiori summa minor inest.

Qui conditionem mandati non seruat actionem nõ habet.

Sententia & species legis proposita.

gesta essent. Ratio vero constitutionis illa est, quod ita demum valeant gesta cum procuratore, si legem cōtractus seruauerit, quamuis vbi nulla lex mandato dicta est, sed permissa est libera agendi facultas, propter rerum iudicatarum auctoritatem facilius quæ cum eo acta sunt, suum effectum sortiantur. Igitur non semper securus est qui cum alieno procuratore aliquid agit, & ideo cum dubitatur de mandato, aut procurator mandati leges egreditur, ab eo exigi debet cautio ratam rem dominum habiturum, vt quo casu factum procuratoris improbauerit dominus, possit is qui cum eo contraxit conuenire fideiussores quasi commissa stipulatione de rato. Cæterum nec quicquam dominus tenetur probare factum procuratoris in eo quod mandati legem non seruauit; & hinc fit, vt si procurator minore pretio quam mandauerit dominus, rem distraxerit; ipsi domino auferri nō possit, nec ei agēti & rem suam vindicanti obstabit exceptio rei venditæ & traditæ. *l.* 1. §. *Celsus ait. ff. de except. rei vend. & trad.* nisi reliquum quod mandato deest procurator præstet, & indemnem dominum per omnia conseruet. *l. cum mandati. C. mandati.* quod etiam obtinet in eo cui causæ actio mandata est: is enim transigendo, nouando, aut quod in specie eius legis posuimus iusiurandum aduersario deferendo, nocere domino non potest, qui ab exercendis actionibus repelli non poterit. *l. transactionis. C. de transact. l. non abstulit. C. de nouat. l.* 18. *alias. ff. de iureiur.* in mandato generali latius euagatur procuratoris officium & munus, nam & ei recte soluitur, & societati, quam dominus contraxit, potest renuntiare, vt & nomine mandatoris rem in iudicium deducit, & paciscitur quoque. *l.* 12. *nam & nocere. ff. de pactis. l.* 63. *actione.* §. *renuntiatione. ff. pro socio. l. vero. ff. de solut.* neque his obstat l. 60. mandato. ff. de procur. quæ mandato generali ait non contineri transactionem decidendi causa interpositam: nam Cuiac. ad *leg.* 22. *ff. de adm. tut.* lib. 3. ad edictum Pauli & alibi passim ait legendum (deminuendi) pro (decidendi) idque probat ex l. 48. §. fin. ff. de adm. tut. vt videlicet d. l. 60. intelligatur de transactione facta à procuratore, per quam ambitiosè, quod indubitatè debebatur domino remisit: licet enim generale mandatum habeat, non recte ad hanc speciem pertinere censetur, sed ad eum tantum casum quo de dubia lite transegerit. *l. præses.* 12. *C. de transact.* Igitur vix est vt reuocari à domino possint gesta cum procuratore generale mandatum habente, quod etiam docet hæc lex, quamuis proprie magis sit de libera facultate agendi & negotij in iudicio explicandi, quam de libera bonorum administratione procuratori permissa, in qua etiam plerumque censentur excipi, quę speciale mandatum desiderant, & facta à procuratore possent à domino reuocari, quale illud, vt res domini mobiles vel immobiles, seruos etiam alienare non

Qui habet generale mādatū potest nouare paciści transigere.

Obijcitur l. mandato. ff. de procuratoribus.

Non facile reuocantur gesta cum procuratore generale mandatum habente.

Mādato generali non cōtinetur ius vendēdi nisi sint fructus.

possit, quasi mandato generali hæc non contineantur, exceptis tamen fructibus, vel illis rebus, quæ facile corrumpi possunt. l. 63. procurator. ff. de procurat. quod obseruatur in procuratore Cæsaris, vt quod egerit vendendo vel donando res Cæsaris irritum sit, non enim vt inquit I.C. rem Cæsaris alienare, sed diligenter administrare ei commissum est, *l. 1. §. 1. ff. de proc. Caes. vel ration.* sed excipiendum est, nisi ipsa negotiorum ratio id exposcat. *l. 9. qua ratione. §. nihil autem. ff. de acq. rer. dom.* sic vero ille locus est accipiendus, nec audiendus est Accurs. qui distinguit procuratorem liberam habentem administrationem, ab eo qui procurator est vniuersorum bonorum in d. l. 63. nam omnino hæc inter se nihil differre docet Cuiac. lib. 6. differentiarum Modestini ad d. l. 63. & alibi passim. Sed nec mandato generali illud continebitur, vt rem domini procurator pignori dari possit. *l. solutum. §. fin. cum l. seq. ff. de pign. act.* & hinc illa conditio mandato generali adiecta in l. creditor. §. fin. ff. mand. εἴτε πωλεῖν θέλεις, εἴτε ὑποθεῖναι, εἴτε ἀγοράζειν. Certe nec poterit donare *l. filiusfam. §. item videamus. ff. de donat.* Non item illud continetur, vt nomine minoris, à quo habet generale mandatum, possit petere in integrum restitutionem: & omnino speciale mandatum exigitur adeo vt si de speciali mandato dubitetur, procurator eiusmodi cauere debeat rem ratam minorem habiturum. *l. 25. illud. §. fin. cum l. seq. ff. de minorib.* Ita facile procurator siue defensor alicuius accusationem suspecti tutoris non suscipiet, quia famæ causa est, nisi ei sit nominatim mandatum, *l. 39. non solum. §. fin. ff. de hoc tit.* & quamuis procurator totorum bonorum possit exigere, vel aliud pro alio permutare. *l. 58. eod. tit.* tamen si quis duos procuratores omnium rerum suarum reliquerit, alter ab altero pecuniam petere non poterit sine domini mandato speciali. *l. 47. qui duos. cum seq. ff. eod.* idem dicendum si quis alieno nomine interdicto de filio exhibendo & ducendo experiatur. *l. 40. Pomponius. in pr. ff. eod.* Quinimo, etiam si mandato generali hæc clausula contineatur, datum esse procuratorem ad agendum, vel defendendum generaliter ad omnia, etiamsi mandatum speciale exigant: tamen obtentu eiusmodi clausulæ, non licebit procuratori ea explicare quæ speciale mandatum exigunt, nisi aliquis de his articulis, qui de iure mandatum speciale desiderant, sit expressus: nam aliquibus eiusmodi casibus expressis generalis clausula trahetur ad non expressos, vt constituit Bonifacius VIII. *cap. 4. qui ad agendum. de procur. in 6.* vbi præter casus superiores glossa (vt sunt omnes glossæ iuris canonici satis commodæ & amplæ) alios subijcit, vbi non sufficit mandatum generale. Et dicti quidem cap. 4. sententiam eo vsque Clemens V. summus pontifex produxit, vt vno casu expresso, qui mandatum speciale desiderat, alij contineantur, si æquales sunt vel minores, quam is qui expres-

Procurator Cæsaris res ipsius alienare nō potest.

Mādato generali non cōtinetur ius pignorādi res domini aut donādi.

Non continetur etiam ius petēdi in integrū restitutionis.

Optima distinctio iuris canonici circa procuratorem habentem generale mandatum.

Limitatio superioris distinctionis.

sus est, maiores autem non continentur *cap. 2. eod. tit. in Clementinis,* ad quod pertinet l. fin. §. fin. ff. de trit. vino. & oleo leg. & cap. 15. extr. de rescriptis. Cæterum vt & iam dictum libera potestate agendi data procuratori, difficilius quæ cum eo gesta erunt poterunt reuocari. Verum, vt ipse Alexander docet, si quid dolo aut fraude procurator egerit, more iudiciorum, id est famosa actione mandati, poterit conueniri: alioquin res iudicatas rescindi non oportet, quod vtique verum est, nisi procurator non sit soluendo, & reus qui absolutus est, fraudem participauerit, vt recte gl. & Ioannes Faber notant ad hanc legem ex l. 7. §. pen. ff. de dolo. & l. 8. si procuratorem. §. 1. ff. mand. Eo enim casu aduersus ipsum reum, qui absolutus est, actio de dolo dabitur, cui definitioni plures iuris loci obstant: sed eorum explicationem expeditius à Cuiacio mutuati licet ad d. §. pen. l 7. ff. de dolo. Eô vero totius huiusce tractatus & disputationis, quam ad hanc legem instituimus, recidit definitio & conclusio, vt ex præscripto quorumdam philosophorum apud Gellium lib. 1. cap. 13. in mandato exsequẽdo incommoda prius, si gesta res aliter foret, cum emolumento spei pensitanda sint, & si ea leuiora minoraque, vtilitas autem contra grauior & amplior spe quantum potest firma ostendatur, tum ratione obueniẽtis vtilitatis contra mandatum quid possimus admittere. Quamquam forte conuenientius fuerit ad mentem iurisconsultorum & sententiam legis huius ita constituere, vt si certum sit mandatum id est si ad vnam speciem dirigatur, tunc ab eius tenore recedendum non sit: si vero incertum vel plurium causarum, id est si generale sit bonorum omnium, aut libera agendi potestas sit data, liceat alio modo fidem suam liberare & aliis præstationibus, quam quæ mandato comprehenduntur, modo illud mandatori expediat. *l. si quis pro eo. versic. igitur. ff. mandati.*

IDEM A. SEBASTIANO.

L. 11. C. eod. NEQVE *tutores neque curatores ex sua persona in rem pupilli vel adolescentis procuratorem facere possunt, sed actorem constituere debent. Pupillus autem vel pupilla, adultusq; vel adulta, tam ad agendum quam ad defendendum, tutore seu curatore interueniente, procuratorem ordinare possunt. Ipsi etiam tutores aut curatores post litis contestationem à se factam, ad exemplum procuratorum,*

qui litem contestati sunt, dare procuratores non prohibentur. P P. Prid. Id. Maij. Alexandro A. III. & Dione Coss.

HVius legis quæstio non est scrupulosæ inquisitionis: id constituit tantum, tutorem vel curatorem pupilli vel adolescentis nomine agentem dare non posse procuratorem ante litem contestatam, sed tantum actorem: tutore vero seu curatore interueniente, id est tutore vel curatore autore, ipsum pupillum vel adultum procuratorem posse ordinare. Species hæc est. Mæuius tutor aut curator, Sempronij pupilli vel adolescentis nomine, cuius tutelam vel curam administrabat, inferre aut suscipere actionem volebat, & procuratorem dare aut defensorem. Quæritur an posset quasi in suo negotio litis ordinatorem constituere: ea de re consultus Imperator negat ei licere procuratorem dare in causa pupilli vel adulti, nisi forte lis iam sit contestata, ante posse tantum dari actorem: pupillum tamen vel adultum id posse tutore vel curatore autore. Ratio dubitandi illa esse potuit, tutores vel curatores vice dominorum esse in rebus pupillaribus, *l. qui fundum. §. qui tutor. ff. pro empt. & l. si qui. §. si tutoris. ff. quid vi aut clam.* Ex quo videbatur perinde vt in causa sua posse à tutore aut curatore procuratorem dari. Ratio decidēdi illa, quia tutor veluti est iam quasi procurator non modo litibus, si quas habet pupillus, instituendis, sed etiam negotiis eius vniuersis destinatus: ideoque quemadmodum procurator non potest alium procuratorem dare ante litem contestatam, vt sup. definitum ad l. 8. hoc tit. Ita nec ipse tutor poterit aut curator. Sane quia pupillus aut adultus curatore aut tutore autore omnia negotia explicat recte, ita dare procuratorem potest. Multa non potest tutor aut curator per se, quæ potest pupillus aut adultus tutore aut curatore autore; veluti si pupillus rogatus sit restituere hæreditatem, & præsens sit & fari possit, restituere hæreditatem tutor non poterit solus, sed pupillus ipse tutore autore. *l. 37. restituta. §. fin. cum legib. seqq. ff. ad S.C. Trebell.* Et inuicem si quis rogatus sit restituere hæreditatem pupillo, ipsi tutori non recte restituetur, nisi infans sit pupillus aut absit: ipsi vero pupillo tutore auctore recte restituetur. *l. 65. seruo. §. si pupillo. ff. eod. tit. l. pen. C. eod.* Eadem ratione pupillo hærede instituto, non recte hæres adire poterit hæreditatem aut pro hærede gerere nomine pupilli, nisi infans sit: at pupillis id recte poterit tutore auctore. *l. 15. potuit. l. 18. si infanti. C. de iu. delib.* Cur autem procuratorem dare non possit tutor ante litem contestatam, possit tamen actorem, ratio est in procliui, quia procurator is demum dicitur, qui aliena negotia mandatu domini admi-

Sententia & species legis.

Tutores & curatores vice dominorum.

Multa fieri possunt a pupillo tutore autore quæ ab ipso tutore expediri non possunt.

Cur tutor non possit dare procuratorem ante litem contestatam sed actorem tantum.

nistrat: At tutor dominus non est, sed tantum quasi dominus; ideoque etiam decreto prætoris opus est, si actorem periculo suo constituat. *leg. 24. decreto. Digest. de administr. tutel. leg. 6. tutor. Digest. quando. ex fa. tutor.* quod fit non tantum si litem intendi oporteat pupilli nomine, sed etiam vbicumque necessitas probabilis occurrit, veluti cum aduersa valetudine laborat tutor, aut litibus propriis distringitur, vel lõginquo absuturus est, vel ętas eius aut dignitas eum auocat à sollicitudine & cura rerum pupillarium. *§. fin. de curat. apud Iustin. l. 13. solet. ff. de tutelis. l. 10. non solum. § fin. ff. de excus. tut.* Actor etiam si agat pupilli nomine, necesse habebit cauere de rato. *l. actor. ff. rem rat. hab.* quia scilicet voluntatem pupilli non habet, procurator vero, qui mandato nititur actis insinuato, hac satisdandi necessitate absoluitur. *§. fin autem. de satisdat. apud Iustinianum. l. vn. in pr. C. de satisdando.*

IDEM A. FRONTONI.

L. 11. C. eod. *EXIGENDI à filio tuo mandati, qui se defensioni tuæ offerebat, duplici ratione necessitas non fuit: Aut quod defendere quu, siue libertus siue extraneus sit, sine mandato potest satisdatione tamen pro defensione præstita, & alia proculdubio obseruatione subiecta: Aut quod filius, etiamsi vltro actionem patris nomine dirigat, mandatum probare non cogitur. Sane, quod necdum legitimam ætatem idem filius tuus compleuerit, ob hoc quidem depellere à procuratoris officio eum iudex non iniuste potuit. Sed multo iustius fuit huiusmodi defensorem audire, quam te absentem quasi contumacem & indefensum graui condẽnatione afficere. PP. V. Kal. Octobr. Agricola & Clementino Coss.*

Sententia & species legis. HVius legis verba hanc complectuntur sententiam: posse filium patris nomine etiam sine mandato actionem suscipere, licet nondum legitimam ætatem impleuerit. Species hæc est. Mæuius actione in rem vel in personam conueniebatur: Cum ipse ad vadimonium occurrere non posset, filius eius defensionem suscepit, nec dum legitima ætate completa. Exceptione procuratoria

repellebatur, primum quod nullum patris mandatum proferret: Deinde quod ad legitimam ætatem nondum peruenisset, & ob id iudex in Mæuium tanquam absentem vel contumacem & indefensum sententiam tulit. Quærebatur an rectè filius remoueretur quominus patrem defenderet: Consultus imperator rescripsit exigi à filio mandatum non debuisse, & quamuis legitimam ætatem nondum adeptus procurator esse non potuerit, iustius eum vt patris sui defensorem admitti debuisse, quam patrem absentem vt contumacem condemnari. Ratio dubitandi poterat hæc esse, quod qui procuratorio nomine agit debeat mandatum proferre vt securior sit aduersarius. Ratio decidendi est, quia quemadmodum personæ coniunctæ admittuntur agentes sine mandato, multo magis si suscipiant litem pro personis coniunctis, qui fauor est absentium vt eorum nomine possit inferri actio multo magis erga eosdem impenditur vt eorum defensio admittatur. Coniunctæ personæ quantum ad hanc iuris definitionem sunt liberi, parentes, fratres, affines, liberti. *l.35. sed & hæ in pr. ff. hoc tit.* Causa tamen restitutionis ex causa ætatis excipitur, in ea enim, patre dumtaxat excepto, vix est vt aliis agnatis & affinibus permittatur sine expressa ipsius minoris voluntate eam petere, nisi eius conditionis sit minor, vt ei tanquam prodigo bonis interdici debeat. *l.27. patri. §.1. ff. de minor.* Remota autem ratione necessitudinis, cuicumque alieno nomine actionem instituere vel suscipere licet, quamuis mandatum non habeat, modo qui agit nomine alieno caueat rem ratam dominum habiturum, & is qui defendit satisdationem præstet pro defensione, id est fideiussores det qui caueant iudicatum solui, vel vt glossæ iuris loquuntur τὰ κριθησόμενα ἐκπληρῶσαι. Quod ait Imp. hoc loco (& alia proculdubio obseruatione subiecta) ad alias clausulas stipulationis iudicatum solui referri debet, quibus qui stipulatione eiusmodi se adstringit, promittit arbitrio boni viri rem defendi, & dolum malum abesse abfuturumque esse, cuiusmodi formula à Cuiacio proponitur lib.10. obs. cap.29. Qui autem apud acta factus est agentis procurator non tenetur satisdare ratam rem dominum habiturum. *l. vn. in pr. C. de satisdando* sicut nec cum dominus litis præsens est & procuratoris sui personam in iudicio confirmauit. §. *fin autem de satisdat. apud Iustin.* Procurator rei, etiamsi mandatum habeat, tamẽ satisdare tenetur iudicatũ solui d. l. vn. §. fin. C. de satisd. nisi si ipse dominus in iudicio vel extra iudicium satisdationem exposuerit, per quam ipse sui procuratoris fideiussor existat pro omnibus clausulis satisdationis iudicatum solui. § si vero aliquis cum seq. §. de satisd. apud Iustin. Illa vero necessitas satisdandi quin remittatur coniunctis personis à quibus mandatum non exigitur, vix est vt dubitari debeat, quandoquidem in hac lege à filio non

Coniunctæ personæ quæ dicantur in edicto de procuratoribus.

Extranei possunt agere vel defendere nomine absentis modo satisdent.

Plures sunt clausulæ satisdationis iudicatum solui.

Coniunctæ personæ quæ mandatum non habent non satisdant.

desideratur, sed tantum in extranei persona, qui sine mandato agit. Deinde parum esser à coniunctis mandatum non desiderari, si satisdare necesse haberent, quandoquidem extraneus sine mandato hac etiam conditione admitteretur. Vt Godofredus aliter sentiat in notis ad hanc legem, mouetur l.35. sed & hæ. in pr. ff. hoc tit. sed de satisdatione à coniunctis personis præstanda, si pro coniunctis sine mandato agant vel defendant, ne vnicum quidem verbum illic refertur. Mouetur etiam l.3. § 3. ff. iud. sol. sed longe alia sententia illius. §. Illa scilicet, stipulationem iudicatum solui nō committi, si is qui stipulatus est, ipse non agat, sed aliquis ex liberis, aut parentibus eius interueniat, vel vir vxoris nomine, quia alius videbitur is qui stipulatus est, ab eo qui experitur: Sicuti qui apud iudicem certum iturus stipulatus est iudicatum solui, ex stipulatu, quasi non commissa stipulatione, agere non poterit si apud alium iudicem agat quasi non idem sit iudicium cuius nomine stipulatio intercessit d. l.3. in pr. Denique dum in l.40. Pomponius. §. fin. ff. hoc tit. in casu dubio dicitur coniunctam personam à qua mandatum non exigitur repelli, quamuis cautionem offerat, si euidens sit contra voluntatem domini eam experiri: Satis I. C. innuit in casu minus dubitabili eiusmodi personas sine mandato agentes admitti non oblata satisdatione. Adnotandum illud superest quænam sit legitima ætas in hac lege, quæ idonea sit in persona procuratoris, qui litibus alienis expediendis admittitur. In id plerique omnes inclinant vt requiratur ætas 25. annorum, ad quam sententiam ius pontificium accessit cap. 5. hoc tit. in 6. Cuiacio reclamante qui (lib. 22. obs. cap. 16. & ad edictum Pauli lib. 11. vbi lex 22. ff. de minor. enarratur) contendit sufficere eum qui vt procurator accedit litibus discingendis implesse 17. & attigisse 18. Satis est indice digito locos demonstrasse, vbi eius rei sit plenior disquisitio.

Explicatur sententia l.3. paragr. 3. ff. iud. solui.

Quanam ætas requiratur in procuratore.

IMP. ALEXANDER A. SECVNDO ET ALIIS.

Lex 10. C. de neg. gest.

SI *seruum alienum non inutilem domino constitutum ægrum curastis: Negotium non inutiliter gessistis, & competente vobis actione sumptus recuperare potestis.* PP. *XII.* Kal. Decembr. *Alexandro A.* II. *& Marcello Coss.*

Imperatoris

Gestor & procurator quid differant.

IMperatoris Alexandri priora rescripta fuerunt de procuratoribus, qui mandatum habēt, nam proprie procurator est qui mandatum habet. Quæ sequuntur sunt de gestore, qui volens non rogatus, solo ductus amicitiæ officio & obsequio alienum negotium administrauit, quo quidem casu nullus est contractus, sed quasi contractus, cui non communis duorum plurium-ve consensus originem dedit, sed vnius voluntas obligationi causam præbuit. Primi huius rescripti sententia perspicua est: docet enim eum qui seruum alienum valetudine laborantem curauit sumptuum nomine habere negotiorum gestorum actionem, quæ definitio hanc admittere potest hypothesim. Cum Titius forte abesset, & Pamphilus eius seruus aduersa valetudine laboraret, Mæuius medicos adhibuit, sumptus fecit, quasi rem agens Titij absentis: quo reuerso desiderabat Mæuus indemnitati suæ consuli, ad impendia curationis repetenda, quo nomine consultus Imp. rescribit, competente actione posse recuperari sumptus in seruo curando factos: Mouebat quod sua spōte medicos adhibuisset, & in culpa esse videretur, qui se immiscuerit rei ad se non pertinenti. Sed cum id fecerit quasi gestor animo repetendi, & bona fide amici munere functus sit: iniquum est vt ei officium suum damnosum sit, & inde incommodum sentiat, in quo obsequium Mæuio præstitit gratæ beneuolentiæ & voluntatis inductione libera. Igitur perinde efficax Mæuio accommodabitur actio, ac si id ex mandato domini fecisset. Nec erit distinguendum vtrum seruus eo morbo decesserit an cōualuerit: nam sufficit ex vtilitate negotium esse gestum, licet effectum non habuerit, quod & nominatim definit Vlpianus in l. 10. sed an vltro. paragr. fin. Dig. hoc tit. Quod idem obtinet in creditore qui seruum sibi pignoris iure traditum curauit ægrotantem: nam quamuis decesserit, sumptus ægritudinis omnes, & mercedes medicis præstitas non minus contraria pignoratitia repetit. l. 8. in pr. Dig. de pign. act. Hoc autem verum est ita demum gestori competere actionem, si seruum domino suo non inutilem curauerit: nam si magis è re domini fuerit eum pro derelicto haberi, vix est vt is qui curauit habere actionem possit, cum ex vtilitate domini sumptus facti non videantur. Et illo quidem casu seruus quem pro derelicto dominus habet olim libertinus Latinus fiebat, iure autem nouo fit ciuis Romanus vt notat Cuiac. ad l. fin. Dig. pro derelicto.

Sententia & species huius legis.

Sufficit ex vtilitate negotiū gestū esse licet non habuerit effectum.

Hh

IDEM A. HERENNIÆ.

L. 11. C. eod. ALIMENTA *quidem, quæ filijs tuis præstitisti, tibi reddi non iusta ratione postulas, cum id exigente materna pietate feceris. Si quid autem in rebus eorum vtiliter, & probabili more impendisti: si non & hac materna liberalitate, sed recipiendi animo fecisse te ostenderis: id negotiorum gestorum actione consequi potes. P P. XII. Kal. Februar. Albino & Maximo Coss.*

Sententia & species legis.

NOn minus perspicua est æquitas huius rescripti, quo significatur, matrem, quæ liberis aliquandiu alimenta præbuit, eo nomine agere negotiorum gestorum non posse, quamuis sumptus alios, quos circa res eorum procurandas fecit, possit repetere.

Alimētorum nomine veniūt vestimenta, cibaria, & habitatio.

Mæuia alimenta liberis suis aliquanto tempore præstiterat. Alimentorum nomine vestitus & cibaria, & habitatio continetur. *l. 6. legatis. ff. de alim. & cib. leg.* ea enim omnia ad tuendam vitam necessaria sunt: vnde rectè illud Plato lib. 2. Πολιτείας. πρώτη γε καὶ μεγίστη τῶν χρειῶν, ἡ τῆς τροφῆς παρασκευὴ τοῦ εἶναί τε καὶ τοῦ ζῆν ἕνεκα, δευτέρα οἰκήσεως, τρίτη ἐσθῆτος. Sed & studiorum sumptus eo nomine continentur, si ex Carboniano edicto pupillo, cui sit controuersia status,

Veniunt etiam sumptus qui studiorū causa fiunt.

data sit bonorum possessio, atque interim alimenta præstentur, dum peruenerit ad pubertatem. *l. 6. §. non solum. ff. de Carb. ed.* vel si quæratur de alimentis, quæ tutor pupillo debet exhibere. *l. 2. ff. de alim. pup. præst.* quamuis si debeantur ex testamento alirer sit constitutum. *d. l. 6. de alim. & cib. leg.* hac forte differentiæ ratione, quod legis aut edicti prætorij aliquanto vberior debeat esse interpretatio, quam dispositionis à testatore proficiscentis. Et aduertendum quod hac lege constituitur de alimentis, idem obtinere debere de mercedibus magistris vel præceptoribus pro filio datis, *l. 15. si paterno. hoc tit.* Sed ad rem. Mæuia mater aluerat liberos, vt dictum est, negotia quoque eorum administrauerat: alimenta autem & eos sumptus à filiis iudicio negotiorum repetebat, aut à marito suo eorum patre. Quæritur an possit: Imperator rescripsit non iusta ratione eam reddi sibi alimenta præstita postulare, sumptus autem

Mater liberis alimenta non debet nisi egeant.

& impensas in rem eorum factas facilius consecuturam. Mouebat quod filiis mater alimenta non debeat, nisi egestate & inopia labo-

rent; & quicumque necessitate alendi adstringitur, ita demum tenetur, si is cui honoris, caritatis, reuerentiæ, obsequij, aut affectionis ratione alimenta debentur, aliunde non habeat vnde se possit exhibere. *l. 5. si quis. §. 7. sed si filius. §. 19. alimenta. ff. de agnosc. & alendis lib.* Deinde etiam non facile induci potest, ex beneficentia præstita fuisse filiis alimenta à matre, quia vt recte Papin. liberalitatem captiosam interpretatio prudentum fregit. *l. 5. ff. de transact.* Ratio tamen rescribendi illa est, quod magis affectione materna, quam animo repetendi, aut filios obligandi, videatur mater erogasse vitæ subsidia & alimoniam, ideoque vix est vt eo nomine agens admittatur: licet enim verum sit neminem præsumendum donare aut suum iactare. l. 25. cum de indebito. ff. de probat. tamen id in matre quæ filios aluit obtinere non debet, quam innatus amor ad beneficium in liberos grata voluntatis propensione conferendum impellit, ad quam quæstionē pertinet etiā l. 1. inf. vbi pup. educ. deb. nec id in matre tantum obtinet, sed in alio quolibet, qui affectionē aliquam vel obsequium debet ei cui alimentorum commoda subministrauit, aut cuius negotia gessit, quas species glossa notat in l. 15. hoc tit. Cæteros sumptus quos non circa liberos, sed circa eorum negotia fecit facilius recipere poterit, maxime si doceat illos animo repetendi se erogasse, quod & in alimentis interdum locum habebit, si protestata sit animo repetendi à se præstita esse, aut in rationes suas alimenta filiis erogata retulerit. *l. 34. Nesennius. ff. hoc tit.* ad quam videndus est Cuiac. lib. 1. quæst. Pauli. Hinc interdum fit vt ex constitutione D. Marci actionem habeat contra patrem, illis sepositis quæ exigente materno affectu erogatura esset, etiamsi liberi à patre educarentur. l. 5. §. 14. si mater. ff. de agnosc. & al. lib. & eius rei quæstio omnis & coniectura ex modo & genere impensæ difficilis non erit. *l. 47. vtrum. ff. de don. inter vir. & vx.* Quinetiam si mater bona filiorum administret, facilius etiam censebitur sumptus ex bonis filij sui erogare, *arg. l. fin. ff. de pet. hær.* quæ constituit patrem ob honorem filij, qui senator factus est, aliquid impendentem id ei imputare posse, si bona administrauerit quæ filius emācipatus ex hæreditate matris habebat; nec obstat. l. fi. C. de do. prom. & nuda pollicit. nam id forte est speciale in dote pro filia à patre data, vel donatione filij nomine à patre constituta, vt id pater censeatur dedisse ex suo, non ex bonis quæ ad filium vel filiam pertinentia administrauit: Officium enim patris est dare dotem filiæ suæ, & ita quoque accipienda l. 5. §. fin. ff. de iu. dot. vbi ex Papiniano Vlpianus definit patrem, qui filiæ suæ emancipatæ datus curator dotem pro ea constituit, magis quasi patrem quam quasi curatorē id videri fecisse, vt cū duplici munere fūgatur patris scilicet, quod antiquius est & naturale, ac curatoris, quod est acci-

Nemo præsumitur iactare suum

Interdum mater alimenta liberis præstita repetit.

Pater bona filij administrans cēsetur sumptus facere in rem filij ex bonis ipsius.

Dissoluitur obiectio petita ex l. fin. C. de do. prom.

Officium patris dotare suas.

dentarium, in dubio videatur exsequi quæ propius ad patris officium pertinent, quod longe potentius est: quod adeo verum est vt etiam si pater dixerit dare se dotem aut donationem propter nuptias tam ex suis quam ex filij aut filiæ bonis, nihilo-minus ex suis bonis detrahi illud Iustinianus constituerit d. l. fin. quod merito displicuit Leoni philosopho N. 21. cũ magis sit, vt vltra patris liberalitas non extendatur, quam voluit: quod etiam cum ratione iuris veteris congruere videtur, nam si pater idemque filiæ debitor, voluntate eius dotem dederit aduentitia dos erit non profectitia, quod scilicet palam dixerit se dotem dedisse, vt debitum exolueret, non vt ex suo quicquam daret. d. l. 5. §. pen. ff. de iu. dot.

IDEM A. THEOPHILO.

L. 12. C. eod. *SI filius pro patre suo debitum soluerit, nullam actionem ob eam solutionem habet, siue in potestate patris cum solueret fuerit: siue sui iuris constitutus: si donandi animo pecuniam dedit. Si igitur pater tuus sui iuris constitutus, pro patre suo negotia gerens non procedente mandato debitum eius soluit: negotiorum gestorum agere cum patruus tuis potes. P P. Kalend. Aug. Agricola & Clemente Coss.*

Sententia & species legis. BReuis sententia est eius legis definientis filium in potestate constitutum pro patre soluentem nullam actionem habere, siue in potestate patris fuerit, siue sui iuris, modo animo donandi soluerit: si vero negotium patris gerens cum suæ potestatis esset, negotiorum gestorum actio competit. Illa est species. Mæuius pro patre Titio soluerat centum: Decessit Mæuius relicto filio Theophilo nepote Titij: Decessit & Titius relictis hæredibus aliis filiis suis cum ipso Theophilo nepote suo. Desiderabat Theophilus ex hæreditate aui primum sibi solui & restitui, quæ pater pro auo Titio soluisset. Circa hanc disceptationem commodissime distinguit Imp. Vel soluerat in potestate constitutus, & tum eo nomine nulla actio est, nam bona filij, bona patris sunt. Denique nihil suum habere potuit filiusfam. excepto castrensi peculio, in quo potuerit patrem obligare, aut pro patre satisfacere. Si post emancipa-

tionem soluit: tunc & hæc quoque admittenda distinctio, vt si donandi animo id fecerit, neque ipse, neque filius eius Theophilus actionem habeat: sin quasi gerens negotium patris animo patrem obligandi & repetendi: tunc Theophilo detur actio contra patruos suos aui sui successores. Quod autem in prima legis parte constituit Imp. filium non repetere si in potestate patris constitutus sit, id ita habere locũ Accursius definiuit, nisi ex peculio castrensi soluerit, nam in eo obligatum patrem habere ciuiliter potest, & cum eo litem instituere, *l.4. lis nulla. ff. de iudic.* Alias patri naturaliter obligatur, & patrem tantum naturaliter obligat. *l.38. frater à fratre. §. quæsitum cum seq. ff. de cond. indeb.* Igitur si in potestate constitutus pro patre soluit, non animo donandi sed quasi negotium patris gerens, non dubitandum quin negotiorum gestorum actione possit experiri, perinde ac si soluisset post emancipationem: quod idem in peculio quasi castrensi dicendum, & in peculio aduentitio iure nouo aliisque rebus, quæ acquisitionem effugiunt, id est, quas patri liberi in potestate constituti non acquirunt: qua in re ius patriæ potestatis paulatim est imminutum. Primum quidem quæcumque filiusfam. acquirebat quacumque ex causa, id patri siue vlla distinctione quærebatur: quantum enim ad ius 12. tab. filiusfam. seruo comparabatur: imo maior erat potestas patris in liberos, quam domini in seruos. Sub imperatoribus vero, vt filijfam. inuitarentur ad strenue capessenda militiæ onera, inductum est, ne pater ius vllum vindicaret in illis bonis, quæ ex manubiis hostium, aut donatiuo, stipendiis, vel largitionibus imperatorum, consecuti essent, aut quocumque modo in castris quæsissent ex hæreditatibus, legatis, donationibus, lucris occasione armatæ militiæ obuenientibus. Sed & quia non solum honesta industria circa armorum bellique curam versatur: sed plerumque circa fori puluerem incruentum, circa res vrbanas procurãdas peruigili diligentia, dignitates & honores reipub. obeundos, ac liberaliũ etiam artium professionem, nauitas ingeniorum se exerit.: quô ad ea omnia constantius liberi in potestate constituti accederent, & non improbabilis emolumẽti expectatione securi concitatiorem ad studiorum ingenuos labores promouendos animum adhiberent, si quos inde fecissent prouentus, sibi integros & illibatos haberent; obtinuit & illud quoque, vt peculij quasi castrensis, id est in militia togata & secura quæsiti patrimonij plenam administrationem haberent, & in illa quoque parte iura patrum, qui habent liberos in potestate, sunt imminuta: quod quidem etiam iure digestorum obtinuerat, nam peculij quasi castrensis frequens mentio in Digestis *l.7. filiusfam. §. fin. ff. de donat. l.1. §. 2. quod autem. ff. ad S.C. Trebell.* quod & velut castrense peculium appellatur, *l. velut. C. de assessor.* Mox etiam bona materna, & materni

Ex causa peculij castrensis filiusf. agit cõtra patrem quasi ciuiliter obligatum.

Ex iure antiquo filiusf. omnia acquirebat patri vt seruus domino.

postea iura patrũ sunt diminuta in bonis castrensib.

Postmodũ etiam quasi castrẽse peculiũ filijsfam. datum.

Peculij castrensis mentio in Pandectis.

Bonorum maternorum proprietas remanet penes filiosfam, vsufructu patri seruato.

generis, quæ liberi in potestate constituti quondam acquirebant patri suo, filiorumfam. præcipua facta sunt iure proprietatis, vsu fructu eorum bonorum patri seruato. *l.1.& 2. Cod. de bo. mat.* quod idem postea porrectum ad lucra nuptialia, id est ad ea bona, quæ occasione nuptiarum post mortem vnius ex coniugibus viro vel vxori in potestate patris constitutis obuenerint, ac tandem constitutione Iustiniani ad quaslibet donationes, legata, hæreditates in filiosfam. etiam ab extraneis collatas productum est *l. 1. cum seq. & l. 6. Cod. de bonis quæ lib.* Igitur si filiusfam. ex eiusmodi bonis pro patre soluerit, quin possit repetere eo iure quod nunc obtinet dubitari non potest, si donandi animo non soluerit. Quod autem dicitur in hac specie, Theophilum contra patruos agere posse eius solutionis nomine: illud intelligi debet, vt solidum ab his exigat, nisi ipse quoque cum illis auo suo successerit, nam tum pro ea parte qua fuerit hæres auo actio confunditur. *l.1. & pen. C. de hæred. act.* Quinimo etiam eo nomine nullam actionem poterit habere, si appareat eum institutum esse ab auo compensandi istius debiti gratiâ. *l. 6. si compensandi. C. de hæred. instit.* Certè ab intestato pensato secum debito pro parte qua succedit, contra patruos in residuum indemnitati suæ consulet.

Idem constitutũ in lucris nuptialibus & demum in omnibus bonis aduentitiis.

IDEM A. AQVILÆ.

L.13. C. eod.

QVOD in vxorem tuam erogasti ægram, non à socero repetere, sed affectioni tuæ debes impendere. In funus sane eius si quid eo nomine quasi recepturus erogasti: Patrem, ad quem dos rediit iure conuenis. PP. VIII. Kal. Nouembr. Agricola & Clementino Coss.

RAtio cur in specie eius legis maritus non possit agere negotiorum gestorum contra socerum propter impendia curationis sumptusque, quos erogauit in medicos vxoris ægritudini adhibitos, eadem prope, quæ supra proposita est in l. 11. hoc tit. quod scilicet illos sumptus summæ affectioni, qua maritus vxorem suam prosequitur, concedere debeat: Maxime cum illa coniunctio animorum inducat societatem quandam inter eos, & nihil ita sit humanum quam vt fortuitis casibus mulieris maritus, vel vxor viri sit particeps. *l.22. si cum dotem. §.7 si maritus. ff. sol. matrim.* Igitur, si in personam extraneam facti essent illi sumptus, negotiorum gesto-

Vir & vxor mutuo amore acquiescere debent fortuitis casibus alterutri aduenientibus.

rum ageretur: Imo eorum sumptuum nomine actio est priuilegiaria, vt creditum omne præcedat, maximè inter personales creditores hypothecam non habentes exemplo scilicet funerariæ actionis. *l. pen. ff. de relig. & sumpt. fun.* namque sumptus erogati in morbum cum sumptu funeris coniunguntur. *l. 4. C. de petit. hær. l. 3. inf. de relig. & sumpt. fun.* quæ est etiam Imp. Alexandri, vt ista: Ideoque eorum etiam habebitur ratio in funeraria, quamuis Accurs. arbitretur in d. l. 3. agi debere negotiorum gestorum. Et obtinuit pharmacopolas eo nomine cæteris creditoribus præferri, vbi in tributum vocantur ad ferendam ex bonis defuncti portionem, si videlicet agant & repetant pretium impensæ industriæ & pharmacorum suorum erga defunctum, ac medicamentorum à se præstitorum rationem haberi desiderent, vt docet eruditus vir Iulianus Brodæus ad Dn. *Louet* in littera. C. num. 29. Certè harum personarum causa iustissima est cum salutis hominum curam agant. *l. 1. §. 2. ff. de var. & extraord. cogn.* Sed vtcumque imperator constituat in hac lege maritum non repetere, quod in vxorem aduersa valetudine laborantem erogauerit: Tamen quæ in funus impenderit repetet, si id animo repetendi fecerit: Qua in re plerumque expeditius est protestari, quo animo funerauerit, ne postea quæstionem patiatur, quasi humanitatis aut misericordiæ vel pietatis gratia id fecerit. *l. 14. & si quis. §. sed interdum. ff. de rel. & sumpt. fun.* & eo magis hoc nomine actionem instituet maritus, si dos mulieris defunctæ eius lucro non cedat, sed ad socerum redeat. Ex quo in specie eius legis dicendum dotem esse profectitiam, quæ vxoris morte ad patrem redit, ne & filiæ amissæ & pecuniæ damnum sentiat. *l. 4. C. sol. matrim. quæ est imperatoris Alexandri & l. 6. ff. de iure dot.* Ita scilicet si nulli sint liberi superstites, nam si qui sint, singulorum nomine quintas dotis retinebit maritus, ita vt quinque liberis existentibus nihil patri defunctæ reddatur, vt tradit Vlpianus in fragm. tit. de dotib. Aduentitia, quæ scilicet aliunde quam à patre venit, morte vxoris ad virum pertinet, vt idem Vlpianus docet & Cuiac. lib. 9. obsc. cap. 4. nisi scilicet qui eam dedit stipulatus vel pactus sit eam sibi reddi soluto matrimonio, qua de re dictum sup. ad l. 10. de pactis. Igitur si dos redeat ad patrem, quia impensa funeris dotis onus est, & quodammodo æs alienum, & interdum in hæreditate mulieris dos tantum est: Iure pater conuenietur actione funeraria, aut etiam si maritus à socero conueniatur dotis nomine, reputabit socero quod eo nomine præstitit. *l. 16. cum qui. cum seqq. ff. de relig. & sumpt. fun.* Sin penes maritum maneat, secum sumptus funeris compensabit, adeo vt si vxori quoque hæres extiterit, & beneficium falcidiæ aduersus eos, quibus legata præstat, velit inducere, non totam funeris impensam ex hæreditate deducat, sed partem eius doti expensam ferat, quam

De sumptibus in valetudinem facta est actio priuilegiaria.

Pharmacopolæ cæteris creditoribus præferuntur.

Maritus repetit impensa factam in funus vxoris.

Dos profectitia mortua vxore ad patrem redit nisi sint liberi.

Aduentitia dos morte vxoris ad virum pertinet.

Is ad quem dos redit tenetur funerare defunctam.

vt maritus lucrifacit. *l.6.si vir.ff.ad leg.falcid.* quam dotem non minus ratio funeris minuit, quam hæreditatem aut bona mulieris omnia, adeo vt is ad quem dotis portio aliqua morte vxoris est peruentura, is quoque pro rata possit actione funeraria conueniri. *l.20. Neratius.ff.de relig.& sumpt.fun.*

IDEM A. MVTIANO RVFO.

L.14.C.eod. SI *mandatum solius mariti secutus, tam ipsius quam vxoris eius negotia gessisti: Tam tibi quam mulieri inuicem negotiorum gestorum competit actio. Ipsi sane qui mandauit, aduersus te mandati actio est. Sed & tibi aduersus eum contraria, si quid forte supererogasti. PP. X. Kal. Mart. Maximo II. & Vrbano Coss.*

Qui vnius negotia gessit cum alterius essent agit actione negotiorum & conuenitur.

QVi mandatu mariti quæ erant communia negotia inter virum & vxorem egerit, si quid impenderit eo nomine aduersus maritum habet mandati contrariam actionem, vt in fine eius legis constituitur. Sed an etiam possit agere negotiorum gestorum contra mandatoris vxorem, dubitabatur, quod nõ eius contemplatione, sed mandatum mariti secutus, ad eius negotia accessisset. Sed hoc nihil obest, cum ipso gestu vxoris negotium gestum sit, nam etiamsi quis eo animo fuerit, vt negotium Mæuij gereret, quod erat Sempronij, Sempronium tamen habebit obligatum. *l.14. in hoc. §. diuersum. vers. & sicut ff. comm. diuid. l.5. §. fin. l.41. quis vtiliter. paragr. fin. ff. hoc tit.* neque obstat l.6. paragr. si quis ita in fi ff. hoc tit. nam quod ibi proponitur (eum qui mandatu alicuius negotium commune inter mandantem & alium gessit, habere negotiorum gestorum actionem contra eum qui non mandauit, si sciens id fecit) illud est ex abundanti, idem enim esset si nesciens. *l.31. liberto. paragr.1. ff. od.*

Diluitur obiectio petita ex l.6. par. si quis ita. ff. hoc tit.

Diluitur 2. obiectio petita ex l. 22 paragr. pen. ff. mand.

Non obstat etiam l. 22. paragr. pen. ff. mand. nam commodè responderi potest, curatorem, qui secutus est mandatum creditorum præsentium, omnino non gessisse negotia absentium: Vt propterea absentes contra ipsum curatorem habere negotiorum gestorum actionem non possint: Aut si proponantur etiam absentium negotia gesta, id factum est occasione tantum, quod causam communem haberent & coniunctam: At vt sit negotiorum gestorum actio ei cuius negotia gesta sunt ab ignorante, oportet in ea causa fuisse, vt potuerint mandantis negotia separari: Nam si immixta

ita

ita fuerint, vt vnum sine alio non potuerit explicari, cessabit iudicium negotiorum gestorum *l. 40. §. communes. ff. hoc tit.* Non obstat etiam d. l. 14. §. diuersum. ff. comm. diuid. nam ibi qui aliena negotia vt sua gesserat ignorans, nullum sibi obligare voluit, ideoque non habet negotiorum gestorum actionem, sed tantum retentione vtitur: quod secus fieret, si negotium putaret vnius, cum esset alterius, vel quod propius ad speciem huius legis accedit, si negotiũ, quod erat commune inter duos, ex vnius tantum mandato vt procurator gesserit; nam tunc quia in omnem euentum sibi aliquem obligare voluit, agetur actione negotiorum gestorum, licet eius contemplatione ad quem negotia pars-ve eorum pertinent, gesta non fuerint. Igitur in specie eius legis non est quærendum, mulieris intuitu, an vero mandati tantum, quod à marito datum est, vxoris eius negotia sint administrata: nam vtrobique & ager ipsa actione negotiorum gestorum, & contrariâ conuenietur, cum re vera negotium ad eam pertineat, quæ res non impediet quin etiam possit mandatarius agere mandati aduersus mandantem, si quid sibi absit propter negotia mulieris administrata, nam propter mandatum illis se immiscuit *l. 6. §. 1. vers. quid tamen. ff. de neg. gestu. l. 7. si litteras. C. mandati.* Et vice versa, quamuis ipsum gestorem habeat mulier obligatum, non minus tamen agere poterit contra maritum eadem actione negotiorum gestorum, si forte imprudenter parum idoneo negotia gerenda mandauerit, vt si quid inde senserit detrimenti, id præstet maritus. *l. 21. nam & Seruius. §. fin. ff. hoc tit.*

Diluitur tertia obiectio petita ex l. 14. paragr. aduersum. ff. comm. diuid.

Qui negotia aliena vt sua gessit ignorans non agit actione negotiorũ gestorum.

IMP. ALEXANDER A. FELICI.

PERSECVTIONEM *eorum, quæ vi vel furto ablata sunt, etiamsi postea interciderint, integram esse iure responsum est. PP. X.* Kal. *Decembr. Maximo II. & Æliano Coss.*

Lex 1. C. de his, quæ vi metus-ve causa fiunt.

EX tit. de his quæ vi metus-ve causa fiunt duo rescripta Imperat. Alexandri desumpta proponũtur. Primi hæc sententia est: eum qui furatus est, aut metu illato rem extorsit, periculum quod circa rem illam acciderit præstare debere. Species illa fingi potest. Titius rem Mæuij furatus est, aut etiam metu illato rem eiusdem Mæuij per vim abstulit: mox res periit citra culpam ipsius Mæuij possessoris.: Quærebatur vtrum periculũ huiusmodi agnoscere deberet.

Sententia & species legis.

Consultus Imperat. rescripsit damnum illud ad dispendium possessoris pertinere, & actori integram esse persecutionem aduersus eum. Ratio dubitandi non modica, quod soleat debitor certæ speciei, vel is qui rem alienam tenet eius interitu liberari. Ratio decidendi est, quod furis odio, vel cuiuslibet violēti possessoris, debeat interitus rei furto ablatæ, vel per metum extortæ, ad ipsum furem, & eum qui ex causa iniusta & improbata possidet, pertinere. Et hoc colore licet neque depositarius, neque commodatarius, rei commodatæ aut depositæ periculum agnoscant, quam si ille dolum, hic dolum aut culpam contraxerit: tamen si in eadem re furtum admiserit depositarius vtendo, aut commodatarius in aliam causam vsum transferendo, quam qua accepit, periculum in se transferunt, etiam si sine dolo malo aut culpa eorum postea perierit. *l.16. qui furtum. ff. de cond. furt.* Idem in bonis vi raptis. *l.9. subtracta. C. de furtis.*

Fur raptor & alij eiusmodi plus quã moratores, & ideo rei periculum agnoscũt.

Idem si aliquis de fundo deiectus sit, vbi res multæ erant mortales quæ perierunt. *l.1. §. rectissime. & l. pen. ff. vnde vi.* vtique enim ex ipso tempore delicti, qui ex superioribus causis debitor est, plusquam frustrator est. *d. l. pen.* vt propterea perpetuo periculum interitus eiusmodi improbum possessorem respicere debeat. Sed ita demum potest dici huic definitioni locum esse, si non esset res interitura apud eum cui ablata est, quod forte eam vēditurus esset & pretium lucri facturus. *l.14. §.11. quod si homo. vers. sed si non culpa. ff. quod metus causa.* ex quo loco possit apparere, non esse aliam causam furis aut eius qui metum intulit, ac alterius malæ fidei possessoris, inter quos tamen distinctionem facit aliquam Cuiacius *tractatu 5. ad Afric. ad l.108. §.9. si seruus. ff. de leg.1. & ad l.23. ff. de verb. obl.* vt scilicet fur vel raptor, aut qui metum intulit, teneatur indistinctè, siue res interitura esset apud dominum siue non: alius autem morator ita demum, si res non foret interitura apud dominum, vel creditorem cui debebatur: quam distinctionem eludit d. vers. siue non. Et vero licet concedēdum sit deliquisse furem vel raptorem aut eiusmodi alium possessorem, quod malo more rem alienam inuito domino nacti sint, cur re fato perēpta, quam etiam penes se dominus erat retēturus, & cuius idem etiam erat dispendium passurus, cur inquam fatum furi vel raptori imputabitur, vt præter pœnam dupli aut quadrupli, vel in bonis vi raptis aut re metu extorta tripli, in quã inciderunt, & qua etiam re perempta non liberantur, extrinsecus adhuc rei peremptę pretium soluent, quod dominus non foret habiturus? Id manifestius apparet ex l.62. si nauis. ff. de rei vind. vbi is, qui mala fide & prædonio more nauem aliēnã tenet, periculum nauis non præstat, quæ commodo tempore nauigatum missa est, non alia ratione scilicet, quam quia etiam interiisset eodem modo penes dominum, sicuti etiam in l.14. si seruus. ff. de cond. furt. dicitur rem

Quod verum est si res apud dominum non esset interitura.

Improbatur sententia Cuiacij.

quæ sine dolo malo furis desiit pertinere ad eum cui subrepta est, nō præstari, quia eius interesse desiit. Verum est furem, abactorem, aut prædonem, re ipsa moram facere, licet non sint interpellati, aut cum his lis contestata non sit. *l. fin. C. de cond. ob turpem causam.* quod in aliis debitoribus non obtinet: sed non inde sequitur eos teneri de interitu, etiamsi res apud actorem esset interitura. Quod autem alibi passim dicitur simpliciter post moram rei debitæ periculum pertinere ad eum vnde petitur, *d. l. 23. si ex legati. ff. de verb. obl. d. l. 108. §. si seruus 9. ff. de leg. 1. l. 12. si in asia. §. fin. ff. depos.* vt palam etiam ipse Imp. Alexander constituit in l. 3. inf. de vsuris & fruct. leg. vel fideicom. id sub ea distinctione est exaudiendum, si res non esset interitura apud actorem, qui rem stato tempore traditam fuit distracturus, quemadmodum ex aliis iuris locis colligitur. *l. 15. item si. §. fin. ff. de rei vind. l. 47. cum res. §. fin. ff. de leg. 1. l. 14. si plures. §. fin. ff. depos.* vt illo casu iniquum fuerit non esse eandem causam petitoris, quæ foret mora non contracta. Quāquam etiā vno casu, possessor post moram vel litem contestatam interitum rei quæ in controuersia est non præstat, etiam si eam distracturus foret actor: cum ille, qui eius possessionem nactus erat bona fide, iustam causam habuit litigandi & existimandi rem ad se pertinere: Illo enim casu, ne nimia perplexitate distringatur, qui iuris sui opinione & fiducia fretus iustas defensiones habere se existimat, vt vel temere ius suū indefensum derelinquat, vel illud tuēdo periculū casus fortuiti qui citra culpā eius accidit præstare teneatur, omnimodo absoluendus est. *l. 40. illud. ff. de petit. hær.* nec quidquam obstat, quod dicitur post moram & litis contestationem omnes possessores pares esse l. 25. §. si ante. eod tit. nam hoc intelligendum quantum ad causam fructum post litem contestatam perceptorum vel percipiendorum, vt nulla distinctione facta de his teneatur quilibet possessor, cui res postmodum ablata est iudicio, quia scilicet ab eo tempore cautius agere debuit, & vtcumque bona fide litiget, quod putet rem vel hæreditatem, ex qua fructus percipit, suam esse: tamen debet scire ex euentu iudicij fieri posse, vt à se in aduersarium transferatur. Igitur quia seposita causa fructuum, is qui iustam litigandi causam habet moram facere non videtur. *l. 24. si quis. Dig. de vsuris. l. 64. qui sine. D. de reg. iu.* consequens est, vt periculum non agnoscat, etiamsi rem esset distracturus actor: & ad hunc quoque casum restringenda l. 16. vtique. paragr. fin. Dig. de rei vind. Ergo facti erit quæstio, num penes se petitor rem esset retenturus aut distracturus, quæ ex condirione personarum, & rei ipsius natura definiri poterit. *arg. l 3. paragr. fin. Dig. de vsuris.* Notandum autem huius legis definitionem locum non habere in fure alioue qui prædonis instar obtinet, si rem furtiuam obtulerit: nam oblatione purgatur mora.

Post moram rei periculū præstat debitor & quando.

Casus proponitur quo post litem cōtestatem possessor de periculo no tenetur & si res nō esset interitura apud actorem.

Diluitur contrarium argumentū

Moram non facit qui litigat iusta ex causa.

Fur non tenetur de periculo postquam obtulit.

l. fin. Cod. de cond. furt. l. subtracto. Cod. de furtis. Imo moram fecisse is creditur cui res oblata est, atque ideo posterior mora ei nocet *l. 17. illud. Dig. de peric. & comm. rei vend. l. qui decem. 72. paragr. cum Stichum. Dig. de solut.* neque obstat l. fin. Dig. de cond. furt. nam ibi rem non obtulerat fur, sed tantum excipere paratus fuerat condictionem furtiuam; & per actorem tantum steterat, quominus eam condiceret, id est condictione experiretur, quod non sufficit, vt periculo rei fur liberetur, nec enim ideo minus moram restituendi facere censetur: quod idem obtinet in interdicto vnde vi: nam licet moram fecerit is qui deiectus est, quo minus interdicto agat: non ideo minus tenetur incubator violentus alienæ possessionis, si subtracta sint mortalitate mancipia vel pecora, quæ in fundo per vim ablato erant. *l. pen. ff. vnde vi.* Potest etiam dici liberari reum, si post sententiam intra tempus iudicati res interierit, quæ metu extorta est, quia scilicet tripli pœna, quæ in condemnatione superest, propter facinus videtur sufficere. *l. 14. §. 11. quod si homo. ff. quod metus causa.* quod an dicendum sit in condictione furtiua, si res post sententiam intra tempus iudicati perit, vt liberetur reus quia dupli aut quadrupli pœna superest, subsisto: nam forte dici poterit illud esse speciale in actione quod metus causa, quæ mitior est actione furti, quod sit arbitraria, & pœnalis mixta in quadruplum ex accidenti: cum illa sit sui natura pœnalis: & ex furto contra furem duæ nascantur actiones, condictio furtiua ad rem, actio furti ad pœnam, non vna ad pœnam simul & rei persecutionem. Sed purgabitur etiam mora furis eius-ve qui metum intulit, si is vnde res ablata est ab eo sit stipulatus, quidquid ex causa furtiua eum dare facere oportet, nam si postea sine mora & culpa furis res pereat, interitum non præstat. *l. 29. scire. §. fin. ff. de verb. obl.* quia eiusmodi stipulatio pro oblatione cedit, vtique si res præsens sit. *l. 72. qui decem. §. idem responsum. ff. de solut.* cum quo § pugnat l. parui. ff. de cond. furt. quæ eiusmodi stipulationem vel nouationem pro oblatione cedere constituit, insuper habito eo præsens ne res furtiua sit tempore stipulationis an absens: quod dissidium ita componit Cuiac. *ad d. l. 29. §. fin.* vt d. §. idem responsum, accipi debeat de stipulatione siue nouatione conditionali, quæ exigit rei præsentiam, vt pro oblatione accipiatur, cum è contra d. l. parui accipienda sit de obligatione pura. Eademque ratione componenda est l. 14. §. 1. ff. de nouat. cum l. 31. si rem. eod. tit. & l. 56. cum qui. §. fin. ff. de verb. obl. vt quod in illis dicitur conditionali stipulatione moram antea factam non purgari, si ante conditionem existentem res perierit, id intelligi debeat cum res est absens tempore stipulationis: & è contra quod in d. l. 14. §. 1. dicitur conditionali stipulatione moram purgari, sit accipiendum cum res est præsens:

Posterior mora nocet.

Diluitur contrarium argumentū

Periculo fur non liberatur licet dominus sit in mora agendi.

Purgatur mora furis si dominus stipuletur ab eo, quod dare facere ipse debet.

Proponitur & dissoluitur legum contrarietas.

Stipulatio conditionalis non purgat morā nisi res sit præsens.

argumentoque est quod ait Marcellus, in d. §. idem responsum, quem Vlpianus allegat in d. l. 14. §. 1. Quod autem dicitur in d. l. 56. §. fin. re perempta post stipulationem conditionalem, conditione demum existente, nouationem non fieri, cum d. l. 31. probet nouationem fieri: diuersitatis ratio petenda est ex eo, quod in d. §. fin. l. 56. alius promittat sub conditione, quam is qui moram fecerat, qui propterea re perempta tempore existentis conditionis teneri non debet: at in d. l. 31. idem est qui moram fecerat, & rem eandem quam debebat nouandi animo promiserat: ideoque nihil iniquum patitur, si cum moram iam fecerit antea, existẽte conditione teneatur, quasi nouatione facta, vtcumq; res perierit, quo tempore conditio existit. Cui distinctioni non aduersatur d. l. 14. §. 1. vbi licet idem sit debitor, qui mora facta promisit sub conditione quod debebat, tamen, re perempta conditione existente conditionalis stipulationis, dicitur nouationem non fieri: nam supra responsum est in ea specie moram præcedentem purgatam esse, quia res erat præsens tempore conditionalis stipulationis; quo fit vt re postea perempta, non inueniatur tempore existẽtis conditionis, quod in causam nouationis veniat: cum in d. l. 31. si non res ipsa quæ periit, tamen ratio moræ quæ durauit non purgata in causam secundæ obligationis transferatur. Hæc etiam tractauit Cuiac. *ad d. l. 56. §. fin. ff. de verb. obl. & lib. 10. quæst. Papin. ad d. l. parui*, sed paulo obscurius: quare non piguit id ferente & dictante ratione retexere. Cæterum quod in ponenda ratione dubitandi ad legem propositam dictum fuit debitorem certæ rei eius interitu liberari, id dictum fuit περὶ διαφορᾶς eius qui non certam speciem, sed genus debet, qui non liberatur interitu aut casu fortuito, vt in eo qui hominem generaliter promisit, aut mutui nomine obligatus est, qua de re forte occurret vt quædam dicantur ad l. 5. & 6. inf. de pignor. act.

IDEM A. ALEXANDRO.

CVM te non solum cauisse, verum etiam soluisse pecuniam confitearis: Qua ratione vt vim passus restitui, quod illatum est, postules: Perspici non potest. Quin verisimile non sit ad solutionem te properasse, omissa querela de Chirographo, vt pote per vim extorto: Nisi & in soluendo vim te passum dicas PP. VI. Kal. Iul. *Alexandro A. II. & Marcello Coss.* Lex 2. C. eod.

Sententia legis & species. HOc rescriptum illam sententiam admittit: Eum qui sponte ex chirographo aut syngrapha, quam per metum alicui dederat, promissam pecuniam soluit, eius repetitionem non habere, nec actione quod metus causa posse agere. Species hæc. Titius vi illata sibi & metu cautionem emiserat, qua Mæuio promiserat centum se daturum. Cum posset ipse vel actione experiri *quod metus causa*, vt chirographum repeteret, vel agentem Mæuium metus exceptione repellere, libera voluntatis inductione soluit: Quæritur an repetat: Rescribit imperator non repetiturum. Mouebat quod per metum & impressionem extorta esset cautio: Sed in contrarium euicit spontanea solutio, quasi videatur is donare, qui sciens prudensque exceptionem, quam habebat, omisit. Et huius igitur legis definitio tum demum locum habebit, si euidentissimis argumentis appareat remissam metus exceptionem: Alioquin vtcumque cesset actio quod metus causa, quia in solutione vis nulla adhibita est, tamen condictio ex iniusta causa competit. *l.7. ex ea. ff. de condict. ob turpem caus.* idque etiam locum habere in hac lege Cuiacius opinatur *in recit. ad tit. C. de condict. ex lege.* Et generaliter, qui soluit perpetua exceptione tutus, repetit, nisi sciens se tutum soluerit. *l.26. si non sortem. §.3. ff. de cond. indeb.* maxime cum fauorabilis est, & fauore rei est introducta *l.40. qui exceptionem. ff. eod. tit.* qualis est ista, quod metus causa gestum est. Erat glossa hoc loco, quæ ait hanc exceptionem esse odiosam: Nam quid rationabilius obijci potest actori agenti, quam si præscribat reus, in cautione emittenda vim aut metum se esse passum. De exceptionibus quæ post solutionem condictioni locum præparant, aut agentem repellunt tantum nulla repetitione concessa debitori qui soluerit, multa & perspicua tradit Duarenus. tit. de condict. indeb. cap.5. & 6. Locum demonstrasse sufficit.

IMP. ALEXANDER A. PLOTIANÆ.

L. 1. C. de restit. min. 25 annis. ILLVD *inspiciendum est, num inofficiosi querelæ, vel palam vel tacita dissimulatione sit renuntiatum. Nec hoc autem in tuam personam cadere posse auxilium quod ætati impertitur ostendit. D. V. Id. Iul. Maximo II. & Æliano Coss.*

HÆc lex prima, & quæ sequuntur omnes fere ex 2. lib. Codicis, sunt de restitutione in integrum, quę datur propter minorem

ætatem, circa quam venit tractatus non contemnendæ inquisitionis. Breuis autem & perspicax huius legis sententia: Querelam inofficiosi testamenti dissimulatione aboleri, si maiori competat, non item si minori 25. annis. Plotiana à patre exhæredata, aut à matre præterita vel exhæredata (quod perinde est) intra præstitutum tempus centumuiralis iudicij beneficium lubrico ætatis lapsu omiserat, id est intra quinquennium à die aditæ hæreditatis contra hæredem scriptum querela inofficiosi testamenti non egerat; quo factum, vt postea querelam repetens exceptione excluderetur. Verum imperator super ea re consultus rescripsit hac præscriptione maiorem 25. annis excludi posse: Sed nequaquam ipsi Plotianæ obesse, quam ætatis ratio, & auxilium prætoris satis tuetur. Non est tamen dicendum eam propterea in integrum restitui, nam ipso iure præscriptio quinquennij non currit, vt non integratio causæ amissæ, sed causa ipsa integra seruetur. *l. 2. C. in qu. cauf. rest. in int. non est necess.* nisi dicamus posteriorem sententiam huius l. 1. referendam ad hoc verbum (palam) vt tunc restitutione opus sit, cum minor palam querelæ renuntiauit, tempus vero ei non currat ex d. l. 2. si tacita dissimulatione querelam prætermiserit. Imo non illa modo quinquennij præscriptio, sed nec vlla contra minores currit iure nouo, excepta dumtaxat præscriptione triginta vel quadraginta annorum *l. fin. C. in qu. cauf. rest. in int.* quæ tamen aduersus pupillos non currit, siue tutores habeant siue non. *l. 3. C. de prascr. 30. vel 40. ann.* Obstare autem huic legi maxime videtur l. 37. auxilium. ff. de minor. vbi si minor iniuriam sit passus, & intra annum non egerit, tempus ei cedit, & tempore anni elapso restitui non potest: Aut similiter, si minor maritus, qui intra 60. dies vxorem citra calumniæ periculum adulterij ream facere poterat, id facere omiserit, non restituitur. Sed respondendum, id ita fieri, quia pecuniæ & patrimonij ratione minoris non interesat, sed principaliter ad vindictam inferendam restitui desiderabat, cui iura propter bonum pacis & ἀμνησίας non indulgent. Enimuero vix est, vt prætor propitiis auribus audiat minorem hoc nomine restitutionem petentem, quod velit securè calumniosam forte accusationem innocenti vxori inferre, aut vindictam exercere, & spatio anni finitam actionem iniuriarum velit repetere: Imo vir bonus non debet credere sua interesse, quod sæuientis animo non satisfiat *l. 6. §. fin. ff. de seruis exportandis.* ad quem locum solennis est illo γνώμη Græcorum interpretum, quæ etiam à Gothofredo notata est; ὀργῆς ἀναπλήρωσις οὐκ ἔχει διαφέρον: Nec obest, quod querela imitetur actionem iniuriarum, ac vindictam quodammodo reposcat: Nam rei quoque persecutionem continet, & causam hæreditatis persequitur actio autem iniuriarum nihil nisi vindictam: Vnde sequitur vel facilius quere-

Sententia & species legis.

An præscriptio quinquennij quæ opponitur querelæ contra minores currat.

Nulla præscriptio currit contra minores iure nouo.

Obijcitur l. 37. ff. de minor.

Diluitur obiectio superior.

Non est spectandum interesse vindictæ.

lam inofficiosi testamenti omissam minori restitui, vel omnino præscriptionem quinquennij minori non opponi.

IMP. ALEXANDER A. MARTIANÆ.

L. 2. C. si tutor vel cur. interuen.

MINORIBVS *annis 25. etiam in his quæ præsentibus tutoribus, vel curatoribus in iudicio, vel extra iudicium gesta fuerint, in integrum restitutionis auxilium superesse, si circumuenti sunt, placuit. PP. III. Non. Mart. Maximo. II. & Aquilino Coss.*

Interuentus tutoris minori restitutionem non aufert.

RAtio dubitandi non leuis in hac l. quod tutoris vel curatoris autoritas omnem videretur fraudis suspicionem amouere, atque adeo restitutionis petendæ facultatem auferre: Sed illud neutiquam officit, quandoquidem ad id tantum desideratur tutoris vel curatoris autoritas, vt contractus sui momento valeat, non vt restitutionis beneficium impediat, sicubi aliqua in re minor se læsum aut circumscriptum alleget: Alioqui contractus ipse non valeret, nec opus esset remedio restitutionis extraordinario, si tutoris autoritas non interuenisset. *l. 16. in causæ in pr. ff. de minor.* sicuti dicimus, venditis minoris rebus sine decreto, non restitui minorem in integrum, quia contractus ipso iure non valet, quod tamen si intercesserit, restitutionis beneficium indulgetur. *l. 2. C. de præd. & al. reb. min.* Restitutio non datur nisi causâ cognitâ, si læsum se minor doceat: At quoties vendidit pupillus sine tutoris autoritate, vel quoties minoris prædium sine decreto est alienatum, non opus est cognitione prætoria, quasi negotium quod gestum est lex sua vi rescindat. Pupillus obligari non potest sine tutoris auctoritate, nisi forte locupletior ex ipso contractu factus sit. Non idem in adulto, qui nondum ad legitimam ætatem peruenit: nam ille omne negotium recte conficit sine curatoris autoritate quippe cum ne quidem curatorem accipere cogatur, præterquam in litem. §. 2. *de curat.* apud Iustin. quantum enim ad iudicium accipiendum non habet personam standi in iudicio sine curatore. *l. 2. C. qui leg. pers. standi in iud. habent.* vel vt Græci loquuntur, ἐκ ἔχει λεγιτιμὸν πρόσωπον. Igitur restitutione opus habebit, si qua in re sua ipsius simplicitate, vel aduersarij calliditate circumscriptum se doceat. Sed si curatorem habeat minor, non rectè rem suam distrahit sine eius autoritate, cum minor curatorem habens ei, cui bonis interdictum est, comparetur.

Restitutio cessat vbi contractus ipso iure est nullus.

Pupillus non potest contrahere sine tutoris autoritate adultus potest sine curatore.

Minor quilibet non habet ius standi in iudicio sine curatore.

Minor curatorem habens pupillo similis.

Itaque

Itaque illo casu restitutione opus non est, quasi cõtractus ipso iure non valeat, perinde ac si contractum esset cum pupillo sine tutoris auctoritate. l.3. C. de in int. rest. min. quod in venditione, & alienatione rerum suarum verum est: nam aliud negotium instituere potest sine curatore, licet curatorem habeat, quod euincit Cuiacius *ad l. 101. puberes. ff. de verb. obl. & in recitat. ad l. 4. Cod. de rebus cred.* Sit igitur illa huius legis conclusio: non ideo vel pupillo vel adulto præcludi restitutionis beneficium, quod curator vel tutor interceßit, ita vt etiam si nihil de sordibus tutoris agatur, & vrgentibus creditoribus rem tutor distraxerit: tamen causâ cognitâ poßit indulgeri, si forte citra dolum viliori pretio res emptori sit addicta. *l. tutor. 47. ff. de minor.* cui tamen definitioni plura obstant: ac primum d. l. 16. in causæ. ff. de minor. quæ docet auxilium in integrum restitutionis cessare, quod extraordinarium est, si ordinario remedio poßit indemnitati suæ minor consulere. At pupillus vel minor interuentu tutoris vel curatoris negotio gesto habet ordinariam tutelæ vel negotiorum gestorum actionem contra eum *l. 3. & fin. C. hoc tit.* Sed quod in d. l. 16. dicitur, debet intelligi, quando contractus ipso iure nullus est, vt tunc non poßit peti restitutio, quod & probatur in §. & generaliter d. l. 16. idque etiam Cuiac. hoc tit. & gl. ad l. fin. huius tit. agnoscunt. Obstat etiam l. 2. Cod. si adu. vend. pign. vbi si cessante solutione creditor rem minoris sibi à defuncto ipsius patre pignoratam vendiderit, restitutionem in integrum non impetrat, sed cõtra tutorem vel curatorem, quorũ culpa venditio facta est, agere compellitur: sed hoc ideo, quia negotium originem cœperat à defuncto & creditori ius quæsitum erat patre superstite. Et quod in l. Æmilius. 33. ff. de minor. restitutio indulgetur in eo contractu, qui à defuncto cœperat, illud est odio legis commissoriæ: nam deberet institui tantum actio contra tutores, quorum culpa factum erat, vt pecunia stato tempore non sit soluta. Obstat etiam l. properandum. §. fin. C. de iudiciis. Sed respondendum, illud esse speciali fauore litium finiendarum, vt quoties per triennium lis, quæ minoris erat, periit, tunc non statim restitutio in integrum detur, sed prius tutores aut curatores, quorum desidiâ id factum est, conueniantur, si idonei sint. Obstat etiam l. 45. etiam. §. fin. ff. de minor. Sed illic præcisè aduersariô minoris absolutô culpa & fraude tutoris minori non aufertur electio vtrum restitui desideret, aut tutorem conueniat: quamquam forte dolus & sordes tutoris efficiant, vt prius à minore conueniri ipse tutor debeat. Obstat rursus l. 39. intra. §. fin. ff. de minor. Sed & in ea specie, non aufertur minori facultas eligendæ restitutionis in integrum, quod contra curatores promptum ei sit auxilium: illud tantummodo dicitur minorem restitui desiderantem, ne ex alieno damno

Sententia huius legis.

Obijcitur l. 16. ff. de minor.

Solutio.

Obijcitur l. 2. C. si adu. vend. pign.

Solutio.

Obijcitur l. properandũ. paragr. fin. C. de iud. & diluitur.

Obijcitur l. 45. etiam parag. fin. ff. de minor. & soluitur.

Obijcitur l. 39. intra. parag. fin. ff. de minor.

locupletetur, omnes expensas emptori restituere debere, quas in fundo ipsius minoris à curatore vẽdito fecerat. Possit opponi etiã l. 23. cum mandatu. §. si autem. ff. eod. Verum ibi minor non contraxit, sed procurator eius mandato: ideoque prius conueniri debuit procurator, quam possit minor ad quem res pertinet restitui: nam generaliter restitutio datur, quando minor ipse contraxit, & læsus aut captus est. Obstat quoque l. 13. in causæ. §. fi. cum ll. seqq. ff. eod. ad quam ita responderi potest, in ea specie non interfuisse minoris rem suam recipere, ac propterea agere eum tantum aduersus emptorem, cum quo ipse contraxerat, non aduersus possessorem ad quem res postea peruenerat. Deinde ibi non proponitur tutorem aut curatorem intercessisse. Obstat denique l. 12. cum plures. §. 1. ff. de adm. tut. Sed respondendum, illic res mora perituras à tutore fuisse distractas, & ideo vindicare ipsas minorem non posse, etiam si tutor soluendo non sit, quod tamen non sufficiet, nisi etiam ex vtilitate pupilli facta sit venditio, quia bona fides tutoris non impedit restitutionem. *d. l. 47. tutor. ff. de minor.* sed oportet commodè rem gestam, & pretio iusto distractam, vt hoc casu possit restitutio denegari, etiam si tutor non sit soluendo, qui postea pecuniam inde redactam cõsumpsit, & ex post facto magis fato deceptus videatur minor, quam à principio, aut sua simplicitate aut culpa tutoris aliqua in venditione peragenda captus esse; nec enim euentus damni restitutionem indulget, sed incõsulta facilitas, vel fraus aduersarij. *l. 11. verum. §. item. l. 44. non omnia. ff. de minor.* & illa ratione si debitores pupillares soluerint tutori pupilli, ipso iure liberantur. *l. 46. Lucius. §. 5. tutelæ. ff. de admin. tut.* nec restitutioni locus erit etiamsi postea tutor non soluendo sit, maxime si decretum iudicis intercedat, quo soluere iussus sit debitor, quod iure nouo requiritur, cum sors soluitur, vt solutionem sequatur plenissima securitas, non si reditus aut vsuræ summam ducentorum solidorum id est aureorum non excedentes. *§. at ex contrario. qu. al. licet vel non apud Iustin. l. 25. sancimus. l. 27. constitutionem. C. de admin. tut.* Quando debitores soluunt tutori aut curatori vel ipsi minori restitutioni non est locus: si quid vero contrahant vel ipsi cum curatoribus, vel soli facilius restituuntur. Cur tam varie? quia scilicet debitor plerumque inuitus soluit: qui vero contrahit cum minore negotium agit volens: nec esset ratio vlla debitum exsoluendi, si aduersus solutionem ipsi tutori aut curatori factam minor in integrum restitueretur. Nec ipsi distinctioni quam ponimus obstat l. 1. C. si adu. solut. nam admitto restitutionem dari ex magna causa, si forte culpa debitoris soluentis intercesserit, quod forte tutori vel curatori iam suspecto soluerit cum id sciret, & de ea re querelam apud iudicem posset instituere: quo iure potest etiã ipse minor restitui aduersus solutionẽ sibi factam,

Obijcitur l. 23. paragr. si autem. ff. eod. & diluitur.

Obijcitur l. 13. paragr. fin. ff. eod. & solutio proponitur.

Obijcitur & diluitur lex 12. paragr. 1. ff. de admin. tut.

Bona fides tutoris non impedit restitutionem minoris.

Debitores pupilli liberãtur soluẽtes tutori licet postea soluendo non sit.

Cur minor non restituatur aduersus solutionẽ tutori vel curatori factam.

Obiectio ad priorem regulam & eius solutio.

si in culpa sit debitor qui curatores non adhibuit, aut iussus à iudice pecuniam minori soluere non appellauit cum posset. l. 7. §. 1. ff. de minor. Non obstant etiam l. 10. prędiorum. & l. 16. si prędium. C. de præd. & al. reb. min. vbi qui soluit minori vel tutori aut curatori eius pretium fundi, irrita postmodum facta eiusmodi venditione, ita demum pretium repetit, si probet illud versum in rem & vtilitatem minoris: sed de ea solutione leges illæ loquuntur, quæ habet originem à contractu nullo, propterea quod decretum non esset interpositũ, quod ibi rectè notat glossa, quo casu ne quidem opus esse restitutione supra docuimus. Cæterum si contractus sui momento valeat, difficilius minor restitueretur, nisi etiam pretium & vsuras pretij solueret. *l. quod si minor. §. restitutio. ff. de minor.* Sed obtinet tamen ex decreto Senatus Parisiensis emptori incumbere onus probandi, commodo minoris pretium rei venditæ cessisse, sicuti docet dominus *Louet* in litt. M. num. 19. *Obiectio altera & responsio ad eam.*

IMP. ALEXANDER A. VILLIIS.

MINVS *ex tutelæ iudicio consecuti de superfluo ita actionem habere potestis, si tempore iudicij minores annis fuistis, & nunc beneficium ætatis vobis largitur. Cæterum si post legitimam ætatem sententia prolata est: iterato eandem actionem de eisdem speciebus inferre non potestis. PP. V. Kal. Febr. Pompeiano & Peligno Coss.* L. 1. C. si aduersus rem iudicatam.

EX superiori rescripto etiam illud constat, minori beneficium restitutionis indulgeri aduersus rem iudicatam, quod & docet hæc constitutio: cui definitioni opponi poterat illa vulgata regula, rem iudicatam pro veritate haberi propter autoritatem iudiciorum. *l. ingenuum. ff. de reg. iu.* ad quam pertinet elegans rescriptum Imp. Hadriani apud Cuiac. lib. 21. obs. cap. 10. ἐὰν ἀρξώμεθα πράγματα καλῶς ἢ κακῶς κεκριμένα μετακαλεῖν, οὐδὲν τετελεσμένον ἔσται. Sed illud euicit minoris ætatis fauor cui impensius ipsæ leges indulgent. Ita demum autem restitutionis beneficio opus est, si tutore adhibito vel curatore minor egerit vel conuentus fuerit: alias sententia ipso iure nulla est. l. 45. acta. §. fin. ff. de re indic. quia vt ad legem superiorem est adnoratum, minor in iudicio standi personam non habet. Item ita demum restituitur si à sententia prouocare non possit, *Res iudicata pro veritate est.* *Minor restitui potest aduersus rem iudicatam.* *Minor non restituitur contra sententiam quando prouocare potest.*

puta si tempus lapsum sit, de quo sup. *in l.1.vt lite pend.vel post pro-uoc.* vel si sententia lata est intra iurisdictionem prioris iudicis, qui vsque ad certam summam ius dicere potest appellatione remota. Igitur si suppetat appellationis remedium ordinarium, frustra extra ordinem cognitione prætoria restitui se in integrum desideraret minor, nisi forte restituatur ad hoc, vt prouocet post bidui aut tridui lapsum, *l.7.§.pen.ff.de minor.* Restitutio autem aduersus sententiam potest peti apud eundem magistratum qui sententiam tulit, quandoquidem non querelam iniquitatis vt appellatio continet, sed vel proprij erroris petit veniam minor, vel aduersarij circumuentionem allegat. *l.præfecti.17.ff.eod.tit.* & contra cuiusque magistratus sententiam potest peti restitutio imo etiam, si res in consistorio principis acta sit, quamquam illud parcissime indulgeatur. *l.18.minor.§.1.ff.eod.tit.* Vno casu omnino non restituitur, scilicet contra sententiam pro libertate latam. l. fin. C. si adu. lib. nam & vbicumque libertas à minore data est, vix retractatur, etiam si apud consilium falsâ causâ allegatâ eam minor dederit. *§.semel.qu. man. non licet apud Iustinian.l.9.si ex causa.§.fin.cum.l.seq.ff.de minor.* vtique si semel extiterit, nam si à minore 20.annis data sit, apud consilium causâ non probatâ ipso iure ex l. Ælia Sentia non competit. *l.3.in fi.C.si adu.libert.* Aduertendum autem in specie huius legis, ita demum minorem restitui aduersus sententiam, si tempore minoris ætatis lata sit, nam si post legitimam ætatem, vtcumque tempore minoris ætatis dictatum sit iudicium & mota controuersia, fine tamen inspecto restitutio locum non habebit, nisi qui contra minorem agebat dolo in tempus ætatis legitimæ traxerit iudicium vt re in maiori ætate iudicata, non esset locus restitutioni *l.3.§.1.ff.de minor.* cui simul ac legi nostræ potest opponi paragr.scio quæsitum in eadem l.3.vbi qui minor se immiscuit paternæ hæreditati, & maior factus debita hæreditaria exegit, & omnia pro hærede gessit: nihilominus initio inspecto admitti potest, vt restituatur aduersus aditionem. Vera est Cuiacij sententia, referre vtrum in minori ætate res sit inchoata, an perfecta. Si inchoata tantum, perfecta vero post maiorem ætatem: tunc finis inspicietur, nec erit restitutioni locus, quod obtinet in iudicio, quod in minori ætate inchoatum est vocatione in ius, vel litis contestatione, absolutum vero in maiori, cum sententia dicta est. Si vero perfecta fuit in minore ætate, quæ vero in maiorem ætatem inciderunt, sint veluti παρακολουθήματα eorum, quæ in minori ætate facta sunt, initio inspecto restitutio indulgebitur, vt in aditione, nam aditio quasi contractus est, qui in minori ætate est perfectus, quæ autem facta sunt in maiori ætate, ea aditionem sequuntur tantum, non etiam faciunt. nec obstat huic distinctioni l.19.qui cum. paragr.2.ff.de bo. lib. vbi si

Peti potest restitutio contra sententiam corã iudice qui eam tulit, secus in appellatione.

Potest etiam peti contra sententiam in cõsistorio principis latam.

Minor non restituitur aduersus libertatem quæ recte data est.

Non petitur restitutio cõtra sententiam tempore maioris ætatis latam, licet sit dictatum iudicium in minori.

Obijcitur paragr. scio quæsitum l.3. ff.de minor.

Solutio & distinctio Cuiacij.

minor 25. annis patroni filius instituerit accusationem capitalis criminis nomine aduersus libertum paternum, & maior factus sententiam acceperit, qua fuerit libertus absolutus, nihilominus initio inspecto non repelletur à bon. possessione contra tabulas liberti: nam respondendum est id fieri quia necesse habuit peragere accusationem, ne in pœnam S. C. Turpiliani incideret. Non obstat etiam l. 7. à liberis. paragr. 1. ff. de lib. causa. vbi si minor 20. annis ad pretium participandum se venundari passus sit, & post 20. annos pretium participauerit, non potest proclamare in libertatem sine inspecto, etiam si negotium & venditio ipsa perfecta sit ante vicesimum annum. Sed hoc ita, quia non venditio ipsum libertate sua facit indignum, sed lucelli participatio, quæ cum facta sit post vicesimum annum, eum impedit quominus in libertatem possit proclamare. His positis eius legis species facile potest expediri. Eius autem sentẽtia hæc est: minorem restitui in integrum aduersus sententiam qua iudicio conuenti tutores absoluti sunt nisi post legitimam ætatem data sit. Hypothesis hæc. Mæuius Viliorum fratrum impuberum tutelam administrauerat: illi suæ potestatis facti, tutelæ iudicio Mæuium conuenerunt autore curatore scilicet: Cum autem minus essent consecuti, quam rationes tutelæ administratæ constabant: Quærebatur an beneficio ætatis possent in integrum restitui: Rem itaque detulerunt ad principem. Imperator rescripsit de superfluo actionem habere posse. Mouebat rei iudicatæ autoritas. Rescripti vtero ratio ducitur ex summo minoris ætatis fauore, propter quem si appareat quædam in priori iudicio omissa, quæ minorum causam iuuabant facile repeti poterit. Neque huic constitutioni obest l. 3. idemque. ff. de reb. eorum. vbi si fundum petente tutore pronuntiatum sit contra pupillum, alienatio valebit: non est enim inde concludendum restitutionem impediri, si ex iuxta causa petatur, nisi semel restitutione petita contra eum sit pronuntiatum. *l. 1. C. si sæp. in int. rest. postul.*

Diluitur argumentum contra superiorem distinctionem.

Alia obiectio proponitur & diluitur.

Sentẽtia & species legis proposita.

Diluitur obiectio petita ex l. 3. ff. de reb. eor.

IMP. ALEXANDER A. FLORENTINO MILITI.

SI *minor annis viginti quinque emptori prædij cauisti nullam de cætero te esse controuersiam facturum, idque etiam iureiurando corporaliter præstito seruare confirmasti: Neque perfidiæ neque periurij me autorem tibi futurum sperare debuisti. Dat. VI. Kal. Septemb.*

L. 1. C. si aduersus venditionem.

Sententia & species legis.

HVius legis illa conclusio: Minorem non restitui aduersus prædij venditionem, si corporaliter iurauerit se eo nomine emptori controuersiam non facturum. Species illa. Florentinus miles fundum suum vendere desiderabat, & cum Titius beneficium in integrum restitutionis veritus ad emptionem nollet accedere, quo maior fides venditioni adhiberetur, iurauit corporalite se aduersus venditionem in integrum restitutionem non petiturum. Nihilominus postea se aduersarij calliditate deceptum vel propria simplicitate & inconsulta ætatis facilitate captum allegans prætoriæ cognitionis auxilium sibi indulgeri expetebat, & cum religione iurisiurandi facile se excludi posse arbitraretur, imperatorem adijt, libello oblato qui seriem rei gestæ continebat. Rescripsit imperator nequaquam minori patrocinari ætatis minus consultam simplicitatem, cum religio iurisiurandi venditionem confirmauerit. Ratio dubitandi non leuis ex superiore rescripto, & iuris ipsa ratione, qua minor restitui in integrum potest aduersus rem contra se iudicatam, aut transactionem à se factam, quibus iusiurandum frequentius comparatur. Ratio decidendi, quod in restitutione, quæ petitur aduersus venditionem iureiurando confirmatam, periurij & perfidiæ quædam species insit, cui indulgere vix æquitati conuenit: Quod nihil simile in transactione, aut sententia intercedit, aduersus quam restitutio petitur. Igitur quia non oportet majestatis imperatoriæ obtentu calumniæ occasionem rapere. *l. pen. ff. de her. inst.* consequens fuit, vt beneficium restitutionis imperator denegaret. Seruanda autem verba legis, quæ loquitur de iureiurando corporaliter præstito: Nam si instrumento tantum per sacramenti religionem minor promisisset, vix est vt restitutio impediretur. *l. 3. C. si minor se mai. dix.* Quid vero vel in hac lege, vel in illa sit corporaliter iuramentum præstare dubitari potest. Plures dicunt ita accipi, tactis sacrosanctis Euangeliis, quod alienissimum à mente imperatorum, qui Christiani non fuerunt: Nisi diceremus hoc verbum (corporaliter) à Tribuniano adiectum fuisse, & aptata fuisse verba constitutionum ad ritus Christianos. Sed speciosius cum Cuiacio tum in parat. hoc loco, tum ad N. 51. dicendum corporale iusiurandum dici, quod manu sublata defertur, vti adhuc nunc fit, ad quod pertinet locus Pindari ode 7. in olymp. ἐκέλευσεν δ' αὐτίκα χρυσάμπυκα Λάχεσιν χεῖρας ἀνθεῖναι: Ibi enim agitur de solenni iureiurando, quod & tradit interpretatio Demetrij Phalerei ad eum locum. Potest etiam illud non incommode dici, iusiurandum corporaliter præstari, si id fiat tactis aris, cuiusmodi ritus passim mentio apud autores veluti apud Virgilium;

Iurare corporaliter quid.

Iurare manu sublata.

Mos tangendi aras dum iuratur.

Tango aras medios que ignes & sydera testor.

Et apud Plautum in rudente.

Tange hanc aram veneris, per Venerem iurandum est tibi.

Igitur si iusiurandum corporaliter sit præstitum, restitutio impedietur, maxime si prolatis sacrosanctis Euangeliis secundum ritus Christianos iuratum sit: quamuis rectè D. Gregor. Nazianzenus in carmine περὶ πολυόρκου tradat nominatim, parum referre vtrum tactis sacrosanctis Euangeliis iuretur, an non, quandoquidem vbique assumpto diuino numine iuratur, quod contemnit quicumque iusiurandum non seruat: Et omnino rectè Martinus episcopus in lib. de quatuor virtutibus Cardinalibus docet eandem pacti & iurisiurandi potestatem esse. *De fide* (inquit) *& religione scias agi, vbicumque de veritate tractatur: Nam si iureiurando Deus inuocatur, & non inuocanti testis est: Tamen non transires veritatem, ne iustitiæ transires legem.* Sed huic constitutioni multa possunt opponi, ac primum l. 9. nam postea. §. si minor. ff. de iureiur. vbi minor restituitur si forte captū se dicat, quod detulerit iurisiurandū ei à quo iudicio aliquid petebat: Sed ibi non restituitur aduersus iusiurandum suum, sed aduersus illud quod detulit, quod potest; cum enim ex omnibus causis restituatur, si vel contrahendo vel quasi contrahendo dispendium senserit, consequens est vt audiatur si inconsulta facilitate litem fidei aduersarij permiserit: Qui autem iusiurandum defert cum aduersario quasi contrahit. *l. 5. §. 2. ff. de peculio.* Obstat etiam l. fin. C. de non numer. pecun. vbi qui emisso chirographo iurauit se pecuniam soluturum, tamen potest solutionem detrectare, si alleget sibi non esse numeratam. Sed hoc ideo, quia iusiurandum nullam causam habet: Qui enim iurauit se soluturum, sperabat pecuniam sibi numeratum iri, cuius nomine Chirographum & iusiurandum emisit, & de ea quæ sibi numeraretur reddenda iurauit: At in hac lege, causa iurisiurandi subest, & quidem vera, scilicet ipse contractus venditionis. Obstat etiam l. non dubium in fine. C. de legibus. ex qua contractus, qui non valet, iureiurando non potest confirmari: Ex qua etiam Cuiac. lib. 22. obseru. cap. 7. illud efficit, generaliter ibi non valere iusiurandum, vbi pactum non proficit: Sed hoc intelligendum, vbi palam iusiurandum impugnat legem aut ius commune, quo irritus aliquis contractus constituitur, tunc enim vt pactum ita iusiurandum vires contractui non tribuit. At in hac specie venditio valuit facta à minore, ideoque iusiurandum, quod præstitit de custodienda ea, ius commune non impugnat, sed beneficium restitutionis, quod magis est ex speciali beneficio quam ex iure communi. Nec refert quod fundus à minore sit venditus, vt videatur non valuisse venditio sine decreto ex constitutione diuorum Seueri & Antonini. *l. 1. ff. de reb. eorum.* nam nihil impedit quominus dicamus decretum intercessisse, cum eam interpretationem verba non reijciant. Deinde si admittamus decretum

Obijcitur l. 9. par. si minor ff. de iureiur.

Solutio.

Qui iusiurādum defert quasi contrahit.

Obijcitur l. fin. C. de non num. pecun.

Solutio.

Obijcitur l. non dubium. C. de legibus.

Solutio.

non intercessisse, poterit intelligi fundũ siue prædiũ vrbanum hic venditum, cuius alienatio poterat fieri sine decreto temporibus Alexandri: Nam oratio D. Seueri & Antonini pertinebat tantum ad prædia rustica; & quod indistincte vetitum fuit, ne prædia minorum vrbana aut rustica sine decreto possent alienari, aut etiam res mobiles pretiosæ, id longo post tempore à Constantino est introductum. *l.22. res quæ. C. de admin. tut.* Obstat etiam locus Harmenopuli lib. 1. tit. 12. §. 65. κατὰ τῆς ἰδίας πράσεως, εἰ καὶ ὅρκον ἐπάγωσιν οἱ ἀφήλικες, ἀποκαθίστανται. cui responderi potest minorem detulisse illic iusiurandum, *vt in d. l. 9. §. si minor. ff. de iureiur.* non vero ipsum iurasse, vt in hac lege, quod verbum (ἐπάγωσι) innuere videtur. Aut dici potest non proponi ab Harmenopulo minorem qui vendiderat corporaliter iurasse. Quibus rationibus subinferri illa potest, visum Harmenopulo nimis seuerum huius legis esse calculum, quod pari facilitate possit minor impelli vt iuret se à contractu non discessurum, qua inducitur ad contrahendum: Quæ ratio facit vt non sit apud nos vsu recepta constitutio huius legis, neque Authentica Frederici imperatoris quæ huic subdita est. Et potest his adijci, potuisse imperatorem in specie huius legis minori qui iurauerat veniam iurisiurandi facere, si hanc sibi dari desiderasset, quamuis Cuiac. aliter sentiat ad d. N. 51. vbi docet tamen principes hanc veniam dare solitos, quod ea ratione fiebat, quia ipsi facti semper Pontifices maximi, vt augustæ maiestati maior cultus & veluti quædam religio accessione pontificiæ dignitatis attribueretur, sicuti Pontificatum maximum, & tribunitiam potestatem, & proconsulare imperium, sibi à senatu delatum vno die ipse imperator Alexander testatur apud Lampridium. Certe de iureiurando & periurio cognitionem pontificum fuisse Plauti locus demonstrat in rudente.

Oppenitur locus Harmenopuli.

Solutio.

Libet iurare: tun' meo pontifex periurio es?

IMP. ALEXNDER A. VALENTI.

Lex vnica C. si aduersus dotem.

QVONIAM *circumuentam dicis sororem tuam omnia bona in dotem dedisse: An veritas allegationi adsistat: Si ad te hæreditas sororis tuæ vel bonorum possessio pertinuit, & tempora nondum præterierint, intra quæ legibus conceditur ex persona defuncti postulare in integrum restitutionem:*

restitutionem: Præses prouinciæ præsente diuersa parte examinabit. D. VI. Id. Iul. Maximo & Paterno Coss.

Legis huius hæc est sententia: puellam minorem 25. annis in dote marito constituenda aut sua ipsius facilitate, aut mariti calliditate circumuentam in integrum restitui & beneficiū eiusmodi ad hæredes transire. Species hæc est. Titia dum nuberet marito dotem dedit, effuso ob eam rem toto patrimonio. Postea in matrimonio decessit Valente fratre ab intestato aut ex testamento hærede relicto aut bonorum possessore. Maritus dotem sibi datam retinet integram ex pacto, aut quia aduentitia dos penes eum remanere solet vt supra positum ad l. 13. C. de neg. gest. Igitur Valens facti inops rei gestæ querelam ad imperatorem defert desiderans sibi subueniri. Rescripsit Imp. ex persona defunctæ si adhuc tempus indulgeat eum in integrum restitutionem petere posse. Illa ratio Valentis desiderium impugnare videbatur, quod nulla lege prohibitum sit fœminam bona sua omnia in dotem marito dare, quod ipse Imp. Alexander constituit in l. 4. C. de iu. dot. Sed hoc ita est verum si iusta ratione id factum sit ab ea muliere quæ maior sit 25. annis, non si inconsulta facilitate id rerum ignara puella fecerit, vt regulæ generalis propositæ in d. l. 4. hanc exceptionem imperator in hac lege posuerit, nisi minor sit quæ dedit, & captam eam fuisse constet. Cæterum olim cum mulier in manum viri conueniebat omnia bona, quæ mulieris erant, dotis fiebant, vt tradit Cicero in Topicis & ibi Boëtius: Hac ratione scilicet, quod eo modo contractis nuptiis in manu & potestate viri erat, & ei etiam vt filia sua succedebat, vt adnotatum ad parat. Cuiacij ad tit. vnde vir & vxor. Sed forte hanc iuris ciuilis constitutionem abrogauerat lex Papia quam dotibus modum imposuisse tradit Cuiacius. *In parat. ff rum tit. ad legem falcid.* Quinimo solebat adultæ dari curator ad dotem constituendam pro modo facultatum, & dignitate natalium, vel etiam ipse tutor constituebat, dum pupilla proxime ad pubertatem accedit & conditio honeste nubendi reperitur *l. 61. semel. 69. cum post. §. nuptijs. ff. de iu. dot.* Et vero in specie eius legis curatoris arbitrio datam dotem intelligendum est, qui omnino doti constituendæ intercedere debet *l. 7. non tantum. ff. de tut. & curat. da. ab his. qui ius dandi hab.* qua ratione in l. 9. si curatores. C. de admin. tut. ipse Imp. Alexāder iubet adultā, quæ nuptura est, adire præsidem prouinciæ, cuius interuentu curatores eius cogantur ad dotem ei præstandam secundum patrimonij modum. Curator itaque, quam commodissime potest fieri, attendere debet, ne fraudem adulta patiatur, ne-ve res eius væneant, si rebus suis non venditis possit honeste nubere,

Sententia & species legis.

Explicatur l. 4. inf. de iu. dot.

Mulier bona sua omnia in dotem dare potest.

Curator vel tutor puellæ dotem ei constituunt.

In causa dotis etiam maior 25. annis mulier restituitur.

d. l. 61. §. 1. Alioquin nedum minor imo & maior 25. annis mulier posset restitui, vt & hîc Cuiac. notat in parat. Quamquam videtur dotis promissionem ipso iure esse nullam *ex d. l. 61.* sed vt idem Cuiac. docet ad l. 9. §. si ex causa. ff. de minor. illud intelligi debet, si curator sciens bona non sufficere dolo malo autoritatem suam interposuerit in dote promittenda. Igitur vbicumque mulier minor 25. annis de dote paciscens eius causam fecit deteriorem, & tale pactum iniit, quod sui consilij & legitimæ ætatis compos factura non erat, restituenda est *l. 48. minor. §. fin. ff. de minor.* idque ex Senatusconsultis obtinet, vtcumque alias summus sit fauor in illis pactionibus tuendis, quæ dotalibus instrumentis continentur, qua de re videndus dn. *Loüet* in collecta decretorum Curiæ Parisiensis in littera M. num. 9. cum his quæ ibi notantur à Iuliano Brodæo summæ eruditionis viro. Ait Imperator in fi. huius legis *ex persona defuncti*, &c. circa quam definitionem dubitari potest, cur restitutionis beneficium indulgeatur hæredibus minoris, cum vt plurimum priuilegia personam afficiant, nec ad hæredes transeant. Exempli causa actio tutelæ priuilegiaria est agente pupillo, sed eiusmodi priuilegium hæredibus non datur *l. 42. ex pluribus. ff. de admin. tut.* In causa dotis idem obtinet agente muliere, non hæredibus eius, nisi filij sint. *l. vn. C. de priuileg. do. & quæ ibi Cuiac. in parat. & gl. ad eam legem.* Sed duæ species priuilegiorum solent constitui: vnum causæ, alterum personæ: quod causam spectat ad hæredes transit, aliud non item. *l. 68. in omnibus causis l. 196. priuilegia ff. de reg. iu.* Restitutio in integrum causam afficit potius quam personam, id est contractum potius quam minorem ipsum, ideo in hæredes transit, vt constat ex hoc loco & l. 61. ff. de restit. in int. & l. Stichum. 95. §. 5. quod vulgo, ff. de solut. Ait Imp. *intra constituta tempora*, id est intra annum vtilem iure antiquo, vel quadriennium cōtinuum iure nouo, quod ex tempore mortis defuncti inspicitur, quæ manifestius constabunt ex his quæ tradit Cuiac. ad d. l. 6. & in parat. C. ad tit. de tempor. in int. restit. tam minor. & al. perf. Quod etiam proponitur in hac Lomnia bona eam quæ nubebat in dotem dedisse hoc accipiendum est, vt puellæ facultates rebus tantum mobilibus vel se mouentibus aut prędiis vrbanis constiterint: nam prędia rustica citra decretum alienari non potuerunt, ergo nec in dotem dari: decreto autem interposito potuerunt etiam ante Constantinum l. 22. lex quæ. §. 1. C. de admin. tut. neque obstat l. ob æs. C. de præd. & al. reb. min. quæ prædium rusticum minoris alienari cum decreto tum demum permittit, si æs alienum vrgeat, nam id ita quia vt inquit Cuiac. lib. 7. obs. cap. 23. æris alieni tantum facta erat mentio in S. C. & orat. diui Seueri & Antonini: verum obtinuit & ad alias causas ęque rationabiles eam extēdi, qualis illa, si dos puellę rustica

Priuilegia vt plurimum ad hæredes non transeunt.

Duæ species priuilegiorum.

Priuilegium restitutionis transit in hæredes.

tantum prædia habenti constituenda sit, vel pro adulto vxorem ducente, qui immobilia tantum habet, donatio propter nuptias sit facienda: nam plerumque honeste nubendi conditio non inuenitur, nisi pecunia numerata in dotem detur. *l.61. fine. paragr. fin. ff. de iu. dot.*

IMP. ALEXANDER A. ANTIOCHO ET ALIIS.

SI aduersus priuatos in integrum restitutionem tam tu quam fratres tui desideratis: præsidu prouinciæ viri clarissimi notio est: isque causa cognita æstimabit, an auxilium, quod imploratis, conseruari vobis debeat. Quod si aduersus fiscũ id postulatis, intelligitis procuratorem meum vna cum præside, præsente fisci patrono, adire vos debere. Dat. Kal. Aug. Alexandro A. II. & Marcello Coss. L.2. si aduersus fiscum rest. post.

HÆc lex docet quinam in integrum minorem possint restituere, & cum hæc cognitio extraordinaria sit, consequens est, vt à solis magistratibus restituatur, quibus lex nominatim indulsit, ac propterea iudices dari non possunt, sed ipse magistratus cognoscere tenetur. Hanc vero cognitionem legem Lætoriam Romæ prætoribus dedisse dicendum est, in prouinciis vero præsidibus earum, in his scilicet casibus, quibus lex dabat restitutionem, nec enim ex omni causa eam indulgebat sicuti postea edicto prætoris est introductum, vt adnotaui ad parat. Cuiac. ff. de minor. His est consequens vt demandari ea cognitio à magistratibus non possit, nam quæ à lege specialiter sunt demandata, ea mandata iurisdictione non veniunt. *l.1. ff. de offic. eius cui mand. est iurisd.* Iure nouo ex l. fin. C. vbi & apud quem. magis eam cognitionem demandari posse dicendum est, quod & Cuiac. probat ad l.3. ff. de rest. in int. Romæ igitur minores per Prætorem restituuntur, in prouinciis per præsides. Hoc ita si inter priuatos res agatur: si inter fiscum & priuatum, Procuratoris Cæsaris vna cum præside cognitio est, adhibito patrono fisci. Procurator Cæsaris est iudex rerum fiscalium in prouinciis. *l.4. & 5. C. vbi causa fisc.* Patronus fisci causas ipsius fisci agit apud Procuratorem Cæsaris, non iudicat ipse: de eo videnda quæ tradit Cuiac. in parat. C. ad tit. de aduoc. fisci.

An possit mandari restitutio in integrum.

IMP. ALEXANDER A. MVTATO.

L. 1. in quibus causis in integrũ rest. necess. non est.

MINORIBVS *viginti quinque annis (præsertim qui per tutores & curatores non defenduntur) non obesse, si mortem defuncti parentis non vlciscantur, innumeris diuorum parentum meorum ac meis rescriptis continetur. V. Id. Maij Alexandro A. III. & Dione Coss.*

Sententia & species legis.

QVod definitur hoc rescripto perspicuum est: scilicet minoribus viginti quinque annis non obesse si mortem defuncti patris non fuerint vlti. Species hæc. Titius occultis insidiis petitus occubuerat aut veneno, aut ferro. Mutatus filius minor 25. annis de nece patris quæstionem nullam sicariis vel veneficis intulerat, ideoque fiscus ei quasi indigno hæreditatem auferre volebat. Mutatus Imperatorem consulit. Rescribit Alexander eam negligentiam filio non obesse. Ratio dubitandi non modica, quod is crimen contrahat qui necem defuncti, cuius hæreditatem nanciscitur, non est vltus, vnde etiam dicitur crimen inultæ cædis in l. 6. minoribus. C. de his qu. vt ind. quæ ad eandem quæstionem pertinet & est eiusdem Imperatoris. At crimina minoribus non condonantur, & eo nomine restitutionem petentes non admittuntur, quod ille frustra leges inuocet, qui contra leges committit l. auxilium in fi. ff. de minor. Ratio decidendi est, quod eiusmodi delictum magis ignorantiâ & inconsultâ negligentiâ contrahitur, quam ex animi prauo affectu descendit, ideoque facile minori viginti quinque annis gratia eius delicti facienda, imo nec restitutione opus habet, quasi tempus in minori ætate non currat. Hac ratione olim etiam minoribus, qui plus petendo causa cecidissent, succurrebatur, quia id ex ignorantia venit. *paragr. 33. si quis. de action. apud Iustin.* & similiter si mater minor 25. annis tutores filiis impuberibus non petierit, propterea emolumentum Tertulliani S. C. in successione eorum non amittet, quia culpam tantum contraxit non etiam dolum admisit. *l. fin. C. si adu. del. rest. post.* Dolus est, si quis post vicesimum annum ad pretium participandum se venundari passus sit, quia libertatis suæ quodammodo proditor est, vel cum propter ingrati animi vitium in seruitutem retrahitur: ideoque ex his causis neque in libertatem minor potest proclamare, neque in integrum restitui: sed iure ciuili seruus fit. *l. 6. paragr. proinde. ff. de restit. in int. l. 1. &*

In delictis minoribus non succurritur.

Delicta minoribus condonãtur, quando per ignorantiam iuris ciuilis delinquerũt.

Minoribus 25. annis nõ succurritur per restitutionem cum seipsos venundederunt.

2.*ff. quibus ad libert. proclam. non licet.* §.*fin. de iu.perſ. apud Iuſtin.* & eo pertinet quod ait I.C.in l.9.§.4.Papin.ff. de minor. rem non capere reſtitutionem dum minor ſtatum mutat,ſcilicet dum maximam capitis diminutionem patitur, nam ſecus ſi minimam. *l.* 3. §. *ſi quis minor.ff.de minor.* Si autem minor ex cauſa contumaciæ condemnatus ſit,vel eremodicium contraxerit, id eſt litem iam conteſtatam deſeruerit reſtitutioni locus eſſe poterit.*l.*7.§.*fin.cum l.ſeq.ff. de minor.* quia ſcilicet cauſari poteſt iudiciorum ignorantiam, quo fit vt nec ſine curatore poſſit litigare adultus, vt dictum fuit ad l.2. ſup. ſi tutor vel curat. interuen. & non diſſimiliter ſi in commiſſum minor inciderit vectigali non exoluto reſtituetur colore ignorantiæ: Nam ſi dolus à minore interueniſſe proponatur, ceſſabit reſtitutio *d.l.* 9. §. *pen.* ſicuti non reſtituitur ſi in commodato vel depoſito fraudem admiſerit, furtum fecerit, damnum iniuria dederit, vel quo alio modo conſilij calliditate deliquerit. *d.l.* 9. §. *nunc videndum*, quia vt rectè Imp. Alexander in l.7. inf. de pœnis, impunitas delicti propter ætatem non datur. Si tamen poſt delictum, cum minore pœna defungi poſſet, ſimplicitate ætatis incidit in maiorem, reſtituetur. *d.l.9.paragr.ſed ſi.* Qua ratione cum puella minor viginti quinque annis eripi ſibi pudorem virginitatis paſſa eſſet, & dotem ei aſſignare iuſſus eſſet flagitij auctor, ac de ea poſt modum tranſegiſſet, reſtitui eam Senatus Pariſienſis iudicauit, quia licet eius dotis cauſa ex delicto veniret, tamen principaliter pecuniæ cauſa intererat. Cæterum huic conſtitutioni quam exponimus obſtare videtur auth. captiui C. de epiſc. & Cler. quæ ſumpta eſt ex N. 115. ex qua qui eſt natus annos octodecim, & patrem vel cognatum ab hoſtibus captum non redemit, non ſolum exhæredari poteſt, ſed etiam ipſi hæreditas ex teſtamento vel ab inteſtato delata eripitur; quod hac diſtinctione dilui debet, vt dicatur in eo qui defuncti patris vel alterius mortem non vlciſcitur verſari tantum ignorantiam iuris ciuilis, quæ poteſt hoc colore excuſari, quod minor non arbitratus ſit vindictam defuncto nihil profuturam repeti debuiſſe ab his qui cædem fecerunt, aut cædis quoquomodo conſcij ſunt: At in ſpecie d. auth. is qui captum non redemit, quodammodo iuris naturalis certas rationes ignorare, aut diſſimulare cenſetur, cum ipſa captiuitatis miſeratio ſatis verecundiam ſucceſſuri hæredis pulſauerit & admonuerit, cui propterea non eſt parcendum, ſi regulas pietatis, quas quiſque inſcriptas & inſculptas in animo habet, dicat minor ſe neſciuiſſe, quas nemo bonus non ſatis habet perſpectas, vt etiam illarum ignorantia ruſticis non condonetur. *l.2.C.de in ius voc.* quorum tamen cum minoribus frequens comparatio eſt.*l.cum de indebito.§.fin autem.ff.de probat.*

Minor ex cauſa contumacia condemnatus poteſt reſtitui.

Ob non ſolutum vectigal minor reſtituitur, & quando.

Senatus conſultum Pariſienſe proponitur.

Obijcitur auth. captiui. C. de epiſc. & Cler.

Solutio.

Ignorantia iuris naturalis non condonatur.

IMP. ALEXANDER A. CONONIDI.

Lex 1. C. qui & aduersus quos in integrum restitui non possunt.

IN consilio quidem cognoscentis de restitutione in integrum esse oportet, num is, qui se minorem annis læsum esse dicit, diligens paterfamilias fuerit, actibusque publicis industrium se docuerit, vt lapsum eum per ætatem verisimile non sit. Verum si causa cognita circumuentus deprehendatur: Propter hoc solum velut præscriptione à solito auxilio remoueri non debet, scilicet quod vrgentibus patriæ necessitatibus decurio minor annis creatus sit, vel prorogandæ soboli liberorum educatione prospexerit. PP. X. Kal. Octobr. Lupo & Maximo Coss.

Minoribus succurritur ex omni causa.

VErum illud est minoribus generaliter, in his quæ omiserint aut ignorauerint aut gesserint, siue contractus sit siue quid aliud, succurri: nam cum fragile sit & infirmum illius ætatis consilium, multorum captionibus supponatur, & plurium insidiis pateat, visum est eis ex prætoris iurisdictione opem ferri. *l. pen. C. de in int. rest. min. l. 1. & 7. in pr. ff. de minor.* nec indistinctè tamen & passim admitti eo obtentu minores debent, sed ita demum si capti sunt, cum enim non sit indulgendum malitiis hominum. *l. in fundo. ff. de rei vind.* minor incolorate restitutionem desiderans excluditur. *l. 18. minor. §. 1. ff. de minor. quia non vt minor*, sed vt captus restituendus est. *l. 9. nam posteaquam §. si minor. ff. de iureiur.* captus autem non est qui iure communi vtitur. *l. fin. C. de in int. rest. minor.* secundum quam distinctionem rectè definit Papin. inter fideiussores actione diuisa, qui ante litem contestatam soluendo erant, non restitui minorem, si quidam ex his postea soluendo esse desierint. *l. 51. inter. §. pen. ff. de fideiuss.* Igitur si minor sobriè res suas administret, vt sunt plures exactæ diligentiæ & nauitatis in rebus agendis, ætatis obtentu non restituetur, etiamsi reipsa damnum patiatur, veluti si seruum necessarium sibi emerit, quem postea fatum humanæ sortis euicerit: Illud enim incommodum propter ætatem non patitur, quod diligens paterfam. erat sensurus: Inconsulta autem facilitas, non damni euentus restitutionem parat. Quod si forte hæreditatem adijt minor, in qua plures res erant mortales, quas non distraxerit, vt

Minor restituitur tantum si captus sit.

Captus non censetur qui iure communi vtitur.

Casus fortuitus non præstat minori restitutionem, nisi illum casum culpa præcesserit.

graue æs alienum exolueret, deinde illæ perierint; quia damnum paritur, quod non erat passurus rerum suarum moderator industrius, facile restituetur, vt aditam à se hæreditatem possit repudiare, cum id damnum culpâ suâ & ætatis simplicitate passus sit. *l. 11. verum. §. sciendum cum seq. ff. de minor.* Igitur causæ disquisitio erit in consilio eius qui de restitutione cognoscet, vt definit Imp. Alexander in hac l. Et vero intercedunt species quædam, in quibus etiam omnino restitutio denegatur, quarum quædam superioribus rescriptis sunt expositæ.

Non restituitur minor, qui veniam ætatis impetrauit.

Possunt & aliæ adijci, veluti si minor veniam ætatis impetrauerit, quod puella decem & octo annos nata, masculus post vicesimum annum potest: Nec enim audietur postea, si restitui desideret, ne qui cum his contrahunt, principis autoritate decepti videantur, cum princeps beneficio suo eos ad vicem maiorum redegerit. *l. 1. C. de his qui ven. æt. Imp.* Dico principem ad vicem maiorum redegisse, quia in omnibus & per omnia pro maioribus non habentur, & ideo legatum sibi relictum cum erunt legitimæ ætatis, quasi maiores statim non consequentur, sed ita demum, cum ipso temporum transacto curriculo vicesimum quintum suæ ætatis annum impleuerint. *l. fin. C. eod. tit.*

Qui veniam ætatis impetrauit in totum pro maiore non habetur.

Sed nec omnino liberam habebunt bonorum suorum administrationem: Nam ex Constantini constitutione primum ante vicesimum quintum annum prædia sua alienare, deinde ex constitutione Iustiniani eadem obligare pignori sine decreto non possunt. *l. 2. & 3. C. eod.* & solet eisdem, qui ætatis veniam à principe impetrauerunt, vsque ad ætatem legitimã dari curator ad lites, vt perinde ac minores nõ possint sine eius autoritate inferre vel suscipere iudiciũ.

Illis qui veniam ætatis impetrauerunt datur curator.

Hæc etiã causa impedit restitutionem, si minor omiserit hæreditatem, eamque repudiauerit quasi damnosam, mox purgatis rationibus hæreditatis, rebus omnibus etiam distractis ad paratam pecuniam laboribus substituti venire desideret. *l. 24. quod si minor. §. Scæuola. ff. de minor.*

Non restituitur minor qui vult venire ad pecuniam labore & industria aliena paratam.

Cui tamen recte gl. opponit l. fin. in fi. C. de repud. vel abstin. hæred. quæ constituit minorem, qui se abstinuit ab hæreditate paterna, etiam rebus distractis restitui posse: Sed respondendum in d. §. Scæuola per substitutum bona fuisse distracta, & rationes hæreditatis implicitas ab eo explicatas, vt iam iniquum sit industriæ suæ emolumentum auferri, & euentum meliorem alteri prodesse, cum restitutionem minor non esset postulaturus si, vt erat antea, adhuc hæreditas negotiosa esset, & incerta spes lucri ex eius aditione prouenturi *arg. l. pen. C. de euict.*

Diluitur argumentum & obiectio petita ex l. fin. C. de repud. hær.

At in d. l. fin. per creditores res erant distractæ, quorum nihil interest restitui minorem, modo quod suum est consequantur. Non incommoda etiam erit hæc ratio, licet hanc gl. non probet, d. §. Scęuola esse intelligendum de minore extraneo hærede, qui sibi delatam hæreditatem omiserit aut repu-

Liberi omissam hæreditatem parentum suorum facile recipiunt.

diauerit: d. vero legem si. de suo, qui facilius admittitur ad hæreditatem paternam quam spreuit, nam etiam filius suus maior, rebus non distractis, hæreditatem paternam, qua se abstinuerat, potest recipere. *l. 8. suus. ff. de iu. delib.* & emancipatus omissam bonorum possessionem contra tab. vel vnde liberi, rebus integris repetere non prohibetur. *l. 8. nonnumquam. ff. de bon. collat.* vt nec filius maternam successionem, quam adire noluerat, mutata voluntate adire vetatur. *l. 6. filij. §. 1. ff. ad S. C. Tertull.* vtique si alius nondum hæreditatem adierit, aut bonorum possessionem petierit agnatus aut cognatus proximus, & tempus, intra quod liberi vocantur, non præterierit. *l. 1. C. de repud. bon. poss. l. 1. §. sed videndum. ff. de success. edicto.* ad quam definitionem referri debet species l. 2. C. de iu. & fa. ignor. quæ ait filium aut filiam sera prece sibi subueniri desiderare, qui quæ-ve maior viginti quinque annis hæreditati matris suæ renuntiauit.

Non restituitur filiusfam. minor qui iussu patris mutuum accepit secus in aliis contractibus.

Causis non admittendæ restitutionis supra allatis, & illa quoque accedit, si minor filiusfam. iussu patris mutuam pecuniam accipiat: nec enim etiam suo nomine conuentus rectè petet restitutionem. *l. 2. C. de filiofam. min.* licet ex aliis causis iussu patris contrahenti prætor succurrat, si cum eo creditor experiatur. *l. 3. §. sed vtrum. vers. proinde & vers. si igitur. ff. de minor.*

Ratio prioris definitionis.

Rationem eo loco Cuiacius idoneam adfert, quia scilicet cum in causa mutuæ pecuniæ filiisfam. minoribus aut maioribus iniussu patris creditæ creditores maxime premantur, vt ex S. C. Macedoniano eius repetitionem non habeant: Hactenus visum est eosdem alleuari cum patris iussus intercessisset, vt ne quidem filiofam. minori iussu patris mutuam pecuniam accipienti prætor succurreret.

Denegatur restitutio si minor maior factus ratum habuerit.

Proxima superioribus hæc causa succedit vt denegetur restitutio, si negotium in minori ætate gestum maior ratum habuerit & comprobauerit. *l. 1. & 2. C. si ma. fa. rat. hab.* licet enim ex his, quæ à minore gesta sunt, maior factus habeat restitutionem in integrum intra annum vtilem iure antiquo, intra quadriennium iure nouo: Tamen id ita est accipiendum, nisi negotium posteà ratum habuerit aut beneficio prætoris renuntiauerit. *l. 30. si filius. ff. de minor.* quam definitionem non euertit lex 3. §. scio quæsitum. ff. de minor. nam qui hæreditate adita maior factus debita exegit aut negotia peregit hæreditaria, non tam ratam habet aditionem, quam consequentia quædam aditionis fecit, vt quasi gestor negotia administraret, vti iam traditum sup. ad l. 1. si adu. rem iudic, quod tamen hanc admittit quæstionem, vtrum etiam appareat an id fecerit, quo ratum haberet quod in minore ætate gestum fuerat & hoc casu non restituetur, quod & Duareno placet ad tit. si maior fa. rat. hab. nam etiam ex solo silentio maior factus beneficium restitutionis amittit vt docet Paulus lib. 1. sent. tit. de minor. Sed nec restitutione opus est, si minores nihil gesserint.

rint. Itaque si curator ipsis datus perperam se excusauerit: quia nullum ibi minoris factum, quo læsus sit minor, restitui non debet, quamuis principis interuentu debeat curator ad administrationem reduci. *l. 11. verum. §. ex facto. ff. de minor.* Præter superiores species illa etiam causa impediet restitutionem, si appareat beneficium prætoris magis peti ad commodum maioris alicuius, quam ipsius minoris qui quid gessit & contraxit, quandoquidem non prætoris ea mens, vt alij quam ipsi minori, cuius periculũ & damnum versatur, succurrat: Ideoq; si seruus minor vel impubes peculiũ sibi à domino maiore 25. annis cõcessum habeat, & contrahendo captus sit: ex persona serui dominus non restituetur. *l. 3. §. fin. cum l. seq. ff. de minor.* quod idem in minore qui mandatu eius, qui maior est, aliquod negotium explicuit, in quo captus est, non enim restituetur, quia non ipsius sed mandantis interest, nisi forte ea sit conditio mandantis, vt ab eo seruare non possit quod impendit, quia soluendo non est: tunc enim ne in damno moretur ipse minor, restituendus est. *l. 23. ff. eod. tit.* Seruus ipse nunquam restituetur quia eius interesse non potest, nec suum habet quicquam, nec standi in iudicio ius habet, vno dumtaxat casu excepto, qui proponitur in l. 5. eod. si ei debeatur libertas per fideicommissum, nec eam petiit stato tempore, vnde moram sensit: nam hactenus restituetur, vt in eadem causa sit, ac si stato tempore repręsentata esset libertas; & hoc tamen casu, potius restitui censetur vt liber, quam vt seruus: deinde ipsi soli prodest commodum restitutionis, non alij. Eadem ratione, si filiusfam. minor iussu patris extra causam mutuæ pecuniæ contraxerit, vel peculium habens ipse suo nomine & ex suo ipsius contractu conueniatur, vt potest: quia iudicij est capax, restitui poterit, sed restitutio patri non prodierit, si conueniatur actione quod iussu, vel de peculio propter contractum filij. *l. 3. §. sed vtrum. cum seqq. ff. de minor.* qua in re pugnat l. 23. cum mandatu. ff. eod. quæ constituit filiumfam. minorem mandatu patris contrahentem non restitui; quod ita potest intelligi, si ipse non conueniatur sed pater: vel cum Cuiacio *tr. 7. ad Africanum, & ad tit. de minor. ad. l. 3. §. fin.* separandi sunt duo illi casus. In primo filiusfam. qui iussu patris contraxit, ipse obligatus suo nomine censetur, ac propterea restitui debet, si aduersus eum agatur: in secundo cum mandato patris rem gessit, pater non ipse obligatus est, ac propterea restitutione opus non habet, cum obligatio in eius persona nulla hæreat, propter quam restitui debeat. Pugnat etiam l. 27. patri. eod. tit. vbi dicitur patri pro filio dandam restitutionem, licet filius restitui nolit, quia patris periculum agitur, qui de periculo tenetur. Sed respondendum in ea specie filium ipsum non patrem conueniri, ideoque patri restitutio indulgenda est non suo sed nomine filij: quod pla-

Minor non restituetur nisi cum ab eo gestum est aliquod negotium.

Non restituitur maior per minorem.

Dominus maior non restituitur ex persona serui qui minor est.

Restitutio minoris filijfam. non liberat patrem actione quod iussu vel de peculio.

Obijcitur l. 23. ff. de minor.

Solutio.

Obijcitur l. 27. eod. tit.

Solutio.

cet Cuiacio in Paratitlis. C.ad tit.de filiofam.min. Sed & si minor

Casus quo restitutio minoris prodest maiori.

maioris negotiis administrandis se obtulerit sine mandato, & captus sit, restitutioni locus erit, quia iniquum esset eum cuius negotia gessit minor in damno versari, cum nihil possit ei imputari qui nec mandauit, nec ratum habuit, quod minor sua sponte in eius negotiis præstitit. *l.24. quod si minor in pr. ff. de minor.* Priori definitioni

Restitutio minoris non prodest eius fideiussori.

proxima est illa, ita restitui minorem, vt tamen restitutio eius fideiussori, qui pro eo intercessit, non prosit, ne in necem creditoris id fiat, qui magis fideiussoris, quam minoris fidem secutus est. *l. 1. C. de fideiuss. min. l.13. in causa. ff. de minor.* quod vtique verum est, nisi prop-

Prima exceptio superioris regulæ.

ter dolum aduersarij restitutus sit minor, nam quia hæc causa etiam maioribus præstaret restitutionem vtique fideiussori proderit. *l. 2. C. de fideiuss. min.* & multo magis si fideiussor fidem suam adstrinxe-

2. exceptio.

rit pro eo, quem maiorem esse credebat iusta facti ignorantia ductus, ad quod pertinet Pauli locus lib.1. sent. tit.9. vbi dicitur fideiussori qui sciens prudensque se obligauit nõ succurri: secus igitur, si ignorans. Et Vlpianus in l.3. §. sed vtrum. ff. de minor. ipsis interdum succurri ait, quod de illo casu intelligendum, cum eũ pro quo intercedebat minorem esse nesciuit. Adijcit etiam Cuiac. in Parat.

3. exceptio.

C. ad tit. de fideiuss. casum alium, videlicet si aduersario, apud quem pro minore intercessit, salua sit translatio iudicij in alium: veluti si minor quasi hæres fideiussorem dederit, mox ab hæreditate se abstinuerit: nam vt ipsi, ita fideiussori eius hæreditatis causa obligato succurritur, quia creditores saluam habent actionem contra substitutum minoris, eosve ad quos propter abstentionem minoris bona peruenerunt. *l. 89. si pupillus. ff. de acquir. hæred. l. 2. §. fin. ff. de admin. tut.* quod idem erit, si minor pro aliquo litem suscipiens dederit eo nomine fideiussorem, nam restitutio eius proderit fideiussori, quia integra iura remanent eius, contra quem procuratorio nomine egit

Diluitur obiectio petita ex l.35. ff. de recept. arb.

minor, *l. 51. si minor. ff. de procurat.* neque obest l.35. si pupillus. ff. de recept. arb. vbi si pro pupillo, qui in arbitrum cum aduersario de lite compromisit, aliquis fideiusserit pœnã in stipulationem deductã, & contra pupillum sententia lata sit, ipse quidem pupillus pœnæ nominẽ non tenetur, sed fideiussor obligatus remanet, licet sententiã arbitri irritã manente, aduersario causa sit in integro: sed ibi nulla translatio iudicij est pœnæ nomine, nisi in ipsum fideiussorem, ac propterea ad pœnam ipsam obligatus remanet. Certè illud

Exceptio Macedoniani & Velleiani fideiussoribus mulieris vel filijfam. datur.

in dubium non venit, fideiussori minoris filijfam. qui ex causa mutui est obligatus eandẽ Macedoniani S.C. exceptionem competere, quæ ipsi minori quandoquidem etiam si maior esset filiusfamil. tamen vt eius obligatio principalis, ita accessoria fideiussoris ex S.C. infirmatur: nec illa exceptio datur ratione ætatis, sed ratione patriæ potestatis, cui subiectus est is qui pecuniam accepit. *l. 9. si*

paterfam.§.non solum.ff.ad S.C.Maced. & l.2.ff.quæ res pign. nec obstat quod filiusfam.sit naturaliter obligatus, cum eius, quod post emãcipationem aut patris mortem soluerit, non habeat repetitionem. *l.qui exceptionem. ff. de cond.indeb.* vt per hoc obligari fideiussorem etiam ciuiliter dici possit: *§.1. de fideiuss. apud Iustin. iuncta enarratione Theophili.* nam hoc verum est, cum principalis obligatio non est contra iuris ciuilis interdictum: At cum ius ciuile palam & expresse impugnat & impedit principalem obligationem in eo qui alias potest ciuiliter obligari, vt in mutuo dato filiofam, naturalis quæ remanet retinere non potest fideiussoris obligationem: quod secùs obtinet in seruo pro quo quis fideiussit, nam quia in eius persona nulla potest hærere ciuilis obligatio sed naturalis tantum, is qui pro reo se obligat & ciuiliter & naturaliter obligatur. Idem constituendum in pupillo qui sine tutoris autoritate contraxit vel in eo cui bonis interdictum est, qui sine curatoris interuentu contrahit: nam pro his fideiussor datus non tenetur. *l.6. si eui. ff.de verb.obl. l.70. fiã reo. paragr. pen.ff.de fideiuss.* quia enim in his est perpetuum illud, vt obligari non possint sine curatoris aut tutoris autoritate, consequens est vt fideiussor pro his intercedens sine tutore aut curatore contrahentibus non obligetur. Contra quam definitionem tamen pugnat l.25. Marcellus. ff. de fideiuss. quæ fidem suam pro his spondentes fideiussores obligari ait vtiliter. Dici potest cum Cuiacio ad d.l.6. in specie legis Marcellus iure esse obligatum pupillum & furiosum, licet tutor aut curator non interuenerit, quia forte ex re obligatio veniebat, quod socius aliquid impendisset in fundum cum his communem, quo nomine sine tutoris aut curatoris auctoritate rectè obligantur. *l.46. furiosus. D. de obl.& act.* Sed huic solutioni obstant verba d. l.25. ex quibus arguitur fideiussorem, qui ex fideiussione sua soluerit, nullam habere mandati actionem contra pupillum aut furiosum, qui ageret tamen si iure essent obligati. Quare rectius dici poterit cum Duareno ad d.l.6. in ea l. 25. adferri, non etiam probari Marcelli sententiam, qui arbitrabatur generaliter fideiusorem pro pupillo aut furioso sine tutoris autoritate negotium instituente fidem suam adstringentem obligari & ciuiliter & naturaliter. Sed & illud dici non incommodè potest, in specie d.l.25. ex re obligationem nasci vt Cuiacio placet, & quod dicitur mandati actionem non habiturum fideiusorem, id accipiendum, ipso iure & ex fori disciplina, sed tamen ex constitutione D. Pij habiturum actionem, cum locupletiór factus sit pupillus. *l.1. §.fin. cum l.seqq. ff. commod.* His generaliter cognitis quæ ad causas dandæ vel denegandæ restitutionis arbitrio prætoris vel magistratus expendẽdas pertinent, sententia huius constitutionis & speciei quoque breuiter est proponenda. Sententia hæc est: in consilio

Fideiussor datus à pupillo qui sine tutoris autoritate contraxit non tenetur.

Superiori definitioni obijcitur l. 25. Marcellus. ff. de fideiussoribus.

Solutio.

Pupillus locupletior factus ex cõtractu tenetur ciuiliter.

Sententia legis proposita.

cognoscentis esse, num minor restitui desiderans audiri debeat, nec idoneam causam impediendæ restitutionis esse, quod minor numero liberorum sit subnixus, aut munus publicum ab eo sit administratum. Species hæc est. Sempronius annos natus viginti duos, tres liberos ex matrimonio suo susceperat, aut vrgentibus patriæ necessitatibus decurio creatus fuerat: cum autem quemdam contractum aut negotium instituisset, restitui desiderabat: refragabatur aduersarius: Quæsitum fuit ab imperatore, an deberet restitui: rescribit Imp. illud in consilio cognoscentis esse debere, num ipse minor diligens paterfam. fuerit, actibusque publicis industrium se docuerit, vt lapsum eum per ætatem verisimile non sit. Videbatur in totum denegari restitutionem, idque suadebat honoris publici administrati ratio, ex qua videbatur pro maiore habendum eum: quo nomine Rex Theodoricus apud Cassiodorum lib. 2. var. cap. 38. *Iuuenes nostri*, inquit, *qui ad exercitum probantur idonei, indignum est, vt ad vitam suam disponendam dicantur infirmi, & putentur domum suam non regere, qui creduntur bella posse tractare: Gotthis legitimam ætatem virtus facit.* Illa etiam ratio desiderium minoris impugnare videbatur, quod fauore quodam πολυπαιδίας singuli liberi singulorũ annorũ numerum expleant, vt qui tres habet liberos, & expleuit annũ ætatis suę vicesimum secundum, pro maiore haberi debeat. Ratio vero decidẽdi hæc est, quod minori in dispẽdium verti non debeat honos in eum collatus, cũ illud quod fauore cuiusquam institutũ est, ad eiusdem incommodum recidere non debeat. *l. 6. quod fauore. Cod. de legibus & const. princ. & edictis.* Et quod etiam anni singuli per singulos liberos remitti dicuntur, hoc ad honores pertinet, non quo restitutionis beneficio careant, si iudex examinata fide veri captos eos inueniat. *l. 2. ff. de minor.* Sed nec pugnat Cassiodori locus supra allatus, nam militibus minoribus 25. annis rerum suarum administratio tantum permittitur, non restitutionis beneficium denegatur. Et quod etiam in hac lege constituitur vt perpendat iudex an minor sit industrius, eô non pertinet, vt propterea ei restitutio denegetur, sed vt inde coniectura possit duci, facile non fuisse circumscriptũ. Ex hac autem constitutione constat, etiam eum qui minor est vigintiquinq; annis decutionẽ fieri posse, quod fieri tamẽ nõ debere ipse imperator satis perspicue docet, nisi vrgentibus patriæ necessitatibus, vel vt ait I. C. ex causa. *l. 11. nõ tantũ. ff. de decur.* Quinimo etiã dum perueniant ad legitimã ætatem, suffragium inter cæteros ferre non possunt. *l. 6. §. 1. eod. tit. l. 8. ff. de muner. & honor.* Finitus igitur honoribus annus 25. & quidem completus in eis quibus administratio aliqua pecuniæ publicæ continetur. *d. l. 8. §. fin.* in aliis pro impleto cœptus habetur. *l. 74. qui filium. §. fin. ff. ad S. C. Trebell.* & numerus liberorum etiam in his honoribus annos supplet ætatis vt

Species eiusdem.

Liberi explent numerum annorum in honorib.

Decurio potest fieri qui minor est vigintiquinque annis.

In honoribus annus cœptus habetur pro completo.

dictum est. Interdum etiam ex indulgentia principis consulem minorem viginti annis fieri posse docet. *l. vn. §. consules. ff. de consulibus*. Et hæc in noua republ. sub principibus à tempore Augusti, nam in vetere dum comitia erant penes populum, magis est vt non patuerit honoribus aditus nisi his qui annum 30. implessent imo nec consul vllus nisi 43. impleslet, quod Cuiac. docet lib. 17. obs. cap. 34. & lib. 21. cap. 32. iure ciuili iudicandi officio fungi potest, qui impleuit vicesimum annum *l. quidam. ff. de re iud.* quamuis Cuiacius ad *l. 1. qui at. se excus. lib.* 10. C. requirat vicesimum quintum, & d. l. quidam referat ac casum specialem, non ad ius commune. Certe Tiberius apud Tacitum lib. 4. annal. auctor senatui censendi fuit, *ne quis mobiles adolescentum animos præmaturis honoribus ad superbiam extolleret*. Iure Francico magistratus officio fungi non potest, qui non impleuerit vicesimum quintum annum, etsi plerumque huic legi fraus fiat: Magistratum tamen aut iuridicinam adepti semel restitutionis beneficium amittunt, cum nullus eius petendæ color alius foret, quam quod dicerent circumuentas à se leges falso ætate probata, vt honores adipiscerentur: Deinde quod is qui cum ipsis contrahit iustam contrahendi causam habuisse censeatur, vt iniquum sit fide publica aliquem decipi. Quandoquidem vero tam sæpe cruda adhuc iuuentus & prorsus ignara omnisque expers disciplinæ & iudiciorum in forum iudicandi causa protruditur concinnatis natalium suorum falsis professionibus: forte præstaret edicto publico moderari rigorem constitutionum regiarum, quam impudenter falsas babtisterij tabulas proferri, in quarum confectione periclitatur conscientia Sacerdotum, aut plebanorum Ecclesiæ, & illud est summæ procacitatis, quod & qui eas proferunt præcoci ambitu cæci vltro crimen admittant, & hi apud quos proferuntur scientes prudentesque fucum sibi fieri patiantur, vt fere oporteat insolenter officium suum administrare eos, qui tam indignis actibus illud auspicantur. Quia autem in hac lege decurionis mentio incidit, repetendum est ex Cuiac. in parat. ff. rum eum esse senatorem municipalem: sic autem vocati sunt quia cum coloniæ deducebantur decima pars eorum qui ducebantur consilij publici gratia conscribi solita erat. l. 239. pupillus. §. decuriones. ff. de verb. signif.

Quæ nā ætas in honoribus requiratur.

Decuriones qui & vnde dicti.

IMP. ALEXANDER A. MAXIMIANÆ.

SI *cum maior viginti quinque annis esses, tabulis, quæ sunt tuarum professionum oblatis tibi, ætatem quasi ma-*

Lex 1. si minor se maiorem dixerit.

ior annis viginti quinque decepta probasti: In integrum restitutionem intra statutum legibus tempus, etiam post impletam ætatem de omnibus intra eam ætatem aduersus te gestis, postulare apud eum, cui de ea re iurisdictio est, potes. PP. XII. Kal. April. Maximo & Paterno Coss.

Minoribus deceptis non decipientibus fauent iura.

PRoponitur hoc tit. causa alia non admittendæ in integrum restitutionis. si minor dum contrahit dolo malo se maiorem finxerit, vt enim de S. C. Velleiano Seueri Imp. rescripto hæc cauebantur Vlpiano referente *in l. 2. §. sed ita. ff. ad S. C. Vell.* γυναιξὶν ἀπατηθείσαις οὐκ ἀπατησάσαις συγκλήτου δόγμα βοηθεῖ: Ita minoribus decepris non decipientibus fauent iura, & vt dictum etiam supra, frustra leges inuocat, qui cõtra leges committit. Certum itaque est illo casu restitutionem denegari. *l. 2. C. Gregor. si maior prob. fu. l. 2. hoc tit.* quod vtique verum, si id nesciuit aduersarius, aut cum sciret & allegaret eum minorem, nihilominus iudex eum esse maiorem pronũriauerit, vt necesse fuerit parere iudici iubenti rem solui minori vt maiori. *l. 7. §. permittitur. l. 32. minor. ff. de minor.* Alioqui si fraudem potius passus est minor quam fecit, prolatis non à se, sed ab eo cum quo paciscitur, professionum tabulis, ex quibus falso ætas probabatur restitutionis beneficium non denegabitur. *l. 7. de tutela. C. de in int. rest. min.* cuiusmodi species in hac lege proponitur, vbi Maximiana decepta callido aduersarij consilio tabulis professionum ab eo concinnatis temere credens quasi maior esset 25. annis negotium aliquod instituit, nec enim eo obtentu à minoris beneficio arcebitur: Vt nec arcetur casu alio si pro patre fideiusserit, & eo nomine se maiorẽ dixerit, vt iudicarũ refert Iul. Brodæus meritissimis fori Parisiẽsis Aduocatus. Hoc notandũ olim vnũquẽq; natos sibi liberos apud acta publica profiteri solitũ, & inde ętatis probatio eruebatur, & eiusmodi probationes dicebantur παιδογραφίαν. *l. 2. ff. de excusat. tut.* de qua re plura Cuiac. hoc loco in parat. & Lipsius ad Tacitum lib. 5. annal. in excursu. Hodie probatur ætas ex monumentis publicis confectis ab ecclesiarum plebanis, pro-vt Christianorum quisque aquis baptismalibus tinctus in album Christi redigitur.

Ad Dn. Louet litt. M. num. 7.

L. 2. C. si sæpius in integrum restitutio postuletur.

IMP. ALEXANDER A. IVSTO MILITI.

QVAMQVAM *curatores pupillæ victi sint, cum restitui pupillam in integrum desiderabant: Cum tamen*

nouis defensionibus causam instrui posse dicas: Adeant curatores Vxoris tuæ iudicem, & petant vt causas in integrum restitutionis agant. PP. V. Kal. Aug. Alex. A. II. & Marcello Coss.

RE stitui in integrum minor nonnisi semel potest, quod ita verum est, nisi nouæ causæ suppetant, quod forte post sententiam, qua in integrum restitutio non est admissa, noua instrumenta reperiantur, vel quia quas habebat allegationes non fuerint allegatæ aut propositæ, & ad id huius rescripti sententia pertinet. Si nouæ defensiones non suppetant, hactenus subuenietur, vt omissum appellationis beneficium possit repeti *l. 1. hoc tit.* Potest tamen tentari indistinctè indulgeri iteratum restitutionis beneficium ex l. 7. ait prætor. §. 9. restitutus. ff. de minor. vbi qui adita hæreditate, in integrum restitutus est vt abstineat potest restitui rursus vt adeat, & è cõtra. Cuiac. ad d. §. restitutus, ait nõ in eadem causa restitutionem peti, quia primum data fuit ad abstinendum, mox ad adeundum, & ita in causis separatis. Quia vero eidem §. restitutus obstat manifestissime l. fin. §. vbi autem pueriles. C. de bo. quæ lib. (ex quo concluditur delata minori filiofam. hæreditate, & à patre eius nomine adita, si restitutus fuerit vt eam repudiet, non posse rursus restitui vt adeat, ne ei sint ludibrio leges eandem hæreditatem modo amplectenti modo renuenti:) Idem Cuiac. cum Thalelæo βασιλικῶν Græco enarratore antinomiam esse admittit: ex quo concludere licet Iustinianum ad illam quoque speciem regulam hoc tit. propositam pertinere voluisse, vt bis restitutio non possit peti etiam illo casu: Nisi cum gl. dicamus in d. l. fin. bis non peti restitutionem quia patris persona intercedit, quod ita non obtinet in d. §. restitutus vbi contra extraneum restitutio postulatur. Sed cum ex l. fin. C. qui & adu. quos. non petatur omnino restitutio contra patrem aut patronum: Quî fieri potest, vt etiam in d. §. vbi autem pueriles, potuerit dari restitutio in integrum persona patris intercedente? Quid dicemus? Vtraque lex est Iustiniani, nec potest commode dici quænam alteri deroget, quandoquidem d. l. fin. C. de bo. quæ lib. nec diem nec consulem habet. Sed cum lex pen. eiusdem tit. sit edita Lampadio & Oreste Coss. potest dici eodem anno promulgatam d. l. fin. At lex fin. C. qui & adu. quos, edita est post consulatum eorumdem Lampadij & Orestis, ac propterea posterior, eâque tandem est definitum, non restitui filium aduersus patrem aut libertum aduersus patronum, quasi restitutionem excludat personarum reuerentia, quod secus obtinebat ex iure anti-

Vis non præstatur restitutio.

Opponitur l. 7. paragr. restitutus ff. de minor.

quo,ad quod referenda l.2.C.si adu.rem iud.l.fin.C.si adu. don.l.3. §.si quis minor.& §.quid ergo.ff.de minor.& omnino ex d.l.fin.C. qui & adu.quos. Tribonianus in l.27.§.fin.ff.de minor. adiecit hæc verba *nisi quædam personæ speciali lege exceptæ sint*: Vt per ea intelligerentur parens & patronus. Sed non ineleganter dici etiam illud poterit in d.l.fin.C.de bo.quæ lib. restitutionem directo non datam aut petitam contra patrem,aut ex negotio gesto inter patrem & filium, sed tantum aduersus aditionem quam pater nomine filij fecerat, ad quem casum non pertinet d. l. fin. C. qui & adu. quos, quæ etiam non habet locum si mater filiorum suorum tutelam administrauerit:tunc enim,si transactio ab his fuerit extorta non visis tabulis, possunt restitui: idque Iustinianus definiuit N.155. vbi d.l.fin.fit mentio.

IMP. ALEXANDER A. LICINIO.

Lex vn. C. etiam per proc. causam in int. restit. agi posse.

CAVSAM *in integrum restitutionis, si qua competit, etiam per procuratorem agi posse placet. Dat. XIII. Kal. Octobr. Pompeiano & Peligno Coss.*

POterat dubitari, vt & Cuiacius hoc loco in parat. notat, num restitutio in integrum ex causa ætatis posset peti per procuratorem,quod frequens sit in eo iudicio ex aspectu corporis & oris dignitate ætatem probari *l.3.C.si mi.se mai.dix.l.32.minor.ff.de minor.* Sed nihil ea res nocet,cum vtilitatis ratio aliud suaserit,tum etiam quia potest magistratus, si ita ipsi sederit & de ætate controuersia sit,interlocutorio iudicio definire, vt ipse minor iudicio se sistat, vel aliquem delegare,coram quo ex aspectu corporis fides ætatis fiat.Itaque Imp.definit non modo minorem per seipsum posse restitutionem in integrum petere, sed etiam per procuratorem, qui vtique ea de re debet speciale mandatum habere,vt sup. difinitum est ad l. 10. C. de procurat. nisi forte coniuncta persona ipsius minoris interueniat, veluti pater aut ex propinquis vel ex affinibus aliquis,à quibus non solet exigi mandatum, vt supra constitutum ad l.12.C.eod.tit. Sed patre excepto, vix est vt cæteri agnati vel affines aliter audiantur, quam si ex voluntate minoris id postulent nisi eius vitæ sit, vt ei tanquam prodigo bonis debeat interdici. *l. 27.patri.paragr.1.ff. de minor.*

Restitutio potest peti per procuratorem habentem speciale mandatum.

IMP.

IMP. ALEXANDER A. FLAVIO ARISTODEMO MILITI.

QVOD tempore militiæ de bonis alicuius possessum ab aliquo est, posteaquam is reipub. causa abesse desiit, intra annum vtilem, amota præscriptione temporis medij, possessionem vindicare permissum est. Vltra autem ius possessoris lædere contra eum institutum non oportet. PP. Non. Ianuar. Maximo II. & Æliano Coss. L. 2. C. de restit. militum & eorum qui reipub. causa absunt.

Idem A. Petronio Centurioni.

SI quid de bonis eorum, qui reipub. causa absentes sunt, deminutum est, actione ve qua competente eis aliquis liberatus fuit: In integrum restitutio perpetua iurisdictione intra annum vtilem permittitur. PP. XII. Kal. Nouembr. Alexandro A. II. & Marcello Coss. L. 3. C. eod.

REctus est is ordo earum constitutionum, quem etiam secutus est Codex Haloandri, licet plerique eam præferant qua Imp. Petronio rescribit: Sed fasti consulares docent prius Maximum secundo & Ælianum consules fuisse, quam ipse Alexander Imp. iterum consul factus esset cum Marcello. Pertinet autem vtraque constitutio ad actionem rescissoriam, quæ vsucapionem cum quis abesset reipub. causa ab eo vel contra eum perfectam intra annum rescindit: Hæc enim verba in vtroque rescripto *possessum*, *deminutum*, significant, *vsucaptum*. Vt iterum dixisse iuuet: Rescissoria actio datur absenti cuius res vsucapta est ab eo qui præsens erat in ciuitate, hoc colore scilicet quod iniquum sit ei rei suæ dominium præripi, qui absens vsucapionis cursum intercipere non potuit. Sed eadem datur etiam præsenti contra absentem, si absens rem præsentis vsuceperit forte per procuratores suos aut seruos, cum is qui erat in ciuitate non haberet quem interpellaret, vt rei suæ vsucapionem sisteret. Et ad hoc pertinet illa iuris definitio absentiam reipub. causa nec prodesse nec nocere. *l. absentia. ff. de reg. iu. l. 28. nec* *Rescissoria actio quando fit.* *Absentia reipub. causa nec prodest, nec nocet.*

non.§.fin.cum l.seq.ff.ex qu.cauf.ma. Hæc actio est vtilis prætoria & annalis, quia scilicet datur contra ius ciuile, id est contra vsucapionem l.12.tab.introductam. Manat à prætore Publicio vt alia quæ datur bonæ fidei possessori qui rem bona fide acquisitam amisit cum eam nondum vsucepisset.*l.35.in honorariis.ff.de oblig.& act.* Et is prætor idem forte cum I.C.Publicio,*cuius mentio fit in l.51.in diuersis.ff.de cond.& dem.* nam prætores plerumque Iurisconsulti, vt Gallus Aquilius. Non solum autem ex ea causa vel absenti vel contra absentem restituitur actio, cum quid ipse absens vsucepit, vel ex bonis eius vsucaptum est: Sed etiam cum actio quælibet personalis periit per tempus absentiæ, & quid amiserint absentes reipub. causa, quod præsentes erant habituri, vel ipsi absentes id per causam absentiæ non soluerint, quod à præsentibus peti potuit: Veluti si alicui centum annua relicta sint, quamdiu in Italia esset, vel aliquis stipulatus sit in annos singulos, quo ad in Italia esset ipse vel promissor, & alteruter reipub. causa absfuerit.*l.17.Iulianus.§.fin.l.43.si quis.ff.ex quib.cauf.maiores.* Et ad id pertinent ea verba constitutionis 3.hoc tit. *actione-ve &c.* Sic emolumentum hæreditatis vel bonorum possessionis morte eius qui erat institutus per tempus absentiæ interceptum restituitur. *l.1.hoc tit.l.86.Pantonius.ff.de acq.hær.* quod est ex iure singulari: Nam iure communi non adita hæreditas non transmittitur ad hæredes, exceptis liberis qui nondum adita hæreditate parentum suorum iam ante mortuorum in fata concesserunt filiis vel nepotibus relictis.*l.vn.paragr.in nouissimo.Cod.de cad.toll.l.vn.Cod.de his qui ante tab.apertas.* Superioribus illud est adiiciendum interdum absentiam reipl. causa susceptam restitutioni causam non præstare, sed hoc ita demum si procuratorem non reliquerit absens, nec enim ei imputatur cur non reliquerit: Sed si re vera aliquem habuit, non restituitur. *l.39.is qui.ff.ex qu.cauf.mai.* nisi hactenus, vt à sententia contra procuratorem suum dicta reuersus possit appellare.*l.vlt.ff.de restit.in int.* Ratio illa possit esse quod ordinariam actionem habeat contra procuratorem. Verumtamen obstare videtur l.26.§.pen.ff.ex qu.cauf.mai. quæ fidem facit restitui posse absentem, etsi procuratorem reliquerit. Cuiacius lib.19.obs.cap.14. eum locum refert ad legatum ciuitatis, aduersus quem vix est vt ex his aliquis qui eum miserunt possit vsucapere, siue procuratorem reliquerit siue non, quia quasi videtur à singulis missus. Commodius forte dici poterat in ea specie procuratorem absentis non fuisse idoneum, vt oporteat eum restitui, qui aliunde non habet quo indemnitati suæ satisfiat. Eis qui ex alia causa, quam reipubl. absunt, restitutio non præstatur, etiamsi per tempus absentiæ quid amiserint, quia potest eis imputari cur procuratorem non reliquerint. *d.l.26.sed si.§.1.ff.& l.20.*

Actio rescissoria manat à prætore Publicio.

Prætores plerumque Iurisconsulti.

Hæreditas per tempus absentiæ intercepta restituitur.

Hæreditas non adita non transmittitur ad hæredes.

Restituitur absens reipub.causa si procuratorem non reliquerit.

Obiicitur l.26.paragr.pen.ff.ex qu.cauf.mai.

Solutio.

Absentibus ex alia causa quam reipub.non datur restitutio.

Papinianus. ff. de minor. Sed si tamen procuratorem reliquerint, & is mortuus sit, iusta causa videbitur, quæ restitutionem indulgeat. *l. 28. nec non. ff. ex qu. cau. mai.* Inter absentes reipub. causâ illi non continentur, qui dolo malo, aut sui commodo absunt, qui-ve post procurationem publicorum negotiorum diutius morantur, quam debebant, & reditum suum differunt, aut aliò rerum suarum curandarum causa diuertunt. *l. 4. cum seqq. l. 32. abesse. l. 34. milites cum trib. seqq. non vero. ff. eod. tit.* sed nec illi qui funguntur legatione libera. *l. 14. qui libera. ff. de legat.* Legatio libera est, quam quis suscipit sui gratiâ, non reipubl. vt iustam aliquam & honestam absentiæ causam habere censeatur, qui sponte à ciuitate discedit, vt tradunt Budæus & Gothofredus ad d. l. qui libera. & Cuiac. lib. 9. obs. cap. 29. quod etiam illustratur ex loco insigni, qui est in epistola D. Bruti ad M. Brutum & Caium Cassium. *Cum in his angustiis,* inquit, *versarer, placitum est mihi vt postularem legationem liberam mihi reliquisque nostris, vt aliqua causa proficiscendi honesta quæreretur.* Absentibus autem succurritur tantū, si per tempus absentię suæ quid amiserint, non si postquam redierint, & militibus etiam succurritur tantum, cum sunt in expeditione, non quando in ædes suas accepto commeatu diuerterunt. *l. 34. miles. Dig. ex qu. causa mai. l. fin. Cod. de restit. mil. l. pen. Cod. qu. non obst. long. temp. præscr.* inde Vetus quæstio inter Bulgarum & Martinum *ad l. quod tempore hoc tit. & ad l. 15. paragr. fin. Dig. ex cau. mai.* num si tempore absentiæ inchoata sit vsucapio aut præscriptio, mox reuerso domino & præsente cum ei annus superesset completa sit, an restitutio detur. Martinus negat, quia potuit vsurpare & interrumpere vsucapionem, *argum. d. l. 15. paragr. fin. cum ll. seqq.* in eo quod dicitur, reuerso modicum tempus dandum, vt nihil obsit ei qui reuersus est, quod finita sit vsucapio eo præsente, quia id factum, dum redux hospitium conducit, sarcinulas componit, aduocatum quærit; ex quo sequitur si aliud sufficiens competeret, non esse indulgendam restitutionem licet per tempus absentiæ cœpta aut continuata foret vsucapio. Bulgarus hactenus restitui absentem arbitratur, vt saltem ab vsucapione medium tempus absentiæ detrahatur, idque probat ex verbis Imperat. Alexandri in l. 2. hoc tit. *amota præscriptione medij temporis.* Sed Martinus recte hæc verba accipit de vsucapione per tempus absentiæ completa.

Legatio libera quæ dicatur.

Absentibus reip. causa quādo succurratur.

Quæstio circa quā Martinus & Bulgarus dissentiunt.

IMP. ALEXANDER A. SECVNDINÆ.

L. 1. C. de uxoribus militum, & eorum qui reipubl. causa absunt.

TEMPORALIBVS *actionibus exclusis mulieribus, quæ cum maritis reipubl. causa absentibus peregrinatæ sunt, ad exemplum militum subueniri solere non est ignotum. P P. III. Non. Dec. Alexandro A. II. & Marcello Coss.*

Restituūtur uxores militū ut ipsi milites.

EX l. 2. superioris tituli, constitit milites, qui quid de suo amiserunt, per id tempus quo aberant tuendæ reipub. causa, restitui in integrum, & illis accommodari actionem rescissoriam contra extraneum rei suæ possessorem qui usucepit. Sed quæ ratio eos tuetur, si quid damni fecerint, eadem prope eorum uxores secum peregrinantes defendit. Itaque si per id tempus, quo maritos comitantur, vel res earum usucaptæ sint, vel actiones personales quas habebant tempore perierint, eis intra annum utilem quo redierint succurri æquum est, quemadmodum ipsis militibus solet.



COMMENTARII IN CONSTITVTIONES, ET RESCRIPTA

AVRELII ALEXANDRI SEVERI IMP. Romani quæ lib. 3. C. Iustinianæi continentur.



SVNT in hoc libro triginta duo rescripta, quorum ex more verba proponentur: Primum quod occurrit illis concipitur.

IMP. ALEXANDER A. FAVSTINÆ.

QVOTIES *quæstio status bonorum disceptationi concurrit : nihil prohibet quo magis apud eum quoque, qui alioquin super causa status cognoscere non poßit, disceptatio terminetur.* P P. *VI. Idus Feb. Iuliano & Crispino Conss.* Lex 3. C. de iudiciis.

EAdem prope eius legis sententia, quæ legis primæ supra de offic. rect. prou. constituit enim iudicẽ aut magistratũ, qui de aliqua causa cognoscere nõ potest *προηγουμένως* siue principaliter, de ea tamen posse iudicare, si in eam incidat, cuius est competens, & de qua ipse cognitionem habet. Species illa est. Controuersia erat hæreditatis nomine inter Faustinam & Mæuium, de qua aditus magistratus iudicem dederat : in eam litem incidit quæstio status, quod forte negaretur Mæuius esse liber, aut quod defuncti filius vel agnatus non esset, cuiusmodi actio præiudicialis dicitur, quia præiudiciũ facit, & causam moratur hæreditatis, quæ principaliter in iudicium deducta est. Iudex datus de causa hæreditatis causam vtramque suscipit. Verebatur Faustina ne iudicium retractaretur, quasi illa quæstio non pertineret ad iudicis dati cognitionem. Consulit igitur imperatorem, qui rescribit disceptationem vtramque ab eodem iudice posse terminari. Ratio dubitandi hæc esse poterat, quod causæ liberales vel quæcumque vbi de statu agitur maiorum iudicum tribunal requirant, siue de libertate siue de ingenuitate, siue de libertinitate agatur. *l.* 32. *non distinguemus.* §. 7. *de liberali. ff. de recept. arb.* Ratio decidendi illa est, quod ita demum huic definitioni locus est, vbi de causa status agitur principaliter : nam cumincidenter, de ea potest cognoscere is qui cœpit causę hęreditariæ esse disceptator. Causa status in cognitione præsidum fuit *l.* 1. *C. de pedan. iudic. l.* 5. *C. de ord. cognit.* vt & quæstio generis, si quis de cognatione esse diceretur. *l.* 2. *C. de ord. iudic.* quod tamen negat Cuiac. *in parat. ad hunc tit. & lib.* 1. *ad edictum Pauli ad l. fin. ff. de iurisd. omn. iud.* quod manifestissime falsum esse leges superius allatæ probant. Vtitur arg. l. 1. C. de ord. iud. quæ præsidem prouinciæ ab eiusmodi cognitione nõ repellit, vt ibi Gothofredus docet. Vtitur etiã arg. ducto ex Plinij epist. 77. lib. 10. sed id tribuendum Plinij modestiæ, qui S.C. de agnoscendis liberis restituendisque natalibus,

Sententia legis.

Species.

Causa status pertinet ad maiores iudices.

Causa status sunt in cognitione præsidum.

quod pertinebat ad proconsules, noluit sine speciali imperatoris rescripto ad se transferre, qui præses erat in Bithynia. Alioquin si tantum ad proconsules pertinuit illa cognitio, quid fieri in his prouinciis oportuit in quas præsides mittebantur? Idem Cuiac. in parat. C. ad tit. vbi causa status, distinctionem facit veteris iuris aut noui, quæ nulla videtur esse ex superiori ratione; maximè, cum ad præsides notio pertinuerit ex omnibus causis, de quibus in vrbe vel præfectus vrbi, vel præfectus prætorio, prætor, aut consules cognoscebant. *l. 10. ex omnibus. ff. de offic. præs.* ergo de causa status, quæ disceptabatur Romæ apud Consules. *l. diui. ff. de lib. causa.* Et vero docet manifestius l. 1. inf. de ord. cognit. quæ est Imp. Alexandri, de causa status etiam præsidis cognitionem fuisse.

IDEM A. POPILIO.

L. 4. C. eod. tit.

SI cum tibi pretium prædiorum à curatoribus comparatorum reputaretur, & instrumenta emptionis traderentur, quæstionem omissæ euictionis non mouisti: Intelligis semel finitam litem restaurari non posse. P P. Kal. August. Modesto & Probo Conss.

Species legis.

ENarrata iam satis huius legis sententia ad l. 3. sup. de transact. Eius speciem itaque exponere sufficiet. Mæuius Popilij curator erat, & cum iniuncti muneris ratione necesse haberet pecuniam, quam habebat ex administratione, vel fœnori collocare, vel in emptionem prædiorum rusticorum conuertere, prædia nomine pupilli emit, nec sibi aut adulto euictionis nomine dupli stipulatione cauit. Vtili iudicio negotiorum gestorum conuentus adulto reputauerat pretium prædiorum à se comparatorum, & instrumentum venditionis ipsi adulto dederat, nec adolescens quicquam à curatore desiderauerat, quod in emptione prædiorum nullam euictionis cautionem exegisset. Deinde cum prædia vel vnum ex his euinceretur, finitam iudicio vel transactione causam administratæ curæ Popilius retractare desiderabat. Quæritur an posset: Negat imperator posse. Ratio dubitandi hæc erat, quod ex officio curationis, id incumbere Mæuio debuerat, vt securè rem ageret in emptione prædiorum, ex quo cum nullam cautionem exegerit, euictionis nomine videbatur propter culpam neglecti officij ipsum indemnitatem omnem adolescenti præstare debere. Ratio de-

cidendi hæc eſt, quod eo nomine actionem non inſtituerit adoleſcens, quo tempore rationes curator reddidit. Cum autem cauſa omiſsæ cautionis pendeat ex priori actione de qua ſententia vel tranſactio interceſſit; conſequens eſt, vt terminatô ſemel iudiciô non debeat cauſa redintegrari, maxime cum nullus fauor ætatis intercedat. Cæterum quod in hac ſpecie fit omiſſæ cautionis mentio, hoc accipiẽdum cum emptor non eſt idoneus: Nam ſi ſoluendo ſit, nihil periculi eſt, cum ex lege ipſa & natura contractus euictionem præſtare debeat emptor etiamſi eam non promiſerit. *l. 66. in vendendo. ff. de contr. empt. l. 6. non dubitatur. C. de euict.* quo fiet, vt quæſitam ſibi ex empto actionem curator cedere cogatur, vel vtilem ipſe adoleſcens euictionis nomine contra emptorem habeat.

IMP. ALEXANDER A. HERACLIDÆ.

QVI certo loco ſeſe ſoluturum pecuniam obligat, ſi ſolutioni ſatis non fecerit: Arbitraria actione & in alio loco poteſt conueniri, in qua venit æſtimatio quod alterutrius interfuit ſuo loco potius quam in eo in quo petitur ſolui. Dat. VI. Id. Mart. Fuſco & Dextro Conſſ.

L. vn. C. vbi conueniatur, qui certo loco dare promiſit.

HÆc Alexandri conſtitutio eſt de foro competenti, id eſt de loco, vbi quis conueniri debet, aut poteſt, qua de re à tit. generali, de iuriſd. omn. iud. & foro compet. qui eſt tit. 13. huius libri, vſque ad tit. 27. agitur, & pleræque regulæ proponuntur. Illa generalis eſt, quæ etiam propoſita eſt in l. 2. d. tit. de iuriſd. omn. iud. actorem forum rei ſequi debere, id eſt, vt ipſa lex interpretatur, ibi reum debere conueniri, vbi domicilium habet, vel tempore contractus habuit. Hæc iuris definitio enarranda eſt: Nam multa & vtilia continet, & ad ius ciuile pertinentia, & ad forenſem prudentiam accommodatiſſima, nec etiam vbique vera eſt, & in pleriſque perdit officium ſuum. Domicilium eleganter ita definiunt Impp. in l. ciues de incolis lib. 10. C. vt ſit locus, vbi quis larem rerumque ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, vnde non ſit diſceſſurus ſi nihil auocet, vnde cum profectus eſt peregrinari videtur, quod ſi rediit peregrinari iam deſtitit. Sed non tantum bonorum ratione, ſed etiam dignitatis domicilium aliquis habere creditur: Veluti Senatores Romæ vel Conſtantinopoli: vnde etiam domici-

Actor ſequitur forum rei.

Domicilium quid ſit.

Domicilium eſt ratione bonorum & ratione dignitatis.

lium dignitatis dicitur in l. senatores C. eod. tit. quæ ratio efficiet, vt duo domicilia quis possit habere: Nam dignitas adiectionem domicilij potius dare quam permutare censetur. *l. pen. ff. de senat.* Et hac ratione ex S.C.tis inualuit apud nos, vt qui in aula principis militiam exercet, Parisiis vbi regni sedes domicilium habere credatur, qua de re senator eruditus Dn. *Louët* in collecta decretorum curiæ Parisiensis. Circa quam definitionem hæc commodè potest adhiberi distinctio, vt si illud munus, honorem, aut dignitatem quis apud principem obeat, quæ finem certi temporis ac loci non habeat vt I.C.ti loquûtur in l. iurisperitos. ff. de excusat. quales senatores, aut hi qui in concilium principum sunt adsumpti, vt tunc domicilium in vrbe regia habere credantur: Sin minus vt plerique aulæ administri statis temporibus munia sua circa principem obeunt, mox suas quique sedes & domos repetunt, tunc potest dici ibi domicilium non habere. Sed & si ratio nulla dignitatis intercedat, duobus locis potest quis habere domicilium, si vtrubique se ita instruxerit, vt vtroque loco lares suos collocasse videatur *l. 6. §. fin. ff. ad municip.* Igitur in eiusmodi casu vtroque loco poterit conueniri secundum generalem definitionem supra positam. Quia autem domicilium potest transferri. *l. 20. domicilium. ff. eod.* illud tempus potissimum est accipiendum, quo actio dictatur: Nam si postquam reus vocatus est in ius alio migrare cœperit, forum non mutabitur. *l. pen. ff. de iurisd. omn. iud. l. 7. si quis. ff. de iudic.* quia vbi cœptum est iudicium semel, ibi & finiri debet, *l. 30. vti. ff. de iudic.* Sane mulier sequitur forum viri, ideoque ibi debet cōueniri, vbi vir domiciliū habet. *d. l. pen. & l. 60. exigere. ff. de iudic. l. mulieres C. de incolis. lib. 10.* quo fit vt vidua eius amissi domicilium retineat *l. 22. filij. §. 1. ff. ad municip.* vtique si alio non commigrauerit, vel alij marito alterius iurisdictioni subiecto non nupserit. Sed vt dictum est, suprapositæ generali definitioni non vtique semper locus est: Nam exempli gratiâ, si emptori rei emptæ controuersia fiat, isque coram iudice suo conuentus venditori denunciauerit, vt liti subsistat: Licet reus sit venditor, tamen non poterit desiderare, vt autoritatis nomine coram suo iudice conueniatur, sed iudicem emptoris qui agit sequi cogetur. *l. 49. venditor. ff. de iudic.* quod forte hac ratione ita obtiner, quia auctoritatis actio veluti accessoria coram eodem iudice debet proponi, corā quo ipsa actio in rem, qua emptor à domino rei conuenitur, proposita est, & prior quasi principalis in iudicium introducta. Actio vero in rem non perinde semper intenditur, vbi reus domicilium habet, sed etiam vbi sita est. l. vn. C. vbi in rem act. exerc. deb. quod ita accipi vult Cuiac. in parat. C. ad tit. vbi de hæred. ag. si eo loco quo sita res est inueniatur possessor. Sed iure nostro distinctione Cuiacij non est opus, quia iurisdictio veluti patrimonij

Duo domicilia quis habere potest.

Quinam dicantur habere domicilium respectu dignitatis.

Inspicitur domicilium quod est tempore litis mota.

Mulier sequitur domicilium viri.

Autor laudatus sequitur forum emptoris.

Ratio superioris definitionis.

Actio in rem intendi potest vbi reus moratur, vel vbi res est.

Aliter iure francico.

trimonij vicem obtinet, & ideo si fundus in rem actione petatur, omnimodo apud eum iudicem causa agi debet, qui eo loco ius dicit quo situs est, licet ibi domicilium reus non habeat, aut ibi non sit: adeo vt non liceat ei, qui priuilegio aliquo nititur, litem transferre ad iudicem, quem causarum suarum disceptatorem habet iure muneris quo fungitur apud principem, vel qua alia causa speciali. Sed si de re mobili agatur, non dubitaremus, quin actor, vt in actionibus in personam, rei domicilium sequi debeat, aut reus conuentus habeat ius ad iudicem quem ex priuilegio habet litem reuocandi: nam mobiles res vbicumque sunt, alium situm habere non censentur, quam in eo ipso loco, vbi qui eas tenet domicilium habet.

Res mobiles petuntur vbi reus domiciliũ habet.

Si quis etiam conueniatur ex causa hæreditaria, superiori definitioni locus non erit: nam domicilium hæredis non spectabitur, sed defuncti. *l.19. hæres. l.34. si is qui. ff. de iudiciis*, vel vtriusque spectabitur. *l.50. si fideicommissum. ff. eod.* domicilium autem defunctus ibi habuisse censebitur, vbi maior pars bonorum sita est, id est vbi ipsa hæreditas relicta est: quare ibi etiam conueniri debebit fideicommissi nomine, nisi testator locum destinauerit quo solui velit. *d. l. 50. in pr.* aut ex rerum & personarum conditione appareat aliter constituendum: veluti si tesseram frumentariam legauerit testator, quæ nonnisi Romæ præstatur, aut viris clarissimis, qui Romæ commorantur præstari quid iusserit. *l.52. sed & si. §.1. ff. de eod.* Quinetiam si res per fideicommissum relicta eo loci sit, quo petitur, aut fideicommissi nomine satisdatio petatur, licet ibi non sit maior pars hæreditatis: tamen recte conuenietur hæres, cum nihil incommodi sentiat misso aduersario in bonorum possessionem rei seruandæ causa. *d. l. 52. §. pen. & fin.*

In causa hæreditaria spectandum est domicilium defuncti nõ hæredis.

Domicilium defuncti esse censetur vbi maior pars bonorum sita est.

Exceptiones superioris regulæ.

Multo magis etiam generali definitioni non stabitur, si partes ipsæ conuenerint, vt de controuersia sua is iudex adeatur, qui eo nomine iurisdictionem non habet, nec enim ideo minus rectè sententiam ferre poterit *l.1. C. de iur. omn. iud. & l.1. & 2. ff. de iudic.* modo scilicet is habeat aliquam iurisdictionem: nam exceptâ compromissi causâ priuatorum consensus iudicem non facit eum qui nulli præest iurisdictioni, nec quod ille statuerit rei iudicatæ autoritatem habebit. *l.3. Cod. de iur. omn. iud.* quo fit vt in compromissis pœna statui soleat, vt aduersus eum, qui noluerit iudicato acquiescere, eius sit persecutio, neque enim ex eiusmodi sententia nascitur actio aut exceptio rei iudicatæ. Igitur partium consensus iurisdictionem prorogat, non dat: & ita prorogat, si consensus durauerit: nam si antequam magistratus adeatur mutata voluntas fuerit eius qui consensit, vt coram iudice incongruo conueniretur, non compellitur conuentioni stare. *l.18. si conuenerit. Dig. de iurisd. omn. iud.* vtique nisi conuentio ipsi contractui in continenti sit adiecta *l. pen. C. de pactis*, nam has leges ita componit

Vbi conuenit inter partes de iudice non habetur ratio domicilij.

Partium consensus iurisdictionẽ prorogat non dat.

Iure Francico partium consensus iurisdictionē non prorogat.

Cuiac. tr.7. ad Africanum ad d. l.18. Iure autem nostro consensus partium nec iurisdictionem prorogat nec dat, nam quia, vt dictum est, iurisdictio vice patrimonij est, nullus consensus facit, vt qui competens iudex non est possit fieri competens, & ipsi iudici aut domino fundi, cui iurisdictio inest, eius-ve procuratori licet veluti manum inijcere in ipsum reum, ne possit alium causæ suæ vel litis disceptatorem eligere, quod vocant, *vendiquer vn subiect.* Et cum olim id dumtaxat haberet locum in ea iurisdictione, quam quisque dominus feudalium prædiorum habebat: cœpit idem obtinere in regiis iudicibus, vt per principis rationalem siue procuratorem ad suam iurisdictionem reuocent eos, qui ordinarium iudicem detrectant. Illa ratio etiam facit, vt qui agit non teneatur sequi domicilium rei, si Romæ ipse reus inueniatur: Quia enim Roma communis patria est, *l.33. Roma. ff. ad municip. l.6. iāv δὲ. §.11. ff. de excusat. tut.* consequens est, vt ibi conueniri possit. Excipiendi tamen qui non sponte Romæ sunt, quales illi qui testimonij causa euocati sunt, vel prouocationis causa Romam venerunt, qui si Romæ non contraxerint ius habent reuocandi domum. *l.2. §.3. cum seqq. ff. de indic.* Legati vero prouinciales, qui ciuitatis vel prouinciæ suæ causa Romæ sunt, etiam si ibi contraxerint ante legationem non possunt conueniri, nisi perfecta legatione Romæ consistant, aut ibi agant ex alia causa, quam propter furtum, iniuriam, aut damnū, quod passi fuerint Romæ munere suo defungentes. *d.l.2. §.4. omnes.* quod ita obtinet ne ab officio suscepto legationis auocentur. *l.24. non alias. eod. tit.* Sane si tempore legationis contraxerint aut ipsi deliquerint vel serui eorum, poterit cum his Romæ agi. *l.2. §. 4. cum seqq. l.39. eod. tit. l.32. §.9. cum seqq. ff. de recep. arb.* vt & ab eis potest desiderari satisdatio legatorum nomine, quæ debent propter eam hæreditatem, quam Romæ adierunt, licet actio ipsorum legatorum nomine inhibeatur. *l.26. de eo. ff. de iudic.* Si autem tempore legationis constituerint quod ante legationem debebant, non possunt cogi iudicium pati. *l.8. si quis. ff. eod.* quia scilicet origo contractus inspicienda est, quæ constitutum præcessit: nec obstat l.5. §.1. ff. de const. pecun. nam cum Cuiacio lib.13. obs. cap.17. dicendum est, in ea specie legatum ipsum Romæ existentem constituisse nominatim se Romæ soluturum: At in d. l. 8. non adiecto loco constituit tantum se soluturum, quod in prouincia debebat. Quidam etiam negationem in d. §.1. adijciunt. Aliis alia ratio soluendi placet. Sed his non est immorandum. Superioribus rationibus, quibus circumscribitur generalis definitio proposita, actorem sequi debere forum rei, illa succedit, si pupillus, aut vidua, vel aliæ personæ miserabiles principis cognitionem desiderent, nam non modo conuentæ possunt litem à iudice suo ad principem trāsferre, sed etiam

Qui Romæ est potest ibi conueniri, licet Romæ domicilium non habeat.

Exceptiones superioris regulæ.

An & quatenus legati prouinciales Romæ possint conueniri.

Personæ miserabiles possunt lites suas à iudicibus ordinariis ad principis consistorium transferre.

agentes eos cum quibus agunt ad extraordinarium iudicem pertrahere possunt, & ad principis consistorium. *l. vn. C. qu. Imp. inter pup. & vid.* quamuis non possint ipsæ extra sedes suas ad alios iudices vocari. *d. l. vn.* Sunt etiam plures, qui ob militiam, vel dignitatem, priuilegium habent sui iudicis, siue actionem ipsi suscipiant, siue inferant, ne scilicet auocentur à cura muneris sui: Cuiusmodi sunt etiam causæ, quæ non ratione personarum, sed sui conditione certos iudices habent, qualis causa status, fiscalis, & cæteræ, de quibus speciales tit. in hoc lib. 3. C. Accedit causa contractus & quasi contractus: nam si quis tutelam, curationem, negotia, vel quid eiusmodi gesserit, si emerit, vel vendiderit, vel negotiationem exercuerit, ibi se defendere debebit, vbi contractum est, nec spectabitur locus domicilij, nisi aliter conuenerit, aut si quis venerit negotiationem exercens vt statim discederet. *l. 19. hæres. §. 1. & seqq. ff. de iud. l. 1. & 2. Cod. de ratiocin. tam pub. quam priu.* quod ita verum est, vt etiam senator qui nonnisi apud præfectum vrbi vel præfectum prætorio aut magistrum officiorum solet conueniri, *l. 2. C. vbi senat. vel clariss.* non possit tamen in prouincia recusare iudicium negotiorum gestorum, si alienis negotiis administrandis se obtulerit, quia scilicet sponte hanc obligationem contraxit. *l. 36. interdum. §. fin. ff. de iudic.* Hinc obtinet iudices esse negotiationem qui iurisdictionem habeant eo loci, vbi ipsi mercatores conueniunt, *l. fin. C. de iurisd. omn. iud.* quos vocare solent custodes & conseruatores nundinarum, qui scilicet de his causis cognoscunt, quæ ipsam negotiationem spectant; quales etiam fuere apud Græcos, qui ob id ἐπιμεληταὶ ἐμπορείου dicebantur, vt docet Harpocration in Lexico. Vnde etiam Xenophon lib. περὶ πορόδων docet fuisse ἐμπορείου ἀρχὴν, quo magis scilicet transactis litibus celeriter mercatura vberior & expeditior esset: nam & lites eiusmodi intra mensem ad exitum perductas satis constat: vnde idem Harpocration ἐμπορικὰς δίκας vocat ἐμμήνους. Iure nostro extra causam nundinarum, vix est vt quis eo loco possit conueniri quo contraxerit, cum alibi domicilium habet: nam vt dictum est consensus ipsarum partiũ apud nos nec dat nec prorogat iurisdictionem. Quinimo hoc specialiter obtinet, vt qui coram tabellionibus parisiẽsibus de re aliqua pepigerint, sequi debeant iurisdictionem iudicis parisiensis, quamuis ibi reus non moretur. Ergo illo casu excepto locus quo contractum est nobis iudicem congruũ non facit, nisi ibi reus domiciliũ habeat. Causam autem contractus sequitur causa criminis: nam ibi proponi potest vbi delictum est admissum. Sunt vero crimina ipsa veluti contractus inuoluntarij, vt pluribus docuimus in indice obligationum & actionum, quem subiecimus Paratitlis quæ Cuiacius edidit in libros Digestorũ. Igitur apud eum iudicem, qui eo loco quo facinus

Ratione dignitatis vel priuilegij interdum actor non sequitur forum rei.

Ratione contractus aut quasi contractus quis forum sortitur.

Iudices negotiatorum.

Cur instituti.

Negotiatorum lites debent celeriter transigi.

Iure Francico contractus forum non constituit.

De crimine quæritur vbi admissum est, vel vbi reus reperitur.

admissum est iurisdictionem exercet, ipsius criminis quęstio agitari debet. *l.3.ff.de offic.præf. l.fin.ff.de nox. act. l.vn.C.vbi de poss.agi oportet. l.1.& 10.C.Th.de accus.& inscr.* aut eo loco vbi reus reperitur. *l.1.C.vbi de crim.agi.oportet.* quo fit vt eo nomine reus fori præscriptionem allegare non possit: omnem enim eiusmodi honorem reatus excludit. *l.1.C.vbi senat.vel clariss.* quod & iuris nostri ratio seruat. Nec obstat l.pen.C.de iurisd.omn.iud. quæ constituit militem coërceri non posse nisi à iudice suo: nam ibi rectè gl. notat speciale esse in delicto militari, non in alia delicti specie: quamquam expeditius erit generaliter dicere id esse speciale in militibus. *l.fin.C.vbi quis de cur.vel cohort. l.vn.C.in qu.caus.mil.fo.præscr.vti non poss.* Excipiendi tamen cum militibus alij, quorum dignitas tanta est, vt nonnisi apud maiores iudices accusari possint, nec etiam damnari principe inconsulto *l.fin.C.vbi senat.vel clariss.* sicuti apud nos obtinet, vt illi, qui in Senatu illustri dignitate vel militari vel ciuili funguntur, non possint alibi causam criminis pati. Quod autem supra dictum est, eo loco quo quis contraxit conueniri possit, hoc ita verum est, nisi locus alius demonstratus sit, quo solutio fieri deberet: nam illo casu eo loco reus conueniri debebit. *l.20.hæres.§.fin.ff.de iudic.* Imo ibi quis censetur contraxisse, in quo vt solueret se obligauit. *l.contraxisse.20.ff.de obl.& act.* ita vt si alio loco ageretur plus petitionis periculum actor incurrat. *paragr.33.si quis agens.de act.apud Iustin.* Sed quia iniquum erat, eum cui promissa pecunia esset vel quid aliud certo loco deberetur fraudari, si promissor ad locum condictum non veniret, siue id consulto faceret, siue quod aliis locis distringeretur, placuit vtilem actionem contra eum dari alio loco. *l.1.ff.de eo quod certo loco.* Ad hanc definitionem pertinet quæstio eius legis, in qua definit Imp. eum qui certo loco se soluturum promisit, nec soluit, alio loco posse conueniri. Placet glossæ enarratio ad hanc l.& d.l.1.de eo quod certo loco, alio loco, id est commodo & idoneo, vbi scilicet ipse reus domicilium habet: & quod dicit conueniri posse alio loco, id etiam ita intelligendum, vt fiat commemoratio eius loci, quo solui debuit, vt plus petitionis periculum euitetur. *d.§.33.vers. loco plus petitur.* Illa actio vtilis dicitur, quia stricta ratione alio loco agenti nullam actionem dari posse videbatur refragantibus verbis conuentionis. Arbitraria etiam dicitur hoc loco & alibi passim, quia pendet ex arbitrio iudicis æstimare, quid cuiusque vel rei vel actoris intersit, non esse suo loco solutionem factam: & hoc est quod hic dicitur, in eam actionem venire æstimationem quod alterutrius interfuerit, nam quod dicitur in l. 2. ff.de eo quod certo loco, hanc actionem vtriusque id est actoris & rei vtilitatem continere: vtriusque id est alterutrius, vt ex hac l. docet Cuiacius *tr.ad Africanum ad l.centum.ff.de eo quod certo loco.*

Obijcitur & soluitur lex pen.C.de iurisd.omn.iud.

Contractus forum non constituit si conuenerit vt alibi solueretur.

Sententia legis propositæ.

Actio arbitraria & vtilis de eo quod certo loco.

Quid sit quod in hac actione dicitur vtriusq; vtilitatem cōtinere.

Vtriusque igitur διαζευκτικῶς, non συνημμένως. Possit actoris interesse, si cum ad locum venisset ipse damnum passus sit, non repræsentatis ei mercibus vel pecunia promissa propter moram rei, qui non adfuit soluturus: quo fiet vt postea ei alio loco agenti reus damni quod passus est, vel lucri, cuius emolumentum est interceptum, causam omnem restituere debeat, ac propterea præstatio augeatur. Possit interesse rei, si cum ipse stato loco venisset, non inuenerit creditorem cui solueret: & ideo si postea alio loco conueniatur, eius habebitur ratio, si doceat commodius potuisse fidem exoluere eo loco, quo promiserat, si eò creditor venisset: quæ vtilitas plerumque in mercibus interuenit, quæ per diuersas regiones diuersa habent pretia, vel in pecunia numerata, quæ in omnibus regionibus sub iisdem vsuris non fœneratur. *l. 2. §. nunc de officio. ff. de eo quod certo loco. d. §. 33. vers. ideo autem. de act. apud Iustin.* Sed non occurrit quonam casu possit fieri, vt vtriusque simul, & actoris & rei intersit. Hæc est sententia huius rescripti ad quod plura adnotare nihil attinet.

IMP. ALEXANDER A. AVRELIO ARISTOCRATI.

L. 1. C. vbi causa status agi debeat.

EA, quæ à te, cum tibi seruiret, fugit, & in aliam prouinciam se contulit, libertatem sibi vindicans non iniuria eo loco litigare compellenda est, vnde quasi fugitiua recessit. Ideoque remittere eam in prouinciam in qua seruiuit, Præses prouinciæ, qui eo loco ius repræsentat, curæ habebit: Sed non vbi deprehensa est, audiri debet. PP. *XIII. Kal. Septemb. Pompeiano & Peligno Conss.*

SVpra iam definitum est ad l. 3. de iudic. causam status agi apud præsidem prouinciæ. Sed si is qui in seruitutem petitur in alia prouincia moretur, in alia vero qui petit: Tum ad generalem definitionem supra positam recurrendum erit, vt scilicet causa liberalis in ea prouincia agatur, in qua moratur is qui in ius vocatur, id est, qui seruus dicitur: Maximè, si in possessione libertatis sit. Quod si is, de cuius statu agitur, ex possessione seruitutis in libertatem proclamet: Quia tum actoris partes sustinet, status sui causam agere debet, vbi is qui se dominum dicit domicilium habet. *l. 3. & 4.*

Causa status agitur eo loci quo moratur is cui fit eius controuersia.

Idem constituitur cum quaeritur de probatione status exigenda.

hoc tit. quæ distinctio seruatur eadem, si quæratur cui probatio incumbat; nam definitum est, eum qui ex libertate in seruitutem petitur, quasi reum probationis onus non sustinere, qui tamen probare cogeretur, si ex seruitute in libertatem proclamaret. *l.7. liberis. §.pen. ff. de lib. causa.* Idemque dicendum, si quis ingenuum se dicat, qui proculdubio quasi actor censebitur, si ex libertinitate prouocet, aut reus si ex ingenuitate in libertinitatem petatur. *l.14. circa eum. ff. de probat.* Sed hæc ita vera sunt, si possessio libertatis aut seruitutis dolo vacet: Nam siue hominem liberum quis vi raptum in vinculis habuerit, illa possessio commodum possessori non præstabit, nec eum tuebitur vt reum, quo magis in eum qui se dicit liberum probationis onus reiiciatur. *l.20. si quis. ff. de probat. l.15. vu eius. C. eod.* siue seruus à domino fugerit, aut seruitutis suę instrumenta surripuerit, & pro libero aliquandiu se gesserit, non proficiet ei dolus suus, vt obtentu libertatis, in qua aliquandiu moratus est, probandi necessitatem à se amoliatur. *l.20. si de possessione. C. eod. tit. l.21. eam quæ. C. de lib. causa.* Hinc petenda ratio in hac lege, cur ea, quę ex libertate in seruitutem petitur, actoris forum sequi cogatur, & in prouinciam eius qui se dominum dicit remittatur, quia scilicet cum domino seruiret, abeo aufugit: Quo fit vt possessio libertatis, in qua interim latuit, ad ius domini minuendum ei non proficiat: Ideoque eo loco litigare compellitur, vnde per fugam recessit: Quod idem dici poterit, si quis curialem fortunam vel cohortalem conditionem defugerit, nam ad eum locum vnde aufugit reuocari causa poterit, nisi malit actor ibi causam agere, vbi curiæ aut cohorti alij- ve simili conditioni vindicatur, secundum quam distinctionem accipienda. *l.1. tit. seq.*

Limitatio & distinctio ad superiores definitiones.

IMP. ALEXANDER A. MAXIMÆ.

L. 4. C. vbi causæ fiscales, vel diuinæ domus hominumq; eius agantur.

CVM *vendente procuratore meo emisse te prædia dicas, pretium eorum necessario soluere debes: Cum his vero quibus mandantibus eadem prædia emisse te, & tradidisse dicis agente te procurator meus (si eius audientiam elegeris) cognoscet, vt pecuniam quæ precij nomine tibi debetur, & vsuras, quæ fisco soluenda sunt, consequi possis. PP. IIII. Id. Octobr. Maximo & Paterno Coss.*

PErtinet etiam hoc rescriptum ad quæstionem de foro competenti. Verum est causas quas priuatus cum fisco habet in prouincia arbitrio procuratoris Cæsaris decidi. *l. 5. hoc tit.* quo fit vt proconsul ab eiusmodi causis abstinere debeat. *l. 2. hoc tit. l. 9. nec quicquam. ff. de offic. proconsul.* Cæterum si fiscalis causa non sit, cognoscere non potest, nisi forte præsidis vicem gerat. *l. 1. C. de pedan. iudic.* vt & ipse Cuiacius docuit in parat. ffrum tit. de off. proc. Cæs. quod est verum nisi priuati eius audientiam elegerint, vti possunt. *l. 1. C. de iurisd. omn. iud.* nam consensus partium iurisdictionem prorogat, vt dictum est sup. ad l. vn. vbi conuen. qui certo lo. & ad hanc sententiam pertinet species eius legis in qua, quæ mandatu alicuius fundum emit à Cæsaris procuratore, apud eundem iudicio mandati consistere potest, vt pretium & pretij vsuras fisco dependendas propter moram tardæ solutionis à mandatore repetat. Cuiac. in parat. hoc loco arbitratur causam illam quodammodo esse fiscalem: Sed hoc non est verum, nam in illa specie non est lis cum fisco: Quin etsi eius generis esset non agenti ius tribueretur eligendi audientiam ipsius rationalis, sed omnino causę disceptationem haberet. Sed quod in hac l. dicitur, *si audientiam elegeris*, ita est exaudiendum si & consentiat reus, nam vtrumque consentire oportet, vt possit iurisdictio prorogari *d. l. 1. C. de iur. omn. iud.*

Procurator Cæsaris non iudicat inter priuatos nisi vicem præsidis gerat aut priuati consentiant.

Species legis proposita.

IMP. ALEXANDER A. FLORENTINO.

L. 8. C. de inofficioso testamento.

PARENTIBVS *arbitrium diuidendæ hæreditatis inter liberos adimendum non est: Dummodo non minus is, qui pietatis sibi conscius est, partis, quæ intestato defuncto potuit ad eum pertinere, quartam ex iudicio parentis obtineat. Qui autem agnouit iudicium defuncti, eo quod debitum paternum pro hæreditaria parte persoluit, vel alio legitimo modo satisfecit: Etiam si minus, quam ei debebatur, relictum est: Si is maior viginti quinque annis est, accusare vt inofficiosam voluntatem patris, quam probauit, non potest. PP. VII. Id. Feb. Maximo* II. *&* *Æliano Conss.*

HÆc lex & quatuor sequentes pertinēt ad causam querelæ inofficiosi testamenti, quæ datur liberis exhæredatis à patre, vel

præteritis aut exhæredatis à matre, aut etiam à patre vel à matre institutis ex minima parte, quam constat quarta eius portionis, quam ab intestato consequi potuerant. Sententia autem huius hæc est, arbitrium diuidendæ inter liberos hæreditatis parentibus permitti, & voluntatem eorum seruari, modo portio legitima seruetur ei cui minus datur: alioquin querelæ locus est, nisi qui ex minima parte institutus est iudicium parentis comprobauerit. Species sic potest fingi. Titius duos habebat filios Florentinum & Sempronium. Inter eos ita bona sua testamento diuisit, vt Florentino deuncem hæreditatis suæ reliquerit, Sempronium vero ex vncia tantum hæredem instituerit: Vterque hæreditatem est amplexus, vterque etiam debita hæreditaria persoluit pro portionibus hæreditariis. Mox Sempronius iudicium paternum impugnare desiderabat, quasi minus haberet ex institutione, quam quartam eius portionis, quam ab intestato sperare poterat. Florentinus libellum obtulit imperatori, quo rei gestæ seriem exponebat, eumque consuluit num posset iudicium patris à fratre inofficiosi testamenti querelâ propositâ infringi. Imp. secundum ea quæ proponebantur rescripsit posse eum qui pietatis sibi conscius est, id est qui patri nullas causas offensæ idoneas præbuit, de iudicio eiusdem queri, si quartam eius partis, quæ ex bonis intestati patris ad eum pertinere potuit, ex testamento non obtineat, nisi maior 25. annis iudiciũ patris comprobauerit debitum paternum exoluendo pro portione hęreditaria ex qua institutus est. Ratio dubitandi est, quod non videretur inofficiosum testamentum, vbi qui queritur ipse est hæres institutus. Ratio decidendi est quod similis videatur exhæredationi hæc institutio, ex qua ad minimam partem hæreditatis paternæ filius vocatur. Licet quidem parentibus plus vni ex filiis relinquere quam alij. *Libertatem non possumus auferre parentibus*, inquit D. Ambros. in lib. de Ioseph Patriarcha, *ne eos plus diligant, quos plus credunt mereri, nec filiis reserare debemus studium plus placendi.* Sed nequaquam illud probandum, est vt inconsulta facilitate parentibus liceat omnes facultates in vnum ex liberos elargiri, aliis vel nihil vel modicum tribuere. E[illegible]placet in eam rem Iustiniani sententia N. 92. *τὸ λίαν ἄνισον οὐ σφόδρα ἡμᾶς ἤρεσεν, ἀλλὰ δεῖ μὲν προκρίνεσθαι τῶν παίδων, οὓς ἂν ὁ πατὴρ βούληται, οὐ τοσοῦτον δὲ ἐλαττοῦν τοὺς ἄλλους, ὥστε αὐτοῖς ἀφόρητον εἶναι τὴν ἐλάττωσιν.* Iure municipali Parisiorum melius etiam ea in re cautum, ne liceat parentibus plus vni tribuere, quam liberis aliis, nec testamento nec inter viuos diuisione bonorum inter eos facta: quod hac exceptione admittitur, vt possit tamen is ex liberis, cui inter viuos donatum est, abstinendo à successione paterna vel materna res sibi donatas retinere, etiamsi donatio excedat modum bonorum, quæ ab intestato habiturus esset, dum tamen seruetur aliis liberis portio

Sententia legis.

Species eiusdem.

Ius municipale magis inter liberos æqualitatem tuetur, quam ciuile.

tio legitima, quæ dimidia est portionis quam ab intestato nulla inter viuos facta donatione habiturus quisque esset. Placuit autem iure ciuili, circa quod versamur, eum eam-ve qui testatur non minus singulis liberis relinquere debere, si nullæ iustæ sint causæ exhæredationis vel præteritionis, quam quartam eius portionis quæ eis ab intestato poterat obuenire, idque siue hæredes extranei instituantur, siue ex liberis aliqui: quod l. Glicia definitum dicendum est, ex qua etiam ipsa querela inofficiosi testamenti originem habet vt ait Cuiac. in parat. ad hunc tit. & lib. 2. obs. cap. 21.. Sed mauult idem Cuiacius hanc portionem taxatam esse à M. Antonino Philosopho lib. 3. obs. cap. 8. Hæc passim dicitur quarta legitima, νόμιμον μέρος. Sed & falcidia vocatur in l. 8. Papinianus. §. quarta autem & §. vnde si quis. ff. de inoff. testam. quia scilicet illius modus ad exemplum falcidiæ inductus est: dicitur etiam debita iure naturali siue κατὰ φύσιν vt ait Iustin. N. 1. quasi naturalis ratio eam induxerit, & fuerit tantum taxata iure vel lege Glicia aut constitutione M. Antonini. Hanc auxit Iustinianus & quadrantem mutauit in trientem si vnus filius filia-ve duo tres aut quatuor existant: Si vero quinque vel plures, singulorum liberorum portio est semis. N. 18. ex qua est auth. nouissima hoc tit. Iure ciuili Parisiensium nullo discrimine habito circa numerum liberorum patri vel matri non licet ita extraneos instituere, aut eis legare, vt dimidia portio hæreditatis ad liberos non veniat, vni vero ex liberis plus tribui non potest, quam habere potest ab intestato. Aduertendum autem eum, cui ex liberis minus legitima portione relictum esset, cum institutus esset hæres perinde querelam habuisse, ac si exhæredatus esset: Quare in ponenda specie eius legis rectè posuimus Sempronium, qui querelam instituebat, esse institutum ex vncia tantum, quæ constituit tantum sextam partem semissis, quem ab intestato sperare poterat. Cæterum sexcuncia ei data impediret querelam. Querelæ autem beneficio res redigitur ad causam intestati, & integrum semissem feret. Obstare tamen videtur l. 1. §. 7. tit. seq. vbi si parens in extraneum vel vnum ex filiis immensam liberalitatem inter viuos contulerit, querela inofficiosæ donationis in hoc tantum instituitur, vt is qui agit consequatur quartam eius portionis, quam nulla facta donatione in bonis donatoris habiturus erat, non vt totam donationem rescindat. Verum hoc speciale, quando parens viuus donauit, secus si testamento. Rationem reddit Cuiac. in parat. ad tit. seq. quia quo liberaliores sunt morientes, quam qui de mortis cogitatione non sunt solliciti, eo facilius coërcendæ fuerunt eiusmodi liberalitates quæ supremis iudiciis fiunt, quam aliæ: Quare donationes inofficiosas quæ factæ essent causa mortis; perinde vt testamentum inofficiosum penitus euerti dicendum est.

Vnde originem habeat quarta legitima.

Cur falcidia dicatur.

Iustinianus auxit partem legitimam.

Qui institutus est ex minima parte proponit querelam quemadmodum exhæredatus.

Querela inofficiosi testamenti rem redigit ad causam intestati.

Secus in querela inofficiosa donationis.

Ratio distinctionis.

Is cui minus portione legitima in testamento relictum est iure nouo non habet querelam.

Sed adnotandum huic legi iure nouo & nouissimo esse derogatum: Nam primum obtinuit, eum cui minus quam portio legitima relicta erat non habere querelam, si modo parens cauisset testamento, vt si quid ad quartam deesset, id suppleretur boni viri arbitratu: Illâ enim clausulâ adiectâ testamento, actio tantum dabatur ad supplementum, non adiectâ vero querela dabatur. Sed Iustinianus tandem constituit vt siue adiecta esset hæc clausula siue non, daretur tantum actio ad supplementum. *l. 30. omnimodo. C. de inoff. testam.* ex qua in l. 25. si non. ff. hoc tit. adiecta sunt hæc verba, *aut si minus habeat quod deest viri boni arbitrio suppleatur*, quod ipsa gl. ad eam l. adnotat. Rectè vero ex d. l. omnimodo quidam efficiunt actionem illam ad supplementum esse temporalem, & quinquennio tantum durare, quia in locum querelæ successit, quę eo spatio temporis concluditur, & ita Cuiacius ipse consult. vltima, quæ sententia vera est, licet à plerisque improbetur. Præterito autem filio vel exhæredato agente & querelam instituente quin totum testamentum infirmetur non est dubitandum, vt vel legata olim omnino non valuerint repetita ab intestato per adiectionem clausulæ codicillaris. *l. 13. Titia. ff. de inoff. testam.* cum tamen etiam non repetita iure nouo debeantur N. 115. vnde sumpta est auth. ex causa. C. de lib. præt. in qua quod de prętiritione est, rectè Cuiac. & ad eam N. & ad l. 4. ff. de lib. & posthumis restringit ad præteritionē matris vel aui materni, quæ pro exhæredatione est: nam si filium suum pater, vel nepotem auus paternus præterierit, quia ipso iure testamentum nullum est, ex eo testamento nihil prorsus debebitur. Quod si emancipatus filius sit præteritus, ex edicto de leg. præst. petita bon. poss. contra tab. legata tantum debebuntur coniunctis personis. Præterito à patre vel auo paterno querela numquam datur, quia irritum omnino testamentum est nec infringi debet, quod nullum est si suus sit filius vel nepos: si sint emancipati iis beneficio prætoris ordinario succurritur per bon. possessionem contra tab. & querela igitur cessat, quæ in subsidium semper datur, si nullo alio iure is qui queritur ad defuncti bona possit venire. *§. tam autem vers. nam qui. ff. de inoff. test. apud Iustin.* vt propterea dicendum sit nepotes præteritos ab auo paterno, vel filiam ipsam præteritam à patre non habuisse querelam quia ius accrescendi iis ad certam portionem dabatur. *§. 1. de exhær. lib. apud Iustin.* Igitur quemadmodum ex causa præteritionis non datur querela, nec iure antiquo nec nouo: ita ex eadem causa irritô constitutô testamentô non debebuntur legata, nisi coniunctis personis, si emancipatus sit præteritus. Astruit contrariam sententiam Duarenus, *tit. de iniusto rupto & irr. test. cap. 2.* Astruunt alij plerique: verum vincat pars, in qua Cuiacius, quandoquidem liberis ipsis quorum semper causa est fauorabilis illa

Vid. Chanut. quæst. 25.

Iure nouo legata debentur ex testamento quod inofficiosum pronuntiatum est.

An filius præteritus à patre iure nouo legata debeat.

Ei qui præteritus est à patre vel auo paterno querela numquam datur.

interpretatio aliquod præbet emolumentum. Quod in liberis positum, idem in parentibus, quos ipsi liberi vel præterierint, vel exhæredauerint, vt querelam habeant. l.14. cum seq. ff. hoc tit. & N. 2. quod & probat locus apud Valer. Maximum tit. de testam. quæ rescissa sunt, quod videlicet parentibus cōcedit lucis munus & ipsum educationis beneficium. Sed verius est iure nostro nec præteritis parentibus nec exhæredatis dari querelam, sed petitionem tantum portionis legitimæ in his bonis, quæ sua industria liberi parauerunt, vel ex donationibus quæ eis obuenerūt, vt manifestius constare potest ex his quæ tradit Robertus Aurelię suæ perpetuum decus lib. 1. rerum iudic. cap. 1. neque tamen hoc indistinctè, nam S. C. quædam prodière, ex quibus etiam portio legitima parentibus præteritis aut exhæredatis est denegata. Ea de re plura Dn. *Louët* in collecta Decretorum Curiæ Parisiensis in litt. M. num. 1. ad quem locum Iulianus Brodæus singularis vir eloquentiæ & doctrinæ declarat iuris nostri totam seriem, quid-ve apud nos ex diuersis municipiorum consuetudinibus circa hanc quæstionem obtineat. Ad legem propositam redeundum. Ait Alexander eum cui minus quam constat portio legitima testamento datum est, ita demum posse testamentum paternum impugnare si maior 25. annis iudicium patris non comprobauerit. Minori inconsulta facilitate lapso succurretur beneficio prætoris l. 8. §. fin. ff. de bon. libert. Quod quis semel probauit postea improbare non potest, nisi minor sit, aut dolus aliquis personarum intercesserit, vel ipsa lex negotium improbet qua de re quædam inf. adnotabūtur ad l.1. inf. de resc. vēd. ex his sequitur vt qui ex minima parte institutus est, & pto hæreditaria parte debitum paternum exoluit, ad querelam redire non possit, quasi semel probata defuncti voluntate, quod similiter in querela inofficiosæ donationis constitutum in l.6. tit. seq. & eodem arg. docet Africanus in l.14. in pr. ff. de bon. poss. cōtra tab. filium suum vel emancipatum, qui adiit hæreditatem paternam, cum ex minima parte esset institutus, non vti beneficio commissi edicti à fratre emancipato præterito. Idem quoque dicetur si filius exhæredatus legatum acceperit, nam quasi iudicium patris comprobauerit remouetur à querela l.10. si pars. §. fin. ff. hoc tit. quemadmodum filius emancipatus à bon. possessione contra tabulas excluderetur. l.3. §. fin. & d. l.14. ff. de bon. poss. contra tab. & patronus similiter à bon. possessione contra tab. liberti. l.6. & si. §. fin. cum ll. seqq. l. pen. §. fin. ff. de bonis libert. Possint tamen obijci plura, quæ quam commodissimè potest dissolui expedit: ac primum ex aduerso pugnare potest l.5. post legatum in pr. ff. de his qu. vt ind. & l.3. ff. ad l. Corn. de fals. & quod ipse Imp. constituit in l.3. inf. eod. tit. ex quibus qui legatū accepit ex testamento aliquo potest nihilominus

Parētibus etiam datur querela aduersus testamēta liberorum.

Secus iure Francico & municipali.

Nemo potest improbare semel probata.

Impugnare testamentum non potest qui ex eo adijt hæreditatum vel legatum accepit.

Plura legum capita obijciuntur priori definitione

Qui legatum ex testamento accepit illud falsum vel irritū dicere non prohibetur.

illud arguere tanquam falsum, aut non iure factum. Sed hæc differunt. Qui falsum dicit factum alienum non defuncti iudicium impugnat: Qui non iure factum, de solennibus quoque disputat, quæ non pertinent ad defuncti voluntatem, vtrum recta sit, sed tantum vtrum legitimo testamento sit consignata: Ergo illi hoc colore non debent excludi a querela falsi aut irriti, quod legatum acceperint, cum etiam causari possint iustâ ignorantiâ ductos se, dum legatum petierunt, quod verum testamentum aut rite factum existimarent. At nihil simile in eo intercedit, qui legato accepto postea idem testamentum inofficiosum vult dicere: hic enim palam impugnat voluntatem defuncti: imo etiam quodammodo furore correptum dicit neglexisse officium pietatis, cnm iam iudicium eiusdem certo animi iudicio legatū petendo approbauerit. Deinde hoc colore se tueri non potest, quod ignorauerit se esse præteritum aut exhæredatum, cum legatum petere non potuerit, nisi ab hæredibus quos prælatos sibi sciebat. Hæc interim differentia notanda est inter eum qui falsum dicit testamētum, aut non iure factum contendit, quod prior omnino legati quod acceperit vel consecuturus erat emolumentum omnino amittat, quia licet voluntatem defuncti non impugnauerit, tamen de hæredis facto questus est: alter ius ipsum quodammodo tuitus est, nec cuiusquam factum impugnauit. Opponi iterum potest l.12. nihil. §. cum filius. ff. hoc tit. l.8. si vero l.48. Paulus. ff. de bon. libert. Sed illis locis petitio legati non habuit effectum, quia postea apparuit codicillis legatum fuisse ademptum: ideoq; ei qui petiit nihil obest, quominus ad querelam recurrat, aut bonorum possessionem petat, cum videatur sub tacita conditione testamentum probasse, si consequeretur rem sibi legatam: quare idem erit si res legata postea ipsi filio vel patrono, qui petere potuit bonorum possessionem contra tabulas liberti, sit euicta *l.31. patrono. ff. de bo. libert.* quamquam videatur secus obtinere per legem si quis. §. si patronus. ff. ad l. Corn. de fals. sed quod patronus legatum sibi relictum in hac lege non consequitur, id suo vitio contigit, quod sibi adscripserit illud legatum, id improbante S.C. Liboniano, & propterea ad bon. possessionem contra tabulas non recurrit. Et ita in specie l. 3. ff. si quid in fraudem patroni. si patronus hæres institutus à liberto adierit hæreditatem, dum ignoraret defunctum multa in fraudem suam alienasse, fabianam non habet, quia scilicet seipsum decepit potius quam deceptus est, qui cum posset accipere bon. possessionem contra tabulas propter ea quę alienata essent vel mortis causa donata, id non fecit. Obstat etiam superiori definitioni simul & huic constitutioni quod est in l.20. libertus. § libertus cum seq. ff. de bon. libert. Sed respondendum in ea specie patronum ex quadrante institutum à

Ratio cur qui legato accepto vult inofficiosum testamētum dicere non admittatur.

Quæ sit differentia cum legatarius testamētum falsum vel non iure factū dixit.

Alia obiectio.

Non prohibetur redire ad querelam vel bonorum poss. contra tab. qui legatum petiyt nec consecutus est.

Tertia obiectio & solutio ad eum.

liberto, vel cui libertus aliquid legauit, quadrantis aut legati conditionem non admisisse: licet enim ibi dicatur ei in semissem aut trientem portionem-ve debitam verecundiæ patronali imputari debere quadrantem datum, aut legatum sibi relictum, non inde sequitur adiisse ex testamento aut legatum accepisse, vt inde videatur approbasse voluntatem testatoris: nam proculdubio tum ex hac lege tum ex aliis iuris locis satis constat nequaquam patronum posse admitti, quia eadem prorsus ratio bon. possessionis contra tabulas & querelæ quantum ad hanc quæstionem. Obstat etiam l. 21. eum qui. l. 27. si instituta. ff. hoc tit. Sed procliue est quod respondeatur, in ea specie ei qui destiterat à querela & iudicium defuncti transigendo comprobauerat fidem conuentionis non esse seruatam, ideoq; repetere querelam posse: etiam de his legibus quędam diximus sup. ad l. 6. cum mota. de transact. Obstat etiam §. tutor. hoc tit. apud Iustinianum. Sed ibi filius exhæredatus legatum ex testamento paterno petierat nomine pupilli, cuius tutelam gerebat non suo, ac propterea nihil ei hoc nocet, quod necessitate officij fecit. Sed non idem dicendum in filio exhæredato, qui petenti legatum ex testamento patris aduocationem præbuit, aut procuratoris officio functus est: cum enim voluntarium sit eiusmodi officiũ, quod poterat recusari, perinde à querela excludetur, ac si ipse legatum nomine suo relictum petiisset. *l. fin. ff. hoc tit.* quo fiet, vt etiam, si emancipatus aut exhæredatus petat legatum seruo suo relictum, similiter excludantur, ille à querela, hic à bon. possessione contra tab. *l. 12. in pr. ff. eod. & l. 3. §. fin. ff. de bon. poss. contra tab.* quia scilicet id fecêre volentes inductione mentis libera. Nec d. l. fin. Obstat l. inter. ff. de rei vindic. vbi qui patrocinium suum præbuit ei, qui rem vindicabat, non impeditur quominus ipse suo nomine eam vindicet tanquam suam: nam ibi potest aduocatus iustam ignorationis causam prætendere, quod tum temporis ignorasset ius suum: quod idem dici non potest in d. l. fin. nam qui aduocationem legatario præbuerat, non potuit ignorare se eodem testamento esse exhæredatum, cum peteretur legatum ab extraneo hærede patris. Non obstat etiam l. qui cum maior. §. qui patroni. ff. de bon. lib. nam is tantum patroni filius perdit bon. poss. contra tabulas paterni liberti, quando accusauit eum aliquo crimine capitali: Ergo qui tanquam aduocatus adfuit ei qui patris sui libertum insimulabat, non erit repellendus: vtcumque enim verum sit aduocati officium esse voluntarium, vt debuerit patroni filius ab eiusmodi aduocatione abstinere: tamen verum est eum non accusasse, ac propterea eandem pœnam ferre non debet, ac si accusasset.

Obiectio quarta & solutio ad eam.

Obiectio quinta.

Tutoris officium necessarium advocati voluntarium.

Nihil sibi officit patronus, qui ignorans ad fuit alteri rem ad seipsum pertinẽtem vindicanti.

Filius patroni perdit bon. poss. contra tab. paterni liberti, si eum accusauerit non si accusanti alij adfuerit.

IDEM A. ROMANÆ.

L. 9. eod.

DE *inofficioso testamento militis, vel iure militari, vel ciuili facto, vel centurionis, vel tribuni numeri, nec filios posse queri, ius certum est. PP. Id. Maij. Maximo II. & Æliano Coss.*

Militis præteritio est pro exhæredatione.

HOc rescripto Imp. vnum proponit militaris testamenti priuilegium, vt querelæ inofficiosi testamenti non subiaceat, ne quidem agentibus filiis. Quinimo & hoc quoque speciale est, vt militis præteritio habeatur pro exhæredatione. §. *pen. de exhared. lib. apud* Iustin. *l. 12. si patronus. l. 47. Paulus. §. fin. ff. de bon. lib.* Nec præteriti igitur, nec exhæredati liberi à militibus possunt centumuirale iudicium exercere, neque etiam habent emancipati bon. possessionem contra tab. Sed quod de præteritione diximus, ita verum est, si sciat habere se filios: nam si ignorans, vel quia falso rumore perlato mortuos credidit, vel quia prægnantem esse vxorem nesciuit, testamentum non valebit. *l. 36. militis. §. miles. ff. de mil. test am. l. 9. sicut: cum seq. C. de eod. tit.* Item serua Imperatorem loqui de milite, qui adhuc stipendia meretur: nam si à militia dimissus sit, testamentum quod ante fecit in quo filius præteritus est rumpetur. *l. 27. filius. §. 1. ff. de lib. & posth.* multo magis si post missionem testetur filiumque exhæredet, filio querela competet *l. 8. Papin. §. 3. & 4. ff. hoc tit.* Excipiendus filiusfam. qui castrense vel quasi castrense peculium habet, cuius testamentum non subiacet querelæ, etiamsi non militet, quod notat gl. hoc loco. Idemque obtinet in testamento clericorum, qui filijfam. sunt, nam & hi, si de quasi castrensi peculio testati sunt, eorum voluntas per querelam rescindi non potest. *l. 32. sacrosancta. l. 38. cum lege. C. de Episc. & Cler.* Sed ex N. 123. cap. 19. liberi eorum aut parentes habent contra hæredes scriptos legitimæ portionis condictionem, quod idem habere locum in specie huius legis gl. existimat, quod vix constitui potest. Centurio in hac lege est ἑκατόνταρχος, qui centum militibus præest, quem Orbicius ταξίαρχον vocari ait παρὰ τὸ κατὰ τὸ στράτευμα τάξιν. Tribunus autem numeri idem hoc loco qui tribunus legionis in l. 25. Titius. ff. de mil. testam. militaris scilicet magistratus quem ipsi pupilli obire poterant. *l. fin. C. eod.* qua de re quædam tradit Cuiacius lib. 17. obs. cap. 36.

Querela proponitur contra testamentum eius qui dimissus est à militia.

Centurio quis dicatur.

IDEM A. QVINTINIANO.

SI hæredum Quintiniani, quem patrem tuum esse dicis, aduersus quos de inofficioso testamento acturus eras, iure successionis bona ad fiscum pertinent, vel ipsius Quintiniani bona vt pote vacantia fiscus tenet: Causam apud procuratorem nostrum agere potes. PP. II. Id. Feb. Maximo II. & Æliano Coss. L.10.C.eod.

SPecies & sententia eius legis perspicua est. Quintinianus filio exhæredato extraneos scripserat hæredes: Hi adita hæreditate, antequam Quintinianus filius querelam institueret, decesserunt: Aliquo casu bona eorum ad fiscum peruenerunt. Consultus imperator rescripsit non ideo minus subueniri filio debere, atque ideo causam agere eum posse apud procuratorem ipsius principis. Ratio dubitandi hæc esse poterat, quod querela actionem iniuriarum imitetur, vt docet Cuiac. lib. 17. obs. cap. 17. atque ideo non debet contra alios dari, quam contra ipsos hæredes scriptos, cum illa ante litem contestatam nec detur hæredibus nec contra hæredes: Deinde, causa iam ad fiscum pertinente, videbatur eiusmodi actionem propter augustum priuilegium competere non posse: Sed principem mouit rei æquitas, quod scilicet non tantum vindictam persequatur, vt actio iniuriarum, sed principaliter rei persecutionem id est hæreditatis commodum contineat, vt causa etiam non debeat constitui deterior, quod ad fiscum bona defuncti deuoluta sint, cum si ipse princeps institutus esset, & bona ipsius iudicio defuncti quæsita possideret, nihilominus institui querela possit aduersus eũ. l. 8. §. 2. ff. hoc tit. Quod autẽ ait imperator bona hæredũ Quintiniani iure successionis ad fiscũ peruenisse, docet fiscum ex causa delicti vel debiti bona occupasse, vel vt ipsa legis verba docent, ipsius Quintiniani bona vt vacantia fiscum tenere, quibus casibus successor est fiscus, non hæres aut bonorum possessor. Successor is est, qui in ius alicuius succedit aliter, quam ex causa delatæ ex testamento vel ab intestato bonorum possessionis, aut hæreditatis; & successor duplex est singularis, veluti legatarius, donatarius, emptor, & alij qui rem aliquam singulatem ab aliquo nacti sunt: Vniuersalis, qui in ius vniuersum succedunt, aut portionem eius aliquam. Sic impubes arrogatus, cui ex constitutione D.

Sententia legis.

Querela actionem iniuriarum imitatur.

Potest filius defuncti instituere querelam aduersus principem.

Successor quis dicatur.

Successor est vel singularis vel vniuersalis.

Pij debetur quarta bonorum patris arrogatoris, ſucceſsor eſt non hæres aut bonorum poſſeſsor, ideoque non habet actionem directam familiæ herciſcundæ cum hæredibus defuncti, aut bonorum poſseſſoribus, ſed vtilem tantum *l.2.§.1.ff.famil.herciſc.* Sic qui propter vitium ingrati animi libertum reuocauit in ſeruitutem, & bona eius tenet ſucceſsor eſt non hæres. *l.6.ff. de reſt.in int.* & pari ratione ex S. C. Claudiano is cui mulieris liberæ bona addicebantur ſucceſsor erat non hæres. Succeſsores ſunt etiam viuentium: Bonorum poſseſſores vel hæredes nonniſi mortuorum. Succeſsores poſſunt eſse ſingulares: hæredes vero vel bon. poſseſſores nonniſi in vniuerſum.

Quæ ſit differentia inter hæredes & bonorum poſſeſſores & ſucceſſores.

Hæres, quia vicem defuncti ſuſtinet, etiam vltra modum bonorum tenetur, quemadmodum etiam bonorum poſseſſor: Succeſsor non tenetur; atque ita pater arrogator, ad quem bona eius qui ſe in arrogationem dedit perueniunt, quaſi ſucceſsor onus æris alieni, quod ille contraxerat ante arrogationem, inuitus non fert *§.fin.de acquiſ.per arrog.apud Iuſtinianum.* Hæc differentia apparet manifeſtius ex l.2.& 17.ff.de caſtr.pecul. nam cum pater filijfamilias inteſtato morientis peculium caſtrenſe occupat iure ſucceſſionis, ad modum peculij tantum & actione annali tenetur reſpõdere creditoribus peculiaribus: At ſi idẽ à filio inſtitutus ſit veluti extraneus, iure hæreditario non intra annum, vt in actione de peculio ſed perperuò, non ad modum peculij ſed in ſolidum conueniri poteſt.

Hæredes tenentur vltra modum bonorum, ſucceſſores non item.

Sed principi hoc etiam tribuitur, vt licet hæres ſit, tamen non teneatur vltra modum bonorum. *l. 2. ff. de offic. proc. Cæſ.* quod beneficio inuentarij etiam omnibus hæredibus præſtitit Iuſtinianus. Excipi poſſit etiam ille cui bona addicuntur libertatum conſeruandarum gratia, qui in ſolidum conuenitur, licet ſit ſucceſſor non hæres: Sed hoc, quia ex conuentione ſua quodammodo conuenitur, & ſibi ipſi impoſuit onus totius æris alieni exoluendi.

Princeps qui ſuccedit numquam tenetur vltra modum bonorum.

Quod ait Imp. in hac lege bona Quintiniani vt vacantia fiſcum tenere, ne accipias quaſi ſine hærede Quintinianus deceſserit: Nam non adita hæreditate ab hæredibus ſcriptis filius ab inteſtato ſucceſſiſset, nec eſset locus fiſco propter exhæredationem quia teſtamentum, quod ad alia omnia irritum eſt non adita ex eo hæreditate, ad ſolam exhæredationis notam & filij iniuriam valere non debet. *l.20.filium.§.1 ff.de bon.poſſ.contra tab.l.12.ſi patronus.§.5. ex teſtamẽto. ff.de bo.lib.* Itaque illa verba quæ ſunt in hac lege adſcripta ſic accipienda ſunt, vt hæredes ipſius Quintiniani ipſi deceſserint nullis relictis hæredibus vel bon. poſseſsoribus, qui ex teſtamento vel ab inteſtato rem teneant, atque ita bona eorum, in quibus ipſius Quintiniani hæreditas eſt, ad fiſcum quaſi vacantia peruenerint. Quod ſi referantur eadem verba ad ipſam Quintiniani hæreditatem à ſcriptis hæredibus non aditam, tunc dicendum bona fiſcum

Teſtamentum ex quo non eſt adita hæreditas non nocet filio exhæredato.

occupaſse

occupasse vt vacantia quæ non vacabant, ac propterea filium non querelâ, sed petitione hæreditatis, vt patris hæredem ab intestato causam hæreditatis agere, quam interpretationem gl. probare videtur, sed ea quam proposuimus rationi aliquanto propior.

IDEM A. INGENVO.

IN *arenam non damnato, sed sua sponte arenario constituto, legitimæ successiones integræ sunt, sicuti ciuitas & libertas manet. Sed si testamentum parens eius fecit, neque de inofficioso testamento accusatio, neque bonorum possessio ei competit. Nam talem filium merito quis indignum sua successione iudicat, nisi & ipse similis conditionis sit. PP. IIII. Kal. Ian. Iuliano & Crispino Coss.* L. 11. C. eod. tit.

ARenarius est is, qui in arenam descendit cum feris depugnandi gratia, vel quia damnatus, vel quia sponte ad populi voluptatem operas suas in spectaculis & amphitheatro præbet. Qui damnati sunt, maximam capitis diminutionem patiuntur & pœnæ serui fiunt ac libertatem simul & ciuitatem amittunt: ijdem dicuntur damnati in ludum venatorium *l. 8. aut damnum. §. quicumque. ff. de pœnis*. Marcilius in Amphitheatrum Martialis epigr. 1. putat eosdem esse, qui damnati dicuntur ad bestias, quod forte nequaquam dicendum est. Quin ipse Cuiac. lib. 13. obs. cap. 10. inter eos manifestam facit differentiam; nam damnati ad bestias statim consumebantur, & inermes bestiis ipsis subijciebantur, vnde & θηριομάχοι D. Paulo & παραδόσιμοι τῷ ἀμφιθεάτρῳ Suidæ: Quæ pœna frequentius aduersus Christianos constituebatur: Et ipse D. Ignatius martyr cum damnatus esset ad bestias sic de seipso loquitur ep. vlt. σῖτός εἰμι τοῦ Θεοῦ, καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος Θεοῦ εὑρεθῶ. Damnati autem in ludum venatorium populi voluptatibus seruabantur, & in amphitheatro venabulis agebant cum feris. Qui autem sponte seipsos offerunt manent integri status, sed fiunt tamen infames si operas suas locauerint vt cum bestiis depugnarent, non si virtutis ostendendæ gratia id sine mercede fecerint. *l. 1. §. & qui operas. ff. de postulando.* Dubitatum etiam fuit vtrum iura successionis haberent. *l. 1. §. qui operas. ff. ad S. C. Tertyll.* Sed legitimas eis integras esse Imp. docet hac lege; ita tamen, vt exhæredatis querela non

Arenarius quis sit.

Differunt illi, qui damnati sunt ad gladium ab his qui damnantur ad bestias.

Qui locant operas suas, vt cum feris pugnent sunt infames.

detur, quasi iusta indignatione motus pater eos à successione sua vt indignos repulerit. Illud excipitur, nisi ipse parens, qui exhæredat, eiusdem conditionis sit: Quod & probat Iustin. N. 115. vbi inter iustas exhæredationis causas recenset & illam, quæ hoc loco proponitur.

IDEM A. LICINIANO ET DIOGENI.

L. 12. eod. tit.

SI pater puellæ (cuius vos curatores esse dicitis) filio ex semisse, ipsa autem ex triente, & vxore ex reliquo sextante scriptis hæredibus, fidei filiorum commisit, vt si quis eorum intra 25. annos ætatis decederet, superstitibus portionem suam restitueret, præterea vxori, vt id, quod ex causa hæreditatis ad eam peruenisset, filiis post mortem suam restitueret, fidei commisit: Calumniosam inofficiosi actionem aduersus iustum iudicium testatoris instituere non debetis, cum ex huiusmodi fideicommissaria restitutione tam matris quam fratris eius portio ad eam poterat peruenire. PP. Non. Dec. Alexandro A. III. & Dione Conss.

Quarta legitima ab omni onere immunis esse debet.

QVadrantem, qui pro portione legitima olim filiis dabatur, vel trientem aut semissem, qui iure nouo iis tribuitur, ab omni onere legati vel fideicommissi liberum & immunem præstari debere certũ est: Quod similiter obtinet in illo triẽte, quem in bonis liberti habere patronus debet: Nam eum habet ab omni onere legati vel fideicommissi vacuum. *§. si vero testamentum. De success. lib. apud Iustin.* Alioquin vel iure antiquo querelæ locus fuit, vel iure nouo actioni ad supplementum competet, aut certè onus legati is, cui impositum est, non præstat: Imo nec moram vllam pati debet illius portionis legitimæ repræsentatio. *l. 32. quoniam. hoc tit.* Quinetiam hæres qui moram traxit, eam duplicatam soluere tenetur. *l. 33. si quando eod.* & secundum hanc rationem iudicatum est portionis legitimæ fructus statim deberi à morte testatoris, licet longo post tempore petita sit, cùm tamen in plerisque iuris articulis nonnisi post moram rerum legatarum accessiones debeantur, siue post li-

Moram non patitur portionis legitima repræsentatio.

tem contestatam. *l.1.& fin. C. de vsur. & fr. leg.* cuiusmodi decretum refert Dn. *Lonēt* in litt. f. num. 7. Ex his sequitur etiam vt ex omni fideicommisso deduci debeat: Ideoque si quis vxori suæ vniuersorum bonorum suorum testator vsumfructum legauerit, & liberis nudam proprietatem dereliquerit, liberi statim ex ipso legato partem sibi debitam detrahent ab omni onere illibatam, reliquorum vero bonorum testatoris vsumfructum habebit mulier. N. 18. cap. 3. Quæ supra constitêre pertinent ad sententiam & speciem eius legis, quæ est eiusmodi. Titius cum filium & filiam haberet: Filium ex semisse hæredem instituit, filiam ex triente, vxorem vero Semproniam ex residuo sextante. Filium & filiam rogauit, vt, si intra 25. ætatis annum decederent, sibi inuicem portionem suam restituerent, ac præterea vxoris fidei commisit, vt ipsa post mortem suam sextantem suum liberis restitueret. Post mortem testatoris adultæ defuncti filiæ dati sunt duo curatores Licinianus & Diogenes, quod forte amplum esset & late diffusum patrimonium, vt vnius sollicitudine non posset procurari. Illi cum testamenti tabulas inspexissent, existimauêre defuncti filiæ non fuisse satisfactum: Vtcumque enim sescuncia ei data potuerit excludere querelam inofficiosi testamenti pro eo iure quod temporibus Alexandri obtinebat, & multo maior portio hæreditatis ei sit adscripta, scilicet triens integer: Tamen quia ipsum ex verbis testamenti palam rogata est fratri restituere, si intra vicesimum quintum ætatis annum decessisset, putabant querelæ locum esse. Igitur rem totam retulerunt ad principem. Rescribit Imp. non probè querelam inofficiosi testamenti ipsius puellæ nomine posse institui, & calumniosam eiusmodi actionem aduersus iustum defuncti iudicium non esse admittendam. Ratio dubitandi erat, vt & supra positum, quod vel nihil vel minus quartâ legitimâ habere puella videretur quæ deberet ex fideicommisso trientem sibi datum restituere fratri suo. Ratio decidendi est, quod non ipsa tantum rogata sit de restituenda hæreditatis portione, sed etiam inuicem quoque frater rogatus sit ei semissem suum restituere sub eadem conditione, ideoque cum propter incertum fideicommissi non minus ipsa ex verbis testamenti fratri succedere, quam frater ipsi possit, ac præterea ex sextante matri relicto portionem post mortem eius sperare possit, omnino querelæ locus non est. Igitur si ratio mutui fideicommissi inter fratrem & sororem cessaret, non dubitaret Imp. Alexander, neque etiam nos dubitaremus, pro eo iure quod tum obtinebat, querelæ locum fore, aut pro eo quod nunc obtinet irritum fore fideicommissum quatenus oneraret portionem legitimam, quæ integra & illibata sine onere vllo penes liberos cuiuscumque gradus debet remanere ex d. l. 32. hoc tit. nam vtcumque amplius legitimâ

Legitima portio ex omni fideicommisso detrahitur.

Species legis proposita.

portione penes ipsam ex institutione remaneat, tamen manifestissime aliquid ei detrahitur propter fideicommissum, dum liberam non habet de ipsa portione legitima disponendi facultatem. Neque obstat l.16. ex tribus hoc tit. vbi filiofam. impuberi ex legitima portione instituto pater substituere pupillariter potest: nam hoc speciale in pupillari substitutione, quæ directis verbis fit in tempus pubertatis tantum, quo casu non tam pater quam filius testari censetur. Sed in substitutione precaria, quæ extenditur vltra pubertatem, idem dici non potest, quia palam aufertur testandi commoditas in ea ipsa portione, quæ pleno proprietatis iure penes filium alium-ve cui legitima debetur debet remanere. Sed potuit tamen olim interusurium bonorum in portionem legitimam imputari, vt in falcidiam imputatur, si in diem ab eo hærede relictum sit fideicommissum cui portio legitima debetur. *l.8. Papin. par agr. 11. vnde si quis. ff. de inoff. test.* quod iure nouo locum non habet, ex quo fructus nec in legitimam nec in trebellianicam liberis imputantur, si fideicommisso in diem præstando grauati sint. *l. scimus. Cod. hoc tit. l. iubemus. C. ad Trebell.* Illud notandum est in specie eius l. hæc verba, *vt si quis eorum*, &c. ita intelligẽda, si quis eorum intra præscriptam ætatem sine liberis decedat: nam si liberos relinquat extinguetur fideicommissum quasi plus dictum fuerit minus scriptum: *vulg. l. cum auus. 102. ff. de cond. & dem.* & eadem omnino ratio est in l.74. qui filium. §. fin. ff. ad Trebell. nam quæ illic ratio adfertur vt annus cœptus habeatur pro completo, ratio colorata est non vera, quia idem omnino esset, si ne quidem annus esset inchoatus: qua de re plura inf. ad l. pen. qu. di. leg. vel fid. cedat.

Filio instituto ex portione legitima potest pater substituere.

Fructus non imputantur in legitimam neque in trebellianicam liberis debitam.

Cum liberi grauantur fideicommisso, cõditio hac subintelligitur si sine liberis decedant.

IMP. ALEXANDER A. CLAVDIANO IVLIANO PRÆFECTO VRBI.

L. 87. Titia. §. Imperat. ff. de leg. 2.

SI liquet tibi, Iuliane carissime, auiam interuertendæ inofficiosi querelæ patrimonium suum donationibus in nepotem factis exinanisse: ratio deposcit, id quod donatum est, pro dimidia parte reuocari.

INitio horum commentariorum docuimus tria tantum rescripta Imp. Alexandri relata esse in Pandectis. Quia vero illud quod relatum est à Paulo I.C. in l. 87. Titia. §. 3. ff. de leg. 2. pertinet ad causam inofficiosæ donationis, visum est illud explicare post con-

stitutiones eiusdem desumptas ex tit. de inoff. test. Ante Imp. Alexandrum non erat vlla querela inofficiosæ donationis, sed hoc rescripto illam induxit ad exemplum querelæ inofficiosi testamenti, à qua tamen in eo differt quod querela inofficiosi testamenti rescindat totum testamentum: cum querela inofficiosæ donationis eam reuocet tantum ad modum debitæ portionis. Ratio exposita fuit sup. ad l. 8. de inoff. test. Mouet tamen dubitationem id quod est in hoc rescripto Imp. Alexandri vbi dicitur quod donatum est pro dimidia parte reuocari. Sed recte Cuiac. lib. 5. obs. c. 14. & alibi passim ad Paulum & ad tit. de leg. 2. tradit id accipi debere non pro dimidia donationis, sed pro dimidia legitimæ partis, quæ pertinere potuit ad duos nepotes, si collata esset donatio in extraneum. Species nimirum huius rescripti illa est. Mæuia habebat duos nepotes: in vnum immensas donationes contulit, sibi pauculaeretinuit, quæ diuidi inter nepotes suos testamento cauit. Alter, cui nihil datum erat, querebatur se minimam partem habere bonorum, quæ auia sua habuerat tempore donationum: Igitur imperator ei hactenus succurrendum rescripsit, vt habeat dimidiam quartæ totorum **bonorum, id est sescunciam, quæ efficit quartam partem eius portionis, quam ab intestato nullis factis donationibus erat habiturus.**

IMP. ALEXANDER A. FIRMINO.

SI putas non iure tutores datos nepotibus tuis, eo quod eos dicas in tua esse potestate, petere ab his hæreditatem filij tui non moreris, cuius commodum ad te pertinere dicis: iudice statuturo, an à præsidalibus actis discedendum sit, qui eis tutores dedit, cum in tua potestate negarentur esse. PP. X. Kal. *Iul.* Iuliano I I. *&* *Crispino Cons.* L. 6. C. de petitione hæreditatis.

HÆc constitutio pertinet ad actionem, qua petitur hæreditas, quæ competit contra eum qui possidet pro hærede vel pro possessore, cum non sit hæres vel legitimus possessor: & datur vero hæredi aut ei cui bonorum possessio iure à prætore data est. Species hæc est. Firminus filium, quem habebat, emancipauit: decessit ille relictis liberis impuberibus, nepotibus ipsius Firmini. Illi contẽdũt extare se suos hæredes patri. Firminus contra asserit eos in sua *Cui detur hæreditatis petitio.* *Species legis.*

potestate esse, quod forte ante emancipationem filij sui nati essent, aut saltem concepti: nam certū est emancipatione filij nepotes non liberari à potestate aui, siue nati sint ante emancipationem, siue tantum concepti. *§. admonendi & §. pen. qu. mo. ius patr. pot. sol. apud Iustin.* Igitur per eos iure potestatis sibi quæsitam defuncti filij hæreditatem asserit. Dati sunt nihilominus ipsis defuncti liberis tutores, quasi sui iuris essent, quod fieri alias non posset: nam tutor numquam datur iis qui sunt in aliena potestate vel patris vel domini, exceptis quibusdam casibus qui notari solent ab interpretibus ad tit. de tut. apud Iustin. & propterea etiam tutela definitur *vis ac potestas in capite libero:* Libero, à potestate scilicet dominica paterna vel auita. Questus est Firminus apud imperatore suo iuri esse detractum per illam tutorum dationem, ac simul ab imperatore quæsiuit quanā ratione suum ius obtineret. Rescripsit Imp. Firminum petitione hæreditaris experiri debere contra nepotes suos, in quo iudicio iudicem æstimaturum, an nepotibus eius potuerint aut debuerint dari tutores, vt si eos in potestate eius esse constiterit, datio tutoris nullius sit momenti: Sin eosdem in potestate defuncti filij emācipati esse appareat, & eidem suos hæredes existere, tutores iure dati administrationem bonorum nanciscātur. Mouebat quod præiudicio datorum à præside tutorum Firminus videretur exclusus, quasi sui iuris essent ipsi nepotes. Sed in contrarium euicit, quod ipse Firminus palam tutorum dationem impediisset, vt ad hoc tantum dati tutores videantur, vt essent quorum autoritate interim causa bonorum & hæreditatis inter ipsum & nepotes eius ageretur. Ex hoc rescripto licet elicere plures conclusiones. Prima illa est inter auum & nepotes litem posse consistere, si dubitetur vtrum sint in potestate an non: vt quemadmodū in causa liberali pendente iudicio vindiciæ dantur secūdum libertatem: ita pendente quæstione status, qui versatur circa patriam potestatem, interim nepotes sui iuris esse existimentur. Secunda conclusio est, emancipati filij quæsitam liberis hæreditatem ad auum in cuius potestate sunt pertinere, iure scilicet patriæ potestatis, quod tamen ex nouis constitutionibus secus obtinet: ex quibus vsusfructus dumtaxat non vero proprietas rerū hæreditariarum ad auum pertinebit exemplo maternorum bonorum, quorum proprietatem filius qui in potestate est retinet sibi, vsufructu tantum patri quæsito *l. 1. C. de bo. mat. l. 6. cum oportet. C. de bo. quæ lib.* Tertia conclusio est, tutores post mortem patris liberis dari non posse, si in aui potestate consistant, nisi illud incertum sit, tum enim tutoris datio interim valebit, quemadmodum impuberi, cui sit controuersia status, interim tutor datur, ita tamen vt tum demum datio teneat, si liber sit. *l. 27. ei qui. ff. de tut. & cur. dat. ab his*, &c. vt dicēdum

Emancipatio filij non liberat nepotes à potestate aui.

Cum dubitatur de statu vindicia dantur secūdum libertatem.

Delata nepotibus hæreditas pertinet ad auum in cuius potestate sunt.

Secus iure nouo.

Tutores non possunt dari nepotibus qui sunt in potestate aui.

etiam erit in specie huius legis, tutoris dationem constare, si probatum sit eos nepotes in potestate patris sui fuisse, fieri vero irritam, si contra ipsos fuerit pronūtiatum. Illud autem adnotandum in specie eius legis ex carboniani edicti sententia liberis ipsis impuberibus dari debere bonorum possessionem vnde liberi, & differendam quæstionem in tempus pubertatis: Nam vtcumque verba deficiant, quia filij defuncti non negantur, tamen verum est ipsis status & hæreditatis controuersiam fieri, quod negentur fuisse in potestate defuncti patris, atque auus defuncti patris hæreditatem vindicet, idque in hac specie, quam tractamus, definit Africanus in l.8. decessit. §. fin. ff. de Carbon. ed. quæ qua ratione in concordiam cum hac lege adducatur non video: Certè nec gl. nec Cuiacius in recitationibus ad hanc legem ipsum dissidium aduertunt, tantum abest vt componant. Africanus edicto Carboniano locum esse censet: Alexander hoc loco causam hæreditatis statim agi: Quid dicendum sit subsisto. Potest interim hoc constitui, quemadmodum nonnisi causâ cognitâ datur bonorum possessio carboniana, ita si probationes sint in expedito, quibus appareat nepotes esse in potestate aui, statim iudicem arbitraturum hæreditatis commodum ad ipsum pertinere. *Obijcitur l.8. par. fin. ff. de carb. ed.*

IMP. ALEXANDER A. DOMINIÆ.

L.3. C. de rei vindicatione.

MATER *tua vel maritus fundum tuum inuita vel ignorante te vendere iure non potuit: Sed rem tuam à possessore vindicare etiam non oblato precio poteris. Sin autem postea de ea venditione consensisti, vel alio modo proprietatem eius amisisti: Aduersus emptorem quidem nullam habes actionem: Aduersus venditorem vero de pretio negotiorum gestorum actionem exercere non prohiberis. PP. III. Kal. Nouemb. Alexandro A. II. & Marcello Conss.*

VT extit superiore vnica tantum lex desumpta est, ita ex tit. de rei vind. vna tantum est Imp. nostri: nimirum hæc lex 3. quæ constituit fundi dominum, qui alienationi non consensit, actionem in rem aduersus eius possessorem habere non oblato pretio, consentientem vero dominium amittere, & à venditore pretium *Sententia legis.*

Species legis. actione negotiorum gestorum posse repetere. Species illa est: Dominia fundum habuit: Illum mater eius vel maritus distraxit: ipsa dominij iure fundum suum quasi non iure venditum vindicabat. Quærebatur an posset, cum ipsa pretium emptori non offerret. Rescribit Imp. siquidem eâ inuitâ vel ignorante venditio facta est vindicare fundum posse non oblato pretio: Sin postea consenserit aduersus emptorem iure proprietatis, non posse consistere, sed habere tantum ipsam negotiorum gestorum actionem contra matrem aut maritum ad pretium recipiendum. Occurrebat æquitas quædam, quasi rationi non congrueret emptorem & re & pretio carere, vt propterea videretur Dominiam pretium emptori offerre debere, vt ab eo rem suam reciperet. Ratio tamen rescripti petita est ex illa vulgari definitione quæ constituit, res nostras sine facto nostro ad alios transire non posse: Inanis autem foret domino actio in rem, si pretium possessori restituere compelleretur, maximè cum euictionis nomine contra eum eam-ve, quæ vendidit possit emptor experiri. Ex hoc igitur rescripto tria iuris præcepta eliciuntur. Primum rem nostram nobis inuitis & ignorantibus vendi & distrahi non posse. Secundum dominum, cuius res alienata est, sine eius voluntate, eam vindicare posse non oblato pretio. Tertium dominum, qui ex post facto venditionem rei suæ ab alio factam comprobauit, actionem in rem contra emptorem non habere, sed actione negotiorum gestorum pretium à venditore persequi posse. Quæ definitiones an veræ sint, & quatenus veræ sint, & quibus distinctionibus admitti debeant, breuiter est definiendum, nec enim scrupulosa est eius rei disquisitio, nec cognitio inutilis. In primis rectè gl. hoc loco docet quod hic dicitur rei alienæ venditionem non valere, ita accipiendum esse, ad hoc vt dominium transferatur & emptori res non possit auferri à domino intra legitimum tempus eam vindicante. Cæterum si bona fide emptor rem acquirat quod putet rem venditoris esse, valebit venditio. *l.27. qui à quolibet cum l. seq. ff. de contr. empt.* vtcumque enim id soleat agi in emptione, vt dominium transeat in accipientem: Tamen sufficit vacuam possessionem tradi, & conditionem vsucapiendi emptorē habere: Imo si sciens emptor rem acquirat alienam, tamen bonæ fidei possessor erit, si putet eum qui vendit ius vendendi habere, puta procuratorem aut tutorem esse. *l.109. bonæ fidei. ff. de verb. signif.* eique vsucapiendi facultas continget, nam vt ait rectè Cuiac. tr.7. ad Afric. ad l.28. ff. de noxal. act. scientia rei alienæ non facit malam fidem, sed scientia iniustæ possessionis: Quæ omnia forte fusius explicabuntur postea, vbi occurrent rescripta Imperat. Alexandri, quæ sunt de vsucapione. Non est etiam illud perpetuo verum, rei nostræ sine voluntate nostra alienatæ dominium in accipientem

Venditio rei alienæ non valet ad rei dominium transferendum, sed ad vsucapionem proficit bonæ fidei emptori.

tem non transferri: nam hæc definitio perdit officium suum in specie l. fin. §. fin. ff. de leg. 2. vbi si codicillis, quos ante mortem vxoris suæ aperiri testator vetuit, res aliqua per fideicommissum relicta sit, eamque interim vxor hæres alienauerit, propter iustam ignorantiam tam mulieris quam emptoris, fundus apud ipsum emptorem remanet, & hęres fideicommissario pretium tantum debet. Sed promptum est dicere illic ad fideicommissarium nondum pertinuisse, & in ea tantum causa fuisse vt ad ipsum aliquando posset peruenire. Quinetiam rem sub die incerto vel conditione legatam hæres interim vendere potest vel obligare, licet aliqua ratione alienam, quia in ea causa est, vt die non existente, vel conditione deficiente, in totum emptoris sit futura. *l. fin. §. sin autem. C. commun. de leg.* vt interim non ideo minus hæredis sit vel emptoris qui ab eo rem accepit, quod ab his aliquando abire dominium speratur. *l. 66. non ideo. ff. de rei vindic.* Plures eiusmodi casus notat Accurs. in l. 11. id quod nostrum. ff. de reg. iu. in quibus rei alienæ dominium in accipientem transfertur, licet dominus non consentiat, quos per se cuique licet expēdere. Sed quod dicitur in nostra lege dominum, cuius alienata res est, vindicare eam posse, hoc ita verū est, nisi tantū temporis trāsierit, quo emptor bonę fidei potuerit rē vsucapere: nā ius dominij inhibebitur, & sola ei superesset actio ad pretiū cōtra vēditorē. *l. 1. C. de reb. al. non al.* queadmodū si res postea periisset apud emptorē. *l. 23. si eū seruū. ff. de reb. cred.* ad quam vid. Cuiacius tr. 2. ad Africanū, nā & ibi plura tradūtur, quæ ad quæstionē huius legis possint pertinere. Dicitur in hac l. dominum vindicantem rem suam pretium offerre non debere, quod ita accipiendum, nisi domino profecerit, & in rem eius versum fuerit *l. 3. Cod. de his quæ vi metus-ve cau. si. l. 6. C. de rest. mil.* Ita etiam accipienda l. 65. emptor. ff. de rei vind. in qua ponendum est rem sibi obligatam nullo iure id est prætermissis denuntiationibus, & neglectis solennibus hastæ fiscalis creditorem vendidisse, alioqui si iure esset distracta, debitor rei dominus vtcūque pretiū emptori offerēs emptori rem non auferret: nisi forte minor intercederet, aut debitor, dum reipu. causa abesset, pignus à creditore venditum quereretur. *l. 7. si creditor. §. 1. ff. de distr. pign.* Sed maxime pugnat l. fin. C. de vxor. mil. quæ domino fundum vindicante emptori pretium restitui docet. Verum nihil est procliuius, quam vt respondeatur in ea specie pretium ab auctore emptori restitui, non ab ipso fundi domino, qui eam euincit. Circa eandem quæstionem, cum quis à fure rem emit alienam ignorans, eamque postmodum dominus vindicat, quidam hoc admittunt, vt si constet emptam esse in foro palam & publicè vendente extraneo, qui dominus esse existimabatur, tunc dominus eam vindicans pretium restituere emptori debeat: & ita cautum etiam moribus

Casus singularis quo ignorāte domino rei aliena dominium in accipiētem transit

Res legata sub cōditione hæredis est ante conditionem existentem.

Dominus rei ab alio alienata eam vindicat si non sit vsucapta à possessore.

Qui rem suam repetit non dat pretiū possessori nisi in rem eius cesserit.

Post rite factam venditionem pignoris debitor offerendo pretium rem suam non recipit.

Casus quo dominus rem suā vindicans pretium eius reddit.

Tolosatum *part. 2. tit. de empt. & vend.* §. 3. quod apud eos qui scripto iure vtūtur aduersâ iurisprudētiâ constitutum est. *l. 2. C. de furtis.* Quod ad tertiam conclusionem eius legis, quæ consentientem postea dominum rei venditæ habere ait actionem negotiorum gestorum contra venditorem: videtur pugnare d. l. 23. ff. de reb. cred. quæ pretium condici posse ait, id est repeti condictione sine causa, vt interpretatur Cuiacius. Sed præterquam quod res vendita ibi perierat, idem Cuiac. tum ad eam l. tr. 2. ad Afric. tum tr. 8. ad l. fin. ff. de neg. gest. ait ratam venditionem non habuisse eum, ad quem res pertinebat, quod in hac lege factum dicendum est: cui distinctioni statim repugnabit regula iuris canonici, quæ tradit, nos ratum habere non posse, quod nostro nomine non est gestum. Sed vix est vt ea regula cum iuris ciuilis disciplina cōgruat: quamquam videtur Bonifacius VIII. aut qui sextum volumen Decretalium sub eo compilauerunt eam regulam ex iure ciuili sumpsisse, idque ex l. 6. §. si ego. ff. de neg. gest. Sed male inde generalis definitio confecta est: nam ibi cum pater ratum habuit negotium non sui sed filij contemplatione gestum, iure quodam singulari ratihabitio est inutilis, non quia negotium patris nomine non est gestum, sed quia nomine filij non suo ratum habuit, & ideo ratihabitatio eum vltra modum peculij non obligat. Iraque concludi potest ex falso intellectu d. §. si ego. ductam hanc regulam, quam omnino catere ratione tum hæc Alexandti constitutio, tum alij iuris ciuilis loci satis docent: & ad id pertinet quod est in l. 20. aliena. ff. de pign. act. l. 16. si fundus. §. 1. ff. de pignor. l. 7. §. pen. ff. ad S. C. Maced. l. fin. C. eod. l. 1. §. 6. si ratum. ff. quod iussu. Imo, si ratihabitio valet ac me obligat, etiam si negotium meo nomine gestum ad me non pertineat. d. l. 6. §. item quæritur. ff. de negot. gest. cut habere ratum non potero, quod me contingit, licet meo nomine gestum non sit. Quare vt integrâ concordiâ ciuilis & canonicæ prudentiæ hæc quæstio dirimatur: potest dici ita demum locum esse superiori regulæ, si omnino negotium non pertineat ad eum qui ratum habuit, vt tum non valeat tatihabitio nisi eius nomine sit gestum: sin ad eum re vera pertineat, vt in hac l. ratihabitio procedat licet eius nomine non sit gestum. Quod si ponamus in hac specie filiam, cuius est fundus matri quę vendidit, hæredem extitisse, dubium non est quin tum venditio confirmetur in solidum si ex asse sit hæres, pro hæreditaria parte si alios habeat cohæredes, quod definitum nominatim in l. 14. cum à matre. hoc tit. & l. 14. C. de euict. & ita Harmenopulus lib. 3. tit. 3. §. 99. videtur sententiam huius legis & d. l. cum à matre, his simul verbis perstrinxisse. Ἐάν τις παρὰ γυναικὸς ἀγοράσῃ πρᾶγμα διαφέρον τῷ ταύτης παιδὶ, καλῶς ἐνάγεται τῇ ἐπ' αὐτῷ ἀγωγῇ. ἐὰν δὲ ὁ παῖς κληρονομήσῃ τὴν μητέρα, εἰς ὅσον αὐτὴν ἐκληρονόμησεν, ἀναγκάζεται ἡσυχάζειν

Obijcitur l. 23. ff. de reb. cred.

Quid sit quod dicitur ratum nos habere non posse quod nostro nomine non est actum.

Si rei dominus succedat venditori venditio confirmatur.

ἐκδαμβανόμενος διὰ δόλου περιγραφῆς. Ex qua quis persona lucrum sentit & eius factum præstare tenetur *l. ex qua persona. ff. de reg. iu.* Itaque dicendum in specie l.1.§.fin. C.de annal. except. non esse liberos patri hæredes, nec enim est audienda gl. in d.l.cum à matre, quæ tradit posse filium hæredem res suas à patre alienatas vindicare: nec etiã in l.1. C.de bo. mat. aut in l. cum oportet. C.de bo. quæ lib. quas allegat, vllum eius rei vestigium est; & quod proponitur in l.1. C.si quid in fr. patr. alienationes à liberto factas reuocare posse patronum, quasi in fraudem suam factas, id quodam iure singulari obtinet, nec id patronus facit tanquam hæres, sed quasi creditor propter portionem debitam verecundiæ patronali. Fortius vrget l. fin. C. de euict. ex qua si quis rem Titij vendiderit, & ad securitatem emptionis fideiussorem dederit Mæuium quasi secundum auctorem; ipse Titius fideiussoris hæres ex sua persona dominium rei suę vindicare non prohibetur, vt propterea non debeat venditio confirmari, etiamsi rei dominus successerit venditori, aut quod idem prope est fideiussori, qui venditionis nomine fidem suam adstrinxit. Verior est gl. sententia ad eam l.fin. quam & probat Cuiac. ad l.11. eod. tit. in ea specie emptorem eligere posse vtrum dominum vindicãtem repellat exceptione rei venditæ & traditæ, an euictionem passus contra fideiussoris hæredem agat autoritatis actione, vti obtinet ex regula generali, quem de euictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio, de qua quædam etiam adnotabuntur ad d.l.11. inf. de euict. quæ est Imp. Alexãdri. Pugnat manifestius, & fere sine concordiæ ratione lex 41. rem alienam. §.1. ff. de pign. act. ex qua actio hypothecaria creditori denegatur, cui res aliena obligata est licet rei dominus debitori qui eam obligauerat successerit. Dicendum id esse ex stricta iuris ratione, quandoquidem pignus rei alienæ ab initio nõ valet omnino. *l.30. seruus quem. §. fin. ff. de act. empti. & l.4. sed & si. ff. de in diem add.* quod in venditione rei alienæ secus obtinere constitit sup. ex l.28. rem alienam. ff. de cõtr. empt. Quinetiam cum palam in d. l.41. Paulus refragatus esset æquitatis rationibus, postmodum Modestinus autor fuit, vt pignus in hac specie conualesceret in l.22. si Titio. ff. de pignor. nec alia ratio est inter illas leges componendi dissidij, quam quia posterior à Paulo Modestinus eius sententiam vt benignitati aduersam improbauit, vt & Cuiacius docet lib.19. obs. cap.26. & ad libros quæstionum Pauli, & differentiarum Modestini. Vt autem venditio & pignus confirmatur, si rei dominus succedat venditori qui eam distraxit, vel debitori qui eam obligauit: ita multo magis si ipse venditor aut debitor rei domino successerint. *l.72. si à Titio. ff. de rei vind. l.5. C. si al. res pign. data sit.* quibus non est contrarium quod proponitur in l.20. si seruo. ff. qui & à qu. man. lib. non fiant. nam quod ibi

Explicatur lex prima. parag. fin. C. de ann. except.

Explicatur l.1. C. si quid in fr. patr.

Explicatur l. fin. C. de euict.

Explicatur lex 41. rem alienam paragr. 1. ff. de pign. act.

Si venditor rei alienæ successerit domino.

dicitur seruo alieno datam libertatem non confirmari, quamuis manumissor domino hæres extiterit: id stricto iure etiam obtinet, quia vt difficilius reuocatur libertas semel data: ita non facile confirmatur male præstita, & vero illo casu ex benignitate confirmari libertatem palam docet. l. pen. in fi. ff. de castr. pecul.

IMP. ALEXANDER A. VERBICIO.

Lex 4. C. de vsufr.

VSVFRVCTV constituto, consequens est, vt satisdatio boni viri arbitratu præbeatur ab eo, ad quem id commodum peruenit, quod nullam læsionem ex vsu proprietati afferat: Nec interest, siue ex testamento, siue ex voluntario contractu vsusfructus constitutus est. PP. G. Id. Mart. Alexandro A. II. & Marcello Coss.

HOc rescriptum pertinet ad cautionem fructuariam, quæ à fructuario præstatur datis fideiussoribus, & per eam cauet se boni viri arbitratu vsurum fruiturum; & cum vsusfructus ad eum pertinere desierit restituturum, quod inde extabit. Illa locum habet in vero vsufructu, qui versatur circa rem cuius substantia vtendo non perit: Nam alia est, quæ datur in vsufructu earum rerum quæ vsu consumuntur, nec enim dato vsufructu vini, olei, frumenti, aut etiam pecuniæ, cauet fructuarius boni viri arbitratu vsurum se & fruiturum, cum earum rerum sit abusus non vsus, & nulla sit vtilitas, nisi consumantur, & pecunia ipsa assidua quasi permutatione perimatur: sed cauet tantum finito vsufructu se tantumdem restituturum, quantum accepit, aut rebus datis æstimatis certam pecuniæ summam soluturum se promittit. De vtraque cautione est accipienda l. 1. hoc tit. quia omnium bonorum legato vsufructu occurrit, vt eorum bonorum nomine caueatur quorum substantia durat, & illorum quæ vsu atteruntur aut pereunt. De priori tantum agit Imp. hoc loco, quod docent hæc verba, *quod nullam ex vsu læsionem proprietati adferet*, quæ ad verum vsumfructum referri tantum possunt, vbi vsufructuarius vtitur saluâ rei substantiâ. Et hac quidem in re mos fuit, cum traderetur vsusfructus, in testatum redigere, qualis res esset cum cœpisset vsusfructus, vt inde appareret an & quatenus rem peiorem fructuarius fecisset. Ait autem Imp. in fine huius l. nihil interesse, vtrum ex testamento, an ex voluntario contractu vsusfructus sit constitutus, quia vtrobique cau-

Cautio fructuaria duplex.

tioni locus est. Rectè vero voluntarium contractum vocat Imp. ex ἀντιδιαστολῆς inuoluntarij contractus, qui ex causa testamenti ducitur, id est ex aditione, quæ quasi contractus est, nec enim id agit hæres adeundo, hæreditatem, vt se legatorum nomine obstringat, cum tamen τῇ ἐνεργείᾳ ipsa aditio eum obliget: Quod idem in creditoribus defuncti, cum quibus etiam aliud agens contrahere censetur, vt inuicem debitores hæreditarios obligat sibi. Contractum igitur voluntarium Imp. intelligit illum, qui ex mutua duorum conuentione oritur, qualis venditio, aut stipulatio: Nam vt testamento ita pactionibus & stipulationibus inter viuos potest constitui vsusfructus. §. 1. *instit. de vsufr.* Cautio autem de qua hac lege agitur prætoria est, quia iussu prætoris interponitur. *l. 1. ff. vsufr. quemadm. cau.* & exigit satisdationem, vt prætoriæ fere omnes stipulationes. *l. 1. §. stipulationum. ff. de prat. stipul.* id est præstare fideiussores fructuarius debet, nec ante sui vsusfructus commodum sentiet, quam sit cautio interposita. *l. 24. vxori. ff. de vsu & vsufr. leg.* sicut enim vti frui debet fructuarius ita dominus proprietatis securus esse debet. *l. 13. si cuius. ff. de vsufr.* quod ratio iuris municipalis admittit, ex quo inter coniuges mutua facta donatione, vsusfructus rerum, quæ constante matrimonio quæsitæ sunt, ei qui superstes extiterit non prius ius vllum ex eiusmodi donatione quæritur, quam oblata defuncti hæredibus idonea satisdatione. Et eius quidem cautionis fructuariæ tantus est fauor, vt nec possit eius præstandæ necessitas vsufructuario à testatore remitti. l. 1. hoc tit. quod & tradit noster Imp. in l. pen. C. vt in posses. leg. quam propterea hoc loco explicabimus. Ex edicto prætoris certum est hæredem, à quo in diem vel sub conditione relicta sunt legata vel fideicommissa, interim eorum nomine cauere debere: Hac scilicet ratione, quia quemadmodum hæres bonis fruitur eorumque possessioni incumbit: Ita legatarios securos præstari oportet, quo fit vt si cautionem hæres non det, mittantur in possessionem legatorum seruandorum causa. *l. 1. §. 1. ff. vt legat. seu fid. nom. cau.* Sed nihilominus obtinuit, vt remittere hanc satisdationem testator possit quocumque indicio voluntatis, idque ex constitutione Marci Antonini Philosophi quæ est in l. 2. C. vt in poss. leg. quam simul & aliam Imp. Commodi de eadem re ipse Imp. Alexander refert in d. l. pen. eod. tit. quibus legibus nihil est quod opponatur. l. 2. C. de cond. insert. nam ibi remissa erat mulieri cautio fideicommissi sub conditione si diuerteret à marito, quæ conditio etsi circumscribatur, tamen iuris ratio manet, quæ hæredes cautione adstringit: Ideoque ne fiat simul contra ius prætorium & voluntatem testatoris exigi poterit cautio vt pluribus tradit Cuiacius lib. 9. obs. cap. 6. Verum vt dictum est cum Imp. Marcus & post eius mortem Imp. Commo-

Voluntarius contractus quis dicatur.

Cautio fructuaria prætoria est & exigit satisdationem.

Fructuarius non fruitur nisi post oblatam satisdationem.

Cautio fructuaria non potest à testatore remitti.

Explicatur l. pen. C. vt in poss. leg.

Cautio legatorum vel fideicommissorum quatenus sit.

Cautio legatorum potest remitti à testatore.

Diluitur contrarium argumentum l. 2. C. de cond. infert.

dus eius filius constituissent, posse remitti hæredi cautionem legatorum: Quæsitum fuerat ab imperatore Alexandro, vtrum etiam posset testator fructuario, cui legatus esset vsusfructus, remittere illam, de qua agere cœpimus, cautionem. Rescripsit Imp. in d. l. pen. non posse. Rationem distinctionis satis idoneam adfert Accurs. in d. l. pen. quod cautio legatorum fauore testatoris sit introducta, quo magis voluntati eius pareatur, & ideo liberum est ei eam remittere: At cautio fructuaria fauore hæredis inuenta est, ne facile fructuarius rem fieri deteriorem patiatur, nullo vinculo cautionis adstrictus.

Diluitur argumentum desumptum ex l. 8. ff. de vsufr. ear. rerum quæ vsu consum.

Definitionem d. l. pen. non euertit l. 8. ff. de vsufr. ear. rerum quæ vsu consum. nam ibi legatario non remittitur cautio fructuaria: sed hæredes apud se inuicem pro eo satisdant: quo casu potest dici eos contra legatarium mandati actionem habituros, si bona sua dissiparet & vsumfructum deteriorem redderet.

Diluitur alia obiectio petita ex l. 9. paragr. plane. ff. vsufr. quẽadm. cau.

Non pugnat etiam l. 9. §. plane. ff. vsufruct. quemadm. cau. quia purè eidem vsufructu legato & proprietate in diem, omnimodo ad fructuarium aut hæredem eius emolumentum proprietatis peruẽturum est, ideoque nihil cautione est opus, ne magis sibi cauere quam hæredi fructuarius videatur.

Pater fructuarius bonorum filij non satisdat.

Non obstat etiam lex fin. §. fin autem versic. hoc proculdubio. C. de bo. quæ lib. nam illud speciale in patre, qui vsumfructum habet in bonis aduentitiis filij, qui non præsumitur quid eorum dilapidaturus, quæ ad filium pertinẽt iure proprietatis: & is tamen, si quid vltra spem & expectationem optimam, qua ex fide omnia administraturus creditur, aliquid consumeret aut diminueret, teneretur res ipsas filio repræsentare, aut ipsum vsumfructum sequestrò ponere, *arg. l. 50. Imperator. ff. ad S. C. Trebell.*

Si patris tamen persona suspecta sit vsusfructus sequestratur.

quod idem interuenire debere in specie l. fin. ff. vt leg. nom. cau. (vbi constituitur, nepotem ab auo materno, qui bona in fraudem fideicõmissi dissipat, cautionem exigere non posse,) rectè ibi gl. notat: nec enim illud pugnat, vt à cautionis necessitate liberetur, & quo ius nepotis in tuto sit, res ipsæ sequestrentur. Igitur ratione affectionis onus satisdationis patri remittitur: quod enim dicitur in d. l. 6. §. fin. C. de bo. quæ lib. bona patris tacito iure esse obligata filio rerum nomine, quas ad eum pertinentes pater ipse administrat, & quarum habet vsumfructum, nihil ad satisdationem pertinet, quæ longe grauior.

Matri habenti vsumfructum in bonis filij cautio fructuaria non remittitur.

Matri vero nec iure antiquo nec nouo si vsumfructum in rebus filij habeat remitti cautionem constat *l. pen. ff. vsufruct. quemadm. cau. l. 6. §. his illud. C. de secund. nupt.* Rectè autem hoc loco glossa quærit, quid sit constituendum, si fructuarius non possit inuenire fideiussores, vt plerumque non tam procliue ac promptum illud est:

Non facile inueniuntur fideiussores.

ἐγγυητὰς πάντως εὑρεῖν οὐ τῶν ῥᾳδίων, οὐδὲ τῶν δυνατῶν εὐκόλως ἐστὶ, vt ait Iustinianus N. 88. in fi. nec est qui pro locuplete interdum fidem suam obstringere velit. Acquiescit in eam

ſententiam Accurſius, vt arbitretur vſufructus perſecutionem non dari, quod quam durum ſit, nemo non agnoſcit: & quod vtitur arg. l. 24. vxori. ff. de vſufr. leg. eius admodum leue momentum eſt: Quod enim dicit ea lex, ante oblatam ſatiſdationem fructuarium commodum legati non ſentire, id eſt intelligendum cum ſatiſdare legatarius negligit, dum poteſt. Rectius itaque Bartolus, cuius ſententia ab aliquo interprete gloſſæ Accurſij ſubiuncta eſt, ita diſtinguit, vt ſi fructuarij perſona ſit ſuſpecta, ſequeſtro res ponantur: Sin minus, iuratoria cautione ab eo præſtita, vſusfructus ei, perinde ac ſi ſatiſdediſſet, tradatur: Quam diſtinctionem adiuuat illud, quod traditur in l. 22. ſi cum. §. ſin vero. ff. ſol. mattim. & N. 22. Iuſtiniani cap. 44. Non incommodè etiam illud erit aduettendum, vtrum hæres ſciens non facile ſatiſdare poſſe fructuarium, amarè ab eo cautionem exigat, vt à legati perſecutione eum auertat; quo caſu cum malitiis hominum nos indulgere vetent Iuriſconſulti. *l. 38. in fundo. ff. de rei vind.* omnimodo onus ſatiſdationis remittetur. *l. 6. cum non facile. ff. ſi cui plus quam per leg. falcid.* Quod ſi ea ſuſpicio legitimis rationibus amoueatur: Tum penes hæredem proprietas plena collocari debebit, ſatiſdatione ab eo præbita, de rei reditu præſtando, ſecundum quod arbitrio boni viri fuerit placitum: Et ſi neuter ſatiſdationem promere queat: Tum ſequeſtrò poni vſumfructum oportebit, exemplo bonorum poſſeſſionis datæ ex edicto Carboniano, quæ non ſatiſdante pupillo, cui ſit controuerſia ſtatus & bonorum paternorum, in aduerſarium, qui ex liberis eſt, cum onere ſatiſdationis transfertur, aut vtrique non cauenti denegatur, curatore interim bonis dato. *l. 5. §. 2. quotiens. ff. de carb. ed.* à qua definitione parū abludit prior Accurſij ſētēria in hāc legem, à qua non debuit recedere. Supereſt vt quæramus, an ſi non deſiderata ſatiſdatione vſumfructum hæres tradiderit, poſſit eam poſtmodum exigere. Et repeto ſatiſdationes iudiciales, iudicio ſiſti, iudicatum ſolui, rem ratam haberi, & eiuſmodi ſimiles, in ipſo litis exordio exigi debere, id eſt antequam lis conteſtetur ſiue iudicium accipiatur. *l. vn. C. de ſatiſdando. l. 8. de die. §. ſi ſeruus. l. 11. Iulianus. ff. qui ſatiſd. cog.* ideoque lite ſemel conteſtata fruſtra deſiderari. *l. 40. Pomponius. §. pen. ff. de procur.* vnde etiam certiſſimè conſtat apud nos eam ſatiſdationem, quæ deſideratur ab illo, qui iure deuoluti beneficium aliquod impetrauit, tanquam ab indigno aut incapaci poſſeſſum, omiſſam ante litem conteſtatam poſtea non requiri: Nec aliter dicendum eſt in ea, quæ præſtari debet iure noſtro ab alienigena, qui litem intendere vult aduerſus indigenam, aut ab eo qui bonis ceſſit, ſi iudicio experiatur. An idem igitur dicemus exceptione quidem remoueri fructuarium, qui ſatiſdationem non offert: Cæterum non deſiderata cautione vſufructu tradito, ad ca-

Si fructuarius ſatiſdare non poſſit ſequeſtro res ponenda eſt.

Non eſt indulgendam malitiis hominum.

Satiſdationes iudiciales exigi debent ante litem conteſtatam.

Poſtea non exiguntur.

Exempla ſumuntur à iure franciſco.

Hæres qui non exegit cautionem à fructuario eam condicere poteſt.

uendum postea non compelli: quod nequaquam admittendum: illæ enim satisdationes, de quibus loquebamur, iudicij tantum præparationem respiciunt & exceptionibus dilatoriis, quæ lite contestata opponi non possunt, comparantur: hæc causam bonorum continet, propter spem consolidationis, ideoque hæres qui cautionem non exegit incerti condictione aget, vt cautio interponatur. *l. 5. Iulianus. paragr. 1. Dig. de vsufruct. ear. rer. quæ vsu consum.* quæ dicitur actio in factum. *l. Iulianus. paragr. Marcellus. Dig. ad exhib. l. partis. Dig. de præscr. verbis.* Quinetiam vindicari ab hærede res ipsa poterit, & si opponatur exceptio de re vsusfructus debiti nomine tradita, replicare poterit non esse sibi oblatam & præstitam cautionem. *l. 7. in pr. Dig. vsufruct. quemadm. cau.* Nec aliter constituendum, vbicumque agitur de qualibet alia satisdatione, quæ ad causam restitutionis pertinet: nam ibi occurrit semper, vt omissa cautio condicatur. *l. 7. paragr. fin. ff. de do. præleg. l. 3. paragr. fin. ff. si cui plus quam per leg. falc.* neque obstat l. 69. peto. §. fratre de leg. 2. nam quod ibi dicitur nullam condictionem nasci in fideicommisso familiæ relicto, (si legato vel fideicommisso accepto, qui primus admissus est ad fideicommissum non cauerit de re post mortem restituenda iis qui in sequenti gradu erunt) recte Cuiacius lib. 19. quæst. Papiniani id referri ait ad condictionem certi, qua petitur aut repetitur id quod certum est, quæ proculdubio in ea specie nec alia simili competere non potest: Cæterum condictio incerti dabitur. Et certè illud frequentissimum est, vt vbi locum non habet condictio certi, ibi condictio incerti detur, quod non modo illo loco Cuiacius tradit, sed etiam in prioribus notis ad libros Institutionum, ad §. certe. de rerum diuis. & tr. 7. ad Africanum ad l. 37. ff. de vsufruct. atque alibi passim. Eo amplius quemadmodum condictio incerti datur ad petendam cautionem, quæ omissa est: sic è conuerso eadem condictio datur ad reuocandam cautionem, quæ data est cum dari non deberet, *l. 16. in causæ. paragr. 2. Pomponius. ff. de minor.*

Omissa cautio qualibet pertinens ad causam restitutionis potest condici.

Diluitur contrariũ argumẽtum.

Vbi habet locum certi condictio ibi interdũ competit condictio incerti.

IDEM A. EVOCATO ET ALIIS.

L. 5. C. eod. SI *pater vsumfructum prædiorum in tempus vestræ pubertatis matri vestræ reliquit: finito vsufructu postquam vos adoleuistis, posterioris temporis fructus perceptos ab ea repetere potestas, quos nulla ratione sciens de alieno percepit.*

percepit. P P. Kal. April. Alexandro A. II. & Marcello Conss.

MÆuius vxori suæ vsumfructum prædiorum suorum legauerat vsquedum liberi ad pubertatem peruenirent. Illa post puberes annos filiorum suorum aliquandiu eadem prædia possederat, fructusque ex eis perceperat. Filij prædia sibi restitui cum incrementis fructuum desiderabant. Quærebatur itaque, an fructus à matre post pubertatem percepti in causam restitutionis venirēt. Rescribit Imp. venire. Ratio dubitandi erat, quod nihil ab ipsa esset desideratum, ideoque videbatur ex eo tantum tempore fructus eam restituere debere, quo lis aduersus eam fuerat contestata. Ratio decidendi est, quod ipsa sciens ex fundo qui ad liberos pertinebat fructus perceperit: & cum in minorum persona reipsa & ex solo tempore tardæ illationis vel restitutionis mora fiat. *l. 3. in minorum. C. in qu. caus. in int. rest. non est necess.* consequens est medij temporis, quod post pubertatem cessit, vsque dum conueniretur, haberi rationem. Verum illud est, malæfidei possessorem fructus omnes restituere debere, siue ante siue post litem contestatam eos perceperit, aut percipere potuerit. *l. 22. certum. C. de rei vind. & §. illorum. de off. iud. apud Iust.* & quidem perceptos indistinctè, siue honeste siue inhoneste eos perceperit. *l. 52. si possessor. l. 56. cum hæreditas. ff. de pet. hær.* percipiendos ita demum, si honeste potuerint percipi. *l. 33. fructus. ff. de rei vindic.* Et hæ definitiones in iure sunt certissimæ: his tamen quædam opponi possunt: nam quod dictum est malæfidei possessorem teneri de fructibus restituendis, obstat lex fructus. ff. de vsuris. vbi vxor vel maritus, qui fundum acceperunt à se inuicem ex causa donationis, licet donatio non valeat ac per hoc mala fide id est contra interdictum iuris ciuilis possideant, nihilominus fructus suos faciunt: cui responderi potest commodè, esse quidem donationem prohibitam inter virum & vxorem proprietatis ratione non fructuum aut vsurarum quas ex re vel pecunia donata vxor aut maritus percepit; qua de re quædam notabuntur ad l. 8. inf. de donat. inter vir. & vx. quæ est huius Imp. Obstat etiam l. 67. si vnus § 1. ff. pro socio, vbi socius, qui pecuniam communem mala fide vt suam fœnerauit, lucrum vsurarum solus retinet: sed hoc, quia suo nomine eam credidit, & propterea periculum eius si male collocata fuisset ad eum respicit. Deinde non quidem vsuras quas accepit communicat, sed eas quas exigit societatis iudicium *l. 1 §. 1. ff. de vsur.* quæ etiam magis veniunt loco eius quod interest *l. 60. socium. ff. pro socio.* Obstat etiam l. 55. si vrbana. ff. de cond. indeb. vbi si prædo vrbana prædia locauerit, is qui mercedem exoluerit non

Species legis proposita.

Minoribus re ipsa citra interpellationem mora fit.

Malæ fidei possessor restituit fructus quoscumque.

Obijcitur lex fructus. ff. de vsuris.

Vir aut vxor fructus suos faciunt ex re sibi a se inuicem donata licet donatio non valeat.

Obijcitur lex 67. paragr. 1. ff. pro socio.

Obijcitur l. 55. ff. de condict. indeb.

repetit: Sed vt eo loco rectè Cuiac. lib.4. resp. Papin. ideo prædo facit fructus suos, quia non per seipsum sed per conductorem eos percepit. Deinde eo nomine domino obligatus est, vt quod perceperit id ei restituat, ac propterea inanis ei semper constituitur fructuum perceptio, quia effectu fructus restituere tenetur, eademque ratio prorsus intercedit in l.22. si pignore. §.2. ff. de pign. act. vbi prædo, qui fundum vel rem quamlibet alienam pignori dedit, pignoritia agere potest, & fructus à creditore perceptos repetere. Quod autem dictum est malæfidei possessorem teneri de omnibus fructibus restituendis, etiam si inhonestè percepti fuerint, videtur obstare l.5. ff. de vsuris, quæ ait bonæ fidei iudicium non recipere præstationes quæ contra bonos mores sunt: Sed hoc intelligendum, si petantur fructus illi qui nec sunt percepti nec potuerunt honestè percipi, veluti si is, qui domum vt suam repetit ab alio mala fide possessam, desideret earũ pensionum haberi rationem, quas lenonibus vel meretricibus domum suam locando ipse consequi poterat: non enim propitiis auribus iudex tale desiderium admittet: Cæterum si petantur illi, qui percepti sunt, si possessor ipse vberiores mercedes acceperit, quam foret ipse dominus percepturus: nihil fiet contra bonos mores, si lucrum iniustum possessori auferatur, ne eo colore, quod dominus vir ipse integræ existimationis non esset hæc inhonesta compendia facturus, emolumẽtum ex improbis moribus suis possessor faciat, & honesta interpretatio non honesto quæstui causam præbeat. *d.l.52. si possessor. ff. de pet. hæred.*

Obijcitur l.5. ff. de vsuris.

Vltimæ definitioni, qua dictum est malæfidei possessorem de fructibus percipiendis teneri, obstare videtur lex item veniunt. 20. §. 14. Papinianus. ff. eod. tit. & l.62. si nauis. ff. de rei vindic. vbi possessor alienæ hæreditatis non tenetur vsurarum nomine, si pecuniam hæreditariam non attigerit, & mutuo non dederit. Sed ipse Papinianus *in d.l. si nauis*, rectè separat pecuniam & vsuras pecuniæ à rebus cæteris. Pecunia nonnisi cum periculo creditur, & ideo parcendum est ei, qui eam detinet otiosam, si modo ad eam fœnori collocandam officij necessitate non teneatur, qualis est tutor, aut gestor, qui idoneis nominibus pecuniam, quam ex administratione habent, non dederint. *l.24. si mater. C. de vsuris. l.7. paragr. si deponi. ff. de admin. tut.* In contrarium, vsus rerum aliarum nihil secum habet incommodi, & periculo vtentis non sunt, sed domini, si illis probè vtatur is qui tenet: Fructus ex fundo, mercedes ex domibus vel nauibus tuto & sine metu vllo possunt percipi, ac propterea facilius eorum ratio habetur si percepti non sint à possessore, aut tanti non sunt percepti, quanti honeste potuêre: nec modo in ea re, sed in plerisque iuris articulis alio iure fructus censentur, alio vsuræ, vt docet Cuiac. lib.18. obs. cap.3. ad quem locum alia notanda diffe-

Obijcitur l.20. paragr. Papin. ff. de pet. her. & l.62. ff. de rei vind.

Cur fructuũ percipiendorum habeatur ratio, non vsurarum.

Tutor & gestor tenentur de vsuris percipiendis non alius.

Alio iure sunt ex vsura alio fructus.

rentia quam omisit, vt pecuniæ indebitæ vsuræ non repetantur, indebitè vero soluti fundi fructus condicantur. *l. 1. C. de cond. indeb. l. 15. indebiti. ff. eod. tit.* cuius differentiæ ratio hæc est, quod fructuum accessio habeat causam naturalem, vt fere non possint esse non percepti: vsuræ vero causam habeant accidētariam vt possint esse non perceptæ, aut sine periculo creditoris nequiuerint percipi. Sed eidem definitioni obstat §. si quis à non domino, & §. ei vero. de rerum diuis. apud Iustin. l. 17. si fundum. C. de rei vind. l. pen. C. de cond. ex lege, & lex ipsa circa quam versamur, ex quibus efficitur malæ fidei possessorem teneri de perceptis fructibus, non de percipiendis. Sed nihil eæ leges pugnant: nam quæ constituunt teneri malæ fidei possessorem de perceptis, non etiam dicunt non teneri de percipiendis, quod palam ex aliis iuris locis constat, & maxime ex d. §. illo tum. de off. iud. apud Iustin. & l. 33. fructus. ff. de rei vindic. Et potest etiam illud adijci, in specie hoc loco proposita & legibus superioribus, non agi de percipiendis, quia id non occurrebat, cum possessor nullam in colligendis fructibus negligentiam & desidiam admisisset, sed omnes fructus percepisset, qui percipi potuerant à domino vtcumque diligenti & sagaci rerum suarum moderatore. Priora pertinent ad malæ fidei possessorem, de quo proprie est rescriptum istud Imp. Alexandri. Sed quia quæstio de fructibus ab eo restituendis ad se trahit aliam de fructibus, quos bonæ fidei possessor percepit ex re, quam debet restituere iudicio in rem speciali vel generali conuentus: vix est, vt debeat hæc ad hanc legem animaduersio absolui, quin & de ista quoque præceptiones quædam breues & dilucidæ proponi debeant. Certum est illud primum de consumptis fructibus non teneri bonæ fidei possessorem, extantes vero restituere debere. *§. si quis à non domino. de rerum diuis. apud Iust.* Hoc scilicet bona fides præstat, vt qui fundum à non domino emit vel quid aliud, pro cultura & cura & in pensationem iustæ possessionis fructus suos faciat, quandoquidem bonæ fidei possessor aliqua ratione dominum imitatur, quamdiu bona fides durat. Nec in ea re aliud quærendum quam existimatio possidentis iuncta cum idoneo titulo: ac propterea bonæ fidei possessor fructus facere suos potest ex ea re, quam non potest vsucapere: veluti si vi fuerit possessa, aut præsidi contra legem Iuliam repetendarum donata. *l. 48. bonæ fidei. ff. de acq. rer. dom.* & similiter si fundus minoris sit venditus sine decreto, & emptor id ignorauerit: fructus non veniunt in restitutionem, licet venditio irrita fiat. *l. 2. C. si quis ign. rem min. sine decr. com.* Verum superior definitio est de fructibus perceptis & consumptis ante litem contestatam: nam post controuersiam motam omnes possessores sunt pares: itaque tum etiam qui bona fide possidebat de percipiendis tenetur. *d. l.*

Rei indebitæ solutæ fructus debentur non vsuræ si pecunia indebita soluta sit.

Ratio distinctionis superioris.

Obijciuntur aliæ leges capita, & diluuntur.

Bonæfidei possessor non tenetur de fructibus consumptis.

Bonæfidei possessor facit fructus suos ex re qua non potest vsucapi.

Quantū ad causam fructuum post litem contest. omnes possessores sunt pares.

certum 22. C. de rei vind. l. 25. sed & fi. §. si ante. ff. de pet. hær. §. post inchoatam. de off. iud. apud Iustin. & quod constituitur in l. 40. illud. ff. de pet. hær. distinctionem admittendam esse inter eum qui à principio mala fide possedit, & eum qui cum bona fide possideret controuersiam hæreditatis postea pati cœperit, id non ad causam fructuum pertinet, sed ad interitum rerum hæreditariatum, quæ post motam controuersiam interim perierunt, vt damnum non teneatur ferre possessor hæreditatis, à quo hæreditas euicta est, si modo iustam causam litigandi habuit, ne anxia sollicitudine distineretur bonæ fidei possessor, vt aut mortalitatem præstaret & casus fortuiti damnum agnosceret, aut propter metum huius periculi non perpenso aduersarij iure & suo litem desereret, cum forte legitimis defensionibus causam suam posset munire, qua de re plenius supra fuit definitum ad l. 1. de his quæ vi met. ca. fi. Superior definitio ita etiam exaudienda est si vero titulo nitatur bonæ fidei possessor, & ex titulo oneroso rem nactus sit: veluti quia emit, aut rem ex permutatione accepit: nam si opinione tantum sua nitatur, vel ex causa lucratiua rem nactus sit, qualis est is qui cum putaret se esse hæredem bona fide alienam hæreditatem possidet, hactenus saltem de fructibus consumptis tenebitur, quatenus locupletior factus est, id est quatenus de suo non diminuit. *l. 1. C. de pet. hær.* quod si lautius & pollucibilius non modo fructibus, sed & ipsis rebus hæreditariis vsus sit, dum re sua se abuti existimat, id totum damno est ipsius hæreditatis & veri hæredis. *l. 25. sed & fi. §. consulunt. §. adeo. §. quod autē. ff. eod. tit.* Cōparatione igitur rerū hæreditariarū, quas sine dolo malo bonæfidei possessor cōsūpsit, tenetur de fructibus quatenus locupletior est factus, & suis rebus interim abstinuit: Et secundum hæc accipiendus §. etsi hæreditas de off. iud. apud Iustin. quod enim indefinitè ibi dicitur, eum, qui hæreditatem bona fide possedit, de fructibus consumptis non teneri: id verum est, si ex his locupletior non sit factus, quod forte contemplatione sibi delatæ hæreditatis, quam putabat suo iure possidere, lautius & latius compendio redituum fruitus sit. Hanc exceptionem admittit etiam regula superior: Si bonæ fidei possessor ex ea causa rem nactus sit, quę dominium transfert: Nam si forte ex causa pignoris vel qua eiusmodi, fructus restituere cogetur, aut in creditum sibi compensare: Maxime cum nec suo nomine possidere censeatur creditor sed nomine debitoris. *l. 1. 2. 3. C. de pign. act.* Sed & si titulus intercedat, qui ad dominium transferendum sit idoneus, ita demum ex eo fructus retinebit possessor, si causa eius vera sit & effectum sit sortita: Alioqui fructus ab eo condici poterunt: Itaque is, qui ex donatione mortis causa vel dotis nomine rem accepit, non modo eam ipsam rem, sed & fructus eius per condictionem causâ data causâ non

Bonæfidei possessor alienæ hæreditatis de fructibus tenetur quatenus locupletior factus est.

Creditor fructus perceptos ex re pignorata non facit suos.

Possessor bo. fi. non facit fructus suos si causa possessionis secuta non sit.

secutâ reddere cogitur, si vel conualuerit donator, aut donatio reuocata fuerit, vel nuptiæ secutæ non sint. *l.7. qui se. §. fin. l.12. cum quis. ff. de cond. causa da. l.38. videamus §.1. ff. de vsuris.* Nec aliter constituetur si fundus in diem sit addictus, & melior conditio sit oblata, fructus enim interim perceptos prior emptor restituere compelletur. *l.4. §. idem Iulianus. l.16. imperator. ff. de in di. add.* quemadmodum vendito fundo sub pactione legis commissoriæ fructus ab emptore restituuntur nisi conuenisset vt prænumeratam Titij partem emptor amitteret, & residuo pretij ad diem non soluto res fuerit inempta tunc enim remanebunt fructus penes emptorem ne nimis oneretur & fructuum dispendio & iactura partis pretij quam prærogauerat. *l.4. §.1. & l.5. ff. de lege commiss.* Restringitur quoque superior definitio ad fructus industriales, ideoque Iustinianus significatè in d. §. si quis à non domino, ait naturali ratione fructus ad bonæ fidei possessorem pertinere pro cultura & cura: Ergo secus constituendum de naturalibus in quibus nulla aut leuis cura adhibetur, quos propterea ipsa perceptione non facit suos. *l.45. fructus in fi. ff. de vsuris.* Quantum ad l. 48. bonæ fidei in pr. ff. de acq. rer. dom. quæ ait bonæ fidei possessorem non tantum fructus suos facere, qui diligentiâ eius & opera percepti sunt, sed omnes, ac propterea distinctionem superiorem euertere videtur: Accursij sententia, licet plerique eam reprobent, tam vera est quam quæ verissima, dum constituit illud vocabulum (omnes) non dici συγκριτικῶς siue comparatè ad naturales fructus, sed ad industriales, quos non ipse bonæ fidei possessor sed alius seuit: vt eadem sit sententia d. l. 48. quæ legis, qui scit. paragr. fin. vers. porro. ff. de vsuris in qua idem prorsus traditur. Non pugnat, sed diuersa est sententia Cuiacij tr. 7. ad Afric. ad l. 40. ff. de acq. rer. dom. qui d. l. 48. accipit de naturalibus fructibus, sed ait eos interim fieri bonæ fidei possessoris, dum res non euincitur non vero absolutè. Vbique fit differentia inter fructus industriales & naturales, quæ fieret frustra, si admitteremus indistinctè vtrosque fieri bonæ fidei possessoris, quod tamen efficere desiderant illi, qui ex d. l. 45. de vsuris detrahere volunt illam particulam (nec.) Fructus industriales sunt qui requirunt culturam & curam quales sunt vineæ aut segetes quæ assiduam hominum requirunt industriam. Fructus vero naturales nullam operam desiderant, aut certè modicam, & quasi sine facto hominis nascuntur. Eiusmodi sunt arborum fructus, poma, syluæ cæduæ, prata *d. l. 45. & l. 30. sylua. cum l. seq. ff. de verb. obl.* Syluæ cæduæ, vbi cæsæ sunt, ex stirpibus rursus enascuntur: In pratis falce dumtaxat opus est, vt inde dicta sint quod parata sunt ad fructum capiendum. Eiusdem generis sunt oleæ de quibus Virgil. in georgicis

Contra non vlla est oleis cultura, nec illæ

Fundo addicto in diem secuta addictione fructus emptor restituit.

Idem in pacto legis commissoria.

Bona fidei possessor fructus naturales non facit suos.

Diluitur contrarium argumentum l. 48. in pr. ff. de acq. rer. dom.

Probatur Accursij sententia.

Fructus industriales qui nam dicantur.

Fructus naturales qui.

Procuruam expectant falcem rastrosque[?]. naces,
Cum semel hæserunt aruis aurasque tulerunt.

Errant autem qui fœtus animalium, vel lac, lanam, aut pilos, inter fructus naturales numerant: Nam licet hæc edantur sine hominis facto, pasci tamen ipsa animalia non possunt sine hominum opera assidua: Vnde etiam cuique generi animalium pascendo præpositi sunt homines singuli: Quales bubulci, vpiliones, caprarij, phasianarij, pastores anserum, de quibus etiam mentio fit in l. 66. auibus. ff. de leg. 3. D. Ambros. lib. 2. de Abel & Cain cap. 1. *Appositi sunt*, inquit, *armentarij, opiliones cæterique pastores, magistri quodammodo gregum, officia sua singulis animantium sibi commissorum pro conditione formantes.* Hinc fit vt agni, equuli, suculi, & alia eiusmodi statim pertineant ad bonæ fidei possessorem. *l. in pecudum. ff. de vsuris*, cum tamen fructus naturales eius non fiant, vt dictum est. Sunt & alij fructus, qui dicuntur ciuiles, qui nec naturales sunt nec industriales, nec ex corpore terræ aut animalium proficiscuntur, sed ex sola hominum conuentione & industria secum negotiantium: Qualis est vsura pecuniæ, pensiones domorũ, operæ etiam seruorum. *l. 62. finaum. ff. de rei vind. l. 121. vsura. ff. de verb. signif.* & eiusmodi fructus perinde ac industriales sequuntur bonæ fidei possessorem, sicuti in operis serui bona fide possessi est constitutum. *§. idem placet. per quas pers. cuique acqu. apud Iustin. l. 40. quæsitum. ff. de acqu. rer. dom.* Adiici ad ea quæ dicta sunt etiam illud potest, ita demum fructus fieri bonæ fidei possessoris, si bona fides duret: Nam superueniens conscientia rei alienæ, vtcumque vsucapionem iure ciuili non interpellet, impedit tamen ne iam amplius possessor suos fructus faciat. *d. l. 40. quæsitum. & d. l. 48. bonæ fidei §. in contrarium.* Hac ratione quod in fructibus percipiendis singula momenta debeant inspici, quia factum versatur; in vsucapione vero initium, quia ad ius pertinet. Et quod dicitur in l. qui scit. §. fin. ff. de vsur. bonæ fidei possessorem, qui resciuit rem eam quam possidet esse alienam, non desinere facere fructus suos, recte Cuiac. lib. 7. [?]rum Iuliani & tr. 7. ad Afric. ad d. l. 40. id intelligit quamdiu res non euincitur: Cæterum in ea causa sunt, vt re euicta peti quoque possint, nisi sint vsucapti: Nam fructus veluti res mobiles possunt vsucapi, licet ipse fundus nondum sit vsucaptus, aut omnino non potuerit vsucapi. Hæc quoque causa efficiet ne fructus suos faciat bonæ fidei possessor, aut lucrum illorum consequatur, si videlicet in rem actione conuentus impensarum, quas fecit in fundum à se bona fide possessum, rationem iniri desideret: Nam secum compensare fructus tenebitur, & ita fit vt eorum compendium non faciat, cum propter illos impensas quas fecit non repetat. *l. 48. sumptus. ff. de rei vind. l. 16. super empti. C. de euict.* Dissimiliter obtinet in l. 40. quibus. §. 1. ff. de cond. & dem. fieret

Fœtus animantium & alia eiusmodi sunt inter fructus industriales.

Fructus ciuiles qui nam sint.

Fructus ciuiles pertinent ad bona fidei possessorem.

Bona fidei possessor facit fructus suos dum bona fides durat.

Diluitur argumentum l. qui scit. paragr. fin. ff. de vsuris.

Bona fidei possessor qui in rem fecit impensas fructus non eis compensat.

Diluitur argumentum. l. 40. par. 1. ff. de cond. & dem.

enim in illa specie contra voluntatem testatoris, si deductis fructibus impensarum ratio haberetur: Nec ea species est de bonæ fidei possessore, qui fundum comparauit, sed de eo, cui fundus legatus est, si impensam redderet hæredi quam in illum testator fecerat, vt propterea iniquius sit hæredem fructus à testatore perceptos cum impensis compensare, & satis videatur exoneratus legatarius, quod impensæ nomine pretium, quo fundus emptus est, non veniat; sed sumptus tantum, quos in eum, posteaquam emptus est, ipse testator fecit. Alio casu etiam bonæ fidei possessor emolumentum ex fructibus non retinet, quando absens agit rescissoria actione, vt fundum suum vsucaptum eo tempore, quo Reipublicæ causa abfuit, recipiat: Nam cum ipso fundo fructus quoque interim percepti, restituuntur. *l. 28. §. fin. ff. ex quib. causis maiores.* quia scilicet fingitur nulla vsucapio esse, & censetur interpellatus possessor, quia per dominum fundi non stetit sed per causam absentiæ legitimæ, quominus interpellaretur. Hæc fere sunt de fructibus, quorum ratio habetur in actione in rem speciali vel generali, quatenus eorum ratio habeatur. Possint adijci plura de fructibus, qui veniunt & præstãtur in actionibus in personam vel stricti iuris vel bonæ fidei, veluti in actione ex stipulatu, familiæ herciscundæ, finium regundorum, & aliis eiusmodi. Sed illa aliquantum à proposita materia sunt aliena.

Bona fidei possessor fructus restituit ei qui abfuit Reipub. causa.

IDEM A. STRATONICÆ.

INTEREST, *vsumfructum solum maritus tuus in dotem acceperit; an proprietas quidem doti data sit, verum pactum intercessit, vt moriente eo tibi eadem possessio redderetur. Nam vsufructuarius quidem proprietatem pignorare non potuit: Qui autem proprietatem æstimatam in dotem accepit, non ideo minus obligare eam potuit, quoniam soluto matrimonio restituenda tibi æstimatio eius fuit.* PP. Kal. *Iul. Agricola &* Clementino Conss. L. 6. C. eod.

STratonica consuluerat imperatorem Alexandrum, nec tamen satis perspicuè precibus suis rem, de qua iudicium imperatoris expectabat, exposuerat: quod in facti narratione pleraque sibi aut *Species legis.*

contraria, aut parum constantia continerentur: Ex quibus vix imperator & qui assidebant ipsi prudentes poterant intelligere, quidnam esset id de quo consuleretur: Itaque vt ad incertam consultationem, certum tamen ederet responsum, quo Stratonica niteretur, sicut facere imperatores alibi constat, ex l. vt responsum. Cod. de transactionib. & l. precibus Cod. de impub. & al. subst. Ipse etiam explicando ea quæ minus in libelli serie perspicua erant, distinguendum esse constituit: Vtrum Stratonica vsumfructum fundi marito in dotem dederit, an proprietatem fundi æstimatam. Primo casu rescribit inutiliter maritum proprietatem fundi, cuius vsumfructum tantum in dotem acceperat, pignori dedisse. In secundo definit rectè pignus ab eius marito contractum, proprietate, quam æstimatam in dotem acceperat, pignori data. Duplex ratio vtrumque imperatoris responsum impugnare videbatur. Primum quod vsusfructus dominij portionem faciat, ac propterea proprietate obligata videretur ratione vsusfructus, quem in fundo habebat maritus, pignus constitisse. Deinde obligationi ipsius proprietaris opponi videbatur præscriptio legis Iuliæ, quæ fundi dotalis obligationem non valere constituit. Ratio decidendi est, quod vsusfructus dominij tantum portionem faciat, ratione emolumenti, quod durante vsufructu percipit fructuarius, non quod ius vllum habeat in ipso proprietatis corpore, vt eam obligare vel quomodocunque de ea disponere possit. Quod autem ad l. Iuliam pertinet ea locum non habet fundo æstimato in dotem dato, quia eiusmodi æstimatio emptorem maritum constituit, vt potius summa, qua æstimatus est, quam fundus ipse in dote esse censeatur. Itaque eius alienandi vel obligandi plenam maritus habet facultatem. Primum autem ad hanc legem illud adnotandum est, hæc verba (*eadem possessio*) esse subdititia, & loco eorum verborum reponi debere illud vocabulum (*æstimatio*) quod ratio omnis euincit; eaque est sententia Cuiacij tract. 8. ad Afric. ad l. 9. ff. de fundo datali. Vulgata lectio effecit, vt tres huic legi species & quæstiones affingerentur, duæ quas posuimus, & tertia, vtrum proprietate in dotem data, propter pactum de eadem re restituenda pignus impediretur; qualis quæstio nulla est, & si esset, frustra fieret, cum certum sit cessante pacti conditione, ex l. Iulia non valituram obligationem, & pacto intercedente ne quidem si æstimatus fundus sit, vendi aut obligari posse, propter electionem quam mulier habet, & quam ei præripere non potest maritus. *l. 11. quod si fundus. ff. de fund. dot. l. 1. Cod. eod.* Adnotandum præterea est, ex hac l. illud colligi, eum qui habet fundi vsumfructum inutiliter eius proprietatem pignorare. Potest quidem vsusfructus à fructuario, vel ab eo qui pleno iure dominus est, pignori dari. *l. 11. si is. §. si vsusfructus. ff. de pignor.* nam & fructus rei est

Fructuarius rei proprietatem pignorare non potest suum vsumfructum potest.

est eã pignori dare licere. *l. fin. ff. de vsur.* Sed quia vsusfructus à proprietate distinguitur, fructuatius qui proprietatem pignerat, aliud obligare censetur, quam id quod habet, ideoque pignus recte contractum non censetur quia facit quod non potest: quod autem potuit non voluit. *l. multum. Cod. si quis alt. vel sibi*, atque ita, licet pignus nobis datum à debitore nostro, possimus ipsi creditori nostro obligare. *l. 13. grege. §. cum pignori. ff. de pignorib.* Tamen qui vsumfructum sibi nexum habens, proprietatem pignori dat, pignus non contrahit, quasi non id obliget quod sibi pignori datum est *l. 1. C. si pignus. pign. dat. sit.* Qui habet vsumfructum aut ius aliquod in eo, non continuo ius in proprietate habet: Hæc enim duo distincta & separata sunt, ac propterea quod supradictum est, & desumptum ex l. 4. ff. hoc tit. vsumfructum in multis casibus partem dominij esse, cum quadam improprietatis nota accipiendum est, quia dum durat vsusfructus omne emolumentum fructuarius percipit. *l. cum filius. §. dominus. ff. de leg. 2.* Cæterum propriè & simpliciter loquendo vsusfructus non est pars dominij *l. rectè. ff. de verb. signif.* qua de re plura Cuiacius in cõmentariis ad l. si vnus. §. item si pactus. ff. de pactis, ad lib. 2. ad edictum Pauli ad dictam l. 4. hoc tit. & plurib. locis ad Papinianum. Sed placet maximè distinctio Molinæi summi Iurisconsulti ad §. 1. Consuet. Paris. §. 7. & seqq. qui vt est iudicij perspicacissimi, ita omnium optimè hanc, quæ magna est in iure ciuili, controuersiam componit, vt qui iuris loci constituunt vsumfructum esse aut haberi pro parte dominij, ac ipsum fructuatium dominum vocari, intelligi debeant de iure quod habet fructuarius in ipso vsufructu, vt scilicet ipsum vsumfructum, id est commoditatem fructuum, qui ad ipsum pertinent, possit vendere, donare, obligare, quamdiu ius suum durat: qui vero negant dominij partem vsumfructum constituere, nec fructuarium pro domino haberi, intelligantur comparatione facta ad proprietatem, aut rem ipsam in qua est vsusfructus, vt de ea omnino disponere non possit, nec in ea ius vllũ dominationis interponere. An vero in specie huius legis vsusfructu fundi ab vxore marito in dotem dato potuerit pignori dari, cum æstimatus non proponatur, quæri non incommodè potest. Et quidem fructuarium posse vsumfructum pignori dare supra est definitum; vtcumque enim sit ius personæ cohærens *l. 15. vel si seruo. ff. fam. hercisc.* nec extraneo sed proprietario tantum possit cedi. *§. item finitur. de vsufr. apud Iustin.* Tamen certum est fructuum percipiendorum commoditatem posse in alium transferri donatione, locatione, venditione, vel alio modo. *§. 1. de vsu, & habitat. apud Iustin. l. 38. non vtitur. cum seqq. ff. de vsufr.* ita vt ius ipsum in persona fructuarij maneat integrum, & in eius persona capitis diminutione vel morte non conductoris, donatarij, aut venditoris

Pignus pignori dari potest.

An vsusfructus dominij partem constituat.

Distinctio elegans Molinæi.

Vsusfructus cedi non potest, sed perceptio fructuũ potest.

Finito iure fructuarij finitur etiam ius aliorum qui ab eo rem tenent.

intereat. *l. 9. si quis domum. paragr. 1. ff. locati.* quibus conditionib. etiam pignori dabitur, vt ius pignoris finiatur respectu creditoris, ipso vsufructu finito in persona debitoris. *l. vectigali. ff. de pignor. l. 8. sicut. ff. quib. mo. pignor. vel hyp. soluatur.* In quæstione quam proponimus dubitationem facit lex Iulia: an quia ex ea fundus dotalis alienari non potest aut obligari, eius quoque sententia debeat produci ad vsumfructũ fundi in dotem datũ, quod non est dicẽdum: nec enim vsusfructus fundi fundus est aut fundi pars propriè, ac propterea etiam rerum immobilium possessor non censetur, qui rei immobilis vsumfructum habet, nec excusare se potest quominus satisdet iudicio sisti. *l. 15. sciendum. paragr. 1. vers. cum vero, Dig. qui satisd. cog.* At quin fructus pendentes fundi pars esse videntur *l. 44. fructus. ff. de rei vind.* Sed illud verbum (videntur) quamdam improprietatis notam demonstrat, & ad id tantum pertinet hæc iuris definitio, vt interim dum solo hærent fructus pretiosior fundus censeatur. *l. 9. Dig. ad l. falcid. l. [illegible] paragr. pen. Dig. quæ in fr. cred. l. 6. si seruus. paragr. 8. Dig. de furtis.* Tantum autem abest, vt vsusfructus quid immobile esse credatur: vt proximiore cognato fundi gentilitij vsumfructum vendẽte non possit alter propinquus iure [illegible] eum vsumfructum ab emptore recipere: quod ratio iuris municipalis quo vtimur comprobat. In oratione tamen D. Seueri, quæ est ne prædia minorum rustica sine decreto alienentur, vsusfructus ad minores pertinens fundi nomine venit, nec potest alienari aut obligari sine decreto. *l. 3. paragr. nec vsusfructus. Dig. de reb. eorum.* sed hoc in ea iuris parte est singulare, vt pleraque alia. Igitur quantum ad quęstionem legis Iulię non occurrit fundi nomine venire vsumfructum, ideoque eum obligari posse à marito quamquam inæstimatum, vt in aliis rebus mobilibus non obscure admittit Imp. hoc loco: qui enim negat vsufructu fundi in dotem dato proprietatem posse obligari: idem vsumfructum pignori dari potuisse non dissimulanter fatetur: & cum in prima parte non doceat vsumfructum fuisse inæstimatum indistinctè concludẽdum siue æstimatus, siue inæstimatus datus sit, iure pignus in eo aut constitisse aut consistere potuisse. In proprietate valet distinctio, vt æstimatam pignorare, aut alienare possit, inæstimatam non possit.

Qui vsumfructum habet in re immobili non censetur possessor rei immobilis.

Fructus pendentes an sint pars fundi.

Vsusfructus fundi venditus non cadit in retractũ gentilitium.

Vsusfructus fundi ad minorem pertinens non potest vendi sine decreto.

IMP. ALEXANDER A. RICANÆ.

L. 3. Cod. de seruitutib. & aqua.

E*T in prouinciali prædio constitui aquæductus vel aliæ seruitutes possunt: si ea præcesserint quæ seruitutes*

constituunt: tueri enim placita inter contrahentes debent. Quare non ignorabis, si priores possessores aquam duci per prædia prohibere iure non potuerint, cum eodem onere perferendæ seruitutis transire ad emptores eadem prædia posse. P P. Kal. Maij. Maximo II. & Æliano Coss.

DEfinit Imp. hac lege, eum qui prouinciale prædium possidet, seruitutem ei prædio imponere posse, ac propterea onus seruitutis emptores eiusdem prædij sequi. Dubitationem faciebat, quod prædia prouincialia mancipi non essent, id est optimo iure dominij non possiderentur, sed sub onere tributi & stipendij: vnde etiam tributaria & stipendiaria prædia vocabantur. *§. per traditionem de rerum diuis. apud Iustin.* At non potest nisi dominus fundo imponere seruitutem: quare si plures sint domini, vnus seruitutem imponendo nihil agit. *l. 2. ff. hoc tit. l. 11. per fundum. l. 34. vnus. ff. de seruit. rust. præd.* quemadmodum etiam vnus ex sociis inutiliter fundo communi seruitutem stipulatur. *l. 19. si vnus. ff. eod.* Sed obtinuit nihilominus eum qui possidet fundum prouincialem ei seruitutem imponere posse, quia scilicet quasi dominus est, & exemplo eius, qui prædia italica possidet, vtiles actiones habet; quo fit vt etiam habeat noui operis nunciationem, quæ dominis dari solet, si quid in fundo eorum fiat. *l. 3. ff. de oper. no. nunc.* quod multo magis obtinet iure Iustiniani, quo inter Italica & prouincialia prædia iam nulla est differentia *d. §. per traditionem. l. vn. Cod. de vsucap. transform.* Eodem exemplo superficiarius, qui in alieno solo ita ædificauit, vt certam pensionem præstet. *l. 73. §. fin. cum l. seq. ff. de rei vind.* seruitutem imponere poterit quasi dominus. *l. 1. §. fin. ff. de superfic.* & habet etiam noui operis nunciationem. *l. 3. §. fin. ff. de no. oper. nunc.* quod idem dicendum in eo qui emphyteuticarium prædium tenet: nam & hic quasi dominus est. Non idem constituendum est in vsufructuario, qui nec potest nuntiare nouum opus. *l. 1. paragr. fin. ff. eod.* nec ipse imponere seruitutes: quamuis retinere possit & debeat eas quæ fundo fructuario debitæ sunt. *l. 15. sed si quid. paragr. nec seruitutem. Dig. de vsufr.* Ait autem Imp. hoc loco, ita demum constitui seruitutes si ea præcesserint, quæ seruitutem constituunt. Constituuntur testamento vel inter viuos pactionibus & stipulationibus. *paragr. fin. hoc tit. apud Iustin.* quas sequitur traditio siue patientia si ue vsus qui pro traditione possessionis cedit. *l. fin. Dig. eod. l. 1. paragr. fin. Dig. de seruit. rust. præd. l. 3. Dig. de vsufr.* Sed & extra pactionis conuentionem longo tempore constituuntur: licet enim vsucapi non possint, *l. 4. paragr. fin. D. de vsucap. & vsurp.* possunt tamen præscribi

Sententia legis.

Vnus ex sociis nō potest imponere aut stipulari seruitutem fundo communi.

Fundo prouinciali potest imponi seruitus.

Superficiarius seruitutem aedibus imponere potest.

Idem quoque in superficiario.

Vsusfructuarius seruitutem imponere nō potest.

Constituuntur seruitutes testamento vel inter viuos.

Acquiruntur etiam longa possessione.

longa possessione, qua continuò aliquis usus sit nec vi nec clam nec precario. *l.1. & 2. hoc tit. l. seruitutes. 14. Dig. eod. l.1. paragr. fin. Dig. de aqua & aqu. pl. arc.*

IDEM A. CORNELIANO.

L.4.C.eod. AQVAM, *quæ in alieno fundo oritur, sine voluntate eius ad quem vsus eiusdem aquæ pertinet, prætoris edictum non permittit ducere. PP. Id. Aug. Maximo II. & Æliano Coss.*

Sententia legis. PErspicua huius legis sententia est: Inuito eo cui aquæductus concessus est, non posse eum, qui concessit, alteri idem ius concedere. Et si vero pluribus modis ad hanc legem species affingatur: *Species.* hæc ad mentem propius accedit. Mæuius cum fundum, & in eo fontis caput haberet: ex eo fonte vel riuo aquam ducere Cornelio permisit, ad hortorum amœnitatem. Mox idem Mæuius alteri vicino aquæ digitum forte concessit. (sic loquuntur aquileges, sic I. C. δάκτυλον ὕδατος ῥέοντος in l. pen. ff. de seruit. rust. præd.) Quærebatur an id potuisset iure. Rescribit Imp. id non pati prætoris edictum. Dubitationem faciebat, quod nemo suo iure vti prohibetur, & vnusquisque rei suæ moderator sit & arbiter: Sed principis sententiam euicit ratio potior, quod scilicet id non potuerit fieri in præiudicium illius, cui prius aquæ ductus concessus est, cuius haud dubie ius minueretur, si is apud quem aqua oritur pluribus idem ius concederet. Etiam Gyndem late fusum amnem, in multos cuniculos aquas eius diducendo, siccum præbuit Cyrus vt tradit Seneca lib.3. de ira. Sic multis præstito iure aquæ ducendæ, & fons ipse facile exaresceret, & priorum ius penitus tolleretur. Quod si tanta aquarum copia sit, vt sine incommodo prioris possint & alij aquam ducere, incunctanter dici debebit rescriptum principis locum non habere, idque ita cauetur nominatim l.2. §. fin. ff. de seruit. rust. præd. Quinetiam dum ait I. C. in l.8. in concedendo. ff. de aqua & aq. pl. arc. eorum consensum requiri, quibus iam seruitus aquæ data est, quia eorum ius minuitur: satis euidenter admittit, ibi non requiri, vbi aquæ commoditas prioribus non intercipitur. Sic ad concordiam reuocanda legum capita, quæ alioquin secum pugnarent. Certè vetant Iurisconsulti, ne malitiis hominum indulgeatur, vt etiam alicubi supra notatum est. Nec igitur

ille æquis & fauentibus auribus admittetur, qui hoc solo impediat alij aquam concedi, quod sibi antea concessa sit. Eius interesse, quod in confesso est, non illius, quod vano opinionis errore fingitur, ratio haberi debet, & ita eleganter Harmenopulus ἐν προχείρῳ lib. 2. tit. 4. §. 64. βλάβας ὡμολογημένας, καὶ μὴ κατὰ φθόνον μεμηχανημένας δεῖ ἀναιρεῖν. Hoc si separatim duobus vel pluribus ius aquæ cedatur. Quid si simul multis? dubium non erit quin recte id possit: & tunc si inter riuales ipsos non conueniat (sic vocantur qui ex eodem riuo aut fonte aquam ducunt) vtile iudicium de aqua diuidenda inter eos competit. *l. 3. §. pen. l. 4. ff. de aqua quot. & æst.* De quo autem prætoris edicto Imperator loquatur in hac lege, dubitari potest. Arbitratur Accurs. esse interdictum vti possidetis. Magis referendum ad interdictum de aqua quotidiana & æstiua, aut certe est accipiendum de interdicto vti possidetis, quod est propositum de aqua quotidiana & æstiua: nam is cui aquæductus datus est, quodammodo iure suo vti prohibetur, si alij iure ducendi concesso ius suum diminuatur, vti constituendum in hac lege. Cæterum interdicta edicto prætoris proposita admonere superuacuum est: ideoque recte Imp. ait prætoris edictum non permittere vt aqua ducatur, dato scilicet interdicto, quod & illis verbis concipitur in l. 1. ff. de aqu. quot. & æst. *Vt hoc anno aquam, qua de agitur, non vi non clam non precario ab illo duxisti, quo minus ita ducas vim fieri veto.*

Non est audiendus qui non docet quid sua intersit.

IMP. ALEXANDER A. GLYCONIDI.

DAMNVM *per iniuriam datum, immisso in syluam igne, vel excisa ea, si probare potes: Actione legis Aquiliæ vtere. PP. VII. Id. Nouemb. Alexandro A. II. & Marcello Conss.*

L. 1. C. de lege Aquilia.

NOtum est ex ipsis iuris elementis tria fuisse legis Aquiliæ capita: Ad tertium hæc lex pertinet, aut tertij partem illam, quæ est de rebus inanimatis vstis, fractis, ruptis. Constituit autem eum qui damnum passus est per iniuriam immisso in syluam igne, vel excisa eâ, posse experiri actione legis Aquiliæ, vt sibi damnum resarciatur. Recte nomen iniuriæ Accursius refert ad culpam & negligentiam, nam in l. Aquilia iniuriæ nomen non tantum dolum significat, sed imperitiam, & socordiam eius, qui diligenter non aduertit, ne damnum alicui daret: Nam si dolus & praui animi af-

Sententia legis.

Nomen iniuriæ pertinet etiam ad culpam.

Pœna eorum qui data opera quid incendunt.

fectus intercesserit, non tantum illa lege tenebitur is, qui ignem immisit: Sed etiam seuerius punietur, ac vinctus verberatusque necari iubetur, siue domum, aut aceruum frumenti combusserit. *l. 9. qui ædes & l. pen. ff. de incend. ruina. naufr. l. capitalium. §. incendiarij. ff. de pœnis.* Harmenopulus etiam ἐν προχείρῳ, vbi de legibus georgicis tit. περὶ ἐμπρησμῶν, ei qui in alienam syluam ignem immisit χεῖρα σφραγίζεσθαι tradit, id est manum notari stigmate inusto per ferrum candens: Sic enim locus ille est intelligendus: Et rectè χεῖρα σφραγίζεσθαι, quia vultus non potuit: Id enim prohibuerat Constantinus. *l. 17. si quis. C. de pœnis*, ne scilicet hominum facies, quæ ad similitudinem cœlestis pulchritudinis est figurata, de decore aliquo maculetur: Atque ita vetus calumniatorum pœna est abolita, qua lege Rhemnia eorum fronti ignominiæ nota inurebatur. Iure mosaico nulli parti corporis nota potuit inscribi, vt cautum est Leuit. cap. 19. Molinæus ad §. 1. consuetudinis altissiodorensis ait d. l. 17. in Gallia non seruari: Sed non occurrit tamen, vt alicubi apud nos reorum frons & facies aliquo stigmate notentur. Ad propositum regrediamur. Potest huius legis species affingi in his, qui incendunt stipulam in agris, vel spinas comburunt, si exinde latius euagatus ignis damnum dedit, vel syluæ alienæ vel segeti. *l. 30. qui occidit. §. pen. ff. hoc tit.* Hoc fieri solere agriculturæ causa & ratio & vsus docet. Virgil. ipse in Georg.

Hominis vultus non debet stigmate inuri.

Stipula incenduntur in agris agricultura causa.

Sæpe etiam steriles incendere profuit agros,
Atque leuem stipulam crepitantibus vrere flammis:
Siue inde occultas vires, & pabula terræ
Pinguia concipiunt; siue illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exudat inutilis humor:
Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, nouas veniat qua succus in herbas:
Seu durat magis, & venas adstringit hiantes,
Ne tenues pluuiæ, rapidi-ve potentia solis
Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.

Igitur si longius ignis per incuriam eruperit, & vicinas arbores ad eum qui confinem agrum habet pertinentes depastus sit, huic actioni locus erit, quod ex iure diuino prodijt exodi cap. 22. ἐὰν ἐξελθὸν πῦρ εὕρῃ ἀκάνθας, καὶ προσεμπρήσῃ ἀλῶνας, ἢ στάχυς, ἢ πεδίον, ἀποτίσει ὁ τὸ πῦρ ἐγκαύσας. Quantumuis autem constituerimus hanc legem accipi debere de eo qui per indiligentiam & imprudentiam damnum dedit: Nihil vetat quin etiam possit accipi de eo qui dolo malo id fecit. nam eam interpretationem admittit illud, quod de excisa sylua subdit imperator, quod vix est vt aliter quam dolo sit factum: Et illo casu certum est cum actione priuata legis Aquiliæ (quæ respicit tantum id quod interest pecuniæ & patrimonij) ra-

tione) concurrere posse iudicium legis Corneliæ ad criminis publici vindictam: Nam incendiarios punitos fuisse lege Cornelia docet Vlpianus apud pariatorem legis mosaicæ, tit. de incendiar. ad quod pertinet. l. si quis dolo. ff. ad l. Corn. de sicar. neque causa priuatæ actionis consumet iudicium publicum: quemadmodum, seruo alieno per dolum occiso, liberum est agere simul & ex l. Aquilia ciuiliter, & l. Cornelia criminaliter. *paragr. liberum. hoc tit. apud Iustin. l. 3. paragr. si quis. ff. de tab. exhib.* qua de re plura notabuntur ad l. 4. inf. de furtis, vbi occurret vt fusius tractemus de iudiciis & actionibus concurrentibus: Neque enim placet vt hoc loco à sententia rescripti stilus aberret longius. Illud vero ad hunc locum pertinet vt notemus eum qui syluam aut arbores excidit non tantum ex l. Aquilia, vt est constitutum, sed etiam ex duodecim tabulis actione arborum furtim cæsarum posse conueniri, quæ aliquanto seuerior: Nam prior in simplum, illa in duplum competit: Et primum illa actio arborum furtim cæsarum ex ipsa lege 12. tab. erat viginti quinque assium in singulas arbores: Mox ex edicto prætoris ad duplum pretij est redacta, quò ipsæ arbores constarent, vt tradit Cuiac. lib. 2. sent. Pauli tit. pen. Capitale etiam fuit iudicium de arboribus cæsis, si vites vel frugiferæ arbores noctu cæsæ essent. Paulus lib. 5. sent. tit. 20. vid. Cuiac. lib. 9. obsc. cap. 12.

Actio arborum furtim cæsarum concurrit cum actione legis Aquiliæ.

IMP. ALEXANDER A. ANTONIO.

Si filiusfam. fuisti, & res mobiles vel se mouentes, quæ castrensis peculij esse possunt, donatæ tibi à patre sunt: Eas quoque in cætero peculio castrensi non communes cum fratribus tuis habes. Prædia autem licet eunti tibi in castra filio pater donauerit, peculij tamen castrẽsis non sunt. Diuerso *iure ea prædia habentur, quæ ex occasione militiæ filiisfam. obueniunt, hæc enim castrensi peculio cedunt.*

L. 4. C. familiæ hercifcundæ.

Hoc rescripto significat Imp. filiosfam. ad patris successionem venientes præcipuum habere peculium castrense, nec id venire in iudicium familiæ hercifcundæ siue hæreditatis diuidendæ, vt res hęreditarias vel paternas. Mouebat quod ius collationis æqualitatis seruandæ causa inter liberos sit introductum, quod plenius definietur infra, vbi de collationibus tractatio occurret.

Sententia legis.

Sed hoc euicit armorum & industriæ castrensis fauor, vt quæ in castris vel occasione, castrorum quæsita sunt, ea separentur à bonis paternis eaque sibi filiusfam. retineat. Nunc quærendum quænam veniant peculij castrensis appellatione. Id explicat Imp. in hac l.4. & l.1. inf. de castr. pec. mil. & præf. Peculium castrense Paulus definit lib. 3. sent. tit. de testam. vt sit id quod in castris acquiritur, vel quod proficiscenti ad militiam datur: Quod de filiofam. semper est accipiendum: Nam miles paterfam. peculium castrense habere non dicitur, sed bona castrensia vel patrimonium castrense. Veniunt igitur primum, vt Imp. Alexander definit, res mobiles vel se mouentes quæ à patre ipsi filiofam. donatæ sunt. Duas facit species Imp. rerum mobilium: quemadmodum etiam Græci σεσυμάτα κίνητα & αὐτοκίνητα faciunt. Mobilium generalis appellatio est; sed interdum, tamen mobilium appellatione res eæ veniunt tantum, quæ principium motus nullum in se habent, veluti genus quodlibet supellectilis rusticæ vel vrbanæ, & inanimes res omnes, quæ de loco in alium possunt transferri: Mouentes vero illæ sunt, quæ motu proprio possunt moueri: Quales serui & animalia cuiuslibet generis, siue collo aut dorso domentur siue non, siue domestica custodia coërceantur siue non: Quamuis verius sit feras liberam per syluas laxitatem habentes nec mobilium nec mouentium appellatione proprie contineri, sicut iure nostro municipali, pisces, qui in stagnis vel priuatis fluminibus sunt, magis conditionem soli sequuntur: Vt ridiculus ille futurus sit, qui legatis sibi mobilibus omnibus, quæ in agro sunt, legato contineri diceret ipsos qui per lacus vel viuaria pisces discurrunt. Sed quod dicimus res mobiles vel se mouentes filiofam. à patre donatas cedere peculio castrensi, hoc ita verum si in castra eunti filio datæ sunt, quo cultior & instructior ad bellum & ducis sui aut principis comitatum prodiret: Nam quod in hac lege dicitur generaliter sub hac distinctione accipi ipse Imp. satis docet in d. l. 1. C. de castr. pecul. Eodem iure erunt quæ à matre propinquis aut parentibus dantur eidem filiofam. ad militiam proficiscenti d. l. 1. & pecunia etiam quæ ipsi ab extraneo relicta fuerit ad res militares & castrenses emendas, equum, paludamentum, balteos, enses. *l. 3. ff. de castr. pecul.* Lex est de nouerca, quæ reliquit, sed idem esset si qua alia persona. Non obstat l. 7. eod. tit. nam qui donauit, non cauerat vt in res castrenses quod donatum esset impenderetur, sed id tantum, vt in castrensi peculio res donatæ computarentur, quod fieri non potuit, cum res donatæ apparatu bellico non continerentur, nec is qui dedit donatarium ex causa militiæ notum haberet, quorum vnum sufficeret. Quæ etiam occasione militiæ quæsita sunt castrensi peculio cedunt: In quibus hæreditates eorum, quos propter militiam notos habuit

Peculium castrense quid sit.

Quid contineatur peculij castrensis appellatione.

Mobiles res quæ dicantur.

Mouentes res quænam sint.

Quæ dantur filiofam. ad castra eunti sunt in peculio castrensi.

Quæcumque occasione militiæ est acquisitum peculio castrensi continetur.

habuit filiusfam. connumerabuntur, si à commilitonibus sit hæres institutus, idque siue res mobiles sint in ea hæreditate siue res soli, *hac l. & d. l. 1. inf. de castr. pecul.* ac propterea in adeundis eiusmodi hæreditatibus iussum patris nõ expectat filiusfam. sed arbitrio suo hæreditatem adire potest aut pro hærede gerere. *l. 5. ff. de castr. pecul.* Idem constituemus in illis hæreditatibus, quas cognati vel propinqui cum eo militantes in eum contulerint: nam etiamsi frater fratrem suum commilitonem hæredem instituerit, nihilominus eiusmodi hæreditas peculio castrensi cedet, nec patri iure potestatis acquiritur: quia vt rectè Gordianus Imp. in l. 4. C. eod. tit. peregrinationis labor sociatus, & obeundorum munerum consortium, affectioni fraternæ aliquid adiecisse censetur, eosque inuicem mutua vice cariores effectos credendum est, vt propterea magis occasione castrorum & militiæ, quam propter sanguinis affectionem eiusmodi hæreditas quæsita existimetur. Placet vero ea in re Thryphonini distinctio: vt cum agnatus agnatũ filiumfam. hæredem instituerit, siquidem ante militiam factum sit testamentum, castrensi peculio non cedat, ac propterea ius in hæreditate filiofa. militi delata patri eius tribuatur: sin tempore militiæ, tum quasi commilitium auxerit propinquitatis caritatem, & propter castra quæsita sit eiusmodi successio, ad patrem ex ea nihil perueniat. *l. pen. in pr. ff. eod. tit.* Igitur extra causam & occasionem militiæ bona quæsita & hæreditates in peculio castrensi filijfam. non erunt. *l. 11. castrense l. 16. dotem. §. fin. ff. eod. tit.* nec dos etiam vxoris in eo peculio est. *d. l. dotem.* nec quod ab vxore acceperit aut legati aut donationis causa, quia ei propter militiam vxor non est nota. *l. 6. & 8. eod.* Nec obstat l. 13. diuus. & d. l. 16. in pr. eod. nam dicendum, in ea specie institutum hæredem ab vxore fuisse filiumfamilias militem, vt cultior & ornatior in militia esset, vt fere proba vxor honori suo ducit splendidiorem mariti comitatum, atque illius curam habet etiam de supremis cogitans: ac propterea eã hæreditatẽ in peculio castrensi computari: cui potest etiam illud adijci (quando in querẽdis leges contrarias soluendi rationibus diuinare interdum necessarium est). egregiis filijfam. mariti facinoribus nobilitatam vxorem potuisse eum ad remunerandam gratiam hæreditatis suæ præmio affecisse, vt inde hoc lucrum sentire videatur propter militiam. Ait Imp. in hac l. prædia filiofam. ad militiam proficiscenti à patre donata peculij castrensis non esse, quod hanc rationem habet, quia nec propter militiam data censentur, nec pater ei ex militia notus est: quamquam secus forte dicendum foret, si prædia pater filio dederit, vt ex eorum reditu sibi belli instrumenta compararet quantocumque tempore in castris aut expeditionibus degeret, & militiam profiteretur. Rectè vero gl. ad hanc l. quærit an cum ea prædia peculij castrensis

Hæreditas cognatorum commilitonum est peculij castrensis.

Distinctio elegãs Tryphonini Iurisconsulti.

Donata ab vxore an sint peculij castrensis.

Vu

esse negentur, debeant fratribus conferri, quod certe videtur ipse Imp. definire: quo enim à peculio castrensi subducere debere constituit, nisi vt illa quasi paterna & hæreditaria in commune redigantur? Glossa nihilominus non satis mentem Imperatoris aduertens constituit, ea præcipua filio adiudicari, & in his etiam valere donationem à patre in filiumfam. collatam: maximè si tacitè vel expresse fuerit confirmata morte. Præter hoc Imperatoris Alexandri rescriptum, quod manifeste hanc sententiam impugnat, mouet etiam dubitationem quod extra causam castrensis peculij pater filio, quem habet in potestate, donare non potest nec filiæfamilias etiam suæ. *l.2.§.fin. D.pro her. l.1.§.fin.D.pro donato.* & ea tamen in re pugnant lex filiæ hoc tit. & l. si donatione. C. de collat. Prima ait res à patre filiæ nomine comparatas ipsam filiam præcipui iure sumere: altera constituit fundum filiæfamilias à patre datum conferri debere. Posset tentari dictam l. filiæ, esse accipiendam de filia emancipata, quo casu constitit donatio, cum sit alia de filiofam. Sed vix est vt hoc verum sit, quandoquidem emancipatis facta à parentibus donatio confertur. *l. vt liberis. C. de collat.* Cuiacius etiam lib.3.obs. cap.30. ait in d.l. si donatione rem agi ab intestato: in specie vero d.l. filiæ, ex testamento: quo casu certum est ex iure antiquo collationi inter liberos locum non fuisse, vt & adnotabitur inf. ad l.1. de coll. Idem etiam lib.9. cap.17. ait ex græcis interpretibus inutilem esse donationem in vtraque lege: sed in l. filiæ donationem non conferri, quia pater in eadem voluntate durauit vsque ad mortem: vt inde videatur voluisse vt titulo præcipui filia retineret, quod ante ipsi donauerat inutiliter: quod confirmari potest ex l. fin. C. Gregor. hoc tit. & l.31.§. pater. ff. de donat. Iure nouo quo donatio omnis collata à patre in filiū filiam-ve, quam habet in potestate, morte patris confirmatur. *l.25. donationes. Cod. de donat. inter vir. & vx.* poterit etiam dici omnino eiusmodi donationem non conferri nisi duobus casibus: videlicet si vel id cauerit pater, vel alij ex fratribus aut sororibus dotem aut donationem propter nuptias, quæ debent conferri, acceperint & contulerint, vt tum etiam qui ex liberis simplicem donationem accepit conferre teneatur *l. pen. Cod. de collat.* quæ tam de liberis qui sunt in potestate, quam de emancipatis intelligenda est, vt per eam videatur etiam correcta d. l. vt liberis. C. eod. tit. Vt autem peculium castrense non confertur: Ita nec peculium quasi castrense l.1. §.15. nec castrense. ff. de collat. & eodem exemplo, quod clerici filijfam. in sacris ordinibus constituti acquisierint non conferunt. *l. 32. sacrosancta. C. de Episcop. & Cler.* Multominus conferunt aut in portionem hæreditariam sibi imputant, quæ ipsis studiorum causa peregre agentibus subministrauit pater: maximè si appareat id à patre factum potius pietate pater-

An res donata filiofam. à patre extra causam peculij castrensis debeant conferri.

Distinctio circa res donatas filiis vel filiabus quatenus conferantur.

Peculium quasi castrense non confertur.

Impensa studiorum non conferuntur.

na, quam quod filiis vellet credere *l.* 50. *quæ pater. ff. fam. hercisc.* idque præcipuo quodam litterarum fauore obtinet, quo facilius ingenui conatus industriæ promoueantur, & earum rerum eadem sit ratio, ac illarum, quæ ad militiam profecturis filiisfam. à patre conceduntur. Ea omnia ferè alimentorum instar obtinent, quæ nequaquam filiis imputantur, quasi pietati potius paternæ vel maternæ accepto ferantur, quam in anteceffum hæreditariæ portionis data credātur. Si autem ex vera pater vel mater filiæ vel filio mutuam pecuniam dederint, non solum is ea-ve quæ accepit conferre tenetur, sed etiā nepotes qui ad aui hæreditatem admitti desiderant, etiam si patris vel matris, qui creditum rogarunt, hæreditate se abstineant, quod pluribus docet Dn. *Loüet* in litt. R. num. 13. Quod vero hac lege de castrensi peculio definitur, vt illud fratribus filiusfam. non conferat: Idem constituendum de bonis castrensibus, quæ filius emancipatus non confert. *l.* 54. *Titius.* §. *quod mihi videtur. ff. ad S. C. Trebell.* Peculij nomen extinguitur, quoties is qui erat in potestate fit sui iuris & patrimonium esse incipit *l. fin. C. de inoff. testam.* Sed quæ ratio in castrensi peculio filijfam. intercedit, eadem existit in bonis castrensibus, si peculij nomen sit extinctum. Legis tamen nostræ sentētiam eludere videtur lex prima. §. 22. si is qui bona. ff. de collat. vbi si emancipatus filium habeat peculium castrense habentem, eoque mortuo iure peculij bona castrensia pater nactus sit, ea bona conferre emancipatis fratribus tenetur. Sed hoc ita, quia non vt castrensia ea tenet pater, sed vt quælibet bona alia: castrense enim peculium aut castrensia bona dicuntur tantum respectu eius qui ea bona quæsiuit, nec ad alium transeunt cum eodem priuilegio, ne in collationem veniant. Pugnare videtur etiam l. pen. C. de collat. Sed longe dispar est ratio peculij castrensis & militiæ: nam militiam filio pater emit, cui magna commoda & reditus accedunt: & est militia dignitas quædam in aula principis. Igitur ea debet conferri nisi ex testamento res agatur. *l. fin. Cod. commun. vtr. iud.* ex quo ante N. 18. certum est collationi inter liberos locum non esse. Et quod dicitur in l. 30. omnimodo. §. fin. C. de inoff. testam. filio, cui minus portione legitima relictum est, militiam silentiariorum quam ei pater emit non imputari, dicendum id speciale in eo genere militiæ; vel ita distinguendum, vt militia quidem conferatur, sed non ob id in legitimam computetur, quando fauorabilius admittitur inter fratres ius collationis æqualitatis seruandæ gratia, quam imputationis in quartam legitimam, quare quę in legitimam computantur, conferuntur etiam, sed non è contra *d. l. pen. Cod. de collat.* Sed & quod dicitur in l. 1. §. 15. nec castrense. ff. eod. & l. 20. filiæ. paragr. 20. Neratius. ff. fam. hercisc. liberos non conferre ea, quæ parentes ob honorem vel munus ipsis delatum dederint, im-

Confert filius pecuniam mutuam quàm à patre accepit.

Bona castrensia exemplo pena; castrensis non conferuntur.

Opponitur & diluitur l. 1. paragr. 22. ff. de collat.

Obijcitur & diluitur lex pen. C. de collat.

Quæ sit differentia inter militiā & peculium castrense.

Quæ in legitimā computātur conferuntur etiam; sed non è contra.

Non confertur quod pater impēdit in honorem filij vel munus publicum.

penderint, aut promiserint: id ad causam militiæ non pertinet, sed ad munera personalia vel honores publicos, ex quibus onus tantum, non etiam lucrum, aut emolumentum ad filium redit: veluti si duumuir aut decurio factus sit, quod & rescripsit Imp. Alexander in l. vn. de peric. success. par. lib. 10. C. cum pater filium sacerdotem creari impetrauit; & muneris editionem hoc nomine repromisit, nam etiam patre interim mortuo onus erogationis commune est omnium hæredum. Denique eiusmodi dignitates magis in honorem patris filio tribuuntur, quam propter filij commodum, vt mirum non sit quæ ob eam causam impensa à patre, aut promissa sunt, non conferri: quod ita tamen obtinebit si viuo patre & consentiente dignitas huiusmodi collata sit in filium: nam si post mortem patris aliud munus ei delatum sit, & reliquatus sit; cohæredes non tenebuntur, quasi eo nomine fuerit obstrictus pater. *d. l. 20. §. idem scribit. l. 39. ex parte. §. 5. si filius. ff. famil. hercisc. l. 15. ff. de muner. & honor. l. 21. Lucius. §. idem respondit hæredes. ff. ad municip.*

IDEM A. STATILIÆ.

L. 5. C. eod. *IN ipsius mariti tui fuit potestate mutare, quod in seruos suos iratus testamento cauerat, vt vnus quidem in perpetuis vinculis moraretur, alter vero exportandus venundaretur. Proinde si offensam istam clementia flexit: (quod licet scriptura non probetur, alijs tamen rationibus doceri nihil impedit. præsertim cum posteriora eorum talia merita deprehenduntur, vt ira domini potuerit mitigari) nouissimam eius voluntatem arbiter familiæ erciscundæ sequetur.*

MAnifesta est sententia eius legis, nam præterquam quod illud certissimum est, nouissimam voluntatem esse spectandam: Benigniori sententiæ semper est acquiescendum. Igitur vbicumque vel leui momento apparet testatorem recessisse à prima voluntate, qua cauerat velle se, vt ex seruis suis vnus in perpetuis vinculis moraretur: alter extra ciuitatem vel prouinciam in qua ipse morabatur exportandus venumdaretur, certum est pœnas à seruis

non exigi, si postea offensam clementia flexerit, & iræ æstus consederit: idque eo magis, si tanta postmodum fuerint officia seruorum & merita, vt potuerint domini beneuolentiam promereri. inhumanum est (inquiunt Iurisconsulti) veniæ nullam esse rationem. *l.6. §. pactusque. ff. de his qui not. infam.* Igitur cum probos nihil magis deceat, quam erroribus aliorum condonandis præbere se faciles, & quicumque fœlici indole natus est ad placabilitatem debeat esse procliuis: magis Imperatori visum est inclementiam eorum, quæ testator præceperat, benigniori interpretatione moderari, vt magis probet nouissimæ testatoris voluntati esse acquiescendum, quamquam nullis tabulis sit consignata: per quam seruis suis remisisse noxiam videtur gratioribus ministeriis placatus.

IMP. ALEXANDER A. AVITO MILITI.

SI *probatum fuerit præsidi prouinciæ, fratrem tuum vineas communes pignori dedisse, cum partem tuam, quam in vineis habes, creditori obligare non potuerit: Præses prouinciæ restitui tibi eam iubebit cum fructibus, quos creditor de parte tua perceperit. Idem præses prouinciæ de diuisione vinearum inter te & creditorem fratris tui cognoscet: Et iubebit eum acceptâ pecuniâ, quanti statuerit partem fratris tui valere, eam partem, quam de fratre tuo accepit tibi restituere: Aut æstimata tua parte, ad creditorem fratris tui datâ pecuniâ, quanti eam æstimauerit, transferre. PP. II. Id. Septemb. Alexandro A. & Marcello Conss.* L. 2. C. communi diuidundo.

NEmo ex his qui rei dominium in commune habent amplius sua parte ius dominationis interponere potest. *l. 78. duo fratres in fi. ff. de acqu. vel am. hæred.* nec si quis rem communem vendat inuito aut ignorante cohærede, socio præiudicare potest exceptâ causâ fisci, qui hoc iuris habet, vt rem quam cum priuato communem possidet vendendo dominium in solidum in emptorem transferat. *l. 2. C. de comm. rer. alien.* Meum illud possum dicere quod mihi *Nostrum est quod est nobis cum alio commune.*

cum aliquo commune est. *l.5.§.1.ff.de leg.1.l.2.ff.de condit.inst.l.pupillus.§.fin.ff.de verb.signif.* ideoque in liberto communi vel liberta quis ius illud habet, quod haberet in propriis. *l. communis libertus.ff.de in ius voc.l.46.illud.ff.de ritu nupt.* Sed non propterea quicquam facere potest socius, quo ius vicini impediatur aut minuatur: Et ad hanc definitionem pertinet illa vulgaris regula, in re communi potiorem esse causam prohibentis. *l.26.in re communi.ff.de seruit.vrb.præd.l.28.Sabinus.ff.hoc tit.* quod ita demum verum est, si interest socij aliquid non fieri: Nam si nihil intersit, tunc inuito socio alter poterit aliquid facere in re communi: Veluti si quis parietem communem velit incrustare vel pingere qua parte domum suam spectat, vel quid eiusmodi quod sibi prosit aut ad oblectationem aut ad commoditatem & vicino non obsit. *l.quidam.§.fin.l.fistula.ff.de seru.præd.* Item si socius re communi vtatur in eum vsum propter quem est comparata & inter eos destinata, non erit potior causa prohibẽtis: veluti si quis in commune sepulchrum velit inferre mortuum patrem vel aliquem ex suis & prohibeat socius. *§.in commune de rerum diuis.apud Iustin.l.6.in tantum.§.fin.ff.eod.l.6.si quis putans.§.si in commune.ff.comm.diuid.* vel paries ad onera vtriusque vicini sustinenda comparatus sit, & alter immitti non patiatur: Aut redempta sit communis area ne luminibus vtriusque domus officeretur, & vnus non præstet quod conuenit, quibus casibus agetur pro socio. *l.52.cum duobus.§.13.Item Mela.ff.pro socio.* Non erit etiam potior causa prohibentis, si refici rem communem & demoliri oporteat, alter vero impediat. *l.32.si ædibus.l.35.in parietis.l.41.in reficiendo.ff.de damno inf.d.l.cum duobus.§.idem respondit.ff.pro socio.l.4.C.de ædif.priu.* quamquam plerumque vtilius est agere communi diuidundo vel vti possidetis. *l.12.si ædes.ff.comm.diuid.* & quod dicitur in l.8.parietem.ff.de seruit.vrb.præd.alterutri dominorum ius non esse demoliendi vel reficiendi parietem communem: Id intelligendum iure seruitutis, vel iure proprio non interpellato vicino. Sed inuito socio fauore religionis quodam præcipuo socius inferre mortuum in locum communem purum poterit, si alium locum non habeat ne insepulta cadauera iaceant, qua illatione tamen non fiet locus religiosus, sed tantisper in illo loco cadauer manebit, donec locus commodior posset inueniri. *l.41.si plures.l.43.sunt personæ.ff.de relig.& sumpt.fun.l.6.§.si quis in communem.ff.comm.diuid.* His adijcit Accurs. in d.l.28.Sabinus, quod est in l.sancimus.§.ne autem.C.de donat. Sed vt rectè Cuiac.lib.7.quæst. Papin.ad d.l.28.nihil ibi proponitur fieri inuito socio in re communi, licet is cui offertur æstimatio partis quam habet in communi eam inuitus accipiat: id enim fit regulariter ad tollendam communionem, vt infra manifestius apparebit. Sed superiori regulæ hæc etiam applicanda est distinctio, vt

In re communi potior causa prohibentis.

Vbi socij nihil interest potior est is qui facit quam qui impedit.

Cum vnus socius re vtitur in eam causam qua debet & potest iure non prohibetur.

Potior est is qui vult reficere rem communem quam is qui impedit refectionem.

Fauore religionis licet socio inferre mortuum in locum communem purum.

quæratur in re vel negotio quod plures spectat, an plurium intersit vt singulorum, an vero vt vniuersorum. Interest plurium vt singulorum, quando inter plures res aliqua communis est patrimonij & proprietatis iure, vt vel partem quam quisque habet vendere aut donare possit & quolibet iure in alium transferre. Interest plurium vt vniuersorum, quando nulla versatur ratio dominij, quando negotium, quod est in controuersia, non spectat quod singulorum intersit, sed quod alicuius collegij vel vniuersitatis emolumentum in genere spectat: Sicuti ea quæ publicam vtilitatem respiciunt. Primo casu vnusquisque sui iuris vindex est & assertor: Ideoque vel vnus potest contradicere, & suum ius contra alios tueri, vt potior sit causa prohibentis, secundum quod supra est definitum. Placeret rem exemplis explicare, nisi iam per se pateret: Desumi tamen possunt ex l. 11. per fundum. ff. de seru. rust. præd. l. vlt. ff. comm. præd. l. 8. in concedendo l. 10. si plures. ff. de à qua quot. & æst. & aliis eiusmodi. Secundo casu quia nullius priuatim interest, sed corporis tantum alicuius vel vniuersitatis, sufficiet maiorem partem aliquid decernere, vt ab omnibus custodiatur perinde ac si omnes id constituerint, & ad id pertinet vulgata lex 19. quod maior. ff. ad municip. nec eo pertinet vt omnes qui sunt è capitulo vniuersitate, curia, aut collegio, adesse necesse habeant, sed vt duæ partes tantum, & præsentium maior pars consenserit. *l. 3. nulli. ff. quod cuiusque vniuers. l. 3. ff. de decr. ab ord. fac.* alioquin iniquum esset, vt paucorum absentia, siue necessaria siue fortuita impediat aut debilitet, quod à maiore parte ordinis factum fuerit. *l. 46. nominationum. de decurion. lib. 10. C.* Res quæ cōmunis est plurium vt vniuersorum, non tam ad singulos, quam ad vniuersitatem ipsam pertinere intelligitur. *l. 6. in tantum. paragr. 1. vers. ideoque. ff. de rer. diuis. l. 10. sed si. paragr. 4. qui manumittitur. ff. de in ius voc.* sed hoc ita, nisi ex collatione singulorum commune id habeat collegium vel vniuersitas, nam tunc singulorum remanet, maximè si collegium dissoluatur. *l. 1. paragr. fin. ff. de colleg. & corpor.* nec fere ab his discrepant quæ in iure canonico proponuntur in tit. de his quæ fi. à ma. parte capit. & tit. de electione & electi potestate, nisi quod in electione summi pontificis id speciale esse dicitur, vt necesse sit non tantum maiorem partem cardinalium consentire, sed duas partes integras *cap. 6. extr. de elect.* aut cum postulatio concurrit cum electione, vt præferatur is qui eligitur, nisi duplo maior sit pars eorum, qui postulationi assentiunt. *cap. 40. scriptum eod. tit.* quibus & illud subijciendum id requiri iure singulari, vt quoties in capitulo res aliqua magni momenti peragi debet, cuiusmodi est prælati electio, non aliter negotium possit procedere, quam si omnes canonici vocati sint, adeo vt vno contempto, qui commode vocari potuit, electio non valeat.

Cum interest plurium vt singulorum vnusquisque sint iuris est assertor.

Cum plurium interest vt vniuersorum ratum est quod maior pars constituerit.

cap. 34. & 36. *eod. tit.* sicuti fit etiam generaliter in his quæ strictim accipiuntur, veluti in compromissis, vbi non tantum omnes arbitri vocari ad sententiam ferendam, sed etiam adesse debent. *l.* 17. *Item si.* §. *fin. cum l. seq. ff. de recept. arb.* quod idem obtinet in iudicum delegatione, nisi sit adiecta clausula, quod si non omnes interfuerint, vel simul nequiuerint, aut noluerint interesse, alij possint iudicare. *cap.* 13. *scisitatus, extr. de rescr.* Superiori distinctioni vna & alia obstare videtur definitio: Et primum ei quod dictum in his, quæ sunt plurium vt vniuersorum, non requiri consensum omnium, sed sufficere si duæ partes consentiant: Obijci potest l. fin. C. de autor. tut. vbi si agatur de pupillo in arrogationem dando, qui plures habeat tutores, omnes consentire oportet, licet eorum priuatim non intersit, & hæc etiam generalis proponitur regula, quod omnes tangit ab omnibus debet approbari, quæ inde translata est in tit. de reg. iu. in 6. Sed dici non incommode potest propter periculum actionis tutelæ, qua possent singuli teneri, si arrogatio pupillo non expediret, quodammodo singulorum interesse: maximè etiam quia eiusmodi arrogatio non fit, nisi causâ cognitâ ex constitutione D. Pij; vt debeant singuli tutores causas approbare apud iudicem & magistratum competentem. Igitur magis pertinet species proposita in d. l. fin. ad generalem conclusionem, qua admissum in eo negotio in quo plurium patrimonij ratione interest, singulorum voluntatem requiri. Quod si districtè dicatur, eam definitionem spectare etiam rem eam aut negotium, in quo plurium interest vt vniuersorum: Sic erit constituendum, vt id censeatur approbatum ab omnibus quod à maiori parte tutorum factum fuerit: Secundum quod in cap. 12. cum olim in fi. extr. de re iudic. plenâ omnium concordiâ factum id dicitur, quod maior pars decreuit. Magis distinctionis supra positæ partem alteram oppugnat, quod proponitur in l. 7. iuris. §. fin. cum l. maiorem. ff. de pactis & l. fin. C. de bo. aut. iud. poss. vbi licet plurium creditorum causa agatur vt singulorum, siue agatur de aliqua debiti portione communi debitori remittenda, siue de induciis certi temporis eidem indulgendis, in eam sententiam debent alij acquiescere, quæ maiori parti creditorum sederit: Nec vnus; quod sua priuatim interest prætendens, potest morari aut impedire, quod aliis placuerit, nisi forte sit creditor hypothecarius, qui cum aliunde securitatem habeat, non tenetur sequi voluntatem creditorum chirographariorum. *l.* 10. *rescriptum. ff. de pactis.* Sed vt breuiter absoluere nodum liceat: Hoc facit fauor inopis debitoris & ipsorum creditorum vtilitas, ne res sine exitu inueniatur, dum quisque affectatè in diuersam sententiã nititur. Obstare etiam videtur cap. fin extr. de his quæ fi. à maior. parte capit. vbi si agatur de pecunia sigillatim à canonicis conferenda

Obijcitur l. fin. C. de autor. præst.

Solutio.

Obijcit ur l. 7. pa. fin ff. de pactis & l. fin. C. de bo. aut. iud. poss.

Solutio.

Obijcitur cap. fin. extr. de his quæ. fi. à mai. par. cap.

renda ad fabricam Ecclesiæ Cathedralis, obtinet sententia plurimorum, licet sint qui refragentur. Sed quamuis videatur in ea specie interesse plurium vt singulorum, in sumptibus reficiendæ Ecclesiæ subministrandis: tamen causa pietatis intercedit, & summa ratio est quæ pro religione facit, vt ait Papinianus in l.43. sunt personæ in fi. ff. de relig. & sumpt. fun. Deinde versatur interesse canonicorum iure Ecclesiæ, non iure proprietatis & patrimonij: & cum liberalitati Ecclesiæ debeant canonici reditus præbendarum suarum, consequens quoque est vt vocentur in tributum, si de ea reparanda agatur. *cap.1. extr. de ecl. ædit. & repar.* cum etiam iure antiquo quarta redituum Ecclesiæ soleret eius fabricæ deputari. *can. quatuor. can. de reditibus 12. qu.2.* Superior disquisitio neque recedit multum à sententia legis propositæ, neque prorsus est ignobilis & inutilis cognitionis: ideoque visum est paulo liberius diuagari circa quæstionem alioqui non ineptam. Docet autem imperator verissimum esse, quod statim ab initio posuimus, in re communi amplius sua parte ius dominationis neminem interponere posse: constituit enim fratrem fratri non præiudicare, si vineas communes tanquam suas proprias in solidum pignori obligauerit, quo fit vt is qui obligationi non consensit partem suam recipere possit cum fructibus eiusdem portionis; nec forte distinguendum, an creditor sciuerit aut ignorauerit rem pro parte non pertinuisse ad debitorem: nam vt & supra constitutum ad l.5. de vsufructu. creditor momentaneam tantum habet possessionem, donec sibi pecunia soluatur, nec domini opinione & affectione tenet: vt etiam ipsi domino fructus quos percepit teneatur restituere, vel in sortem imputare. Amplius etiam definit Imp. fratrem, qui obligationi non consensit, posse iudicio communi diuidundo experiri, vt diuisio vinearũ fiat inter creditorẽ & alterũ fratrem. Nemo inuitus ad communionem impellitur, aut in societate retinetur. *l. fin. hoc tit. l.26. si non sortem. §. si centum. ff. de cond. indeb.* nam communio solet lites & discordias excitare, à quibus vir bonus diligentissime cauere debet. *l. cum pater. §. dulcissimis. ff. de leg. 2. l.34. sancimus. §. ne autem. C. de donat.* quod fusius docet Aristoteles lib.2. polit. cap.3. dum eorum sententiam reprobat, qui in repub. communionem inducunt: imo & alia ratio plerumque suadet diuisionem, quia quodammodo naturale est negligi, quod communiter possidetur, vt se habere nihil qui non totum habeat arbitretur, & partem quoque suam corrumpi patiatur dum inuidet alienæ. *l.2. parag. hæres autem. Quando & qu. quarta pars lib.10. C.* & eo pertinet locus elegans ipsius Aristotelis lib.2. polit. cap.2. *ἥκιστα ἐπιμελείας τυγχάνει τὸ πλείστων κοινόν. τῶν γὰρ ἰδίων μάλιστα φροντίζουσι, τῶν δὲ κοινῶν ἧττον, ἢ ὅσον ἑκάστῳ ἐπιβάλλει. πρὸς γὰρ τοῖς ἄλλοις, ὡς ἑτέρου φροντίζοντος, ὀλιγωροῦσι μᾶλλον, ὥσπερ ἐν ταῖς διακονίαις οἱ πολλοὶ*

Solutio.

Sententia legis propositæ.

Nemo inuitus in communione permanet.

Negligitur quod communiter possidetur.

προσάπτοντες ἐνίοτε χεῖρον ἀπαιτοῦσι τῶν ἐλαττόνων. Igitur apud eundem iudicem, apud quem actio in rem instituitur, post sententiam de partis proprietate datam poterit idem qui obtinuit ad diuisionem prouocare, si à communione discedere velit: Et iuditis officio illud incumbit, vt, quam commodissimè fieri poterit, rem diuidat, vt scilicet fundus vel vineæ regionibus diuidantur & si vnius pars prægrauet, ille certa pecunia condemnetur: sin minus, res tota ei adiudicetur qui plus obtulerit, & idem partis habita ratione quæ ad socium pertinuit partem quoque pecuniæ eidem inferat. *§. quædam. de act. apud Iustin. §. quod si de vita. de off. iud. apud eundem.* quod & fit in specie huius l. & sequentis, vbi & illud adijcitur ad eiusmodi licitationem extraneum posse admitti si vnus ex sociis non habeat vnde plus licendo partem socij possit consequi. Si autem de pluribus fundis diuidendis agatur, singuli singulis adiudicari debent, compensatione pretij inuicem facta, eoque cui maioris pretij res obuenerit alteri condemnato. Illud ad hanc legem est adnotatione non indignum, quod vbi qui pro indiuiso rem sibi communem cum alio pro parte sua obligauit, diuisione postea inter socios facta nihilominus creditor portionem pro indiuiso sicut erat sibi obligata retinet, nec diuisioni factæ inter socios acquiescere tenetur, vt eam tantum partem iure pignoris retinere cogatur, quæ debitori suo obtigit. *l. si consensu. paragr. illud tenendum. Dig. qu. mo. pig. vel hyp. sol. l. si quis putans. paragr. si fundus communis. Dig. comm. diuid.* cuius definitionis ratio illa est quia iniquũ est rem inter alios actam creditori ignoranti & non consentienti nocere l. 31. is qui ff. de vsufruct. leg. Sed vtcumque ratio aliqua eiusmodi definitioni constet, & ipse etiam Molinæus sententiam Iurisconsultorum aliis argumentis afferat ad consuet. Parisis. paragr. 1. gl. 9. num. 45. Nihilominus rectius aliquanto æquitate decretorum Senatus Parisiensis est definitum, post diuisionem regionibus factam creditori eam tantum partem iure pignoris cedere, quæ debitori per arbitrum communi diuidundo vel familiæ herciscundæ obtigerit, quasi videatur ipse debitor eam partem pignori dedisse quæ sibi iudicio diuisorio adiudicaretur: adeo vt possit illud etiam constitui re communi in totum adiudicata alteri socio, qui non obligauit, ius pignoris euanescere quasi & hac conditione videatur contractum arg. l. lex vectigali. ff. de pign. Plura ea de re Robertus lib. 3. rerum iudic. cap. fin. & Dn. *Loüet* in collecta decretorum Curiæ Parisiensis in littera H. num. x1.

Extraneus potest admitti ad licitationem quæ fit inter socios.

Diuisione facta inter socios ius indiuidui pignoris quod vnus ex his contraxerat non mutatur.

Secus tamen iure Francico ex senatusconsultis.

IDEM A. VERECVNDIANO.

AD officium arbitri, qui inter te & fratrem tuum pro diuidendis bonis datus fuerit, ea sola pertinent, quæ manent communia tibi & illi. Nam ea, quorum partem is vendidit, cum emptoribus tibi communia sunt: & aduersus singulos arbitrum petere debes, si ab illorum quoque societate discedi placeat. Cum autem regionibus diuidi commodè aliquis ager inter socios non potest, vel ex pluribus singuli æstimatione iusta facta, vnicuique sociorum adiudicantur, compensatione pretij inuicem facta, eoque cui res maioris pretij obuenit cæteris condemnato: ad licitationem nonnunquam etiam extraneo emptore admisso, maximè si se non sufficere ad iusta pretia alter ex socijs sua pecunia vincere vilius licitantem profiteatur. PP. V. Non. Maij, Iuliano & Crispino Conss. L.3.C.eod.

HOc interest inter iudiciū famil. hercisc. & cōmuni diuidundo, quod prius nonnisi semel agi soleat, posterius vero possit sæpius proponi. *l. 20. si filia. §. 4. ff. famil. hercisc.* Illa scilicet ratione, quod actio famil. herciscundæ sit de hæreditate vniuersa, actio vero communi diuidundo de rebus singulis, ita vt quæ res post diuisionem hæreditatis communes manserunt, in hoc iudicium veniant, si iterum placeat à communione discedi. Hinc fit vt inter cohæredes interdum hoc iudicium reddatur, vt in hac specie fingendum est datum esse arbitrum inter fratres, qui res eas diuideret, quæ vtriusque consensu communes diuisa hæreditate manserant. Sed quandoquidem hæc actio mixta est tam in rem quam in personam: consequens est vt rebus alienatis iudicium transferatur in nouos possessores: nam quatenus in rem est sequitur possessorem nouum, vt ad diuisionem debeat prouocari: quamuis propter præstationes personales conueniri possit & debeat prior possessor, si forte rei communis fructus integros perceperit *l. si quis putans. §. 1. ff. comm. diuid.* Socius partem, quam habet in re communi ante-

Quid differant actio communi diuidundo & familia herciscunda.

Actio communi diuidundo est mixta in rem & in personam.

Socius potest vendere partem pro indiuiso ante non post litem contestatam. quam ei iudicium diuisorium dictetur vendere non prohibetur. *l.3. C. de comm. rer. al.* post litis contestationem non potest sociis non consentientibus. *l.1. hoc tit.* quod idem in iudicio familiæ herciscundæ. *l.13. alienationes. ff. fam. hercisc.* Ratio hæc est, quia absurdum esset ad iudicium prouocare & interim res diuisioni subducere. *Ratio superioris distinctionis.* Si autem ante controuersiam motam, vt dictum est, alienatio facta sit, eâ vtili constitutâ nouus possessor ad diuisionem debebit prouocari: Hoc definit Imp. Alexander initio huius cōstitutionis. Quod in fine proponitur de adiudicationibus faciendis satis planum est, & ad rescriptum superius est adnotatum.

IMP. ALEXANDER A. EVPHRATÆ.

L.2. C. communia vtr. iud. tam fam. hercisc. quā comm. diuid.

ETIAMSI *is diuisioni arbitrum dedit, cui dandi ius non fuit: Tamen, si socij quondam diuisioni consensum dederint, quod quisque eorum secundum placita possidet, pro parte socij dominium nactus est. PP. XVI. Kal. Decemb. Alexandro A. III. & Dione Coss.*

IAm constitit sup. ad l. vn. vbi conuen. qui certo lo. consensu litigantium prorogari iurisdictionem magistratus, qui causæ disceptationem non habebat. Hæc eadem ratio facit in hac l. vt quod arbiter datus ab eo qui ius dandi non habuit inter litigantes constituerit vim suam obtinere debeat, & vnusquisque censeatur res sibi ab eo adiudicatas iure possidere vice mutua traditis partibus, quæ erant sociorum ante diuisionem & assignationem singulis factam, quod eo magis verum est, si ipsi socij consensum diuisioni fecerint, nec ætatis auxilium intercedat. *l. fin. ff. fam. hercisc.*

IMP. ALEXANDER A. MARCELLO.

Lex 1. C. de noxalibus actionibus.

SI *extat corpus nummorum, quos ablatos ex patris tui hæreditate ab eo, quem liberum esse constiterit, allegas: vindicare eos, vel ad exhibendum agere non prohiberis. nam quamuis alias noxa caput sequatur, & manumissus furti*

actione teneatur, quæ in hæredem non competit: Cum tamen seruus à domino aliquid aufert, quamuis furtum committat, furti tamen actio non est nata: Neque aduersus ipsum, si postea manumissus est, locum habet: nisi furtiuas res & post manumissionem contrectet. PP. XIII. Kal. Decemb. Maximo II. & Æliano Conss.

PErspicuum est quod hoc loco definit Imp. seruum scilicet qui quid domino surripuit post libertatem non posse conueniri ex antegesto nisi rem teneat. Species illa potest fingi. Stichus summam quandam pecuniæ post mortem Domini à quo libertatem testamento acceperat, cum forte adhuc hæreditas defuncti nondum esset adita, surripuit. Marcellus defuncti filius adita patris hæreditate, quo tempore cœpit competere seruo data libertas, desiderabat contra Stichum iam liberum factum agere actione furti directa: Ideoque an id posset consuluit imperatorem. Rescripsit Imp. ei competere vindicationem nummorum si extent, vel ad exhibendum si consumpti sunt agere posse: Furti vero actionem cessare contra Stichum, nisi etiamnum post manumissionem nummos ipsos contrectet. Ratio dubitandi non leuis erat, quod quoties seruus vel furatur vel alio modo delinquit, vt actio noxalis contra dominum datur: Ita si interim manumittatur, contra eum fit directa: Ex quo videbatur & in hac specie contra ipsum seruum directam actionem furti competere, propter furtum in seruitute contractum. Ratio decidendi illa est, quod hæc iuris definitio locum habet tantum vbi extraneo furatus est, aut quolibet modo aduersus extraneum deliquit: Nam tum re vera actio noxalis aduersus dominum nascitur, quæ fit directa contra eum si postea manumittatur: At cum domino, vel hæreditati, quæ interim dum vacat defunctum refert, furtum ipse facit, nulla actio nata est, cum inter seruum & dominum nullum iudicium consistat: Consequens est, vt quæ tempore delicti locum non habuit, nec post manumissionem competat. Itaque in eiusmodi casibus furtum fit & res quasi furtiua vsucapi non potest nec tamen furti actio nascitur quia inter patrem & filiumfam. vel inter dominum & seruum ratio potestatis impedit vllam ciuilem obligationem nasci, vnde nec actio vlla potest oriri. §. *hi qui in parentum. de obl. quæ ex del. nasc. apud Iustin. l. 16. nec cum filiofam. ff. de furtis*, nisi forte proponatur filiosfam. habere castrense peculium aut quasi castrense, nam tum actio vtilis patri contra eam dabitur: Imo & ipsi filio contra patrem si pater res eius castrenses amouerit. *l. 52. si quis. §. 5. sed si filius. ff. eod.* & supe-

Sententia legis.

Species.

Pater habet actionem furti contra filium habentem castrense peculium.

rioris quidem definitionis illa ratio est, quod iure ciuili vna eademque persona patris & filij, domini & serui esse censetur: Ergo vt rem suam furari nemo dicitur, quam de loco in alium transfert, neque etiam contra se agere: Ita nec contra filiumfam. aut seruum, eoque magis quod nihil sit, vnde damnum sarcire pater vel dominus possit cum filiusfam. & seruus nihil suum habeant, atque etiam domestica disciplina possint coërceri: Qui autem potest aduersus furem statuere, necesse non habet aduersus eum litigare. *l.* 17. *serui. ff. de furtis.* Non obstat l. 61. si seruus. ff. de furtis, nam ibi seruus erat communis, ideoque si vnus ex dominis furtum ab eo passus sit, potest agere contra socium communi diuidundo, vt aut damnum præstet, aut pro parte cedat ius proprietatis, quod habet in seruo qui noxiam admisit. Non obstat etiam l. pen. §. fin. C. de furtis & seruo corr. loquitur enim non de furto, quod seruus fecit domino, sed de illo quod liber homo bona fide possessus fecit bonæ fidei possessori, qui proculdubio agere poterit actione furti, quia nullum ibi vinculum potestatis dominicæ, quæ impediat actionem nasci, ideoque is quem liberum esse postea apparuerit conueniri poterit. Quod autem in plerisque iuris articulis bonæ fidei possessor domino comparatur, id intelligendum cum per vsucapionem potest possidenti dominium contingere, quod fieri non potest in ea specie, cum ad liberi hominis vsucapionem nihil possit bona fides præstare. Id vero notandum, quod gl. animaduertit, in specie huius legis eum qui cum testamento esset manumissus hæreditate nondum adita post mortem testatoris furtum fecit rerum hæreditariarum, actione in duplum conueniri ex edicto prætoris, licet enim stricta ratione, actione furti ordinaria non posset conueniri, tum quia rei hæreditariæ furtum non fit exceptis casibus certis, vt constitit sup. ad l. 12. de causis ex qu. inf. irr. tum quia post libertatem seruus ex antegesto à domino conueniri non potest: Tamen prætor impunitum facinus eius esse noluit, qui ea spe audacior factus est, quod mox libertatem adeptus securum se arbitraretur, ideoque eiusmodi proteruitatem & calliditatem coërceri è re prætor existimauit proposita in duplum actione. *l. 1. §. 1. ff. si is qui test. liber esse iussus, &c.* Cæterum si post libertatem etiam ipse manumissus rem contrectet etiam directa actione poterit conueniri ex noua possessione, quasi iam tum rei ipsius furtum rursus facere censeatur. *l. 17. serui. §. 1. ff. de furtis.* Quod & ipse Imp. definiit hoc loco. Ait etiam furti actionem contra hæredem furis non competere, quod superuacuum est adnotare, cum certissimum sit, pœnales omnes actiones, qualis illa est, viuente reo iudicio non inclusas hæredes non tenere, qui successores sunt patrimonij non pœnæ: Quod de condictione furtiua dici non potest, quæ ipsa rei persecu-

Qui potest statuere aduersus furem contra eum non litigat.

Diluitur arg. ex l. 61. ff. de furtis.

Diluitur arg. l. pen. paragr. pen. C. de furtis.

Seruus testamento manumissus furtum faciens rerum hæreditariarum tenetur actione in duplum.

Si post libertatem rem furtiuam seruus contrectet tenetur furti ex noua possessione.

Actio furti contra hæredes non competere iudicio non inclusa.

taria eſt, & in hæredes datur etiam lite non conteſtata cum defuncto, non tantum in id quod ad eos peruenit, quod habet locum in omnibus actionibus ex delicto venientibus, ſed in ſolidum, vt & animaduertimus in notis ad parat. ffrum Cuiacij tit. de cond. furt. *Conditio furtiua quaſi rei perſecutoria tranſit in hæredes.*

IMP. ALEXANDER A. CRESCENTI MILITI.

Lex 1. C. ad exhibendum.

SI dominium ancillæ, de qua agis, ad matrem tuam pertinuit, nec iure à patre tuo venumdata eſt, eiuſque proprietatem tibi vindicare paratus es: Præſes prouinciæ exhiberi eam iubebit, vt apud iudicem de rei veritate quæratur PP. Kal. Maij, Alexandro A. Coſſ.

REi vindicatio non habet locum niſi res præſens ſit: Ideo ſolenne eſt ad res mobiles vindicandas præcedere actionem ad exhibendum, vt res primum exhibeatur, atque exhibita vindicetur. *l. 56. ad rem. ff. de procur. l. 38. quod legatur. ff. de iudic. l. 38. de peculio l. pen. ff. depoſ.* quod manifeſtius docet hoc reſcriptum. Ratio dubitandi in eo erat quod videretur filius excludendus ſi controuerſiam eius rei faceret, quam pater vendidit. Sed dicendum eo principem niti, quod forte filius matri dumtaxat, ad quam res pertinuerat, non patri qui vendiderat ſucceſſiſſet; aut principem de iure actionis reſpondiſſe, non de exceptione, quam habere poteſt poſſeſſor, qua filium vindicantem excluderet quaſi patris hæredem, qui etiam ſi exceptionem omitteret, tamen euictionis nomine contra eundem habiturus eſt actionem ex empto: Nam vtique electio eſt venditoris, vtrum intentionem agentis exceptione rei à defuncto patre venditæ & traditæ repellat, an rem patiatur ſibi auferri, vt ex cauſa ſtipulationis duplum conſequatur. *l. 17. vindicantem. ff. de euict.* Quædam etiam ea de re tradita ſup. ad l. 3. de rei vindic.

IDEM A. SYRO.

L.2.C.eod. SI *criminis alicuius reus postulatur: per ad exhibendum actionem produci à domino, non celari debêt.* PP. Kal. *Septembr. Alexandro* A. *Coss.*

NOn tantum is qui rem mobilem vindicaturus est iure dominij agere potest actione ad exhibendum, vt supra constitit: Sed alius quilibet qui aliquod ius in ea repetit, licet de proprietate controuersia non sit. Itaque siue vsumfructum in seruo se habere quis contendat, siue tanquam pignoratum actione hypothecaria persequatur, siue possessionem eius sibi afferat, eidem actioni locus esse poterit. *l.3.§.12. Pomponius. ff. hoc tit.* Accedit & alia causa si quis à seruo alieno damnum se sensisse queratur, & agat noxali actione contra dominum eius: Nam si, cum plures serui eiusdem domini essent, actor commodè designare non possit à quo rebus suis dispendium sit illatum, æquum erit ad hanc actionem recurrere, vt noxium seruum agnoscat actor exhibitâ sibi familiâ & recensitione omnium factâ. *d.l.3.§.7. si quis noxali.* Et ad hanc sententiam trahi potest hæc lex 2. & l. 2. inf. de accus. & inscr. quibus adiungenda quoque lex prima C. de iniuriis, in qua quod dicitur non licere seruis alienis facere iniuriam, manifeste probatur ex hac l. & d. l. 2. accipi debere actiuè, vt serui alieni qui fecerint iniuriam pœnæ subijciantur, & quidem criminaliter accusari possint. Has tres leges coniungendas esse, & ad eandem speciem pertinere ipsa inscriptio & subscriptio docent. Sed hanc l. non tantum de priuato serui delicto veluti furto rapina aut damno iniuria dato, vnde solent nasci actiones noxales, accipiendam esse, sed etiam de crimine publico, cuius insimulabatur seruus, docet d. l. 2. inf. de accusat. & inscr. quamuis ibi criminis & delicti nomina confundantur, inter quæ tamen in iure est manifesta distinctio: Nam crimina sunt maleficia atrociora, quæ ad vindictam publicam pertinent, de quibus proprerea sunt iudicia publica: Delicta vero sunt minora maleficia, quæ coërcentur iudiciis priuatis vel extraordinariis citra inscriptionem aut subscriptionem. Si autem criminis publici nomine accusetur seruus, etiam eo nomine conuenietur dominus actione ad exhibendum, vt constituitur hac lege. Sed & potest eum defendere, ideoque etiam pro eo cauere debebit iudicio sisti. *d. l. 2. C. de accus. & inscr.* & hoc vltimo casu eum exhibere non cogitur. *l. 2. §. 1. ff. si*

Actio ad exhibendum datur cuicumque ius aliquod in re competit.

Actio ad exhibendum datur in actione noxali.

Crimina & delicta quid differant.

ff. si ex nox. causa ag. Cum exhibet nec defendit, seruum suum iudicio fortunæ committit. *l.13. seruus. ff. de statu hom.* nec tamen pro derelicto haberi censetur, si postea sit absolutus. *l. sciendum. ff. de publ. iud.* Id enim tantum fecisse censetur vt à molestia defensionis se liberet: nam defendendo satisdare debet seruum iudicio sisti, quia nullus defensor idoneus sine satisdatione. Cæterum crimine probato non ipse dominus sed seruus condemnationem sustinet. *d.l.2.* quod Imp. docere videtur περὶ δικαιολογίας actionis noxalis, quæ ex causa delicti priuati à seruo commissi contra dominum datur, ita vt condemnetur dominus noxam sarcire aut seruum noxæ dedere. *§.1. de nox. act. & l.1. de off. iud. apud Iustin.* cum causa publici criminis magis contra ipsum seruū proponatur. *l.4. C. ad l. Iul. de vi priu.* Imo in causa priuati delicti, plerūque detracta noxæ deditione dominus in solidum conuenitur, si dolo negauerit seruum esse in potestate sua, aut dolo fecerit quominus esset. *l.21. §. prætor. l. 22. si seruus depositus. §. fin. ff. de noxal. act. & d. l.2. §. 1. ff. si ex nox. cau. ag.* vel eo vsque distulerit noxæ deditionem, dum iudicati conueniretur. *l. 20. item veniunt. §.5. idem rectè ait. ff. de pet. hæred.* aut quod magis est, si seruus eo sciente nec prohibente deliquerit. *l. 2. cum seqq. ff. de noxal. act.* Sed fit in priuatis iudiciis aliquibus & maximè popularibus, qualis est actio de albo corrupto, vt dominus non teneatur noxaliter, sed statim in ipsū seruū agatur extraordinaria actione, vt puniatur eius factum, & corpus eius torqueatur, cum à domino non defenditur, *l. 7. §. in seruos. ff. de iurisd. omn. iud.* quod pluribus exsequitur Cuiacius lib.3. ad edictum Pauli ad l. 9. ff. de iurisd. omn. iud.

Qui seruum suū accusatū non defendit non propterea censetur eū habere pro derelicto.

Casus, in quibus ex seruī delicto dominus tenetur detracta noxæ deditione.

IDEM A. FELICISSIMÆ.

NEQVE ad exhibendum actio, neque proprietatis vindicatio, si nunc competit, propterea perempta est, quod aliquando aduersus te ad exhibendum actione aliter pronuntiatum est: quia commutatione litis alia res esse incipit. PP. Kal. Septemb. Maximo II. & Æliano Conss. L. 3. C. eod.

PLures huic legi species affingit Accursius, quarum nulla à verbis dissentit: Hæc tamen propius ad mentem imperatoris videtur accedere, quæ eadem est cum illa quæ proponitur in l. si quis ad exhibendum. Digest. de except. rei iudic. quam ipse Accursius

Species legis proposita. notat. Titius egerat contra Felicissimam (nomen est proprium mulieris ad cuius preces rescribit Imp.) & egerat vindicatione vel ad exhibendum, quasi possideret rem ad se pertinentem: illæ actiones non dantur nisi contra possidentem. Illa absoluta est quia non possidebat, adde quia nec dolo fecerat quominus possideret, quia dolus pro possessione est & condemnatio secuta esset *l. 27. sin autem. §. 3. sed & si. ff. de rei vind.* Adijciendum & id quoque, Felicissimam *Qui se liti obtulit non possidens cōdemnentur vt possessor.* se liti non obtulisse, quia qui se liti obtulit, cum non possideret, nihilominus condemnatur. *l. 7. si is qui. l. 25. is qui. ff. eod.* Igitur cum Felicissima absoluta esset, postea ex aliqua causa cœpit rem eandem possidere, cuius nomine actio contra eā data erat & absoluta fuerat. Qui priore iudicio victus erat litē repetit: illa imperatorē consulit: num rursus iure conueniretur. Rescribit Imp. non esse peremptam aduersus eam actionem ad exhibendum, vel rei vindicationem. Ratio dubitandi est, quod videretur exceptio rei semel iudicatæ obstare: quando quidem de eadem re inter easdem personas lis erat, quam iudex iam definierat: ergo prioris sententiæ præiudicio videbatur actor excludi. Ratio decidendi est, quod alia sit causa petendi, quam ea, ex qua absoluta erat Felicissima: nam in priore iudicio ideo actio non tenuit, quia ipsa non possidebat. Igitur cum nunc possideat, cessat præscriptio rei iam ante iudicio transactæ. Vt ex- *Quo casu locus sit exceptione rei iudicatæ.* ceptio rei iudicatæ obstet, hæc omnia necessaria sunt: vt eadem res sit vel quantitas, eædem personæ, eadem causa petendi. *l. 12. cum quæritur cum seqq. ff. de except. rei iudic.* In hac specie eadem quidem res est, eædem etiam personæ: sed causa petendi diuersa. Primo enim actum erat contra Felicissimam tanquam possideret, & absoluta est quia non possidebat: Igitur alia causa nunc est, si iam possideat: & ad hanc quoque rationem pertinet quod proponitur in l. 22. si seruus. §. fin. cum l. seq. ff. de noxal. act.

IDEM A. FLACCILLÆ.

L. 4. C. eod. NON *ignorabit iudex, si instrumenta tui iuris, quæ penes diuersam partem fuisse probaueris, ab eisdem non exhibeantur, iurisiurandi in litem facultatem deferri tibi oportere.* PP. III. Kal. *Mart. Agricola & Clementino Conss.*

HÆc lex coniunctim explicata fuit cum l. 12. sup. de pactis, quæ etiam ad eandem speciem pertinet.

IMP. ALEXANDER A. RIMO.

LEGATVM *à defuncto tibi relictum, & quod in funus vel morbum eius erogasse te boni viri arbitratu probaueris, præses prouinciæ solui tibi iubebit.* PP. V. *Non. Iul. Maximo* II. *& Æliano Conss.* Lex 3. C. de religion. & sumpt. fun.

HÆc lex pertinet ad actionem funerariam, de qua iam quædam dicta sunt in l. 13. sup. de neg. gest. Eius dandæ summa ratio fuit, ne scilicet insepulta cadauera iacerent, si illis qui defuncto funus duxissent actio non daretur. *l. 12. si quis.* §. *hoc tit.* Loquitur vero hæc lex etiam de actione ex testamento, quæ datur legatario, vt consequatur legatum sibi relictum: & si idem legatarius, defunctum funerauerit, vel sumptus in eius morbum erogauerit, vtroque nomine habebit actionem: hæc est legis sententia. Ratio hæc dubitandi fingi poterat, quod videretur legatarius officio pietatis functus de suo funerasse defunctum, & grati animi obsequio mutuæ liberalitatis vicem ei rependisse, vt non iam eos sumptus, sed legatum tantum consequi debere eum videretur. Sed æquior imperatori sententia sedit, ne legatario officium suum damnosum esset; cum hæc non pugnent, & pietatis gratia eum iusta defuncto fecisse, & eorumdem sumptuum repetendorum animum habuisse. *l. 14. & si quis.* §. 8. *plerique. ff. hoc tit.* Igitur vtrumque ex imperatoris rescripto consequetur: & legatum, & funeris vel curationis sumptum. *Ratio cur actio funeraria sit inducta.*

IDEM A. LVCIANO.

SI *sepulchrum monumenti appellatione significas: scire debes, iure dominij id nullum vindicare posse: Sed si familiare fuit, ius eius ad omnes hæredes pertinere, nec diuisione ad vnum hæredem redigi potuisse. Profana tamen loca, quæ circa id sunt, si semper vicinus ædificiis vsui* L. 4. C. eod. tit.

hominum destinatis cesserint, eius sunt, cui illa, quorum partes esse visæ sunt, ex diuisione obtigerunt. P P. VI. *Non. Nouembr. Maximo* I I. *&* *Æliano Conss.*

Quid differat monumentum à sepulchro.

MOnumentũ differt à sepulchro. Sepulchrũ est locus religiosus, in quem iã mortuus illatus est, ossa-ve hominis condita. *l.2.§. sepulchrum. ff. hoc tit.* Monumentum vero est locus tantum religioni destinatus, quo nondum cuiusquam hominis reliquiæ quiescunt, ideoque & vendi & donari & alienari potest. *l.6. §. fin. l.42. monumentum. ff. eod.* Cenotaphium etiam ab vtroque differt: nam locus est exstructus ad maximiorum virorum memoriam, licet ossa eius ibidem condita non fuerint. Hinc Lampridius de ipso Imperatore Alexandro Seuero postquam in fata concessisset. *Cenotaphium* inquit, *in Gallia, Romæ sepulchrum amplissimum meruit.* Igitur nec religiosus locus est nec religioni destinatus: ideoque DD. fratres id est Impp. Marcus & Verus illud vendi posse sanxerunt. *d. l.6. §. fin. & l. 7. ff. de rer. diuis.* Aliud fuit Martiano iudicium, *in l. 6. §. fin. ff. eod.* Sed eius sententia referenda est ad id cenotaphium, in quo inferiæ & parentationes defuncti alicuius manibus fiebant: vt in loco Virgilij 3. æn. ad quem se retulit I.C. in d. §. fin.

Cenotaphium quid sit.

Duplex cenotaphij species.

Solennes tum forte dapes, & tristia dona,
Ante vrbem in luco falsi Simoentis ad vndam
Libabat cineri Andromache, manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum: viridi quem cespite manem,
Et geminas, causam lachrymis, sacrauerat aras.

Alioqui & illud certum est: si quis in longinquo mortuus fuisset, animam eius sacris quibusdam euocari solitam ad patrias sedes, quo pertinet locus elegans apud interpretem Pindari in pythiis ode 4. ἔθος ἦν τῶν τελευτησάντων ἐπ' ἀλλοδαπῆς, εἰ καὶ μὴ τὰ σώματα εἶεν παρ' αὐτοῖς, τὰς γοῦν ψυχὰς διά τινων μυστηρίων ἀνακαλεῖσθαι, καὶ ὥσπερ συμπλεούσας εἰς τὴν πατρίδα διαπέμπειν. Docet autem Imp. hac lege, posse interdum monumenti appellatione sepulchrum vocari, ac propterea id nullum iure dominij posse vindicare, quia scilicet res nullus est. Monumentum etiam pro sepulchro accipi dicendum in l. 14. monumentum. C. de legatis: alioquin eius legatum constare posset ex his quæ initio posita sunt. Res sacræ, sanctæ, religiosæ, actione in rem vindicari non possunt, quamuis eo nomine possint interdicta competere, si quid in eiusmodi locis fiat, quo vel diruantur vel deformentur. *l.1. §.2. ff. de mort. infer. l.1. §. fin. cum ll. seqq. ff. de quid in lo. sacro fiat.* Quinimo in subsidium loco directæ vindicationis, quæ competere non potest, dari solet actio in factum extra ordinem, ne alioqui deficiente omni actione occasio maior delinquendi detur

Monumentũ interdum accipitur pro sepulchro.

Propter res sacras sanctas religiosas non datur actio in rem sed quædam interdicta vel actiones in factum.

iis qui quid ex eiusmodi bonis occupant. *l.45. quæ religiosis. ff. de rei vind.* Quinetiam actio sepulchri violati potest competere. *l.4. ff. de sepulchr. viol.* vt etiam ex l. Iulia peculatus, vel de sacrilegiis publica intendi solet accusatio, si res sacræ vel sanctæ amoueantur, cuius criminis pœna capitalis est. *l.6.9.11. ff. ad l. Iul. pecul.* Sin autem sepulchrum familiare sit: ius eius ad vniuersos hæredes pertinebit, ideoque inter eos dabitur interdictum de mortuo inferendo, quod vtique obtinebit etiam si non sint ex familia. *l.13. ius sepulchri. hoc tit.* nam alioqui quod separantur familiaria ab hæreditariis, quæ sibi hæredibusque suis aliquis constituit. *l.5. familiaria. ff. hoc tit.* ad id tantum pertinet, vt ius familiaris sepulchri ad hæredes, & familiam pertineat etiamsi non sit hæres, hæreditaria vero ad solos hæredes. *d.l.13.* nisi forte ius mortuum inferendi legatum sit. *l.14. monumenta. C. de legatis.* Loca vero, quæ circa sepulchrum sunt, & ædificiis vsui profano destinatis cohærent, quia religiosa non sunt, in diuisionem venire posse iudicio familiæ herciscundæ docet Imp. hac l.4. atque ideo multo magis & venundari possunt. *l.9. hoc tit.* si modo iter ad sepulchrum, aditus, ambitus seruetur. *l.5. ff. de sepulchro viol.* qua de re etiam Cuiacius lib.13. obs. cap.36.

Sepulchrum familiare quid differat ab hæreditario.

Ius mortuum inferendi potest legari.

IDEM A. CASSIO MITITI.

MILITIS *voluntatem, quam circa monumentum sibi faciendum testamento expressit, & pater & mater eius hæredes negligere non debent. Nam etsi delatio hoc nomine præteritus constitutionibus amota est: Inuidiam tamen, & conscientiam circa omissum supremum eiusmodi officium, & contemptum iudicium defuncti, euitare non possunt.* PP. *VIII.* Kal. *Maij, Iuliano & Crispino Conss.* L.5. C. eod.

IN specie huius legis proponuntur defuncti militis pater & mater eiusdemque hæredes non paruisse eius voluntati in monumento siue sepulchro exstruendo, nec tamen constituit Imp. quomodo cogi debeant. Glossa docet id fieri posse pontificali autoritate: Nam pontifices funerum curam gessisse constat: Et id quidem fieri dicendum est quolibet agente: Nam vt actio de sepulchro violato popularis est, ita eo nomine quemlibet causam religionis agere posse dicendum est: Ad quam sententiam pertinet locus ille

Causa religionis est popularis.

Iustiniani. Κοινοῦ ὄντος, inquit, τῆς εὐσεβείας λόγου, κοινὰς προσήκει καὶ τὰς σπουδὰς τῆς τούτου καθιστάναι πληρώσεως. l.46. Θεσπίζομεν *C. de episc. & cler.* Hinc & interdicta de locis sacris & religiosis popularia omnia. Solebant vero testatores hæredes suos certa pecuniæ summa multare, si monumentum non extruxissent, vt apparet ex l. 6. multa & l. 27. in testamento. ff. de condit. & dem. adeo scilicet memoria eorum, qui fato functi sunt, inter viuos fragilis est, vt pœna debeat constringi hæredum fides:

Mortuorum facile quisque obliuiscitur.

Θανόντος ἀνδρὸς ὄλλυται ἀνθρώπων χάρις,

Vt ait ille: Quo pertinet locus elegans Plinij secundi in epistola ad Albutium, dum loquitur de Virginij Rufi ducis celeberrimi monumento ab hæredibus eius post longum tempus non extructo. *Tam rara in amicitiis fides, tam parata obliuio mortuorum, vt ipsi nobis debeamus conditoria extruere, omniaque hæredum officia præsumere.* Quod ait Imp. delationem hoc nomine præteritis constitutionibus amotam esse, si videlicet ex voluntate defuncti non sit ei monumentum extructum, rectè Cuiacius lib. 3. sent. Pauli tit. 5. refert ad l. 5. inf. de his qu. vt ind. quæ est eiusdem Imp. ex qua quasi indignis hæredibus non aufertur hæreditas, si circa sepulturam voluntatem defuncti neglexerint. Et rectè Imp. hoc loco delationis verbo vsus est: Nam pertinet hoc vocabulum ad eos qui deferunt vel nuntiant aliquid ad fiscum pertinere, qualia sunt ea quæ indignis hæredibus solent eripi.


IDEM A. PRIMITIVO, ET ALIIS.

Lex 6. C. eod.

MONVMENTORVM *inscriptiones, neque sepulchrorum iura, neque dominium loci puri ad libertos transferent. Præscriptio autem longi temporis, si iustam causam initio habuit, vobis proficiet. PP. VIII. Kal. Iul. Iuliano & Crispino Coss.*

Constituit Imp. ex monumentorum inscriptione nec iura sepulchrorum, nec dominium loci puri, qui forte circa sepulchrum est, ad libertos transferri: Scilicet si nulla alia probationum adminicula fidem desideriò eorum adferant, & aliunde ex voluntate eorum constet, qui illa ædificari curauerunt. Monumenti appellatio duplicem significationem admittit in hoc imperatoris rescripto, & pro sepulchro siue loco religioso & pro loco puro, sed

religioni tamen destinato. In prima significatione negat libertis ius sepulchri esse: In secunda negat ius dominij ipsos libertos in ipsum monumentum habere. Inscriptiones sepulchris adhiberi solitas hic locus demonstat: Et per eas etiam constabat, vtrum essent familiaria an hæreditaria. Quod Imp. adijcit longam possessionem posse proficere, hoc rectè gl. pertinere ait ad id quod primum dixerat de loco puro: Nam ius sepulchri longa possessione præscribi non potest. *l.4.ff.de mort.infir.*



COMMENTARII IN RESCRIPTA AVRELII ALEXANDRI SEVERI IMP. ROMANI QVÆ LIB. IV. Codicis Iustinianæi continentur.

EX hoc libro 62. rescripta occurrunt enarranda. Primum ipso primo titulo est relatum eius hæc verba sunt.

IMP. ALEXANDER A. FELICI.

IVRISIVRANDI *contempta religio satis deum vltorem habet. Periculum autem corporis, vel maiestatis crimen, secundum constituta diuorum parentum meorum & si per principis venerationem quodam calore fuerit peieratum, inferri non placet.* PP. VI. *Kal. April. Maximo* II. *& Æliano Conss.* Lex 2. C. de rebus creditis & iureiurando.

DE iureiurando rescriptum vnum Imp. Alexandri iam fuit propositum sup. in l.1. si adu. vend. quod quidem pertinuit ad illam iurisiurandi speciem, quæ contractibus solet inseri ad magis firmandam eorum fidem. Illud quod nunc occurrit explicandum, magis pertinet ad iusiurandum, quo lites solent decidi vel in iudicio vel extra ius, de qua specie hic proprie titulus est. Quid sit iusiurandum, quam variæ eius species possint constitui, ex pluribus

notum est, qui vel tit. ffrum de iureiurando & istum commentariis illustrarunt. Satis itaque fuerit quædam leuiter perstringere, quæ breues & dilucidas animaduersiones ad iusiurandum litis decisorium pertinentes referant. Summa totius quæstionis circa hæc potissimum versatur: An iurare liceat, quis deferre possit iusiurandum aut referre, quibus deferri vel referri, qui possint recusare, an retractari possit causa iureiurando decisa, & an sit eius violati pœna aliqua, quæ vltima inspectio magis ad sententiam huius rescripti accedit. Et primum quidem illud expeditius fuerit definire, id maxime vnumquemque curare debere, vt à iureiurando abstineat, ne consuetudine iuramenti ad periurium via pandatur, quo nullum crimen improbius: Inde enim nascitur contemptus diuini numinis, quod qui peierat deum ipsum quodammodo sponsorem & fideiussorem nequitiæ suæ facit:

Quisque debet abstinere à iureiurando.

Κρημνῶν μέγιστός ἐστιν ἡ ψευδορκία,

Vt ait D. Gregorius Nazianzenus in carmine πρὸς πολυόρκους. Quo nomine plerique suadent vt ne quidem in rebus honestis iusiurandum præstetur: Vnde & ille senarius.

Ὅρκον δὲ φεῦγε κἂν δικαίως ὀμνύῃς.

Apud veteres Christianos rarus iurisiurandi vsus.

Et propterea notat idem D. Gregor. in orat. 1. contra Iulianum Cæsarem notat, priores Christianos nullum iurisiurandi vsum habuisse, tantum abest vt periurij argui possent. Ἐπίορκον, inquit, χωρῶσιν ἢ ὀμόσαι οὕτω δεινὸν καὶ ὑπέρογκον, ὥστε μόνοις ἡμῖν τυγχάνειν ἀπόμοτον. Sed quia plerique incidunt rerum euentus, vbi ad iurisiurandi religionem decurri & priuatæ & publicæ vtilitatis interest: Propter necessitatem, dum dictant ipsæ rerum aut negotiorum figuræ, quæ aliter expediri & explicari non possunt, obtinuit vt ad iuramentum decurrere sit fas interdum: Quæ ratio facit, vt merito sacri canones, quod salutis nostræ autor in sacra pagina vult, vniuscuiusque sermonem nuda affirmatione vel negatione constare, sub ea conditione acceperint, nisi iurandi causa idonea vrgeat, cuius æquitas possit rependere illam qualemcumque culpam, quæ ex iureiurando possit obtingere *can. ita ergo. 22. qu. 1. cap. 26. & si Christus. extr. de iuresur.* nec propterea abscissè iurari Deus prohibet, sed illud tantum ne nomen eius in vanum assumatur, & ipse D. Augustinus in can. tu malum. 22. qu. 1. *tu malum*, inquit, *non facis, qui bene vteris iuratione: Quia & si non bona, tamen necessaria est, vt alteri persuadeas quod vtiliter persuades: Sed à malo est illius, cuius infirmitate iurare cogeris.* Non ab hac ratione abludit illud Isocratis ad Dæmonicum. Ὅρκον ἐπακτὸν προσδέχου διὰ δύο προφάσεις, ἢ σαυτὸν αἰσχρᾶς αἰτίας ἀπολύων, ἢ τοὺς φίλους ἐκ κινδύνων διασώζων. Hanc distinctionem etiam nouerunt Iurisconsulti, qui conditiones adiectas legato vel institutioni, si ipse hæres vel legatarius iuraret se quid daturum aut facturum, remitti censuerunt, quia scilicet

Iurare interdum expedit.

Cur conditiones iurisiurandi remittantur.

licet ibi nulla necessitas præstandi aut exigendi iurisiurandi videretur: Cum posset commodius non præstito iureiurando hæres vel legatarius parere voluntati testatoris, videlicet id dando vel faciendo, quod dare iussi sunt: Qua de re quædam notabuntur inf. *ad l. 4. de instit. vel subst. sub cond. fa.* At vbi exigit aliqua necessitas, qualis est maxima in iudiciis ad lites finiendas, ibi iustam rationem existimauerunt, cur iusiurandum exigeretur: Et inde quoque verba prætoris: Eum, à quo iusiurandum petetur, soluere, aut iurare cogam. *l. 34. iusiurandum. §. 6. ait pretori. ff. de iureiur.* quod idem proculdubio erit, si reus actori detulerit iusiurandum: Nam ei iudicium & actio denegabitur, nisi iuret sibi deberi, aut sibi delatum iusiurandum referat. Itaque & reo qui iurauit se non debere datur exceptio iurisiurandi, si postea conueniatur: Et actio datur petitori, qui reo deferente iurauerit sibi deberi, ad id ipsum consequendum, quod suum esse aut sibi debitum esse iurauerit. Illa ad primam inspectionem sufficiunt. Succedit alia qui possint iusiurandum deferre aut referre: Defert qui potestatem aduersario facit iurandi, vt à lite discedatur, & eum quodammodo iudicem in causa sua facit: Refert qui sibi oblatam conditionem iurandi in aduersarium transfert, & facit ille modestius semper qui refert, quam qui suscipit. *l. illud aut illud. §. 1. ff. de const. pec.* Qui defert iusiurandum quasi contrahit. *l. 5. §. 2. ff. de pecul.* videtur enim cum aduersario ita pacisci & hanc sibi legem dicere, vt aduersario soluat, si iurauerit sibi deberi, vel ab eo nihil amplius petat, si iurauerit se nihil debere: Et illa forte ratio est, cur iusiurandum dicatur habere maiorem autoritatem, quam res iudicata. l. 2. ff. de iureiur. quia scilicet oritur ex conuentione, maximè cum ab ipsis partibus defertur vel refertur, & prætetea elidit actionem omnem ac ciuilem & naturalem obligationem tollit, ita vt post iusiurandum soluenti condictio indebiti præstetur. *l. 40. ff. eod. tit.* quæ non præstatur tamen ei, qui cum deberet sententia absolutus est, ac per errorem post sententiam soluit. *l. Iulianus. ff. de cond. indeb.* Iusiurandum quoque vice solutionis cedit. *l. 27. ff. de iureiur.* vt qui deferente actore iurauerit nihil se debere, censeatur ei soluisse quod debebat. His conclusionibus est consequens, vt is qui contrahere non potest, vel cui debitum solui non potest, deferre quoque non possit iusiurandum, aut delatum ab eo & ab aduersario præstitum iuranti nihil proficiat ad exceptionem aut ad actionem. Igitur pupillus non defert vtiliter, quia nec contrahere potest. *l. 4. C. hoc tit.* nisi tutoris autoritas intercedat. *l. 17. iusiurandum. §. 1. ff. de iureiur. l. 1. §. 1. ff. quarum rerum act. non de.* quod in pubere obtinet secus, qui sine autoritate curatoris rectè defert, sed in integrum restituetur, quemadmodum si contraxisset. *l. 9. nam postea. §. si minor. ff. de iureiur.* Pupillo comparandi sunt furio-

Iusiurandum ad finiendas lites est necessarium.

Deferre & referre iusiurandum quid sit.

Modestius est referre iusiurandum quam præstare.

Qui defert iusiurandum quasi contrahit.

Cur maior sit autoritas iurisiurandi quam rei iudicatæ.

Soluenti post præstitum iusiurandum datur condictio non soluenti post sententiam.

Pupillus iusiurandum non defert vtiliter.

Idem obtinet in furioso aut prodigo.

sus aut prodigus: Ergo nec illi deferunt vtiliter. *l.35.tutor.* §.1. *ff.eod.* Quia autem tutori recte solui potest, consequens & illud erit, vt & possit deficientibus probationibus debitori pupillari iusiurandum deferre, & tum quoque actio pupillo denegabitur. *l.17.* §.2. *l. tutor. 35.ff.eod.* Sed difficilius, si quid à pupillo petatur, creditori iusiurādū deferet: id enim fieri nulla vrget necessitas, maximè si omnino intentionem suam non impleuerit actor, vt videatur tutor deferendo magis donare voluisse, quam ex commodo pupilli incertum litis euentum aduersarij iuramento permisisse. Defensor municipum, aut priuati alicuius procurator omnino deferre non possunt, nisi hoc eis specialiter mandatum sit, aut omnium bonorum habeant administrationem, vel dati sint procuratores in rem suam *l.17.* §. *fin. cum ll. seqq. ff. eod.* Multominus etiam filius in re patris vel seruus in re domini possunt iusiurandum deferre. *l.7. C. hoc tit.* In re autem peculiari recte filiusfamil. defert, vt etiam de peculio actio contra patrem competat, si creditori peculiari ab eo iusiurandum delatum sit: quod in seruo est diuersum, qui ne quidem in causa peculiari creditori vel debitori suo deferre potest. *l.5.* §.2. *ff. de pecul.* Obstant tamen l.20. seruus cum seqq. ff. de iureiur. Sed respondendum quod illo loco proponitur esse speciale de seruo liberam peculij administrationem habente, qui quidem potest deferre, cum & possit ei solui recte: quamquam possit etiam rectius distingui, vt liberam peculij administrationem habens, possit quidem recte deferre debitori peculiari, vt exceptionem habeat aduersus dominum serui, si agat: non vero vt possit creditori peculiari deferre, qui inde actionem habeat ex iureiurando. Quod autem dicitur in l.22. eod. tit. quosdam & de peculio actionem in dominum dandam existimare, si actori detulerit seruus iusiurandum, recte Cuiacius lib. 18. ad edictum Pauli & lib.8. obs. cap.11. ait ibi referri, non etiam à Paulo approbari quorumdam, id est Proculianorum sententiam, qui seruum filiofamil. comparabant, cum è contra Sabinianorum sententia obtinuerit, ex his causis seruum ne quidem naturaliter obligari, ac per hoc dominum de peculio non conueniri: si expromiserit, aut fideiusserit, si iusiurandum detulerit, compromiserit, aut iudicium acceperit, quamuis ex iisdem causis recte filiusfamil. obligetur. *l.3.* §. *si seruus cum seq. ff. de peculio.* Hæc sunt de his qui possunt deferre: qui autem non possunt deferre, nec referre quoque possunt: nam quicumque refert & deferre quoque censendus est. Placet itaque quod dicitur in l.24. multò. ff. de iureiur. filiosfam. vel seruos referētes conditionem eorum quibus subiecti sunt non facere deteriorem, quod est accipiēdum illis casibus exceptis, quibus deferre eos posse supra constitit: nec enim Cuiacij distinctio est admittenda qui numquam eos referre posse tradit lib.18. ad

Tutor in causa pupillari recte defert.

Defensor municipum aut priuati procurator non deferunt nisi certis casibus.

Filiusf. vel seruus iusiurandum non deferunt nisi in re peculiari.

Differentia vna inter filiumfam. & seruum.

Dissidium Proculianorum & Sabinianorum.

edictum Pauli: nam proculdubio par est ratio delationis & relationis, nec ratio idonea est quam allegat, quia deferre aliquando necessarium est, referre numquam: quo enim magis est honestum referre quam iurare, eo etiam magis necessarium referre quam deferre, quia se ab omni fraudis suspicione eximit, qui conditionem sibi datam in aduersarium transfert. Quantum ad eos, quibus deferri aut referri iusiurandum potest, facile est illud generaliter definire, plures existere quibus possit deferri aut referri iusiurandum, quam qui deferre possint, quia quisque meliorem suam conditionem aut alterius facere potest iuramentum delatū aut relatum suscipiendo, quam alteri deferendo aut referendo. Itaque si seruus vel filiusfam. deferente aut referente debitore vel creditore patris iurauerint patrem vel dominum non debere, vel patri aut domino deberi, indistincte pater vel dominus habebit actionem vel exceptionem *l.23. si seruus.cum seqq. ff. de iureiur.* & quod dicitur in pr. l.24. eod. tit. multo magis patri prodesse filij religionem, quam domino iusiurandum serui: sic est accipiendum, quia etiam filiosam. deferri vel referri in iudicio iusiurandum potest, quia & agere potest & conueniri: quod in seruo locum non habet, qui nec litem inferendo nec suscipiendo iudicij capax est. Non dissimiliter pupillo, quem frustra deferre iusiurandum supra constitit, recte potest deferri: & iusiurandum, quod præstiterit, tuetur prætor, cum eo contentus fuerit aduersarius, qui sibi imputare debet, cur temere litis fatum pupilli religioni permiserit, vt quia iusiurandum ex voluntate deferentis aut referentis constat, nihil curare debuerit prætor, cuius ætatis cuius-ve sexus fuerit persona quæ iurat. *l.26. qui iurasse in pr. ff. de iureiur.* Alioquin hoc est certissimum minores ipsos etiam pupillos commodiorem conditionem suam facere posse pacisćendo aut transigendo. Non hanc iuris definitionem euertit quod proponitur in l.34. iusiurandum. §.2. ff. eod. vbi dicitur pupillo iusiurandum non deferri: nam illud ita est intelligendum vt delatio ita facta pupillo necessitatē imponat quę maiori 25. annis & patri familias imponeretur, vt iurare necesse habeat vel referre vel soluere, aut etiam vt iudicium ei agenti denegetur sub eisdem conditionibus si non iuret aut non referat: Cæterum dubium non est quin delatum sibi aut relatum præstare possit si velit, & exceptionem ex eo vel actionem nanciscatur si præstiteret. Nihil etiam superiori definitioni officit quod est in l.4. in pr. ff. de in litem iur. quia illud non pertinet ad iusiurandum, quod actor aut reus, debitor aut creditor, pupillo detulit aut retulit, sed ad iusiurandum in litem, quod iudex defert rei alicuius æstimandæ causâ, quod iniquum fuerit pupillo deferri in necem eius, qui quid ad eum pertinens tenet, aut dolo fecit quominus possideret. Id simile est superioribus, quod

De his quibus deferri aut referri iusiurādum potest.

Iusiurandum filijfam. vel serui indistincte prodest domino.

Pupillo potest deferri iusiurandū, & quod iurauerit seruatur.

Diluitur contrarium argumentum.

Iusiurandum in litem pupillo non defertur recte.

Iusiurandum defensoris vel procuratoris indistincte prodest domino. procurator vel defensor, qui deferre non potest nisi cum distinctione supra posita, nihilominus indistincte actionem vel exceptionem domino acquirit, si delato ei iureiurando ab aduersario iurauerit dominum non debere vel domino aliquid deberi. *l.9.§.pen.ff.de iureiur.* quod obtinere similiter in tutore dubium non est, si in causa pupillari iurauerit pupillum non debere, vel pupillo deberi. Succedit vt quæramus qui possint sibi delatum aut relatum iusiurandum recusare: nec enim omnes quibus deferri aut referri iusiurandum potest, iidem compelli possunt ad iurandum aut referendum. Est quidem illa regula generalis eum cui delatum est iusiurandum, illud præstare debere vel referre *l.34.§.datur.ff.eod.tit.* adeo vt ille manifestæ turpitudinis & confessionis arguatur, qui delato sibi iureiurando nec illud præstat nec refert *l.38.eod.tit.* Sed illius tamen regulæ plures sunt exceptiones: ex multis enim causis aut omnimodo recusari potest, aut omnimodo præstādū nulla data facultate referēdi. Omnino recusare delatū aut relatū posśūt, quib⁹ de alieno non de suo facto iusiurandum præstatur aut refertur, vnde illud rectè Paulus lib.2.sent.tit.1. hæredi eius, cum quo contractum est, iusiurandum deferri non posse ait, quia contractum ignorare potest: Et propter eandem rationem, cum agitur rerum amotarum, pater aut hæres eius, qui quæ-ve amouisse dicitur, cogendus non est, quia iniquum est aliquem de alieno facto iurare compelli, vt dicitur in l. Marcellus.§.pen.ff.de act.rer. amot. & inde etiam in ea ipsa actione rerum amotarum vel actione furti delatum reo iusiurandum referri non potest, quia causari non potest ipse reus, id de quo quæritur magis actori liquere quam sibi; quæ causa inducit referendi potestatem ei cui delatum est: At plerumque qui his actionibus agit ex suspicione agit sibi furtū factū esse sciens; cęterū fit interdum, vt personam plane aut ignoret, aut de ea tantum dubitet: Quod dici non potest in eo qui conuenitur, qui certus est, an furatus sit & amouerit, an non: & liquido potest iusiurandum præstare. *d.l.Marcellus.§.fin.* Quod si proponamus agi propter id delictum, de quo etiam agenti possit liquere, ei à reo iusiurandum referri poterit, si cuti videtur admittendum in actione iniuriarum. Et quod in reo admissum est, vt delatum sibi iusiurandum in actione furti vel rerum amotarum referre non possit: Idem constituemus vt deferre non possit, quia eadem est ratio delationis & relationis, vt cui referri non potest nec deferri possit ad hoc vt præstare iusiurandum necesse habeat, vel illud referre deferenti *arg. l.12.non magis.ff.de act.rer.amot.* præstare enim non tenetur iusiurandum, quia potest causari, sibi de re plane non liquere, sed suspicari sibi furtum esse factum ab eo quem arguit: Referre etiam non tenetur, quia nec illud potest tutò, vt eius religionem sequi debeat, cui furtum

Idem in tutore.

Qui possint iusiurandum delatum aut relatum recusare.

Iusiurandum recusare possunt illi quibus de alieno facto defertur.

Cur in actione furti vel rerum amotarum reus sibi delatum iusiurandum referre non possit.

In actione furti reus non potest compellere actorem ad iurandum aut referendum.

facere, quantum actor opinatur, religio non fuit. Illud superioribus consequens erit, vt nec tutor in causa pupillari iurare cogatur, cum graue sit ignorantem plerumque sub alieni compendij emolumento periurium anceps subire compelli. l. 4. videamus. ff. de in litem iur. quod speciale esse non dicemus in iureiurando in litem, de quo d. l. 4. loquitur, sed in omni iureiurando, quandoquidem ratio quam allegat Iurisconsultus ad omne iusiurandum potest pertinere. Nec mouebimur in contrarium propter. l. 5. C. hoc tit. quia in ea lege manifestissimum est de facto tutoris quæri, de quo liquido per iurisiurandi religionem respondere potest. Non mouebimur etiam opposita. l. 2. §. obseruari. C. de iureiur. propter calum. dando. quia ille locus est tantum de iureiurando calumniæ, quod non est assertionis sed opinionis, ideoque nihil est quod illud præstare in causa pupillari tutor recuset, quod ipsi aduocati in causa clientum suorum vtrinque præstare tenentur: Nihil enim aliud iurare tenetur tutor litem inferens vel suscipiens pro pupillo, quam vt asserat se fiducia iuris pupillaris fretum ad iudicium accipiendum & litigandum venisse. Superuacuum erit admonere procuratores & defensores (quos accipere posse conditionem iurisiurandi si eis deferatur vel referatur supra admonuimus) non compelli tamen ad iurandum, quia proculdubio eadem ratio in his locum habet, quæ in ipsis tutoribus obtinet: Quod si non compelluntur ad iurandum, nec ad referendum quoque, quia qui inuitus non iurat, nec inuitus refert. Casus alij sunt, quibus quis recusare iusiurandum potest aut delatum sibi aut relatum. Ecce enim si legato prouinciali Romæ iusiurandum deferatur, iurare non compellitur, quia nec Romæ tempore legationis iudicium accipere cogi potest. *l. 35. tutor. §. fin. ff. de iureiur.* & si quis post biennium conueniatur ex chirographo suo, quemadmodum illo tempore transacto allegare non potest exceptionem non numeratæ pecuniæ: ita nec potest iusiurandum deferre, nec actor illud præstare aut referre compellitur. *l. 14. in contractibus. §. illo videlicet. C. de non numer. pecun.* Similiter etiam si quis aduersario detulerit iusiurandum, deinde illud reuocauerit, vt pote quod allegationes & instrumenta repperisse se dicat, postea non admittetur, si iterum ad sacramenti religionem velit recurrere, & liberum erit ei cui denuo infertur illud recusare. *l. 11. si quis. C. hoc tit.* cui proximum est, quod proponitur in l. 22. si seruus. §. fin. ff. de nox. act. Etiam inter patronum & libertam diuortio facto patronus non cogitur iurare, si ipsa ei iusiurandum deferat rerum amotarum nomine. *l. 16. si patronus. ff. de iureiur.* quia scilicet ipsam actionem quasi famosæ proximã ipse patronus suscipere non cogitur: eæ enim actiones, quæ doli aut fraudis continent mentionem, licet famosæ non sint, aduersus eum non com-

Tutor in causa pupillari iurare non cogitur.

Diluitur contrarium argumentũ l. 5. hoc tit.

Diluitur aliud argumentum.

Procuratores aut defensores iurare non coguntur nec referre.

Legatus dum est in legatione non potest compelli vt iuret.

Actor qui post biennium ex cautione agit iurare non tenetur.

Is cui delatũ erat iusiurandum & ab aduersario reuocatum iterum iurare non compellitur.

In actione rerum amotarum patronus qui conuenitur iurare non cogitur.

Patronus non iurat de calumnia.

petunt. *l.parens.§.fin.& l.7.ff.de obs.patr.præst.* vt & de calumnia iurare non tenetur, quia inuerecundius faceret libertus, qui calumniam à patrono metuere se diceret. *d.l.16.si patronus.ff.de iureiur.* & propterea rectè Cuiac. ex basilicis lib. 3. ad edictum Pauli notat in l.34.§.4.eod.tit. vbi dicitur iuramentum de calumnia neque patrono neque parentibus remitti, legi debere (æque patrono atque

Patronus iurare cogitur in re ciuili & pecuniaria.

parentibus.) Cum autem de re & propter rem in causa ciuili libertus patrono iuramentum defert, tum certe nequaquam ei iusiurandum remittitur. *l.14.quotiens.ff.eod.tit.* His addendum, iusiurandum,

Iusiurandum delatum extra iudicium non refertur & relatum potest recusari.

quod extra iudicium ex conuentione defertur, referri non posse l. 17. ff. eod. vt propterea relatum sibi possit recusare is qui detulit, quia scilicet videtur ita conuenisse vt iuraretur, ideoque si referatur aliquid fieri videbitur contra conuentionem. Igitur cum dicimus delatum iusiurandum referri posse, de illo tantum id intelligi-

Iudiciale iusiurandum non refertur.

mus, quod defert pars parti in iudicio. Iudiciale non refertur etiam, quia iudex qui defert æstimat ipse opinionem & fidem

Iusiurandum potest recusari cum displicet cōceptio sub qua iurari debet.

litigantium, & ei defert cuius integritati plus credit. Sed potest etiam iusiurandum recusari, si forte formula aut conceptio displiceat, & aliqua conditio imponatur, quæ non soleat requiri, sicuti aliquando S. C. definitum, quod refert Robertus lib. 1. rer. iud. cap.11. Id vero totum iudicis arbitrio permittendum Iurisconsulti

Eius est, qui defert, formulam iurisiurandi dare.

definiunt. *l.34.§.si de qualitate.ff.de iureiur.* Est quidem eius, qui defert, legē & conditionē iurisiurādi ferre. Seneca lib.7.contr.in procem. *Placet tibi rem iureiurādo trāsigi? Iura: Sed ego iusiurādum dabo: iura per patris cineres, qui incōditi sunt. Iura per patris memoriam.* Sic & I.C. in l.3.§. fin.ff. eod.tit. iurari inquit oportet vt delatum est. Sed hęc ita tamen vera

Modo non sit improbatæ religionis.

Distinctio.

sunt, si nō sit iusiurandū improbatæ religionis. *l. 5.§.sed si quis.eod.* & quidē improbatę religionis, & ei qui defert, & ei cui defertur: Nā si ei cui infertur probata fuerit, rectè iurabitur: Veluti si Turcę iusiurandum per Mahumetem Christianus deferat, valebit iusiurādum, quia vtcumque Christianis improbata sit, tamen iuranti probatur: & ita definit Duarenus tit. de iureiur. cap.4. Quinta inspectio est

Causa finita iureiurando non potest retractari.

an causa iureiurando finita possit retractari, quod palam non posse definit l. 1. hoc tit. & supra positum maiorem esse autoritatem iurisiurandi, quam rei iudicatæ: Vt speciem, etiam transactionis continere, & maximum remedium expediendarum litium causa in vsum venisse dicatur. *l.1.& 2.ff.de iureiur.* Sed quemadmodum superiores regulæ quasdam distinctiones admiserunt, ita & illa admittit non leues. Et primum certum est eam definitionem pertine-

Iusiurandum iudiciale retractari potest nouis instrumentis repertis.

re tantum ad illud iusiurandum, quod pars parti defert in iudicio vel extra, quod proprie transactionis speciem refert. Cæterum vbi iusiurandum delatum est à iudice, nouis instrumentis postea repertis poterit retractari causa iurisiurandi. *l. 31. admonendi.ff.eod.tit.*

quia scilicet iniquum esset iudicem ius partis alterius contra quam iuratum est diminuere potuisse, quæ ratio in iuramento à partibus delato locum non habet: Nam qui detulit ipse sibi legem dixit vt aduersario crederet, & ita non potest dici iusiurandum esse vinculum iniquitatis, cum etiam idem obtineret in transactione vel re iudicata, quæ propter instrumenta de nouo reperta non rescinderentur. *l.19. sub prætextu instrumenti. C. de transact. l. sub specie C. de re iud.* nisi forte in causa publica aut criminali, in qua benignius agendum alleuandæ innocentiæ causa, cum quis tanquam reus immerenter famæ forte dispendium sensit, aut pœnæ alicui grauiori affectus est, qui emergentibus probationibus culpæ exors inueniretur. *l. imperatores. ff. eod. tit. l. diui. ff. de pœnis.* Sed in pluribus aliis speciebus potest videri causam iurisiurandi retractari & maxime in l. fin. hoc tit. sed speciale est in ea lege; propter quam etiam in d. l. 1. in fi. adiecta sunt hæc verba, *nisi specialiter hoc lege excipiatur*: & ratio hæc potest adferri commodissima, quod in prima specie d. l. fin. hæres, à quo petebatur fidei commissum, videtur iusiurandum detulisse non sponte nec animo transigendi sed coactè, quod testamentum non proferret, & forte diceretur illud intercipiendi fideicommissi causa celare: Ideoque nihil mirum si postea reperto testamento possit causa iurisiurandi retractari, & legatum propter iusiurandum legatarij præstitum restitui debeat. Quod idem obtinet in secunda specie eiusdem legis, in qua deferente hærede iurauit legatarius locum non esse legi falcidiæ: Nam & eo casu censetur hæres iusiurandum detulisse non voluntatis inductione libera, sed vt se à calumniæ suspicione eximeret, qua testamento non apparente dicebatur sibi affingere, pluribus legata in eo esse relicta, quo minueretur legatum actoris; vt vel propterea fama eius incessseretur, quasi datâ operâ testamentum occultaret: Ideoque eo postmodum prolato, si inueniatur locum esse falcidiæ insuper habita ratione præstiti à legatario iurisiurandi, quod plus acceperit, quam per legem falcidiam licebat, reddere compelletur. Dissimilis est ratio l. gis, si legatari⁹. ff. de dolo. in qua definitur actione de dolo côueniri legatarium, qui hæredi adhuc ignoranti substantiam hæreditatis iurando vel quâ aliâ fallaciâ persuaserit tanquam satis abundeque ad solida legata soluenda sufficiat hæreditas, atque eo modo legata fuerit consecutus: nam ea species est de legatario, qui vltro iurauit non deferente hærede, ideoque opus fuit actione prætoria. Sequamur species alias in quibus quæritur an lis iureiurando decisa iterum repetatur. Constituunt Iurisconsulti eum qui actione furti conuentus vel actione rerum amotarum iurauit deferente aduersario (quod semper intelligimus vt iusiurandum valeat. *l. 3. ff. de iureiur.*) se furtum non fecisse vel rem aliquam non amouisse: nihilo-

Res iudicata vel transactio non rescinditur nouis instrumentis repertis.

Excipitur causa publica & criminalis.

Cur in l. fin. hoc tit. retractetur causa iurisiurandi.

Qui iurauit furtum se non fecisse aut res non amouisse potest conueniri actione in rem.

minus posse conueniri vindicatione, si rem de qua iuratum est postmodum inueniatur possidere. *l.52.si quis vxori. §. si quis iurauerit. ff.de furtis. l.28.in duobus. §.7.quæ iurauit. Dig.de iureiur.* An propterea dicemus causam iureiurando finitam retractari? Quod nequaquam erit admittendum: Nam quemadmodum supra constitit ad l. 3. ad exhib. non competere exceptionem rei iudicatæ licet de eadē re inter easdem personas quæratur inter quas sentētia dicta erat, modo diuersa sit causa petendi: ita, definiendum est exceptionem iurisiurandi non competituram, quia est alia causa agendi, & lis prior non retractatur, sed alia & diuersa instituitur: separata enim est causa dominij à causa delicti, & potest res non esse surrepta & amota, & tamen pertinere ad vindicantem. Cum est eadē ratio petendi, & actionis titulus tantum mutatur: tum certe exceptio iurisiurandi competit, quasi lis eadem quæ finita est instituatur. *d.l.28. §. exceptio & §. colonus.* Sed cum diuersa est causa petendi ab ea de qua est iureiurando transactum, nec sequens actio illud impugnat, potest siue præiudicio exceptionis institui. Id etiam pluribus exemplis potest comprobari. Si possessor petitore deferente rem ipsius petitoris non esse iurauerit, & amissa possessione res ad eum ipsum qui iusiurandum detulerat peruenerit, non dabitur actio ei qui iurauit: & si contendat iurasse rem non esse eius qui iam tenet, ille excipiet: si per causam tui iurisiurandi non est mea, nō inde sequitur esse tuam, ac per hoc iam in pari causa potior sum. *l.11.sed & si. in pr. Dig.eod.* quod obtineret secus si possessor iurasset rem suam esse: nam etiam ei propter autoritatem iurisiurādi actio daretur contra eum qui detulit etiam si in possessione esset, *l.9. §.fin. Dig.eod.* Vicissim si quis iurauerit se non rapuisse, poterit sine præiudicio iurisiurandi conueniri actione furti vel condictione furtiua, quia nihil pugnat rem non esse vi raptam & tamen fuisse clanculum surreptam. *d.l.28. paragr. si quis iurauerit.* & ita de aliis similibus, quæ proponūtur in l.13. paragr. si quis & d.l.28. paragr. contra. paragr. item. & l.36. si actor. ff. eod. tit. Iterum definiunt Iurisconsulti ei tantum prodesse iusiurandum qui præstitit eiusque successoribus, siue singularibus, siue vniuersalibus: & vicissim ei tantum nocere qui detulit eius-ve hæredibus. *l.7. paragr. fin. cum l. seq. l.10. paragr. fin. cum l. seq. l.11. paragr. fin. cum l. seq. Dig. de iureiur.* An ideo retractari causam iurisiurandi dici debebit, si alter qui nō detulit eiusdem rei controuersiā faciat ei qui iurauit? Quod nō magis probandum est, quam si dicatur retractari rem iudicatam, si de qua re actum est inter personas aliquas, de eadem inter alios litigetur. Igitur vt supra positum cessare exceptionem iusiurandi, vbi inter easdem personas de eadem re agitur, si causa agendi sit diuersa: ita nec obstabit si inter alias quam quę aut detulerunt aut præstiterunt

Cum eadem est ratio petendi & actionis tantum titulus mutatur exceptio cōpetit.

Admittitur actio quæ nō impugnat iusiurandum.

Qui iurauit se non rapuisse potest conueniri furti.

Iusiurādum prodest tantum ei qui iurauit & eius successorib.

suc-

ſucceſſoreſ-ve eorum agatur, licet eadem res verſetur, & eadem cauſa petendi intercedat. Retractari cauſa dicitur, cum eædem perſonæ, eadem res, eadem cauſa petendi intercedunt: vbi quid eorum deeſt non eadem eſt cauſa ſed alia: nec iuſiurandum proficit ad exceptionem quia non debet aliis nocere, quod inter alios actum eſt. *l. 10. ff. eod. tit.* nec diſſimile eſt quod proponitur in l. 3. paragr. pen. ff. eod. ſi mulier iurauerit ſe ex aliquo prægnantem iuſiurandum partui non proficere: & ſi deferente ea iuratum ſit non eſſe prægnãtem ex aliquo, eidem partui nõ officere iuſiurandũ contra matrem præſtitum: quia quæſtio præiudicialis, per quam is qui natus eſt, ſe filium alicuius eſſe contendit, à matris perſona non procedit, vt propterea ſine præiudicio iuriſiurandi à matre & contra matrem præſtiti cauſa ſtatus integra eſſe debeat partui & aduerſus partum: quam definitionem non euertit l. 10. ſi mulier. ff. de Carbon. ed. nam vt recte notat gl. ad eam legem, ea ſpecies eſt accipienda de bon. poſſ. quæ datur vel denegatur mulieri ventris nomine ad exemplum Carboniani edicti, quando vel iurauit ipſa ſe eſſe prægnantem, vel aduerſus eam iuratum eſt: non de ea quæ datur vel denegatur pupillo ſecundum iuſiurandum à matre vel contra matrem præſtitũ. & vero cum d. l. 10. ſit Marcelli & in d. paragr. pen. l. 3. eiuſdem Marcelli ſententia referatur & ab Vlpiano probetur, non eſt veriſimile eundem à ſe diſſentire. Poteſt & ex aliis cauſis exceptio iuſiurandi infringi, veluti ſi is, qui prærogatiua iuriſiurandi à ſe præſtiti vel agendo actione in factum vel exceptionem opponendo vti poterat, aduerſario fecerit poteſtatem iurãdi: nam eodem exemplo quo dictum eſt ſup. in l. 12. de pactis poſteriora pacta potiora eſſe prioribus: ſic nouiſſime præſtiti iuriſiurandi cauſa validior erit, nec fiet præiudicium quaſi prior peierauerit, quia non quæritur, an ille rectè iurauerit, ſed an actionem vel exceptionem quam ex ſuo iureiurãdo habebat aduerſario remiſerit, & poteſtatem ei fecerit quaſi rebus integris de lite iurare. *l. 28. paragr. fin. cum l. ſeq.* Item ſi is qui creditores habebat in fraudem eorum vero debitori detulerit iuſiurandum vt abſolueretur: vel falſo creditori vt actionem nanciſceretur: aduerſus exceptionem iuriſiurandi quam debitor fraudatoris opponet, replicabunt de fraude quæſita creditores: vel aduerſus actionem ex iureiurãdi opponere poterunt exceptionem fraudatorũ creditorũ: vt magis decipiendi animo quam quo lis dubia religione iuramẽti dirimeretur videatur oblata conditio iuriſiurandi *l. 9. §. ſed & ſi quis. ff. eod.* Ad idẽ pertinet ſpecies propoſita in l. 30. eum qui. paragr. in popularibus. eod. Poſſint adijci plura. Sed ad quæſtionem legis propoſitę veniendum: ad quam vltima inſpectio pertinet: an ſit violati iuriſiurandi pœna quædam. Eam ipſe Imp. definit, & tamen ſuboſcurè, ita vt pleri-

Iuſiurãdum matris partui nõ nocet nec proficit.

Diluitur arg. l. 10. ff. de Carb. ed.

Poſterioris iuriſiurandi cauſa eſt validior.

In fraudem creditorum præſtitũ iuſiurandum non prodeſt.

An ſit pœna periurij aliqua.

que de vera huius legis ſentẽtia dubitent: nam Duatenus & Pacius integram conſtitutionem accipiunt de iureiurando quocumque quod per iracundiam præſtitum eſt, vt id nulli pœnæ humanæ ſit obnoxium, ſed ſatis deum vltorem habeat. Cuiacius lib. 2. ſent. cap. 19. ex ſententia Harmenopuli & Azo etiam in apparatu diſtinguendum exiſtimant (quorum forte ſententia verior) & primam huius legis partem accipiendam exiſtimant de iureiurando præſtito per Deum, vt eius contempta religio indiſtinctè ipſum Deum vindicem habeat: ſecundam vero, de iureiurãdo præſtito per genium vel ſalutem principis: in quo hanc etiam diſtinctionem voluit Imper. admitti, vt ſi non data opera ſed motu animi inconſulto peieratum ſit per principem: tunc etiam minus perpenſus mentis attonitæ & conſternatæ impetus veniæ ſubiaceat: ſin conſideratè & certo animi iudicio peierauerit, tunc locus ſit conſtitutioni diuorum Seueri & Antonini, quos parentes ſuos vocat, quæ relata eſt ab Vlpiano in l. 13. paragr. fin. ff. de iureiur. ex qua fuſtibus caſtigari iuſſus eſt periutij reus præcone inclamante προπετῶς μὴ ὄμνυε. προπετῶς id eſt impudenter peruicaciter petulanter vt & dicitur ille προπετὴς, qui ſuperbius inſoleſcit, & audacter impudentiam ſuam promit: quemadmodum in illo Syneſij loco qui competit in multos: προπετὴς ἄνθρωπος τὴν γλῶσσαν ἐνέτυχεν ἀνδρὶ προπετεστέρῳ τὴν χεῖρα. Non aduerſatur itaque d. §. fin. huic legi, vt ipſe Cuiac. docet lib. 8. obſ. cap. 7. quin potius ipſe Imp. Alexander docet manifeſtiſſimè, non eſſe locum conſtitutioni ibi relatæ, cum calore aliquo per venerationem principis eſt peieratum. Vt autem debeat accipi prior pars huius legis, ſicuti Cuiacio & Azoni placet, hoc facit quod nuſquam ante Imperatores in vetere repub. pœna vlla conſtituta ſit contra illos qui peieraſsẽt, niſi quod à cẽſoribus infamiâ notati ſint: & id ex ſeueritate & officio magiſtratus magis, quam quod præſcripta illa pœna legibus eſſet. Et fere ad mentem Imperatoris accedit Cicero lib. 2. de legibus. *Periurij pœna diuina exitium, humana dedecus.* Scilicet magis ſequebatur infamia facti, quam iuris: ideoque nec illã infamiæ cauſam edictis ſuis prætores ſunt complexi. Principes itaque ipſi primum videntur pœnam periurio ſtatuiſſe, quo violata eorum & contempta maieſtas fuiſſet: Vt poſtmodum paulatim extra ordinem cœperint etiam exilio coërceri, qui contumacius huius criminis macula famam & exiſtimationẽ ſuam læſiſſent. *l. fin. ff. de crim. ſtell.* & inde etiam Iuſtinianus in l. 2. C. de ind. vid. toll. leges periuria punire ait. Nihil attinet plures conſtitutiones referre quas Duarenus, Pacius, ipſe etiam Cuiacius in commentariis & recitationibus ad hunc titulum notauêre, quibus diuerſim periurio pœnæ quædam ſunt impoſitæ à poſterioribus imperatoribus.

Qui iurauit per Deũ ſecurus eſt qui per principẽ punitur.

Pœna nulla periurij in vetere republica.

IMP. ALEXANDER A. ASCLEPIADI.

SI *vt proponis, pater tuus ea longe sorori tuæ prædia, cæteraque quorum meministi, donauit, vt creditoribus ipsa satisfaceret, ac si placita obseruata non essent, donatio resolueretur; eaque contra fidem negotij gesti versata est: non est iniquum actionem condictionis ad repetitionem rerum donatarum tibi, qui patri successisti, decerni. P P. XIIII. Kal. Dec. Albino & Maximo Conss.* Lex 2. C. de condictione ob causam datorum.

REctè Accursius monet hoc loco hanc legem accipi de filia emancipata cui donatio facta est, nam in eam collata quæ in potestate fuisset omnino non valuisset, vt ex his apparet, quæ supra constitêre ad l. 4. familiæ hercisc. & quod pertinet ad l. donationes. C. de donat. inter vir. & vx. qua Cuiacius nititur, vt doceat morte patris confirmatā donationē filiæ in potestate patris cōstitutæ, illa respicit definitionem iuris noui, quæ ad hanc Imp. Alexandri constitutionem pertinere non potest. Igitur species huius legis non incommodè ita fingi potest. Titius cum plures haberet creditores, plura etiam bona possideret, vt à se amoliretur molestiam omnem rationes subducendi cum eis, Mæuiæ filiæ suæ prædia quædam aliasque res donauit, hac lege tamen, vt creditores ipsius Titij patris sui dimitteret. Illa conditioni donationis non paruit. Titius interim moritur relicto hærede Asclepiade filio, Mæuiâ forte exhæredatâ, vel cum ab intestato res ageretur, ipsa omisit bonorum possessionem vnde liberi. Solus Asclepiades hæreditati patris se immiscuit. Conuenitur à creditoribus paternis, quorum actiones recusare non potuit, vt pote hæres eius vel bonorum possessor. Desiderabat reuocare donationem à patre sorori factam, & ea de re precibus insinuata fide veri Imperatorem consuluit. Rescripsit Imp. ei competere condictionem rerum à patre donatarum. Mouebat quod donatio, cui mortis cogitatio causam non dedit, reuocari non possit. *l. 5. & 6. Cod. de donat.* & quamuis mortis causa facta esset, tamen morte donatoris confirmata videretur, vt nullo iure Mæuia censeatur posse controuersiam pati propter res sibi à defuncto patre donatas. Ratio rescripti est, quod legi donationis Mæuia non paruerit, ac propterea æquum est eandem Asclepiadi *Sententia legis proposita.*

condictionem accommodari, quæ Titio si viueret esset competitura. Sed præter condictionem causâ data causâ non secutâ, hoc etiam casu certum est posse agi præscriptis verbis ciuili actione, vt contractus impleatur. *l.22. cum res. C. de donat. l. hæreditatem. ff. eod. tit.* nam eiusmodi conuentio continet negotium, do vt facias, ex quo non minus quam ex cõtractu, do vt des, licet ei aut hæredi eius, qui conuentionis fidem impleuit, vel rem datam condicere, vel agere ad id quod interest actione præscriptis verbis, *l.4. & fin. C. de rer. permut.* quæ electio non vtique locum habet in contractibus nominatis; illis scilicet, qui vtriusque gratia fiunt, ne offendamur sententiâ Cuiacij qui id constantissimè negat in recitationibus ad hãc legem. Sed distinguere debuit eos contractus, qui gratia vnius fiunt (in quibus verum est condictionem dari, veluti in mandato, aut cum quid datum est vt res deposita vel commodata reddatur) ab illis qui gratia vtriusque vt in venditione: nam & si re tradita ex causa venditionis non soluatur pretium, venditor tamen rem venditam condicere iure non potest, & abscissè irritam venditionem facere: sed tantum personali actione pretium repetit. *l.12. inciuile. C. de rei vindic. l.1. C. de act. empti.* nisi forte adiectum esset pactum legis commissoriæ; ex quo paciscitur venditor, preti intra diem non soluto, licere sibi ab emptione discedere. *l. Æmilius 38. ff. de minor. & toto tit. ff. rum de lege commiss.* Illo casu excepto in contractibus nominatis ad hoc tantum agitur, vt placitis satisfiat, non vt quod datum aut venditum est restituatur. *l.14. ea conditione. C. de resc. vend.* cui solet opponi l.6. cum te. C. de pactis inter empt. & vend. compos. Sed respondendum in ea specie pretium fuisse exiguum, & conuentionem extra pretij quantitatem adiectam dedisse causam venditioni, vt magis contractus aliquis innominatus do vt des, vel do vt facias intercessisse censeatur, quam mera venditio: ideoque non seruata lege contractus venditor recipere potest fundum quasi causa datũ causa nõ secuta: Non est itaque cur Cuiacius ex d.l.6. cõclusionem generalem eliciat, quasi ex contractu venditionis detur condictio ob rem dati. Quæri potest an in specie huius legis præter condictionem quæ est in personam, possit etiam dari vindicatio donatori vel eius hæredi, quasi translato dominio in accipientem, quæ forte tantum habet locum in specie l.1. C. de donat. quæ sub mo. cum quis dedit rem suam ea lege, vt sibi alimenta præberentur, quæ non sunt præstita, vt plerique existimant. Sed cum donator causa mortis, qui ex pœnitẽtia quod donauit reuocat, habeat condictionem vel vtilem actionem *l.30. qui mortis. ff. de donat. causa mort.* non ille errauerit, qui eadem collectione vsus existimauerit esse etiam eius actionis electionem in specie huius legis. Nomine autem vtilis actionis in d.l.30. vindicatio intelligitur, vt & Cuiacius

Cum quid datum est vt quid fieret quod nõ est factũ datur cõdictio vel actio præscriptis verbis.

Quatenus in contractibus nominatis competat condictio.

In emptione non est locus condictioni.

Obijcitur l.6. C. de pactis inter empt. &c.

An vindicatio detur donatori, quando donationis conditio non est seruata.

ipse docet tractatu 2. ad. Afric. ad l. 23. eod. tit. nec pugnat ratio Pacij, quod quis non possit condicere rem quasi alienam, & vindicare quasi suam: nam hoc verum esset si donator vtramque actionem cumularet. Potest autem condicere quasi non dominus, vti si transtulerit dominium: potest vindicare quasi dominus vti si ius proprietatis ab eo non abcesserit, *arg. l. 12. naturaliter. §. fin. ff. de acq. poss.* vbi qui agit actione in rem quasi non possessor, idem potest vti possidetis interdicto experiri quasi possideat. Hinc etiam in l. 1. inf. depos. Imp. Alexander constituit depositarium rei suæ nomine posse habere actionem depositi, quæ est in personam, & actionem in rem. Possit & illa quæstio admitti: an in specie proposita ex conuentione donatoris possint agere creditores contra eam, quæ prædia à patre acceperat vt illis satisfaceret. Et primum certum est debitorem ea pactione non liberari, & creditores inuitos non compelli vt sequantur fidem donatariæ, ne obstet illa regula quę dictat, res inter alios actas aliis non præiudicare. De illo itaque nos quærimus tantum; an, si velint, contra ipsam hac sola ratione agere possint, quod promiserit se soluturam. De personali etiam actione loquimur, non de hypothecaria, si forte res donatæ creditoribus antea fuerint obligatæ: hanc enim contra quemcumque possessorem dari non est dubium. Et constituendum creditores ex eiusmodi conuentione nullam personalem actionem habituros contra eam, quæ in fidem suam recepit se exoluturam, quod creditoribus donatoris debitum fuerit. *l. 22. cum res. C. de donat.* Obijci tamen potest l. 3. C. de donat. quæ sub mo. vbi si quis Mæuio rem donauerit hac lege, vt post tempus certum Titio restitueretur: Titius ex eiusmodi conuentione habet actionem cum Mæuio. Sed illæ species non recte comparabuntur: nam in lege nostra & d. l. 22. qui donat hac lege vt donatarius satisfaciat creditoribus ipsius donantis, negotium suum principaliter agit non creditorum suorum, quibus quod desiderat satisfieri id facit suæ securitatis gratiâ, non quo alias ipsis prospectum velit. At in d. l. 3. manifeste id agit donator, vt prospiciat personæ Titij: Et principaliter id agit, vt ei post certum tempus res acquiratur: ideoque æquitas suadet, vt ex voluntate donantis ei vtilis actio accommodetur.

An creditores possint agere contra eum cui quid debitor donauit ea lege vt ipsis soluerētur.

IMP. ALEXANDER A. HERODI.

Lex 3. C. An seruus pro suo fa. post

PROMISSÆ *tibi pecuniæ à seruo tuo, vt eum manumitteres: Si posteaquam manumisisti, stipulatus ab eo*

manumissionem teneatur.

nones: Aduersus eum petitionem per in factum actionem habes. PP. Idib. Septemb. Alexandro A. Cos.

Seruus post manumissionem non tenetur ex antegesto si contraxerit, secus si deliquerit.

SEruus post manumissionem ex antegesto non tenetur si quid contraxerit, etiamsi quo tempore contraxit in eo statu esset, vt libertatem sibi in diem vel sub conditione debitam expectaret, *l.1.hoc tit.* id est etiamsi ei implicitus esset status libertatis, vt loquitur I.C. in l. fin. ff. si ex nox. causa ag. Rectè si quid cōtraxerit: Nam si deliquerit tenetur, & quæ contra dominū ex eius delicto noxalis actio erat, contra eum post manumissionē fit directa. *§. omnis. de noxal. act. apud Iustin.* nisi aduersus dominum deliquerit, ad quam exceptionem pertinet, quod supra definitum ad l.1. de noxal. act. Rationem autem distinctionis inter contractus seruorum & delicta Cuiacius reddit tractatu 7. ad Afric. ad l.21. hætes. §. seruo tuo. ff. de fideiuss. quia vix fidem à seruulo sibi seruari sperat, qui cum eo contrahit: Ideoque ne quidem post manumissionem ex eo quod antea gesserunt obligantur. At delictum omnes homines & liberos & seruos adstringit. Possit & hæc non leuis videri, quod dum in potestate dominorum sunt serui, qui cum eis contrahunt censentur magis sequi fidem peculij, quod habent à domino, quam fidem ipsorum qui nihil suum habent, atque etiam cum id in quo se obligauerunt domino quæsitum sit, & in eorum vtilitatem cesserit non iusta ratione videretur ab eis repeti posse quod in eorum compendium versum non est. Sed quia tamen ipsi principaliter contraxerunt, obligatio naturalis, quæ in seruitute nata fuerat, etiam post manumissionem integra manet. Quamdiu sunt in potestate, alia ratio impedit quominus conueniantur, quia cum seruo agi non potest, nec habet ius standi in iudicio. Cæterum, in delictis pœna suos tenet autores, & noxa caput sequitur, quia reipub. interest eos pœnæ subijci qui deliquerunt, ideoque etiam post manumissionem seruus tenetur. Est tamen vna causa ex qua ex contractu habito in seruitute post manumissionem seruus tenetur ciuiliter, cum scilicet domino, vt manumitteretur, pecuniam promisit: Ex ea enim conuentione tenebitur, etiam si post manumissionem eam ab ipso iam libero effecto non sit stipulatus dominus, quæ est species huius legis. Solebant serui ita pacisci cum dominis, vt cauerent se aliquam pecuniæ summam soluturos, quo nomine reum siue expromissorem dabant, qui post libertatem in ipsum manumissum eandem obligationem transferret. *l. 7. & eleganter. §. seruus pactionis. ff. de dolo. l.104. cum seruus. ff. de verb. obl.* Sed frequentius etiam fiebat, vt pecuniam domino promitterent, quam & exoluerent quoque antequam ipsis libertas præstaretur, siue eam ab ali-

Ratio superioris distinctionis.

Altera ratio enucleatur.

Seruus qui quid promisit domino vt manumitteretur tenetur post manumissionem.

quo amico quærerent, siue ex frugalitate, quod ex demenso suo aliquid comparsissent, qualiter solent serui qui sunt frugi. *l.* 18. *si quid venditor. ff. de ædil. ed.* Et hinc fit, vt in iure frequenter mentio habeatur de seruis, qui seipsos à domino nummis propriis redimunt. *l.* 1. *C. de bo. libert. l.* 4. *ff. de manumiss.* quo pertinet ille locus elegans Plauti in Rudente, vbi Gripus seruus, reperto in mari pecuniæ quodam vidulo, sibi gratulatur, quasi esset à domino libertatem suam redempturus clam habito auro quod inuenerat.

Occasio Gripe obtigit, vt liberet ex populo prætor te:
Nunc sic faciam, sic consilium est, ad herum veniam docte atque astute:
Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, vt sim liber.

Etiam illo nomine contra proprios dominos, cui pecuniam dedissent, agere potuerunt, vt ex pacto ipsis daretur libertas, licet ex aliis causis vix fit vt aduersus dominum aut alium quemcumque iudicio possint consistere. *l.* 9. *si liber C. de cond. ob caus. dat. l.* 53. *vix certis. ff. de iudic.* & narrat etiam Tacitus lib. 14. annal. præfectum vrbis Pedanium Secundum à seruo proprio interemptum, quod ipsi libertatem negasset, cui pretium pepigerat. Sed ad rem. Cur in specie proposita sit domino actio, contra libertum suum ex eo quod in seruitute promissum est, ratio æquitatis suadet manifesta, quia scilicet quasi liber promisisse censetur, & veluti in confinio libertatis constitutus pro libertate ipsa: Cum autem duo tempora seruitutis & libertatis ita inter se cohærent, vt alterius finis cum principio alterius misceatur, factum tempore libertatis censetur, quod factum est extremo momento seruitutis. Quæ statim & in continenti fiunt post actum, in ipso actu facta intelliguntur, & è conuerso. Occurrit & illa ratio, quod doli & delicti species ex parte serui intercessisse censeatur, si post manumissionem nolit placitis parere, vt propterea quasi ex delicto post datam libertatem contracto debeat conueniri: Imo & conuenitur de dolo *d. l. & eleganter.* §. 1. Prior autem ratio ei quoque conuenit quod Cuiacius in parat. hoc loco tradit ex l. 17. Digest. de neg. gest. & l. 21. si cognati Cod. eod. conueniri seruum ex antegesto, si id quod post libertatem gessit ei sit connexum, quod in seruitute administrauit, vt fit cum in eadem dispensatione calendarij vel negotiorum patroni manserit, quam in seruitute habuerat: Nam in coniunctionibus ordo non seruatur. *l. quidam. ff. de pecul. leg.* Sed præterea, si apud seruum res sit deposita, & manumissus rem teneat, dubium non est, quin conueniri possit, quia non tam ex antegesto, quam ex præsenti possessione contra eum agitur. *l. si apud. ff. depos.* idemque dicendum in commodato & alio quolibet simili negotio. Si sit etiam ei legatum peculium conueniri poterit à creditoribus peculiaribus, quod probare videtur l. 2. huius tituli. Sed quod in ea est vocabu-

Ratione libertatis quam dominus seruo promisit ab eo potest conueniri.

Ratione eius quod connexum est conuenitur, seruus ex antegesto.

Si seruus rem apud se depositam teneat post manumissionem conueniri potest.

lum, *maximè*, Cuiacius tract. 9. ad Afric. ad l. frater à fratre. ff. de condict. indeb. accipi vult ἀπαγορευτικῶς non πας̀ανατικῶς, id est negando non augendo aut producendo, siue prohibitiuè non extensiuè quod forte admittendum, ne obstet lex 1. §. 7. Item hæres. ff. qu. de pecul. act. ann. est, ex qua si seruus liber esse iussus est, eique peculium relictum fuerit, contra eum manumissum non datur actio, sed in hæredem, cui tamen à seruò caueri oportet, quod ipso effectu perinde est, ac si circuitu vitato seruum ipsum conueniri diceretur. Sed si & hoc dicatur posse: Conueniri eum non oportet vltra vires peculij, quia iudicium eo modo in eum transferendum est, quo potuit dari in defunctum eius-ve hæredem.

IMP. ALEXANDER A. LEÆNÆ ET LVPO.

Lex 3. C. de probationibus.

Ex persona collegæ aui vestri conueniri non debetis, si eundem collegam tempore depositi officij soluendo fuisse ostenderitis. PP. V. Kal. Ianuar. Pompeiano & Peligno Coss.

Species legis propositæ.

HÆc Alexandri constitutio pertinet ad illam quæstionem, quæ frequentius in iudiciis intercedit, quis probare debeat actor an reus. Species ita commode poni potest. Titius & Mæuius tutelam pupilli alicuius administrauerant simul, aut etiam ciuitatis negotia gesserant, & calendarium publicum exercuerant, quando quidem non minus duorum magistratuum officium indiuiduum est & commune periculum quam tutorum. *l. 11. imperator. ff. ad municip.* Finito officio cum vterque conueniretur rerum à se administratarum nomine (nam primum habetur ratio eius quod quisque separatim gessit) Titius totum quod à se debebatur vel pupillo vel reipub. soluit, & mox decessit relictis nepotibus Leæna & Lupo. Cum alter nimirum Mæuius paria non faceret, & reliqua traxisset: pupillus aut respub. agebat contra Leænam & Lupum Titij successores, quasi collega Titij eorum aui facultatibus lapso, totius administrationis periculum agnoscere deberent. Consuluerunt itaque Imperatorem Alexandrum, num ipsi agnoscere deberent onus alienæ egestatis. Rescribit Imp. ita demum ex persona collegæ aui sui non recte conueniri, si docerent eundem Mæuium aui sui collegam tempore depositi officij, id est finitæ tutelæ vel publicæ

blicæ administrationis, idoneum fuisse, & postea facultatibus lapsum esse. Ratio dubitandi duplex erat. Prima, quod indistinctè videatur eos conueniri debere propter indiuidui muneris administrationem, ex qua duo collegæ sunt inuicem mutui periculi successores. Altera, quod si distinctio vlla admitti debeat, frustra exigatur fides probationis ab his, contra quos agitur, vt ostēdant collegam aui sui soluendo fuisse tempore administrati officij, cum probandi onus incumbat agenti non reo. Ratio quoque decidendi duplex est. Prior, ita demum periculum esse commune, si soluendo collega non fuerit eo tempore, quo depositum officium est: alioqui iniquum esset periculum alienæ cessationis, quia statim collega non est conuentus tempore depositi officij, ad alterius dispendium referri, quod & definitum in l. 1. C. de diuid. tut. l. vn. de peric. nomin. lib. 11. C. Altera ratio decidendi illa est, quod cum eo tempore, quo agitur collega non sit idoneus facile præsumitur etiam idoneum non fuisse tempore finiti officij: Ideoque cum grauis præsumptio causam reorum vrgeat, ab his probatio debuit exigi. Nec dissimilis ratio in l. 11. non est necesse. ff. hoc. tit. cur subsidiaria actione agente pupillo contra magistratus, qui idoneos fideiussores à tutoribus non exegerunt, ipsi magistratus probare teneantur eos fuisse idoneos, quo tempore dati sunt, quia scilicet iam tum soluendo non fuisse existimantur, qui nunc etiam soluendo non sunt. Quod dicitur itaque generaliter actori incumbere probandi necessitatem, eoque non probante reum ab solui, sub ea exceptione accipiendum est, si intentionem agentis non adiuuet coniectura aliqua ducta vel ex iuris ciuilis regulis, vel ex ratione naturali. Ita constituendum in specie l. 3. ff. hoc tit. ideo hæredem, à quo petitur tacitum fideicommissum tanquam à se in secundo testamento relictum, teneri innocentiæ suæ fidem adstruere, quia ex primo testamento, quo palam rogatus fuerat de restituenda hæreditate incapaci, coniectura ducitur, vt appareat tacito chirographo id postea promisisse testatori, qui eum facto posteriori testamento rursus instituit, nec rogauit tamen in eo vt eidem incapaci hæreditatem restitueret: neque quicquã in ea specie fauori fisci tribuendũ, quod reo probationis onus incumbat. Item si minor mulier, miles rusticus, soluisse se pecuniam indebitam contendant, & quæratur an fuerit debita à reo, an non: probatio exigetur à reo, vt doceat se debitum accepisse: idque propter conditionem soluentium, in quibus facile error & ignorantia fingi potest: multo magis si is qui pecuniam accepit, non accepisse se primum negauerit mox conuictus sit: nam & is quoque sibi fuisse debitam docere debet propter maculam prioris mendacij, ex quo facile potest videri etiam nunc falso contendere sibi fuisse debitam. *l. 25. cum de indebito. Digest. hoc tit.*

Actori incumbit probandi necessitas nisi actorem adiuuet grauis præsũptio aut coniectura.

Possint eiusmodi plura adiici, sed nihil attinet ad quæstionem legis propositæ latius euagari.

IDEM A. VITO.

L.4.C.eod. PROPRIETATIS *dominium non tantum instrumento emptionis, sed ex quibuscumque aliis legitimis probationibus ostenditur. P P. Kal. Nouemb. Pompeiano & Peligno Coss.*

HAc lege generalis proponitur definitio : dominium rei alicuius non probari tantum instrumento emptionis, sed & aliis probationibus veluti testibus, quæ probatio vt plurimum idonea est quando de possessione controuersia est. Sed & possint instrumenta diuisionis proferri, ex quibus inter cohæredes res hæreditariç solēt assignari: atque etiam tabulæ censuales huius rei faciunt fidem, licet enim dominium non tribuant. *l.4. functiones. l.7. censuales. C. de donat. l.4. §. si cum ego. ff. de censibus*, tamen priuilegio temporis subnixæ non leuem proprietatis coniecturam inducunt. Indicia ipsa adminiculum quoque probationis faciunt. *l. indicia. Cod. de rei vind.*

IMP. ALEXANDER A. CARPO.

Lex 1. C. de testibus. SI *tibi controuersia ingenuitatis fiet : Defende causam tuam instrumentis & argumentis quibus potes : Soli enim testes ad ingenuitatis probationem non sufficiunt. P P. X. Kal. Maij, Maximo II. & Æliano Coss.*

IN Codicibus antiquis hæc lex, prima est huius tit. Verum primam Cuiacius restituit lib. 13. obs. cap. 38. quam tribuit Antonino, quo fit vt hæc Imp. Alexandri in posterioribus æditionibus secundo loco posita sit. Placet vero primum, quod Accurs. hæc verba, *Soli enim testes*, interpretatur solummodo, vt hæc tota periodus intelligenda sit more græco subaudito hoc vocabulo, tantum;

vt in l.2.§.1.ff. de rebus creditis, subauditur vocabulum (magis) cuiusmodi locos plures adnotauit Antoninus Augustinus libr.2. emendat. cap.1. & lib.4. cap.8. Ratio cur ita debeat hic locus accipi ea est, quod in omni iure eandem vim obtineant depositiones testium, quam fides instrumentorum. *l.15. in exercendis tit. seq.* Imo etiam autoritas testium tanta est, vt prope fidem scripturæ vincant, & vt ipse Iustinianus ait N.73. *εἰώθα τὰ περὶ ζώσης φωνῆς λεγόμενα, καὶ μεθ' ὅρκου, ταῦτα ἀξιοπιστότερα τῆς γραφῆς αὐτῆς καθ' αὑτὴν τυγχάνειν.* Quod autem est in l.4. hoc tit. sola testatione causam prolatam nullius esse momẽti: nõ est de testibus solẽniter interrogatis, sed de testatione coram notariis facta, in qua iniuratus aliquis de re aliqua testimonium præbet, quæ testatio fidem non facit nisi aliis adminiculis cõfirmetur. Verum est illud tamen, si alia parte instrumenta proferantur indubitatæ fidei, ex alia testes consistant, potiora esse instrumenta testibus. l.10. census. ff. de probat. & ad id pertinet constitutio Imp. Antonini de qua initio dictum est. *κατ' ἐγγράφου μαρτυρίας ἄγραφος μαρτυρία οὐ φέρεται, συμπολ... γὰρ ἐπί.* Et hinc forte ratio cur in l.3. in fi. Cod. si mi. se ma. dix. ei, qui instrumento se maiorem dixit, non sufficiat per depositionem testium probare se minorem, quia scilicet fides scripturæ alia scriptura debet euerti, tabulis scilicet professionum. Cæterum vbi deficiunt instrumẽta, quin fides veri recte testibus possit constare, si exceptione omni maiores sint, dubitari non oportet: alioquin si instrumenta forent deperdita, quo iure doceret de statu is qui se ingenuum contendit? At qui, natali professione perdita, mutilatum ingenuitatis statum non esse certi iuris est. *l.6. tit. seq.* Secundum quæ sic huius legis species fingenda videtur. Carpus contendebat se esse ingenuum. Instrumenta quædam natalium suorum exhibebat, argumẽtis etiam aliquibus vtebatur, nec tamen testes idoneos proferebat. Quærebatur an satis idoneè fidem ingenuitatis suæ fecisset. Rescribit Imp. non ideo minus probationem recte factam, quod ei testes non accessissent, nec solos tantum testes sufficere & exigi ad fidem ingenuitatis faciendam, sed etiam instrumenta & argumenta alia. Ratio dubitandi hæc erat, quod frequens sit testimoniorum vsus in iudiciis, vnde etiam Iustinianus N.90. *τῶν μαρτύρων πρὸς τὰς ἀποδείξεις χρεία ἐξεύρηται, διὰ τὸ μὴ λανθάνειν τι ῥᾳδίως τῶν πραττομένων.* Ratio decidendi hæc est, quod non modo testibus, sed & quibuscumque aliis legitimis probationibus vnusquisque intentionis suæ veritatem adstruere possit. Posui Carpum in hac specie in ingenuitatem proclamare, quia, si ei in possessione ingenuitatis constituto status fieret controuersia, non ipse probaret sed actor: nisi dicamus esse eum quidem reum, sed intentionem suam impleuisse aduersarium, vt iam onus probandi debuerit in ipsum Carpum reijci; & eo casu poterit

Autoritas testiũ magna.

Explicatur lex 4. hoc tit.

Potiora sunt instrumẽta testibus

Vbi idonea instrumenta deficiunt testes sunt idonei ad probandum.

Species legis propositæ.

dici per instrumenta agentis intentione probata, debuisse eum quoque causam suam communire instrumentis: nec solos eo casu testes sufficere aduersus fidem scripturæ ex aduerso prolatæ; quam sententiam ratio euidens etiam tuetur: & tum erit recedendum ab interpretatione Accursij, & sine vllo cauillo ita hæc lex erit accipienda, vt soli testes ad probationem ingenuitatis non sufficiant. Certè vtramque sententiam verba rescripti admittunt, nec qui hanc vel illam secutus sit, aberrauerit à vero. Iure nostro, in causa ciuili nulli testes ad probationem proficiunt si soli sint: quandoquidem constitutio principis nostri Caroli noni, propter subiectam testium fidem & eorum corrumpendorum facultatem, vetuit eius rei nomine per testes probationem fieri, quæ centum libras turonenses, id est triginta tres aureos & tertiam aurei partem excedat. Sed si tamen aliqua ex scripto adminicula suppetant, possunt testibus argumenta confirmari: Et ita ex S. C. Parisiensi, agente me, cum pars cui aderam depositum certæ pecuniæ repeteret, & solam epistolam aduersarij proferret, quæ significauerat se satisfacturum in his quæ sciret, nec debiti tamen mentionem fecisset, aut causam vllam vel summam demonstrasset: euici huius scripturæ tenorem sufficere, vt de cætero posset testibus intentio firmari.

Iure Francico in causis ciuilibus non possunt testes fidem probationis facere.

IMP. ALEXANDER A. MABILIANO.

L. 2. C. de fide instrum. & amiss. eorum, &c.

SI veteris instrumento, de quo alius accusatus falsi victus est, & paratus est (si ita visum fuerit) à quo pecuniam petis, eiusdem criminis te reum facere, & discrimen periculi pœna legis Corneliæ subire: non oberit sententia, à qua nec is, contra quem data est appellauit: nec tu qui tunc crimini non eras subiectus, appellare debuisti. PP. III. *Kal. Octobr. Maximo* II. *&* Æ*liano Coss.*

HOc rescriptum hanc breuem & perspicuam conclusionem complectitur: ei, qui instrumento nititur, quod agente alio, falsum pronuntiatum est, sententiam datam non officere, sed eundem suo nomine posse criminali iudicio ex l. Cornelia de falsis conueniri. Ratio dubitandi hæc erat, quod prioris sententiæ præiudicio videretur fides instrumento in totum abrogata, cum nec is,

qui falsum instrumentum concinnasse dicebatur & condemnatus est, ab ea sententia appellauerit. Ratio decidendi ea est, quod res inter alios acta non debeat aliis, qui causæ non adfuerunt, obesse: cum possit prior, qui superatus est non causæ vitio esse victus, sed probationis inopia aut aduersarij potentia. Quinetiam potest in priori iudicio interuenisse collusio in necem eius, qui postea eodem instrumento esset vsurus. Cæterum illi tantum appellandi ius habent, qui vel sententia sunt condemnati, vel contra æquitatem aduersarium suum absolutum esse queruntur; cui rationi consequens est, vt in specie huius legis necesse non habeat prouocare is qui instrumento nititur, quod alio agente falsum pronuntiatum est. Verumtamen si appellare voluerit, poterit id quoque, quasi eius intersit propter præiudicium rei iudicatæ. Sed tamen sine appellatione potest etiam esse tutus, quia non contra eum sententia lata est. *l.4.§.alio. l.5.in pr.ff. de appell.* Superioribus tamen obstare videtur lex 3. §. 1. ff. de pignor. ex qua sententia data contra hæredem testamentarium legatariis legata petentibus nocet: Sed hoc ita, vt docet ipse Papinianus, quia aliter legata valere non possunt, quam si testamentum ratum sit, & institutio valeat: ideoque necessarium est, vt eâ rescissâ corruant legata atque libertates, nisi colludente hærede contra testamentum pronuntiatum sit, vel propter eremodiciũ hæres ipse victus sit, *l.17. qui repudiantis. §. fin. cum l. seq. l.29. si suspecta. ff. de inof. test.* quo fit vt eo casu legatarijs appellare liceat cessante hærede. *l. si perlusorio. ff. de appell.* Illa autem verba quæ sunt in nostra lege, *si visum fuerit*, docent de falso & criminaliter & ciuiliter agi posse. Imo nec iudicium ciuile tollet criminale, si hoc vel illo primũ actum sit, vt definitum in l. pen. C. ad leg. Corn. de falsis. Hæc etiam verba, *& discrimen, &c.* pertinent ad inscriptionem, quam in causa criminali facit accusator, quæ eum pœnæ eiusdem vinculo adstringit, si in probatione deficiat, qua probato crimine reus plecteretur: de qua est locus ille Symmachi ep. vlt. lib. 10. ad Imppp. Valentinianum Theodosium & Arcadium. Quid habet conditionis inscriptio: Nostis præ cæteris iuris publici conditores: prouisum est enim ne quis temere in alieni capitis discrimen irrueret, nisi se prius pœnæ sponsione vinciret.

Is appellat tantum qui condemnatus est aut queritur aduersarium absolutũ.

Obijcitur & diluitur l.3. parag. 1. ff. de pignor.

IDEM A. ÆLIANO.

SI *aduersarius tuus apud acta Præsidis prouinciæ, cum fides instrumenti, quod proferebat, in dubium reuocare-*

L.3.C.eod. tit.

tur, non vsurum se contestatus est: Vereri non debes, ne ex ea scriptura, quam nec esse veram etiam professione eius constitit, negotium denuo repetatur. PP. III. Non. Decemb. Maximo II. & Æliano Coss.

Manifesta est æquitas huius rescripti: Nec enim ratio patitur, vt qui palam apud acta instrumento, quod falsi arguebatur non vsurum se professus est, mutato consilio, eodem vti possit, cui fidem antea derogarat. Ergo inanem gerebat sollicitudinem is qui imperatorem consuluit.

IMP. ALEXANDER A. DEMETRIO.

L. 2. C. de pignor. act. QVOD *ex operis ancillæ, vel ex pensionibus domus, quam pignori detineri dicis perceptum est: Debiti quantitatem releuabit.* D. Kal. Octob. Antonino IIII. & Alexandro Coss.

Idem A. Victorino.

L. 3. C. eod. CREDITOR *qui prædium pignori nexum detinuit, fructus, quos percepit vel percipere debuit, in rationem exonerandi debiti computare necesse habet. Et si agrum deteriorem constituit: Eo quoque nomine pignoratitia actione obligatur.* PP. VI. Id. Decemb. Antonino IIII. & Alexandro Coss.

Videntur hæc duo rescripta adscribi debere Antonino Heliogabalo vt consules adiecti docent, quia primum fuit consul Alexander anno vltimo, quo ipse Heliogabalus imperauit: Et nomen ipsius prælatum nomini ipsius Alexandri docet ipsum Alexandrum nondum fuisse imperatorem: Nam quoties imperator consulatum gerebat cum alio, semper fasti consulares præferebant nomen imperatoris, vt in plerisque ipsius Alexandri rescriptis ap-

paret, vbi in ſubſcriptionibus conſul nominatur cum Marcello vel Dione. Sed forte promulgatæ ſunt hæ duæ conſtitutiones ſtatim atque ipſe Antoninus Heliogabalus deceſſit: Ideoque ijdem conſules aſcripti ſunt, qui anni initio faſtos implebant, vt ſemper obtinuit nomen eorum in faſtis remanere, licet intra annum conſulatus morerentur. Sed hæc nihil ad rem. Ipſa verba palam docent eandem eſſe vtriuſque reſcripti ſententiam: creditorem, cui ancilla vel domus vel prædium pignori data ſunt, quod ex operis ancillæ vel penſionibus domus vel fundi fructibus percepit in rationem debiti compenſare debere, & propterea ſortem exonerari: ita vt ſi debitum integrum conſecutus ſit, ipſo iure pignus liberetur, & illud diſtrahere non poſſit creditor, vt idem Alexander definit in l.1.inf.de diſtr.pign. & ſi ſortem ſuperet fructuum quantitas ſuperfluũ ipſi debitori reſtituendum eſt, vt definierũt Imp. Seuerus & Antoninus in conſtit. græca l. 1. hoc tit. quam Cuiacius reſtituit lib.11.cap.31. quod ita verum eſt, niſi interceſſerit pactũ tacitæ vel expreſſæ ἀντιχρήσεως, ex quo emolumentum fructuum ſolet creditoris commodo cedere, vt plenius ex eis conſtabit, quæ tradentur ad l.14. inf. de vſuris. Adijcit vero Imp. in l.3. creditorem, cui pignus fundi datum eſt, ſi eum deteriorem fecerit, eo nomine teneri pignoratitia actione eaque directa, quæ ſcilicet datur ſoluto debito: Talem enim eum reddere debet, qualis erat tempore obligationis. *l. creditor hoc tit.* Igitur negligentiæ nomine tenetur creditor, ſi quid culpa eius ipſi rei deceſſerit, quæ ratio facit etiam vt non teneatur tantum eorum fructuum nomine, quos ex re pignorata percepit, ſed illorum etiam ratione, quos percipere debuit, aut erat percepturus ipſe debitor: Nam in re pignorata eodem modo verſari debet, quo diligens paterfamilias in re ſua verſaretur. Quinimo non modo fructuum nomine tenetur, ſed & ſi quid occaſione rei pignoratæ conſecutus ſit illud reſtituere debitori cogetur: veluti ſi furti egerit pignore ſubrepto ab alio quam debitore, quidquid perceperit pignori imputabit. *l.22. ſi pignore. ff. hoc tit.* qua in re tamen poteſt eſſe locus eleganti diſtinctioni, quam tradit Molinæus ad conſuet. Pariſ. §.1. gl.1. num. 59. vt ſi ex re pignorata ſit conſecutus aliquid propter delictum commiſſum in rem, tunc id reſtituere debeat creditor, vt in d.l.22. Sin propter delictum in perſonam occaſione rei: nulla reſtitutio fieri debeat, veluti ſi vi armata ex fundo ſibi pignorato deiectus creditor interdicto vnde vi egerit, & inde aliquid conſecutus ſit: Vix eſt enim vt teneatur id reſtituere, quo veluti penſatur iniuria qua affectus eſt. *arg. l.24. at vbi. ff. de pet. hæred.*

Sententia vtriuſque conſtitutionis.

Quod cumque occaſione rei pignoratæ percepit creditor reſtitui debet debitori.

IDEM A. HERMEO, ET MAXIMILLÆ.

Lex 4. C. eod.

PACTVM vulgare, quod proposuistis, vt si intra certum tempus pecunia soluta non fuisset, prædia pignori vel hypothecæ data vendere liceret: Non adimit debitori aduersus creditorem pignoratitiam actionem. PP. XII. Kal. Maij. Maximo II. & Æliano Coss.

PActum intercesserat inter debitorem & creditorem, quod vulgare est, vt debito ad certum diem non soluto, prædia pignori vel hypothecæ data vendi possent, qua de re si non conuenisset, tamen pro cauto res haberetur: Inutile enim pignus esset creditori, si debitore cessante vendere illud non posset: Imo etsi conuenisset ne distraheretur, post tertiam tamen denuntiationem debitori factam vt soluat posset distrahi. *l. 4. ff. hoc tit.* quod idem fit si nihil de distrahendo aut non distrahendo conuenerit, vt docet Paulus lib. 2. sent. tit. 5. & continetur etiam lib. 7. Capitul. Caroli Magni cap. 220. Hinc dicendum quod est in l. 7. §. fin. ff. de distr. pign. pactionem valere ne liceat debitori hypothecam vendere, id intelligendum si conuenerit ne liceat vendere intra certum tempus: Nam illud ne in totum liceat vendere non valeret: Et ita quoque accipienda est lex Aristo. ff. quæ res pign. obl. non poss. aut vtraque sub ea exceptione est accipienda, vt post ternam denuntiationem possit insuper haberi conuentio, qua denuntiatione neglecta creditor qui præproperè vendit furtum committit. *l. 73. si is qui. ff. de furtis.* Sed ad rem. In specie huius legis conuenit inter contrahentes, vt pecuniâ intra certum tempus non solutâ pignus vendere liceret. Tempore elapso, nondum à creditore venditis prædiis (possunt hæc ita fingi, nec verba refragantur) desiderabat prædia recipere debitor exoluto eo quod deberet, eoque nomine directa actione pignoratitia contra debitorem experiebatur. Rescribit imperator id iure desiderare debitorem. Mouebat lex conuentionis. Sed ea nihil debet obesse debitori rebus integris rem obligatam repetēti, cum nihil intersit creditoris, cui debitum offertur, & eiusmodi pactum adiectum sit quo magis debitor admoneretur ad luendum pignus suum, non vt re sua dominus careret. Quinetiam longi temporis præs-

Creditor debet debitori ter denuntiare antequam pignus vendat.

Species & quæstio legis proposita.

Debitor potest quocumque tempore luere pignus suum.

præscriptione non potest excludi debitor, quo minus, re suâ apud creditorem vel eius hæredem constitutâ, eam possit luere. *l.* 10. *& l. fin. hoc tit.* Imo nec longissimum tempus debitorem repellit ex sententia Rogerij quam Cuiac. probat in parat. C. ad tit. de præscr. 30. vel 40. ann. & ad l. pignori. ff. de vsucap. Vbi creditor ex lege conuentionis pignus vendidit iure, non potest irritam facere venditionem debitor, ne quidem offerendo pretium emptori. *l.* 2. *C. si antiq. cred.* At, dum adhuc rem pignoratam possidet, nihil vetat quominus debitor rem suam quandocumque recipiat, nisi forte eius dominium impetrauerit creditor, & postea biennium transierit secundum quod definitum. *l. fin. C. de iu. dom. imp.* Vendito etiam pignore non omnis actio debitori perimitur: Nam licet rei suæ dominium amiserit, agere tamen potest pignoratitia actione contra creditorem, quatenus maius pretium ex venditione percepit, quam sibi debitum est vt residuum restituat. *l. fin. C. de distr. pign.* ad quam definitionem huius legis sententia referri potest, quod glossa non improbat: Nec vero in eiusmodi specie creditori sufficit emptorem delegare. l. pen. ff. hoc tit. quod videtur tamen admittere Vlpianus in l. eleganter. §. si vendiderit eod. tit. Sed constituendum in specie ab Vlpiano proposita emptorem delegatum periculo ipsius creditoris, quod fieri potest citra vllam debitoris iniuriam. Vltra quam definitum: alio casu vendito pignore agit debitor, videlicet si prætermissa sit hastarum solennitas, & ea neglecta quæ solent in distrahendis pignoribus celebrari: Nam tum liberum est debitori etiam contra emptorem agere, quasi venditio nulla sit, quod docet noster Imp. in l. 2. C. si vend. pign. ag. ad quem casum proculdubio referri debet species legis 65. emptor. ff. de rei vind. Si autem iure distracta sint pignora; verum minore pretio quam constabant: dolum participante emptore conuenitur primum creditor actione pignoratitiâ: Mox si soluendo non sit, emptori pretio quod dedit oblato rem auferre debitor potest: Et illo tantum casu est securus emptor, si & iure contracta sit venditio, & per collusionem doli à creditore commissi non fuerit particeps. *l.* 1. 3. *& fin. C. si vend. pign. ag.* ad quam quæstionem pertinet quod tradit Cuiacius lib. 19. obs. cap. 28.

Vendito pignore non habet debitor ius offerendi.

Pignore iure non vendito petit debitor oblata pecunia emptori illud recipere.

IDEM A. DIOSCORIDÆ.

Lex 5. C. eod. tit.

SI creditor sine vitio suo argentum pignori datum perdidit: Restituere id non cogitur. Sed si culpæ reus depre-

henditur, vel non probat manifestis rationibus se perdidisse: Quanti debitoris interest condemnari debet PP. XIII. *Kal. Maij. Iuliano* II. *&* *Crispino* *Coss.*

Idem A. Trophimæ.

L.6.C.eod. tit.

QVÆ fortuitis casibus accidunt, cum præuideri non potuerant (in quibus etiam aggressura latronum est) nullo bonæ fidei iudicio præstantur. Et ideo creditor pignora, quæ ex eiusmodi causa interierint præstare non compellitur: Nec à petitione debiti summouetur, nisi inter contrahentes placuerit, vt amissio pignorum liberet debitorem. PP. *Idib. April. Fusco & Dextro Coss.*

Res cuique domino perit.

ILlud certissimum est vnicuique rem suam perire siue apud ipsum dominum sit siue apud alium. l. pignus hoc tit. nec enim res ideo minus nostra est, quod alius eam detinet, quæ distinctio facit vt in mutuo periculum ad accipientem pertineat, quia dominus fit. *l. incendium C. si certum pet. §. & is quidem de obl. quæ re contr. apud Iustinianum.* in deposito vero, pignore, precario, locatione, dantis sit, quia dominium remanet penes dantem. Sed quod ita generaliter proponitur, sub aliquibus distinctionibus admittitur: Nam plerisque casibus in mutuo creditor periclitatur magis, quam debitor: veluti si filiofam. credita sit pecunia contra Macedonianum, vel mulieri alij credituræ sciens quis mutuam pecuniam dederit contra S.C. Velleianum, aut institori vel magistro nauis extra causam negotij cui præpositi sunt quid mutuo datum sit, vt sunt loci notissimi. Item si minori pecunia sit credita, aut ciuitati, aut Ecclesiæ, nec probetur in vtilitatem eorum versa pecunia. *l. 27. ciuitas. ff. de reb. cred. l. 1. & 2. C. si adu. cred. auth. hoc ius in fi. C. de sacros. Eccl.* quamquam eiusmodi casibus aut similibus dici possit, ex accidenti, non ipsius contractus natura periculum ad creditorem pertinere: sicuti in l. 62. nauis. ff. de rei vind. dicitur pecuniam periculo dantis fœnerari, quod eius detrimentum sentiat creditor, si parum idoneo debitori eam collocauerit. Firmius obijci posset. *l. 3. 5. 6. ff. de naut. fœn.* Sed illud speciale in traiectitia pecunia, cuius periculũ agnoscit creditor propter grauiores vsuras, quas accipit. Deinde etiam illud venit ex conuentione, vt periculum creditor ferat. *l. 2. C. eod.*

Mutuum est periculo accipientis.

Aliquibus casibus ex accidenti mutuũ est dantis periculo.

In traiectitia pecunia periculum est penes creditorem.

nec præterea illo casu omne periculum creditorem respicit, sed illud tantum, quod fortuitò & ex marinæ tempestatis discrimine, non quod suâ culpâ venditor passus est, quia vel merces illicitas comparauit, vel propter non exsolutum vectigal merces licitæ ceciderunt in fiscum iure commissi. *l. pen. C. eod. tit.* Non minus pugnat l.24. Titius. versic. quando. ff. de præscr. verb. Sed in ea specie non erat mutuum contractum: nam non propter commodum accipientis data erat pecunia, quod in mutuo vt plurimum agitur, sed vt pro eo qui dedisset ex reditu pecuniæ tributum exolueretur: Ideoque æquum est pecuniam sine dolo malo accipientis amissam periculo esse eius qui dedit, quasi dominio in accipientem non translato. In l. 39. si soluturus. ff. de solut. manifesta est ratio cur interitu pecuniæ debitor liberetur, quia habetur pro soluta cum iussu creditoris signata & deposita est apud nummularium atque ibi periit. Quantum ad l.17. certos. ff. de verb. obl. nō pertinet ad causam mutui & pecuniæ debitæ in genere, sed ad certum nummorum corpus, quibus amissis citra culpam promissoris ipse promissor liberatur vt alius quilibet debitor interitu speciei fato peremptæ. Possit obijci lex 11. rogasti. ff. de reb. cred. Sed ibi mutuum non erat à principio contractum, & res tantum erat data vendenda ea lege, vt is qui accipiebat pecuniam illam quæ ex venditione reficeretur sibi mutuam haberet: quare non oportuit rei id est massæ siue lancis datæ periculum prius in accipientem transire, quam ex eo negotio commodum senserit, id est pecuniam ex ea redegerit: idque maxime si is qui dedit lancem eam habebat venalem: nam si sola tradendi causa fuit, vt obsequeretur ei qui pecuniam mutuam rogarat, in eo procliuior est Vlpianus I.C. in d.l.11. vt sit lanx periculo accipientis, quasi iam tum tempore traditionis censeatur pecunia credita, quæ ex venditione redigeretur: quod etiam multo magis dicendum est si lanx sit data æstimata, vt in specie legis si pro mutua. C. si certum pet. & si iam pecunia ex rebus traditis confecta sit, dubium non est quin indistinctè periculo sit accipientis, atque ita de casu minus dubitabili respondit Africanus in l. 34. qui negotia vers. his argumentum. ff. Mandati quamuis in eo cum Vlpiano non consentiat, vt in eiusmodi specie mutuum esse contractuum arbitretur. Hæc ad causam mutui pertinent. Cæterum in aliis contractibus supra enumeratis generaliter obtinet periculum penes dantem esse, quia dominus est: Sed hoc verum est si nulla culpa, nullus dolus accipientis intercedat, nam si horum alterutrū vel vtrumque interuenerit, tunc ad receptam distinctionem erit recurrendum; Si gratia tantum accipientis negotium susceptum sit, vt in cōmodato, is qui accepit culpæ nomine tenebitur; & quidem leuissimæ, quia qui cōmodauit debet ex actissimā diligentiam in re

Obijcitur & diluitur l.24. ff. de præscr. verb.

Periculum pecuniæ post oblationem pertinet ad creditorem.

Cum certi nummi promittuntur sunt periculo creditoris.

Opponitur lex 11. ff. de reb. cred.

Commodatarius tenetur de culpa leuissima.

Ccc ij

custodienda, id est qualem diligentissimus paterfam. in rebus suis adhibere solet, quo fit vt in §.at is.qu.mo.re contr.obl.apud Iustin. exacta diligentia accipiatur [illegible] pro exactissima. Igitur si culpa quælibet casum præcesserit, tenetur commodarius. *l.18.in rebus.ff.Commod.* Quinimo & si nulla culpa intercesserit, si tamen rem commodatam in alium vsum transtulerit, iam incipit rem sui periculi facere, vt & depositarius qui alias doli tantum nomine tenetur. *l.16. qui furtum. ff. de cond. furt.* Idemque est si res quæ commodata est fuerit æstimata antequam daretur nam indistincte periculum est penes accipientem *l.5.§.3. ff. Commod.* non minus quam eodem casu est penes conductorem l.3.ff. Locati. quandoquidem in casu eiusmodi inducitur species quædam venditionis, vt fit in rebus dotalibus quæ sunt æstimatæ. *l.10. plerumque. §.si ante. ff. de iu. dot. l.vn. §.cumque. vers. æstimatarum. C.de rei vx. act.* Quinetiam non aliter facta videtur æstimatio rei commodatæ quam vt periculum in commodatarium transiret: sicuti fit cum res æstimata vendenda datur certo pretio; nam periculũ est penes circitricẽ & propolam *l.1.§.vltim. ff. de æst. act.* quæ si æstimata non esset nec taxata pretij quantitas periculum dantem respiceret. *l.17. si gratuitam. §.fin. ff. de præscr. verb.* Est vnus casus, in quo qui commodatò accepit de dolo tantum tenetur: cum gratia dantis potius quam accipientis datum est: veluti cum sponsus sponsæ quid commodauit, vt cultior ad se deduceretur: illa enim, & si culpa aliqua sua commodatas gemmas, viriolas, lapillos, annullos, & cætera eiusmodi ornamẽta amiserit, culpæ illius nomine non tenetur. *d.l.5.§.interdum. ff.Commod.* In precario etiam, licet aliqua ratione ad commodatum accedat, tamen quia à solo nutu dantis pendet, qui accepit de dolo tantum tenetur, quasi beneficium non sit, quod licet quandocumque volueris reuocare. *l.23. contractus. ff. de rer. iu.* Cum gratia dantis tantum obligatio suscipitur, cuiusmodi est in deposito, periculum omne tenet eũ qui dedit, & ne quidẽ de culpa leui, sed de dolo tantũ vel de lata culpa obligatur qui accepit, quæ in eo æstimatur, si minorẽ diligentiam rebus amici custodiendis adhibuerit, quam solet suis: hæc enim incuria proximè dolum refert. *l.33. quod Nerua. ff. depos.* & omnino ea est mens Imp. Alexãdri in l.1.inf.depositi, vbi palam in prima parte docet incursu latronum vel alio casu fortuito depositis vestimentis amissis, simul & interfecto depositario, eius hæredem non teneri, sed tantum dolum vel latam culpam defuncti præstare debere. Notũ est de dolo, qui incidit in cõtractum bonæ fidei, hæredes teneri vti docuimus in indice obl. & act. in decima actionum diuisione. Addit tamen Imp. in d.l.1. exceptionem vnam, *si non aliud specialiter conuenit*, nam propter eiusmodi conuentionem fiet, vt licet dolus vel lata culpa depositarij nõ intercesserit, nihilo-

Casus plurimi in quibus commodatarius tenetur etiam si res perierit sine eius culpa.

Æstimatio rei locata vel commodata inducit emptionem.

Casus vbi commodatarius tenetur tantũ de dolo.

In precario, tantum dolus venit.

In deposito dolus tantũ præstatur.

Explicatur l.1. inf.depos. quæ est Imp. Alexand.

Ex conuentione culpam & casum præstat depositarius.

minus ille ipse vel hæres eius de periculo teneatur, ficuti in commodato interdum vel mandato. *l. 1. C. commod. l. 39. & Aristoni. ff. mand.* Verum seruanda elegans distinctio Vlpiani in l. 1. §. sæpe. ff. depos. vt si conuenerit periculum transire in depositarium etsi dolus non intercesserit (quod semper est intelligendum) eò tantum illa conuentio proficiat, vt de culpa leui & custodia teneatur, non illud etiam vt casum fortuitum præstet; quod sic accipiendum, vt propter conuentionem huiusmodi eius periculi tantum nomine teneatur depositarius, quod culpa eius acciderit, vel quia surrepta est vel quia deterior facta est: Non etiam, si casu fortuito perierit: Quemadmodum erat apud eum qui dedit vel quemlibet alium interitura: Cuiusmodi species fingi potest in rebus animatis depositis, quæ sui natura mortales sunt, in quibus curandis si nulla negligentia prætermissa est, ne quidem conuentio illa, vt periculum agnoscat depositarius, eum obstringit: quod in aliis similibus dicendum est, cum conuenit vt commodatarius vel mandatarius periculum ferat, nisi etiam & de illo conuenerit specialiter, vt etiam casus quilibet fortuitus accipientem spectaret. *l. 4. §. quæsitum. ff. si quis caut.* Aliud igitur est pacisci de periculo præstando: Aliud casum omnem fortuitum in se recipere. Speciem vnam proposuit Imp. in d. l. 1. quo etiam de periculo depositarius tenetur: sed sunt & aliæ complures: veluti si se deposito obtulerit *d. §. sæpe* si mercedem acceperit. *l. 5. si vt certo. §. 2. ff. commod.* tunc enim magis locatio quam depositum esse censetur. Et verò in l. 1. §. fin. C. de locato & cond. depositi nomine Imp. Antoninus abutitur, cum res depositas vocat, quas quis locauit vel conduxit custodiendas. Accedit & ille casus, qui supra relatus est ex l. 16. ff. de condict. furt. nec non ille, si mora præcessit casum, & res perijt post litem contestatam, cum rei restituendæ facultatem depositarius haberet. *l. 12. si in asia §. fin. ff. depos.* seruata tamen distinctione, de qua sup. ad l. 1. quod met. causa. si res non erat interitura apud deponentem, qui ipsam à depositario suo tempore receptam erat venditurus, quæ distinctio est perpetua in his, apud quos res aliena perijt, vtcumque per furtum aut aliam quamlibet malam possessionem eam nacti sint. Dubitari posset cur in mandato tutela negotiorum gestione, in quibus nulla commoditas versatur eorum, qui in suam fidem suscipiunt rerum alienarum administrandarum curam; procurator tamen, tutor, curator, aut gestor, omnem culpam præstare necesse habeant, ita vt diligentissima custodia ab his desideretur, nec aliter liberentur, vbi quid ex rebus administratis perit, quàm si periculum nulla eorum præcesserit culpa. *§. sicut autem de obl. ex quasi contr. apud Iustin. l. 13. à procuratore. C. mandati l. 7. quidquid C. arb. tut. l. contractus. ff. de reg. iu.* cum tamen in deposito dolum tantum præstet qui accepit, illa ratione quod ex

Distinctio elegans Vlpiani I.C. ti.

Qui in se periculum recepit casum fortuitum non præstat.

Plures casus in quibus depositarius periculum agnoscit.

Cur tutor gestor procurator de culpa leui teneantur.

deposito nullum commodum sentiat. Ratio differentiæ hæc, quod qui accedit ad aliena negotia gerenda non solum fidem, sed operam, diligentiam, industriam, & nauitatem omnem spondere videtur, quæ in negotiis explicandis potest desiderari: quod in tutore obtinet, cui tanquam sagaci & negotiorum perito tutelæ onus imponitur: Depositi vero custodia vno actu consistit, nec exactam aliquam industriam & mentis sagacitatem desiderat, sed illam promiscuam quæ in omnibus fere hominibus reperitur diligentiam: Ideoque sufficit vt res apud se depositas recondat depositarius vt suas, & eadem fide asseruet qua propriarum satagit, id est vt dolo careat. Et hinc est etiam quod in ea mandati specie, in qua nulla industria requiritur, veluti in fideiussione, dolus dumtaxat præstatur. *l.29.fideiussor.ff.mand.* & in ea quoque sententia est Duarenus tit. de mandato cap.2. Cum autem gratia vtriusque contrahentium negotium aliquod perficitur, tunc mediè inter priores duas definitiones constituitur, vt veniat tantum dolus & leuis culpa, non leuissima: Et is tractatus magis pertinet ad quæstionem duorum rescriptorum, quæ hoc loco proponuntur: Nam quæ supra constiterunt spectant ad legem primam C.depos. quam visum est propter affinitatem quæstionis hoc loco explicari debere: Eiusmodi est locationis contractus. *l.23.contractus.ff.de reg.iu.* nec refert quod commodato comparetur locatio, *in l.61.si seruus.§.circa.ff.de furt.* nam illud eo casu, qui ibi proponitur, speciale est. Non obstat etiam quod dicitur in §.pen.de locato apud Iustin. & l.si merces.§.si columnam. ff. eod. in eo qui rem locatam tenet eam custodiā desiderari, quam diligentissimus paterfam. rebus suis adhibet: nam ibi palam agnoscunt plerique ὑπερτατικὸν positum esse ἀντὶ θετικοῦ, vt contra supra constitit in §.at is.qu.mo.re contr.obl.apud Iustin. θετικὸν ἀντὶ ὑπερτατικοῦ vsurpari per quandam κατάχρησιν & μετάθεσιν. Eodem iure est venditio, de qua rectius agetur in l.1.inf. de peric. & comm. rei vend. In communione vel societate, magis est vt culpa tantum lata veniat: Nam vbique occurrit, vt socius vel cohæres dicantur teneri tantum desidiæ vel negligentiæ nomine, & eam diligentiam præstare, non quam diligens aut diligentissimus paterfam. suis rebus adhibet, (quibus verbis leuis & leuissima culpa designari solet) sed illam tantum quam suis rebus socius vel cohæres impendit. *§.fin. de societate apud Iustin. l.72.si socius.ff.pro socio. l.25.hæredes.§.non tantum.ff.famil.hercisc.* quæ diligentia ad culpæ latæ rationem referri solet *l.32.quod Nerua.ff.depos.* & id quidem ratio summa expostulat, quia in his duabus speciebus contractus aut quasi contractus quasi in re sua versantur socij & cohæredes: vt propterea sufficere debeat, si eam diligentiam adhibuerint rebus communibus curandis vel administrandis, qua suas tuentur. Quod ad causam pignoris

Cum obligatio vtriusque cōtrahentium vtilitatem spectat dolus tantum & leuis culpa præstatur.

Id fit in locatione.

Diluitur contrarium argumentū.

Quid in societate vel communione præstetur.

seruari debet generalis definitio, vt scilicet de leui culpa teneatur, id est vt ea à creditore exigantur, non quæ ipse sed diligens paterfam. in suis rebus præstare solet. l.13. parag. fin. cum l. seq. ff. hoc tit. vtriusque enim causa pignus datur & debitoris vt facilius pecunia sibi credatur, & creditoris vt ei mutuum sit in tuto. Igitur culpæ nomen quo vtitur Imp. in l.5. ad leuem referendum est, non ad latam aut leuissimam: & si ea vacet creditor, casus fortuitus, quem non potuit humana diligentia præuidere, illi imputari non debet, quomodo nec tutori imputatur quod fœneratori pecuniam pupillarem crediderit cùm celeberrimus haberetur licet postea facultatibus cesserit. *l.50. cum res. ff. de admin. tut.* ad quod pertinent etiam species propositæ in l.1. §.11. si magistratus. ff. de magistr. conuen. l. 2. §.7. si eo tempore. ff. de admin. rerum ad ciuit. pertin. Inter casus fortuitos Imp. in l.6. numerat aggressuram latronum, quia scilicet custodia aduersus vim maiorem & iniuriam parum proficit. *l.31. si ea res. ff. de act. empti. l.41. ff. locati.* Non idem de furto quia facilis custodia aduersus fures, nec vnquam diligenti patrifam. furtum fit. *l.52. cum duobus. §. damna. ff. pro socio.* Quare si res pignorata fuerit surrepta: dubium non est, quin eo nomine teneatur creditor. Cum autem casu fortuito pignus periit, extincta actione hypothecaria personalis actio integra durat contra debitorem l. pignus. hoc tit. nisi forte conuenerit vt amissio pignoris liberaret debitorem, vt Imperator noster docet in hac lege 6. cui addenda est alia ex l. fœnerator. ff. de naut. fœn. si credito traiectitiæ pecuniæ pignus accesserit mercium, quæ in naue sunt: naue enim perempta intra diem periculo præfinitum interitu pignorum debitor liberatur, cum etiam obligatio personalis defecerit. Vt autem casus amissi pignoris creditori non nocet: ita illum casum quem allegat debet probare vt ait Imp. in l.5. vtcumque enim reus sit, tamen satis intentionem suam actor instruxit, qui docuit se dedisse pignus. Alioqui non difficulter fingi possent eiusmodi allegationes. Et propterea idem Imp. in l.1. C. depos. ait eum qui prætextu latrocinij commissi vel alterius casus fortuiti rerum depositarum restitutionem detrectat, non minus posse conueniri actione depositi: ita vt sit etiam actio domino ad exhibendum præparatoria vindicationis, & postmodum actio in rem. Datur actio depositi quæ est in personam quasi ex negotio gesto: vindicatio vero quia remansit dominus qui deposuit, quo fit vt actio depositi, imo & commodati & pignoratitia proprie condictiones non sint, licet sint in personam, quia scilicet vt ait Cuiacius in Parat. ffrum tit. de rebus cred. possessionem tantum naturalem reuocant, id est non dari sed restitui oportere intendunt.

In pignore creditor præstat diligentiã exactam.

Casus fortuitus non imputatur creditori nec tutori.

Facilis custodia aduersus fures non latrones.

Casus quibus amisso pignore creditor debitum non repetit.

IMP. ALEXANDER A. CALLISTO.

Lex 2. C. de exercitoria & institoria actione.

EX *contractibus seruorum, quamuis de peculio dumtaxat domini teneantur: De eo tamen, quod in rem eorum versum est, vel cum institore ex causa, cui præpositus est contractum est: Etiam in solidum conueniri posse, dubium non est.* PP. III. Kal. *Maij. Alexandro A.* II. *& Marcello Coss.*

Idem A. Martiæ.

L. 2. C. eod.

INSTITORIA *tibi aduersus eum actio competit, à quo seruum mensæ præpositum dicis: Si eius negotij causa, quod per eum exercebatur, deposita pecunia nec reddita potest probari. PP. Non. Maij. Agricola & Clementino Coss.*

Legum propositarum sententia.

Casus in quibus dominus conuentus actione de peculio naturalia debita non deducit.

LEx prior magis pertinet ad tit. sequentem quia mentio in ea est actionis de peculio & de in rem verso: Sed pertinet etiam ad hunc tit. vt illa quæ sequitur. Vtriusque sententia hæc: Eos qui cum seruis institoribus contraxerunt habere dominum obligatum si eius negotij causa cum his contractum sit, cui erant præpositi: Idque in solidum ad differentiam actionis de peculio, ex qua domini tenentur tantum quatenus vires peculij patiuntur deductis naturalibus debitis, si modo excipiamus casus quosdam. Primus est in §. aliquando. Quod cum eo qui in al. pot. est. apud Iustin. cum seruus ordinarius aliquid debet vicario: Nam dominus conuentus de peculio ordinarij ex eo non deducet quod vicario debetur, quia ipse vicarius & peculium eius est in peculio ordinarij. Secundus est in l. 9. in pr. ff. de compens. cum scilicet domino vel patre agente ex contractu serui vel filijfam. is qui conuenitur per modum compensationis actionem de peculio obijcit eius debiti nomine, quod sibi seruus debet. Tertius est in l. 36. si à domino. ff. de pet. hæred. si pretia rerum ex hæreditate, quam quis petit, seruus possideat, & dominus conueniatur: nam nullum habebit priuilegium

gium deductionis: Sed ibi non tam de peculio agitur quam hæreditatis, aut rerum hæreditarium quas seruus tenet petitio contra dominum eius instituitur. Actio autem institoria imo & exercitoria (nam in plurimis comparantur) in solidum datur de eo quod cum institore gestum est, vel cum magistro nauis, si modo eius rei causa conueniatur qui præposuit, propter quam institor aut magister præpositus est: Idque definit Imp. his duobus rescriptis in actione institoria: Sed idem dicendum in actione exercitoria. Non tamen propterea necessarium est in vtroque creditorem probare pecuniam insumptam esse vel ad merces comparandas, vel ad reficiendam nauem vel armandam: sufficit enim si doceat necessariam fuisse mercium comparationem, vel in ea causa fuisse nauem, vt refici deberet & pecuniæ modum esse erogatum, qui sumptus necessarios non excederet. *l. fin. ff. de exercit. act.* Videtur autem eum qui præposuit conueniri posse, etiamsi institor sit egressus leges præpositionis, idque ex l. fin. ff. quod cum eo qui in al. pot. est. Sed ibi palam docet I.C. seruum, qui præpositus fuerat tantum mutuis pecuniis dandis & accipiendis pignoribus, postea ex consuetudine solitum apud negotiatores pro emptoribus fideiubere, & debitum in se suscipere, idque dominum scientem prudentemque non impediisse: Vt inde videretur quasi ex noua voluntate ad illa quoque eum præposuisse. Illud idem probari videtur l. 11. sed & si. §. proscribere vers. cæterum. ff. de instit. act. Sed in ea specie leges præpositionis deletæ fuerant vetustate, vel pluuia corruptæ, vel etiam ab ipso qui præpositus erat sublatæ: Ideoque quia nihil potest imputari ei qui cõtraxit, cur præpositionis conditionẽ nõ seruauerit, indistincte agetur contra eum qui præposuit. Poterit idem obtinere in magistro qui præposuit alium magistrum: Vtcumque enim id dominus prohibuerit, tamen propter vtilitatem nauigantum ex negotio gesto cum præposito à magistro dominus conuenietur, quod non idem in institore qui ipse nullum præponere potest. *l. 1. §. 5. magistrum. ff. de exercit. act.* docet autem Imp. in hac lege 2. actionem de in rem verso dari quoque in solidum, quatenus scilicet in rem domini vel patris versum est, non quatenus creditum est. Sed eius ratione quod non est versum agitur actione de peculio si vires eius patiantur. in actione de in rem verso non inspiciuntur vires pecuIij. *paragr. præterea. vers. itaque quod cum eo qui in al. potest apud Iustinian.*

Casus in quibus ex facto institoris vel magistri, qui præposuerunt tenentur licet lex præpositionis non sit seruata.

Exercitor tenetur de facto eius quem magister præposuit.

IMP. ALEXANDER A. ASCLEPIADI.

L. 5. C. quod cum eo qui in aliena pot. est, neg. gest. esse dic. &c.

NVLLA *res prohibet filiosfamilias, si pro aliis maiores viginti quinque annis fideiusserint, actione competenti aduersus eos teneri. Sed si dumtaxat de peculio tecum agatur: Defensionibus, si quæ tibi competunt, vteris P P. VI. Idus Decembr. Maximo II. & Æliano Coss.*

Species legis proposita.

FIdeiusserat filiusfamil. maior 25. annis pro aliquo. Rescribit Imp. teneri eum, & patrem etiam de peculio, nisi si quas ipse pater allegationes iustas & legitimas habeat, quibus intentionem agentis possit excludere. Ratio dubitandi in eo poterat constitui, quod cum secundum definitionem iuris antiqui filiusfamil. nihil suum habeat, videbatur inutiliter datus fideiussor. Sed nihil hæc prohibent, quin possit rectè obligari ex fideiussoria causa, & ex ea causa conueniri: sunt enim iudicij capaces, & possunt aliquid habere in castrensi aut quasi castrensi peculio, aut etiam patris hæredes facti possunt habere quod exsoluant. Sed & dum pater ei peculium concessit, videtur autor esse eorum contractuum, qui cum filio haberentur peculio tenus. Recte vero gl. notat diuersum obtinere in seruo: nam non obligatur ciuiliter ex quacumque causa, sed naturaliter tantum, & ex causa fideiussionis ne naturaliter quidem: qua de re etiam quædam sunt notata sup. ad l. 2. de iureiur. Quod hæc lex docet de filijsfam. maioribus satis docet minorem qui fideiussit habiturum restitutionem in integrum. l. fin. C. de filiofam. min. Poterat vero glossa sufficere ad integram huius legis interpretationem.

Serui non obligantur ciuiliter.

IMP. ALEXANDER MVSÆ.

L. 5. C. ad Senatusc͠osultum Macedonianum.

MACEDONIANI *Senatusconsulti autoritas petitionem eius pecuniæ non impedit, quæ filiofamilias studiorum, vel legationis causa alibi degenti ad neces-*

ſarios ſumptus, quos patris pietas non recuſaret, credita eſt. Sed ex contractu filij poſt mortem eius de peculio actio in patrem competere ita demum poterit, ſi anni vtilis ſpatium petitionem non impedit. Sane ſi iuſſu patris datum mutuum probetur: nec in quem vſum verſa ſit pecunia, diſquiri neceſſe eſt, ſed perpetua in patrem, etiam mortuo filio, eſt actio. P P. Prid. Kal. Maij. Agricola & Clementino Coſſ.

Sententia legis.

HOc reſcripto definit Imp. Senatuſconſulti Macedoniani autoritatem non infringere petitionem eius pecuniæ, quæ filiofamil. data eſt ſtudiorum cauſa, vel eidem credita eſt propter legationem alicubi degenti ad ſumptus neceſſarios, quos paterna pietas non erat recuſatura. Non igitur indiſtincte opponi poteſt exceptio S. C. ſed ita demum ſi contra ſententiam eius pecunia data ſit, vt eam filijfam. impenderent in res mortuas & inanes ſumptus, quod fieri non debet, ne ante paternam vel maternam hæreditatem abliguriant, quam ſit delata: & vt occurratur callidis fœneratorum fraudibus, qui ſub grauiſſimis vſuris pecuniam ipſis credunt, quam poſtea ſummo ipſorum filiorumfam. damno ab eiſdem repetant, cum parentibus ſuis ſucceſſerint.

Ratio cur S. C. Macedonianum ſit inductum.

Si illa ratio ceſſauerit, id eſt ſi iuſta cauſa credendæ pecuniæ fuerit, vt in hac ſpecie, & ipſe filiusfam. & pater obligabuntur, quia videtur quaſi patris negotium geſtum: & id ita, modo probabilem modum creditor non exceſſerit, eam-ve quantitatem quam pater ſolebat ſubminiſtrare. *l.* 7. §. 13. *quod dicitur. ff. hoc tit.* quo quidem caſu etiamſi in cauſas neceſſarias pecuniam acceptam filiusfam. perdiderit, exceptio tamen ſenatuſconſulti creditorem non repellet. *l.* 47. *in pupillo. parag. fin. ff. de ſolut.*

Si iuſta ratio fuerit credendæ pecuniæ filiofam. S.C. ceſſat, etiāſi poſtea caſu perierit.

Vltra ſpeciem hoc loco propoſitam Cuiacius in recitat. ad hunc tit. ſex alios caſus proponit quibus Macedonianum S. C. locum non habet: Sed poſſunt & alij plures adijci: ſi enim ei, cuius pater captus eſt ab hoſtibus, pecunia ſit credita, licet propter ſpem poſtliminij in poteſtate patris adhuc eſſe quodammodo credatur, tamen ſi pater deceſſerit apud hoſtes ſenatuſconſulto locus non erit, quia ſcilicet fictione legis Corneliæ ex poſtfacto videtur ſui iuris factus eo momento, quo captus eſt pater. *l.* 1. §. 1. *ff. hoc tit.*

Si filiof. mutua pecunia data ſit pendente patris captiuitate locus non eſt S. C. ſi pater ibi deceſſerit.

Diluitur contrarium argumentum.

Quamquam huic contrarium eſt quod dicitur in l. 7. Item ſi. paragr. ſed & ſi. Dig. eod. ſenatuſconſultum locum habere etiam in eo cuius pater non eſt in ciuitate: ſed hoc intelligendum de relegato,

non de deportato, aut capto ab hostibus. Cum minor filiofam. pecuniam credidit priuilegium ætatis Senatusconsulto potentius est, vt sit crediti repetitio: nisi forte filiusfam. qui pecuniam accepit sit ipse minor nec ex ea sit locupletior factus: nam tum vix est vt non sit potentior causa Senatusconsulti, quę cum priuilegio ætatis coniuncta est l. 11. verum. §. pen. & fin. ff. de minor. Pupillo qui credidit filiofam. multominus oberit Senatuscõsultum: hic enim scire non potuit an filiusfam. esset cui crederetur: Deinde mutuum contraxisse non censetur, quia dominium nummorum quos credit in accipientem non transfert. *l. 3. §. 1. ff. hoc tit. §. nunc admonendi. quibus alienare licet vel non, apud Iustin.* Idemque dicendum erit in filiofam. maiore, qui alteri filiofamil. pecuniam mutuo dederit: hic enim mutuum contrahere non censetur, licet liberam habeat peculij administrationem, quia non ideo credendi habere potestatem censetur maxime filiofamil. ideoque vindicatio nummorum patri dabitur, si extent adhuc. *d. l. 3. §. 1. versic. quemadmodum. alias. l. 4. in pr.* & condictio sine causa si consumpti sunt ex sententia gl. eo loco: quemadmodum patri eam dari constituebat Iulianus, si filiusfamil. creditori suo sibi ab alio donatam pecuniam soluisset: nisi ad hoc donata esset vt eam creditori suo solueret. *l. 9. §. 1. ff. eod. tit.* quod Marcellus non admisit, qui patri quidem solutorum à filiofamil. nummorum vindicationem concedebat, quemadmodũ Iulianus, sed tamen condictionem indistincte denegabat, si eos acceptos bona fide creditor consumpsisset. *l. 14. si filiusfam. ff. de reb. cred.* de quo dissidio Cuiac. lib. 14. obs. cap. 33. Sed ad rem. Circumscribitur etiam Senatusconsulti Macedoniani stricta ratio in specie l. 6. ff. si quid in fr. patr. si libertus in fraudem patroni, vt diminueret debitã portionẽ verecũdiæ patronali, mutuã pecuniã crediderit filiofam. perdendi animo: vix enim est vt patrono agenti fabiana actione, & repetenti pecuniam à defuncto liberto creditam filiofamil. obstet exceptio Macedoniani, quasi magis in fraudem eius quam contra Senatuscõsultum eiusmodi pecunia credita sit: quamquam Cuiac. lib. 25. obs. cap. 8. aliter torqueat d. l. 6. quam verba ipsius videntur desiderare. Sed & si filiusfam. sui iuris factus passus sit se à creditore suo delegari, aduersus eum cui delegatus fuerit non poterit vti exceptione senatusconsulti, quasi eam remiserit. *l. 19. doli. ff. de nouat.* nam etiam volens si soluerit factus sui iuris non repetit. *l. 40. qui exceptionem. ff. de cond. indeb.* quia scilicet eiusmodi exceptio non fauore eius datur, sed odio creditoris. Multo magis dicendum tutum esse contra exceptionem creditorem, si cum filiofam. crediturus stipulatus sit eam sibi reddi, antequam eam numerauerit, filiusfam. emancipetur: quia enim substantia obligationis numeratione expletur, quæ facta est patrifamilias, recte con-

Minori, qui credidit filiof. maiori nõ opponitur S.C. exceptio.

Pupillus dans pecuniam mutuũ non contrahit.

Patri datur vindicatio nummorum quos filiusf. soluerit creditori suo.

Non habet locum exceptio SC. quãdo in fraudẽ patroni filiof. credita est pecunia à liberto.

Filiusfam. qui sui iuris factus patitur se delegari nõ habet S. C. exceptionem.

In mutuo dato filiofam. inspicitur tempus numerationis non stipulationis.

tractum mutuum dicetur: quemadmodum è conuerso si patrifamilias crediturus stipulatus sit eam sibi reddi, & inter moras se in adoptionem dederit, siue arrogatus fuerit, nocebit exceptio, quia numeratio tum facta est cum obligationi obstabat senatuscōsultū. *l. 3. §. fin. cum ll. seqq. ff. hoc tit.* Idem dicemus etiam si proponamus pecuniam filiofam. creditam alio animo, postea tamen in rem patris versam, quod ex ea dotem sorori filiusfam. dederit, quæ ad patris onus pertinebat, aut etiam voluntas patris arguatur, quod eum institorem suum fecerit, vel partem debitæ à filiofam. pecuniæ ipse pater soluerit, senatusconsultum cessabit, quasi ratum habuerit contractum pater. *l. 7. §. 2. & §. 10. interdum. & §. fin. & l. 17. filiusfam. ff. hoc tit.* quod in matre secus obtinet, quæ ob hoc quod soluerit partem debitæ pecuniæ à filio, non ideo tenetur in residuam quantitatem. *l. fin. Cod. ne vxor. pro mar.* quia scilicet non solet in matrem ex contractu filij dari actio, quod in patre secus cessante senatusconsulto. Sed & si pater acceptâ epistolâ, qua significabat filiusf. se mutuam pecuniam accepisse statim non interposuerit contestationem contrariæ voluntatis, tacitus hic consensus obstringet patrem in solidum nec erit senatusconsulto locus. *l. 16. ff. hoc tit.* cui non obstat lex 21. Lucius. ff. de admin. tut. quia cum in mutuo satis grauentur creditores si patre inscio filiifam. pecuniam crediderint, vel minimus consensus patrem obligat: At in tutela demandata filiofamil. cuius est onus maximum, tacitus consensus non obligat patrem in solidum, sed tenebitur dumtaxat de peculio. Verum distinctio illa euerti videtur argumento ducto ex l. filius. ff. de tutelis. Sed Cuiac. in recit. ad l. 1. C. quod cum eo qui in al. pot. & lib. 1. resp. Marcelli ad d. l. 21. recte docet in ea l. filius, nomen consensus accipi pro consensu expresso, qui habet in se fideiussionem: quasi pater periculum filio suo delatæ tutelæ receperit. Euertitur etiam illa distinctio ex his quæ proponuntur in l. 2. ff. ad municip. l. 7. honores. §. fin. ff. de decur. vbi in eo quod pater sciuit decurionem filium creari, nec contradixit, eius nomine in solidum quasi sponsor & adpromissor obligatur. Sed illud in honoribus qui delati filio ad dignitatem patris pertinere censētur, ac propterea taciturnitas obligat patrem in solidum, & tum demum non obligatur, cum eo inuito & reclamante decurio factus est. *l. pen. C. ne fil. pro patre.* In muneribus, in quibus solum onus spectatur nullo adiuncto dignitatis gradu, cuiusmodi est tutela, requiritur scientia patris quæ habet in se consensum expressum, vt in solidum pro filio conueniatur: quid vero respondendum sit ad l. 3. paragr. fin. ff. de pecul. & ad l. 1. Cod. quod cum eo, &c. consulendus est Cuiac. lib. 13. obs. cap. 34. & lib. 9. quæst. Papin. ad d. §. fin. Hæc pertinent ad primam partem huius legis. In secunda definit Imp. ex contractu filijfam. post mortem

Pater qui exoluit partē creditæ pecuniæ filiofa. sua de residuo tenetur.

Diuersum in matre.

Ratio differentiæ

Cum tutor est filiusfam. pater tenetur tantum de peculio.

Diluitur contrarium argumentū.

In honoribus filiofa. delatis pater in solidum tenetur si non contradixerit.

Actio de peculio post mortem filijfam. est annalis.

eius de peculio patrem intra annum posse conueniri, quia scilicet quæ manente peculio actio perpetua est contra patrem vel dominum, eo extincto annalis fit. Extinguitur autem peculium si filiusfam. aut seruus moriantur, si ipsis adimatur peculium, si filiusfamil. emancipetur, vel seruus manumittatur, aut alienetur, & eiusmodi casibus aliis, quæ continentur in tit. ff. rum, quando de pecul. actio ann. est. Sed non est hæc secũda pars de mutui contractu, de quo in prima parte actum fuerat, sed de alio qui iure cum filiofam. potuit institui: nam mutuo cõtracto cõtra senatusconsultũ, ne quidem actione de peculio pater potest conueniri. *l. pen. hoc tit.* ac propterea in l. 1. C. ne fil. pro pat. hæc verba, *amplius de peculio, &c.* non ad proximam clausulam, quæ est de mutuo dato contra S. C. Macedonianum, sed ad superiorem refertur, vt propter contractũ quemcumque alium à filiofamil. initum sine iussu patris non possit pater amplius conueniri, quam de peculio: sicuti etiam quod dicitur in l. 12. ff. de fideiuss. eius actionis nomine, quæ mortuo filiofam. de peculio aduersus patrem competit, fideiussorem ab ipso dari posse, non refertur ad speciem l. 11. quæ fuerat de mutuo dato filiofam. sed ad aliam, in qua iure actionis de peculio foret obligatus pater. Sed est & pars tertia huius legis, in qua definit Imperator Alexander, si filius iussu patris pecuniam acceperit, non quæri debere, quem in vsum pecunia versa sit, sed actionẽ quod iussu etiam mortuo filio contra patrem esse perpetuam, quia scilicet in ea non spectatur status peculij: quod similiter obtinet in actione de in rem verso. *l. 1. §. fin. ff. qu. de pecul. act. ann. est.* Sed non inde sequitur ipsum filium, si viuat, suo nomine non posse conueniri: nam etiam creditor eum habebit obligatum, adeo vt etiam si minor sit eo nomine petere non possit in integrum restitutionem, vt supra definitum ad l. 1. qu. & adu. quos.

Quibus modis peculium censeatur extinctum.

Ex mutuo contracto cõtra S. C. ne quidem pater de peculio tenetur.

Vbi filius contraxit iussu patris tenetur pater indistincte.

IMP. ALEXANDER A. ALEXANDRÆ.

Lex 4. C. ad S.C. Velleianum.

SENATVSCONSVLTVM *locum habet, siue eam obligationem, quæ in alterius persona constitit, mulier in se transtulit, vel participauit: Siue cum alius pecuniam acciperet, ipsa se ab initio ream constituit. Quod in rerum earum pro aliis obligationibus admissum est. Sed si prædia tua annis maior viginti quinque vendidisti, & pro marito pecuniam*

ſoluiſti: Deficit auxilium ſenatuſconſulti. PP. VI. Kal. Ianuar. Maximo II. & Æliano Coſſ.

PLures eſſe módos interceſſionis, quibus mulier ſe pro alio obliget, docuimus in notis ad parat. ffrum Cuiacij hoc tit. nimirum mandatum, fideiuſſionem, conſtitutum, pignoris dationem, defenſionem alicuius in iudicio, expromiſſionem. His omnibus vel accedit alienæ obligationi, id eſt vt ait Imp. hoc loco, participat alienam obligationem, vel ream ſe pro aliquo conſtituit, ita vt in ea ius obligationis tantum hæreat. Particeps eſt alienæ obligationis, ſi pro aliquo fideiubeat, vel conſtituat ſe ſoluturam, ſi res ſuas pignori obliget, ſi mandet alicui pecuniam credi, ſi aliquem in iudicio defendat. Ream ſe pro aliquo conſtituit, cum veterem alicuius obligationem in ſe transfert, eo liberato pro quo intercedit: Vel cum ab initio pro eo, qui pecuniam ſuo nomine accepturus eſſet, ſe debitricem conſtituit: Vel cum colore quæſito ipſa ſuo nomine pecuniam accipit, quam ſtatim ſciente creditore alij eſt datura, cuius fidem creditor ſequi noluerit. Vtrolibet modorum iſtorum mulier interceſſerit, Imp. Alexāder docet S. C. tum locum habere, vt ei ſuccurratur vel per exceptionem, ſi conueniatur, vel per indebiti condictionem ſi ſoluerit ex interceſſione. *l.* 40. *qui exceptionem. ff. de cond. indeb.* Neque his obeſt, quod idem Imp. in fine adijcit mulierem, quæ maior 25. annis prædia ſua vendidit, & pro marito ſoluit, beneficium Velleiani non habere: Nam hoc verum eſt, ſi à principio non fuerit obligata: Cæterum ſi interceſſerit & poſt ſoluerit ignorans habere ſe auxilium S. C. ti, repetit. *l.* 1. *l.* 9. *quamuis hoc tit.* Et hoc veluti referti poteſt inter *παραδόξους ὑποθέσεις*, vt mulier obligata quod pro aliquo ſoluit repetat: Quod vero ſoluit antea non obligata non repetat. Ratio differentiæ eſt, quod facilius ſe obligant mulieres, quam pro aliquo ſoluunt, ideoque ei quæ ſe obligauit & ſoluit ſuccurritur, quia ſolutio facta eſt in vim obligationis, quæ ex S. C. nulla eſt: At quæ ſoluit non obligata videtur hoc feciſſe animo donandi quod poteſt. *l.* 4. *§. fin. ff. hoc tit.* Hoc igitur exigit S. C. vt ſe non obliget, & vt obliganti ſe ſubueniatur: Cum autem pecuniam ſuam pro aliquo numerat, aut aliam rem in ſolutum dat, vel debitorem ſuum delegat, rem quidem ſuam amittit, non tamen ſe obligat, & ideo non eſt locus S. C. to. *l.* 5. *nec intereſt ff. hoc tit.* Obſtat tamen l. fin. §. Item ſi mulier. ff. hoc tit. Sed ibi mulier nec creditori viri, nec etiam alieno rem ſuam dedit in ſolutum, nec rei ſuæ pretium quoque, ſed cum ipſo obligationem quoque empti venditi contraxit, vt pecuniam pretij nomine debitam viro vel extraneo debitori referret acceptam, quod differt à datio-

Modi interceſſionis.

Quibus caſibus mulier particeps alienam obligationem.

Quo modo ſe ream conſtituit.

Mulieri ſoluenti pro alio non ſuccurritur ſi antea non fuerit obligata.

Obijcitur l. fin. parag. Item ſi. ff. ad Velleianum.

ne in solutum. Quamquam potest etiam illud dici, fraudem ab ipso creditore quæsitam, qui emit aut personam interposuit, quæ emeret: Secus cum mulier sponte soluit, aut rem suam in solutum dedit citra insidias aut dolum creditoris, eius-ve cui donare voluit.

Mulier non iuuatur S.C. Velleiano si nomen vel hæreditatem quæ soluendo non est emerit.

Ex superiori definitionè illud sequitur, vt si alicuius nomen emerit, vel hæreditatem ex quo damnum sentiat, quod debitor sibi ex cessione delegatus non sit idoneus, vel hæreditas sit non soluendo, tamen non habeat S.C.ti auxilium, quia non vt se obligaret, sed vt negotium suum & rem gereret, eiusmodi obligationem suscepit. *l.1.C.de obl.& act.l.13.vers.aut si.l.19.tutor.§.deinde.ff.hoc tit.* cui & illud est consequens, vt si pro eo se obligauerit cui quid ipsa debet, aut qui damnatus possit aduersus eam regredi non adiuuetur, quasi nec intercesserit. *l.2.hoc tit.l.3.C.24.debitrix.ff.eod.* & multominus si pecuniam acceperit alicui soluendam, idque repromiserit: Nam & tunc mandati actione obligata in rem suam videtur fideiubere. *l.15. l.21. ff.eod.* quod fit etiam in l.13. aliquando. eod. cum ancilla ob pactionem libertatis ex promissore dato post manumissionem eam ipsam obligationem in se transferri passa sit, vel pro fideiussore suo fideiusserit. Nec huic distinctioni refragatur lex 17. vir vxori. §. fin. ff. eod. nam ibi non in rem suam tantum mulier intercessit, sed in communem: Ideoque pro parte socij exceptionem habet Velleiani; qua in re tamen rectissimè ait Iurisconsultus esse distinguendum, vt si mulier & socius eius ob eam causam mutuati fuerint & correos se cōnstituerint, ex ea causa, ex qua nullâ pecuniâ acceptâ & obligatione contracta maius damnum mulier passura erat, quod forte insula communis ruisset, vel fundus communis tributo aut censu non exsoluto in publicum committeretur: Tunc mulier intercessisse non censeatur: Sin causa necessaria non fuisset, & inde nullum damnum rerum suarum esset sensura: Tum pro parte socij videatur intercessisse, & pro ea parte etiam exceptionem S.C.ti habeat. Sed præterquam illis casibus, etiam si re vera fideiusserit aut intercesserit, tamen conueniri vtiliter potest, si videlicet cauerit se exceptione non vsuram. *l.fin.§.pen.ff.hoc tit.* quod fit maximè cum permitti sibi petit tutelam filiorum suorum. *l.fin. C.qu. mul. tut.off.fungi possit & N.94.& 118.* Idem erit si pro patre, ne iudicatus vexaretur, fidem suam interposuerit. *l.21.§.1.ff.hoc tit.* vix enim est, vt oneratam eiusmodi intercessione se dicat, & propitiis auribus eam iudex audiat ad apices iuris illo casu recurrentem: quod si minus rationabilis causa intercesserit, etiam pro patre obligata habebit exceptionem. *l.8.hoc tit.* sic enim possunt hæc duo legum capita componi, vt d.l.21.§.1. intra speciem suam, aut aliam similem consistat, cum causa pietatis vrget, & vexandus pater ab iniuria filiç intercessione liberatur. Non minor æquitas eam ab exceptione S.C. remouebit,

Cum mulier se obligat pro creditore suo vel in rem suam non habet exceptionem Velleiani.

Filia obligata pro patre non habet Velleianum.

Diluitur contrarium argumentum.

remouebit, si proponatur apud minorem intercessisse & creditor pro quo se obligauerat soluendo non sit. *l.12. si apud. ff. de minor.* aut etiam dotis causa pro filia sua vel qualibet alia muliere se obligauerit. *l.12. si dotare l. fin. hoc tit.* nam etiam ex hac causa solutum indebitum non repetit. *l.32. cum is. §. pen. ff. de quid. indeb.* Idem dicendum si intercesserit, vt seruo alieno daretur libertas. *l. pen. hoc tit.* cum enim vel maximè libertas restitutionem non capiat, & semel data non possit reuocari: iniquum esset eum qui manumisit serui dispendium pati, & pecuniæ promissæ petitionem propter S.C. tum non habere. Accedit, & ille casus si mercedem fideiussionis acceperit mulier: nam præterquam videtur suum potius quam alienum negotium gessisse, etiam sciens propter spem lucri videtur senatusconsulti auxilium neglexisse. *l. antiqua eod. tit.* cui speciei subiungenda est & alia, si intercessionem semel factam mulier post biennium rursus confirmauerit. *l.22. si mulier eod. tit.* tum enim non leuitate sed consulto animi iudicio obligasse se creditur, nisi id fiat mariti gratiâ, quo enim facilius pro eo intercedit, vel obligationem pro eo factam confirmat, eo magis ipsi subueniendum. N.134. §. *& illud. Vnde sumpta est auth. si qua mulier hoc tit.* Iure nostro propter lites plurimas, quę occasione S.C.ti istius ferebantur: cœpit illud ex constitutione Henrici quarti Regis nostri obtinere, vt omnino abrogaretur, & renuntiationes quæ solebant fieri à mulieribus quoties pro marito vel aliis intercederent, & non factæ culpa notariorum litibus plurimis occasionem præbebant, sunt abolitæ: & iam perinde mulier pro marito vel alio intercedens tenetur, ac si expressim beneficio S.C. non vsuram se cauisset: modo scilicet quæ nupta est consensu viri intercedente se obliget: nulla enim iure francico obligatio nuptæ mulieris esse censetur, quam mariti autoritas non approbauit.

Plures casus proponuntur quibus cessat Velleianum.

Iure francico ablatum est mulieribus S.C. Velleiani auxilium.

IDEM A. POPILIÆ.

SI sine voluntate tua res à marito tuo pignori datæ sunt: Non tenentur. Quod si consensisti obligationi, sciente creditrice: Auxilio S.C.ti vti potes. Quod si patientiam præstitisti, vt quasi suas res maritus obligaret, decipere voluisti mutuam pecuniam dantem: Et ideo tibi non succurretur senatusconsulto, quo infirmitati non calliditati mulie-

Lex 5. eod. tit.

rum consultum est D. XV. Kal. Iul. Iuliano I I. & Crispino Coss.

Locus est S.C. Velleiano quando mulier pro aliis obligat res suas.

CErtum est mulierem intercedere cum res suas obligat: nam & ad id etiam pertinent verba illa, quæ sunt in superiori rescripto, *quod in rerum, &c.* quorũ satis est obscura σύνταξις, & id omnino efficiunt: idem obtinere in rerum suarum obligatione, quas pro aliis hypothecæ subiiciunt, quod admittitur cum se ipsas obligant fideiubendo, mandando, expromittendo, vel quolibet alio modo interueniendo. Ratio eius constituti est, quia cuius res sunt obligatæ, ipse etiam quodammodo tenetur. Res nostræ aliquam veluti nostri partem constituunt, quia per eas vitam tuemur: vnde & illud Aristotelis, lib. 4. Eth. cap. 1. quod fere sermo vulgaris vsurpat. Ἀπώλειά τις αὐτοῦ εἶναι καὶ ἡ τῆς οὐσίας φθορά, ὡς τοῦ ζῆν διὰ τούτων ὄντος. Igitur ex S.C. Velleiano, non tantum habet exceptionem ex intercessione sua, sed etiam pignus rei suæ à se pro alio constitutum potest ipsa vindicare, aut aduersus agentem creditorem actione hypothecaria eiusdem S.C. ope repellere. Hoc ita verum, si sciat creditor: nam si dum res ad vxorem pertinentes maritus pignori dat vt suas, id ipsa patitur nulla voluntatis contrariæ interposita contestatione, nec vllum dominij ius in eis rebus sibi asseruit, non tam ipsa fraudem patitur quam facit: Quemadmodum si mulier pecuniam acceperit in res suas, deinde eandem alteri dederit non poterit creditori ignoranti opponere exceptionem Velleiani. *l. 4. & l. 17. vir vxori. ff. hoc tit.* Non idem constituemus, si pignus quod ipsa habebat in rebus alienis remiserit: Nec enim illo casu obligatur, nec res ipsius, ac per hoc sine præiudicio S.C.ti remissio erit vtilis l. 8. quamuis. ff. hoc tit. l. etiam. l. iubemus. hoc tit.

Quæ pecuniam accepit alij creditura ignorante creditore non habet Velleianum.

Remissio pignoris à muliere facta non inducit Velleianum.

IDEM A. TORQVATO.

Lex 6. eod. tit.

SI *mater cum filiorum suorum patrimonium gereret, tutoribus eorum securitatem promiserit, & fideiussorem præstiterit, vel pignora dederit: Quoniam quodammodo negotium suum gessisse videtur: Senatusconsulti auxilio neque ipsa neque fideiussor ab ea præstitus, neque res eius pignoratæ adiuuantur. Sin autem tutore se excusare volente, ipsa se*

interposuit indemnitatem ei repromittens: Auxilio senatusconsulti vti minime prohibetur. Si verò tutores petijt & sponte periculum suscepit: Quo minus teneatur, autoritas iuris eam tuetur. PP. VI. Id. Octobr. Modesto & Probo Coss.

TRes sunt species eius legis. In prima locum non habet senatusconsultum. In posterioribus eius auxilio mulier nititur. Prior species hæc est. Cum pupilli duo tres-ve haberent tutores testamentarios, legitimos, aut honorarios, id est à magistratibus datos: Nihil enim interest: Mater eorum desiderauit sibi permitti administrationem patrimonij ad filios pertinentis, idque vt fieret sine vllo ipsorum tutorum incommodo & dispendio, securitatem eis repromisit, imo etiam quo magis sibi fides haberetur à tutoribus, qui verebantur ne si malè res ab ea administratæ essent tutelæ nomine à pupillis conuenirentur, fideiussores ipsa mater præstitit, & res suas quasdam obligauit. Postmodum cum eius negligentia quædam forte perijssent, ac propterea eo nomine tutores ipsi à pupillo conuenti iudicio tutelæ aliquid soluere coacti essent: Contra mulierem actionem instituerunt, & desiderauerunt vt ipsa indemnitatem eis quam promiserat præstaret. Egêre etiam contra fideiussores à muliere datos, & pignora, quæ dederat ipsi actione hypothecaria persequebantur. Mulier allegauit senatusconsulti priuilegium: Allegauêre etiam ipsi fideiussores: Nam eadem exceptio, quæ mulieri intercedenti accommodatur, fideiussoribus quoque eius competit. *l. 2. ff. quæ res pign. obl. non pos.* idque siue sciuerint mulierem intercessisse, siue ignorauerint, & intercesserit tamen. *l. 19. §. cum haberes. vers. vt quemadmodum. ff. hoc tit.* Quærebatur itaque, num in eius facti specie autoritas S.C.ti personam mulieris ab obligatione subduceret, & fideiussoribus eius etiam prodesset. Rescribit Imp. neque ipsam, neque fideiussores ab ea datos, aut etiam res ab eadem obligatas liberari, & omnino locum non esse S.C.to. Mouebat quod videretur pro ipsis tutoribus fideiussisse. Ratio rescribendi est, quod in ea specie nulla commodè fingi possit intercessio, cum non sit pro quo & apud quem ipsa mulier mater pupillorum fideiusserit: Nam prope est vt magis principaliter cum ipsis tutoribus contraxisse videatur, quam pro his fideiussisse, aut obligationem eorum in se transtulisse. Igitur sibi ipsi fecisse hanc obligationem censetur, vt in specie non absimili respondit Papinianus referente Vlpiano in l. 8. §. 1. ff. eod. Idque eò vel maximè, quod ipsa res pupillorum administrasse proponatur, vt eo no-

Tres sunt species legis propositæ. Prima species.

mine sepositâ causâ conuentionis potuerit in eam actio dari negotiorum gestorum. *l. 2. C. si ma. indemn. prom.* Secunda species hæc est. Cum tutores pupillo dati in ea causa essent, vt se excusare vellent à tutela: Mater pupilli seipsam interposuit, & quo magis ad tutelam accederent, ne-ve eo priuilegio, quod forte habebant niterentur, indemnitatem eis repromisit; vel etiam, vt tertia species secundæ coniungatur, cum ipsa forte tutores filiis petiisset (vt tenetur ex S.C.to Tertylliano, ne aliquando morientibus liberis impuberibus ab eorum successione excludatur) sponte periculum tutelæ recepit. Quærebatur in vtraque specie, an matrem pupilli tueretur iuris & S.C.ti æquitas. Rescribit Imp. eam S.C.ti auxilio tutam esse. Ratio dubitandi potest sumi ex superiori specie, in qua admissum, matri quæ filiorum tutoribus indemnitatem repromisit non succurri. Ratio decidendi simul & distinguendi est, quod in prima specie huius legis mater pupillorum ipsa patrimonium suscepit & administrauit: Ideoque eo nomine se tutoribus obligando magis principaliter negotium gessisse censetur vt dictum est, quam vel alienæ obligationi accessisse, vel alterius obligationem in se transtulisse: At in duabus illis speciebus nihil ipsa suo nomine contraxit, sed in prima specie pro pupillo se tutoribus obligauit, dum suscipit periculum contrariæ actionis, quam ipsi habent contra pupillum: in secunda pro tutore se obligat, dum succidaneam periculi se præbet, si conueniantur à pupillo. Igitur vtroque casu intercessio est. Huic nouissimæ huius legis parti obstat lex 19. tutor. in pr. & in §. nec dissimilem. ff. hoc tit. vbi si mater persuaserit hæredi tutoris, vt suo periculo adiret hæreditatem, quam suspectam habebat, & ei illo nomine indẽnitatem repromiserit, ab hærede conuenta exceptionem S.C.ti non habet, vt nec eidem succurri Iurisc͠osultus ait, si mandatu matris tutor pupilli legitimus idemque frater & cohæres abstento pupillo paternæ hæreditati solus se miscuerit, & eo nomine damnum passus contra matrem pupilli agat. Respondendum est in d. l. 19. non pro pupillo se matrem obligasse apud ipsum tutorem in vtraque specie, quæ ibi proponitur: Sed generaliter periculum in se transcripsisse aditæ hæreditatis, nullâ demonstratâ personâ, cuius contemplatione se obligaret, aut participando aut in se transferendo obligationem alienam, qua ratione fit vt non sit locus S.C. quæ ratio cessat in 2. & 3. specie hoc loco proposita, vbi apparet expressim matrem pupilli pro ipso pupillo apud tutorem & pro tutore apud pupillum intercessisse, quod idem constituendum in l. 1. inf. si ma. indemn. prom. quæ est etiam Imp. Alexandri, & ad causam quæstionis hoc loco propositæ pertinet; in qua si mater petierit tutores liberis suis dari periculo suo à magistratu, non tenetur ipsa, quia palam intercessit, & actionis subsidiariæ,

Secunda & tertia species proponuntur.

Obijcitur l. 19. ff. eod.

Solutio.

quæ contra magistratum dari potuit periculum in se transtulit.

IMP. ALEXANDER A. HAVSTIANO.

ADVERSVS *petitiones aduersarij si quid iuris habes: vti eo potes. Ignorare autem non debes non numeratæ pecuniæ exceptionem ibi locum habere, vbi quasi credita pecunia petitur. Cum autem ex præcedente causa debiti in chirographum quantitas redigitur: non requiritur, an tunc, cum cauebatur numerata sit: sed an iusta causa debiti præcesserit.* Lex 5. C. de non numerata pecunia

Idem A. Iustino.

F*Rustra opinaris, exceptione non numeratæ pecuniæ te esse munitum: quando (vt fateris) in eius vicem, qui erat obligatus, substitueris te debitorem.* L. 6. C. eod.

Idem A. Iuliano & Ammiano.

SI *quasi accepturi mutuam pecuniam aduersario cauistis, quæ numerata non est: per condictionem obligationem repetere, & si non petat: vel exceptione non numeratæ pecuniæ aduersus agentem vti potestis.* L. 7. C. eod.

Idem A. Materno.

SI *intra legibus definitum tempus, qui cautionem exposuit nulla querimonia vsus, defunctus est: residuum tempus eius hæres habebit, tam aduersus creditorem, quam aduersus eius hæredem. Sin autem questus est: exceptionem* L. 8. C. eod.

non numeratæ pecuniæ hæredi & aduersus hæredem eius perpetuo competit. Sin vero legitimum tempus excessit, in querimoniam creditore minime deducto: omnimodo hæres eius, etiamsi pupillus sit, debitum soluere compellitur.

ELeganter illud D. Gregorius Nazianzenus in carmine περὶ πολυόρκους

Χειρόγραφον δὲ τῶν δεσμῶν δεσμεῖ πλέον.

Qui enim syngraphum emisit, hic quasi manum defixit apud proximum suum, vt de fideiussore rectè ait Salomon. Sed si tamen de mutua pecunia agatur, nullum chirographi erit vinculum, si is qui illud emisit queratur sibi quam sperabat numeratam pecuniam non esse, adeo vt nec pignus sit obligatum ex ea causa, vt ipse Imp. Alexander definit in l. 2. inf. si pignoris conuentionem pecuniæ numeratio secuta non sit. Duobus autem modis sibi consulere potest is qui dedit syngrapham: nam siue conueniatur habet exceptionem non numeratæ pecuniæ, siue non conueniatur vltro potest chirographum condicere, vt docet Imp. Alexander in l. 7. hoc tit. quod accipiendum de condictione sine causa, vt cautio reddatur, idque docet l. fin. C. de cond. ex lege & sine cau. quæ omnino de ea condictione intelligenda est vt tit. ipse ostendit. Concurrere etiam potest condictio ob causam, quia propter causam numerationis cautio emissa est, quæ postea non est secuta. Frequentius est, vt quæstio siue querela aut querimonia non numeratæ pecuniæ dicatur. *l. 5. C. si cert. pet. l. 8. l. 14. in contractibus in pr. Cod. hoc tit.* Non est autem hæc querela siue condictio perpetua, vt nec exceptio: nam nisi intra præfinitum tempus is qui cautionem emisit aut hæres eius egerit, aut aduersario agente exceptionem opposuerit, vtraque cessat hac l. 8. Tempus illud fuit quinquennij olim nunc biennij. *tit. de litt. obl. apud Iustin. & l. 14. hoc tit.* Imo si contra chirographum solutionis opponatur intra mensem ipsa apocha repeti debet. *d. l. 14. §. super.* Alleuandi scilicet fuerant creditores, vt hoc spatio concluderetur eiusmodi querela siue exceptio, quia satis premuntur, quod in eiusmodi condictione vel exceptione is qui chirographum repetit vel exceptionem allegat non teneatur probare sibi non esse pecuniam numeratam, sed ipse creditor vltra quam chirographo nititur teneatur docere se pecuniam numerasse. *l. 1. C. de probat. l. 3. & 10. hoc tit.* nec obstat lex 1. C. si pign. conu. pec. num. sec. non sit: nam quod probare debitorem ait, id ad pignoris dationem, non ad pecuniæ numerationem est referendum. Cur vero qui agit querela, vel qui exceptione non numeratæ pecuniæ se defen-

Quibus modis sibi consulat qui cautionem dedit nec pecuniam accepit.

Querela vel exceptio non numeratæ pecuniæ non est perpetua.

Cur qui allegat nō esse numeratam pecuniam

dit probare necesse non habeat quod intendit, ratio illa est, quod allegatio vel exceptio non numeratæ pecuniæ meram & simplicem negationem contineat, quæ nihil asserit quod probari queat: factū autem negantis per rerum naturam nulla probatio est. *l.23. actor. C. de probat.* Hinc Cicero in partit. orat. *nemo eius quod negat factum rationem aut potest aut debet aut solet reddere.* Cæteræ autem exceptiones asserunt aliquid factum: veluti exceptio rei iudicatæ asserit sententiam intercessisse, exceptio pacti conuenti debitum esse remissum: ideoque id probari debet. Quia vero fauore creditorum hæc querela vel exceptio biennio concluditur, ideo biennio transacto ne quidem creditori, qui scripta cautione nititur, potest iusiurandum deferri à debitore. *d.l.4. §.illo.* quod forte iure nostro aliter esset constituendum: vt enim non facilè eiusmodi querelam admittimus: ita si reus desideraret ab actore iusiurandum, quo se numerasse diceret, vix est vt non eiusmodi desiderium admitti debeat. Igitur post biennium datur condictio ex lege, siue quasi ex mutuo in scripturā redacto. Vbi vero intra præstitutum tempus rei habita contestatio est, id est vbi questus est intra biennium, vel intra mensem, is qui chirographum vel apocham dedit: Iam exceptio perpetua est. *l.8.* Contestatio fit, si vel intra biennium agenti creditori opposita fuerit exceptio, vel vltro ei cui datum fuerit chirographum præsenti denuntiatio facta sit, aut illo absente apud iudicem ordinarium vel episcopum eo nomine querela actis inreuenientibus sit proposita, pro-vt definitur. *d.l.14.§.in omni.* Arbitratur Cuiac. in recit. ad hunc tit. querelam non numeratæ pecuniæ esse perpetuam, si in se probandi onus recipiat is qui eam allegat, quod nequaquam dicendum est, quandoquidem ita verum est post biennium non posse proponi, vt ne quidem ei qui conuenitur ex eiusmodi cautione liceat post id tempus iusiurandum deferre vt dictum est. Proponit autem Imp. Alexander duos casus quibus exceptio non numeratæ pecuniæ creditori agenti non obest. Primus est in l.5. si ex præcedente causa quantitas debita in chirographum sit redacta, veluti si cum forte centum ex venditione equi deberentur, ea de re cautionem emiserit emptor: eiusmodi casu frustra debitor diceret sibi non esse numeratam pecuniam, nisi ipse dilucidis argumentis doceat causam debiti iustam non præcessisse. *l.13.generaliter hoc tit.* Secundus casus, quo debitor nec querelam non numeratæ pecuniæ habet nec exceptionem, exponitur in l.6. cū quis pro alio se substituerit debitorem, aut etiam quocumque modo intercessit. *l.5. si non singuli. C. si cert. pet.* namque sufficit vni ex correis vel debitori datam & numeratam esse pecuniam, vt correus vel fideiussor teneatur. *l.4. C. de duob. reis.* Alioqui si nec debitori principali sit numerata, eandem exceptionem habet mandator

Probationis onus in exceptione non numeratæ pecuniæ (?): prelationis munere non fungatur.

Post contestationem exceptio est perpetua.

Casus proponuntur in quibus exceptio locum non habet.

Exceptio non numerata pecunia datur fideiussoribus.

vel fideiussor, quam haberet debitor. *l.12. tam mandatori hoc tit.* Illa enim exceptio in rem est non in personam: Ideoque etiam fideiussori accommodatur. Imo etiam is qui ex iusta causa habet aliquem obligatum eius nomine eo inuito & reclamante potest eandem deferre. *l.pen.hoc tit.* ne videatur fraudandorum creditorum causa à debitore omissa. Superioribus casibus accedunt & illi, si fidem cautionis agnoscens debitor debiti portionem exoluerit. *l.4. hoc tit.* Sunt & alij plures qui proponuntur in l.14. §. eod. de quibus etiam Cuiac. in recit. Notandum vero pecuniæ nomen in hoc tit. accipi generaliter pro corpore quolibet, vt in l.178. pecuniæ. ff. de verb. signif. nam non modo de pecunia, quam quis chirographo sibi numeratam esse professus est, sed & de aliis quibuslibet rebus, quas sibi datas propria cautione confessus est, hæc querela aut exceptio datur. *l.14.§. in omni. hoc tit.* Alias pecuniæ nomen strictè ad ea tantum pertinet, quæ mutuo dari solent, id est quæ pondere, numero, vel mensura consistunt, vt in actione de pecunia constituta olim, antequam in eam actio de pecunia receptitia trāsfunderetur. *l.2.§.1. Cod. de constit. pecun.* Strictius etiam pro nummis & moneta argentea vel aurea, vt in tit. C. de prohib. seq. pecun.

Pecunia nomen triplici modo sumitur.

IMP. ALEXANDER A. CAPITONI.

Lex 3. C. de compensationibus.

IN ea, quæ reipub. te debere fateris, compensari ea, quæ inuicem ab eadem tibi debentur, is cuius de ea re notio est iubebit: si neque ex calendario, neque ex vectigalibus, neque ex frumenti vel olei publici pecunia, neque tributorum, neque alimentorum, neque eius qui statutis sumptibus seruit, neque fideicommissi, ciuitatis debitor sis.

Inducendæ compensationis ratio.

COmpensatio manifesta æquitate nititur, quandoquidem interest nostra potius non soluere, quam solutum repetere. *l.3. ff. hoc tit.* & illa ratione non minus in causis publicis habet locum, quam in priuatis. Et hanc quoque fiscus patitur, si modò ex eadem statione debitori suo sit obnoxius, ex qua ipsum debitorem habet obligatum. *l.1. hoc tit.* Eadem est causa reipub. cui debitum petenti eius quod inuicem ipsa debet opponi compensatio potest, vt docet Imp. hac lege. Rempub. hoc loco intelligimus etiam ciuitatem quamlibet, licet eo nomine soleat respub. romana significari,

Reipubl. potest opponi compensatio.

Respublica qua dicatur.

vt ea propriè publica dicuntur, quæ populi Romani sunt. *l.15. bona cum l.seq. ff. de verb.signif.* qua de re Fornerius lib.2. select. cap.22. Excipit vero Imp. casus quosdam in quibus reipub. per actores suos agenti non potest debitor idemque ex alia causa creditor compensatione opposita intentionem ipsius reipub. repellere. Primus est si ex calendario conueniatur, quæ causa vix dilationem patitur, quia vt docet Cuiac. in recit. ad hunc tit. vt plurimum pecunia illa operibus publicis faciendis assignabatur, quæ propterea repræsentari statim debebat. Secundus est, si causa vectigalium ageretur, quæ non modo fisco debentur interdum, sed etiam ciuitatibus ad reficiendos muros vel ipsam ciuitatem tuendam. cuiusmodi vectigalia etiam princeps solet indulgere ciuitatibus apud nos: quamquam vectigalium appellatione possunt venire non tantum intributiones, quæ pro mercibus venalibus dum auehuntur vel auehuntur exigi solent, sed etiam pensationes, quæ solent exigi ex fundis quos respubl. dat in emphytheusim, qui etiam ob hoc fundi vectigales dicuntur. *l.1. in pr. ff. si ager vectig. vel emphyt. pet. l. lex vectigali. ff. de pign.* Vtrum eorum dicatur, docet Imp. compensationem eo nomine non admitti ab eo, qui eiusmodi vectigalia inferre necesse habet. Tertius casus, qui compẽsationem non admittit, est si quis conueniatur à ciuitate eius pecuniæ nomine, quam quis accepit frumẽti publici vel olei emendi gratia: is enim si quid sibi respub. debeat, ne quicquam eo obtentu solutionem detrectare poterit. Hic vero locus pertinet ad antiquam rationem, ex qua in ciuitatibus seruabantur species vini, frumenti, olei, & alia id genus, quæ postea vsui forent sicubi aliqua necessitas arctioris annonæ occurreret, aut vt exercitui paratum esset subsidium, quod supra annotatum est in axiomatibus polit. cap.7. Quod in tributorum causa compẽsationem non admitti tradit Imp. id vix est vt ad rempubl. pertineat: nisi dicamus vt dictum de vectigalibus, alia tributa inferri fisco alia ciuitati, quod probare videtur Cuiac. in recit. hoc tit. Adijcit etiam Imp. in causa alimentorum aduersus rempub. non induci compensationem, si ex aliqua causa pecuniam ipsa debeat. Hoc eò pertinet cum quis vel ad alimenta infirmæ ætatis puta senioribus, pueris, puellisque tenuioris fortunæ reditum quemdam annuum certæ summæ ab hæredibus suis dari voluit, aut etiam in eruditionem puerorum. *l.117. si quid. l.122. in ciuitatibus. ff. de leg.1.* Superioribus casibus accedunt & illi duo: si quis reipub. siue ciuitatis debitor sit ex causa fideicommissi, vel eidem pecuniam debeat, quæ solet impendi ad vias publicas reficiendas, nam nec illis casibus compensatio probè desiderabitur. Ex aliis causis si quid reipub. debeatur, & ipsa inuicem debeat, ius mutuæ reputationis inducetur.

Casus in quibus reipub. non opponitur cõpensatio.

Primus ex causa calendarij.

2. in causa vectigalium.

Vectigalium appellatio duplex.

3. Casus in pecunia qua resp. debetur frumenti vel olei emendi causa.

4. in causa tributorum.

5. in causa alimentorum.

6. & 7. si quis debeat ex causa fideicommissi vel ad publicas vias reficiendas.

IDEM A. LVCIANO.

L.4.cod.

SI *constat pecuniam inuicem deberi: ipso iure pro soluto compensationem haberi oportet ex eo tempore, ex quo ab vtraque parte debetur, vtique quo ad concurrentes quantitates: eiusque solius, quod amplius apud alterum est, vsuræ debentur: si modo petitio earum subsistit.*

Idem A. Honoratæ.

L.5.cod.

E*Tiamsi fideicommissum tibi ex eius bonis deberi constat, cui debuisse te minorem quantitatem dicis: æquitas compensationis vsurarum excludit computationem. Petitio autem eius, quod amplius tibi deberi probaueris, sola relinquitur.*

Sententia vtriusque legis.

VTriusque rescripti sententia est inter duos, qui debent sibi inuicem summas pares vel dispares, admitti non modo debitæ sortis sed etiam vsurarum compẽsationem. Species hæc ad vtramque legem potest accommodari.

Species.

Mæuius Titio centum debebat ex causa mutui, cui fuerat applicita vsurarum stipulatio. Idem Titius postmodum ex fideicõmisso cœpit esse debitor eiusdem Mæuij in quinquaginta, vel Sempronio successit, qui totidem Mæuio debebat ex qualibet causa: cum desideraret Mæuius concurrentis quantitatis compensationem admitti, & peteret vt onere vsurarũ ratione eiusdem quanritatis esset immunis ab eo die, quo Titius eidem cœpisset debere quinquaginta, de re quasi dubia consultus est Imp. qui rescripsit, Titium eius tantum pecuniæ petitionem habere, quæ superest, id est quinquaginta: & præterea eius tantum summæ vsuras à Mæuio deberi. Ratio dubitandi hæc occurrebat, quod par quantitas hinc inde non deberetur: Deinde quod Mæuij debitum esset vsurarium ex lege contractus; Titius autem deberet tantum quinquaginta sine vsurarum accessione, quæ nonnisi ex mora debẽtur in fideicommissis, aut etiam in bonæ fidei iudiciis. Moram autem Titium fecisse non proponebatur. Ratio decidẽdi est, quod

ipſo iure propter compenſationis æquitatem videatur ſolutum, quod inuicem debebatur: Ideoque reſiduæ tantum quantitatis, quæ in alterutrius obligatione puta Mæuij remanſit, vſuræ currunt, ſi modo earum petitio ſubſiſtit, vt inquit Imp. id eſt ſi debeantur ex mora vel ex conuentione, vt propoſitum eſt: alioquin ſi ex cauſa antecedente non deberentur, nec tunc omnino præſtabuntur: quamquam debitum vſurarium poteſt compenſari cum mutuo gratuito, & qui vſuras debet deſinit eas debere, ſi factus ſit creditor aduerſarij ex cauſa, quæ vſuras non parit: & ſi creditum hinc inde ſit vſurarium, diuerſæ tamen ſint vſuræ, quæ debeantur, compenſatio nihilominus admittetur circa quantitatem concurrentem. *l. 11. cum alter cum l. ſeq. ff. hoc tit.* Igitur ex hac lege 4. ſatis apparet etiam ipſo iure ante Iuſtinianum in omnibus iudiciis tam ſtrictis quam bonæ fidei generaliter admiſſam fuiſſe compenſationem, quod pluribus docet Cuiacius lib. 8. obſ. cap. 16. Quinimo ex Pariſienſis ſenatus decreto: cum is, cui reditus annuorum centum aureorum pro mille & ducentorum aureorum ſorte debebatur, ex mandato debitoris ſui à colono eius mille aureos accepiſſet, vt ex his trecenti aurei alicui extraneo darentur, reſiduos ſeptingentos retineret: Iudicatum eſt centum aureis antea deductis, qui tum poterant deberi propter annuum reditum reliquos ſexcentos in ſortem computari oportere, atque ea ratione pro parte media reditum annuum, qui tum in mille & ducentos centum aureos reddebat, extinctum eſſe, quamuis allegaretur eos qui ſexcentos habebat eo animo fuiſſe, vt eos quaſi depoſitos debitori ſuo redderet, & præterea diceretur non poſſe compenſationem admitti ſummarum, quæ hinc inde exigi non potuiſſent: cum certum ſit ab eo qui reditus annui debitor erat ſortem exigi non potuiſſe, & liberum tamen fuiſſe mandatori ſexcentos aureos à procuratore ſuo eodemque reditus creditore repetere. Mouebat etiam illud magis, quod conueniſſet, non poſſe niſi vna exolutione redimi reditum illum annuum, & ſepoſita lege conuentionis incongruens videretur, admitti ſolutionem particularem quæ ſemper non minima habet incommoda. *l. 3. ff. famil. hercisc.* Sed aduerſus illas omnes ſtricti iuris rationes, iniquum ſenatui viſum eſt creditorem longo tempore ſummam illam ſexcentorum aureorum retinere debitori ſuo otioſam, cum forte illam in res ſuas impendiſſet, & præter hæc mille & ducentorum aureorum integros reditus ab eodem debitore ſuo exigere. Hoc ſenatuſconſultum, ſi forte & illud quis requirat, latũ eſt anno 1607. 5. Decemb. ius dicente Dn. Chriſtophoro Thuano meritiſſimo præſide: cauſam etiam agentibus inſignis doctrinæ patronis Mauguino & Monſigoto.

Fit compenſatio mutui vſurarij cum gratuito.

Senatuſconſultũ ad cauſam compenſationis pertinens.

IDEM A. POLLIDENTI.

Lex 6. eod.

NEQVE *scriptura, qua cautum est accepta, qua negas tradita obligare te contra fidem veritatis potuit, & contra pensationis æquitatem iure postulas. Non enim prius exolui, quod debere te constiterit, æquum est, quam petitioni mutuæ responsum fuerit: eo magis, quod ea te persequi dicis, quæ à muliere diuortij causa amota quereris. PP. Dat. Kal. Decemb. Alexandro A. III. & Dione Coss.*

HVius legis eadem sententia est quæ legis primæ inf. rer. amot. Imo eadem fere vtriusque sunt verba, vt appareat vnam eandemque in vtraque lege speciem versari, cum sit subscriptio eadem vtriusque, & possit in hac vel illa nomen eius, ad quem Imp. rescribit paululum esse immutatum. Igitur, vtriusque illa sententia est: maritum, qui ab vxore conuenitur ex chirographo siue instrumento, quo continetur stipulanti vxori eum pecuniam quasi in dotem acceptam promisisse, posse allegare exceptionem non numeratæ dotis, aut si vera sit debiti causa, & ipsa diuortij causa quasdam res amouerit, ei per modum exceptionis objici posse compēsationem rerum amotarum. Nominatim quidem in hac l. & in d. l. 1. non agitur de querela non numeratæ dotis, sed ex verbis facile licet conijcere de ea vtrumque rescriptum esse accipiendum. Dubium non est quin iure antiquo quinquennium huic querelæ aut exceptioni esset præfinitum, quemadmodum exceptioni aut querelæ non numeratæ pecuniæ. Sed Iustinianus in l. fin. C. de do. cauta non num. aliud tempus ei definiuit, vt scilicet possit querela non numeratæ dotis proponi intra annum continuum, non à die quo cautio fuerit emissa, sed à tempore soluti matrimonij: quamuis si instrumento dotali accesserit apocha tunc omnino querelæ locus non sit. *l. 14. in contractibus. §. ideoque. C. de non num. pecun.* Deindę etiam ex N. 100. ita d. l. finalem idem Iustinianus accipi voluit, vt ita demum annus requiratur post solutum matrimonium, si intra biēnium diremptum sit: sin vltra biennium & vsque ad decennium constiterit, tum intra tres menses proponi debeat, eâ omnino exclusâ si decēnio amplius matrimonium constiterit: Idque etiam admittitur iure Francico

Sententia legis proposita & l. 1. inf. rer. amot.

Intra quod tempus proponatur querela non numerata dotis.

ex S.C.tis, ficuti docet Dn. *Loüet* in litt. D. num. 24. Sed vtcumque in hac l. & d. l. 1. rer. amot. dos numerata proponatur, tamen eam petenti vxori obijcere potuit maritus compenfationem fiue mutuam petitionem rerum annotarum nomine, vt definit Imp. in qua definitione occurrit hæc ratio dubitandi, quod compenfatio non fit nifi liquidi, certi, confeffi. *l. 3. ff. de tut. & rat. distr. l. 22. si debeds. ff. hoc tit.* At in ea fpecie nondum certum eft debitum & liquidum, quandoquidem nondum conftat mulierem res amouiffe: Imo ne quidem illud fatis liquido apparet, aliquid debere eum qui compenfationem fieri defiderat: ac præterea compenfatio non folet fieri nifi ex pari fpecie, vt ait Paulus lib. 2. fent. tit. 5. §. fin. l. 18. fi conuenerit. ff. de pign. act. cum videlicet pecunia cum pecunia compenfatur, frumentum cum frumento, & fic de aliis. At hic res amotæ proponuntur ex vna parte, cum pecunia ex altera parte deberi dicatur. Ratio decidendi hæc, quod in hac fpecie nomen compenfationis non fignificat viciffim factam debiti reputationem, quæ non fit nifi earum rerum nomine quæ exigi ftatim poffunt, fed retentionem tantum fiue mutuam petitionem, quæ etiam ad eas res pertinet, quæ nondum hinc inde certæ funt & confeffæ: Quod docet ipfe Imp. dum dicit eum qui conuenitur non prius compelli ad foluendum quod debet, quam mutuæ eius petitioni fit refponfum: Nifi dicamus etiam id quod nondum confeffum eft compenfari poffe, modo intra breues temporis inducias doceri poffit effe debitum, quod forte verius eft: Nam etiam fifco compenfatio obiici poteft eius quod nondum liquidum eft, fi modo intra duos menfes debitum probetur. *l. 46. aufertur. §. 4. ff. de iu. fisci.* Quod ait Imp. *eo magis quod ea te, &c.* docet propter res amotas retentioni locum fore, fi conueniatur maritus ab vxore dotis nomine. Neque obftat lex vn. §. taceat. verf. fed nec retentio. C. de rei vxor. act. quam gloffa opponit: Nam ille locus referendus eft ad ius nouum, ex quo obtinet vt propter res amotas retentioni dotis amplius locus non fit, fed detur actio rerum amotarum marito; hac forte ratione, ne facile eo colore dotis reftitutio impediretur, quã mulieri maturius reddi quodammodo reipub. intereft, vt facilius nuptiarum conditionem inueniat: Alioquin iure antiquo locus fuit retentioni. Vtcumque autem ex Paulo dictum fit ex pari tantum fpecie compenfationem admitti, hoc eft intelligendum ex ftricta iuris ratione: nam verius eft, vt etiam corporis cum corpore admittatur, idque etiam cautum *l. fin. hoc tit.* in qua definit Iuftinianus etiam in actionibus in rem compenfationi locum effe, quod fingi non poteft, nifi in rebus quæ in genere fub functionem non recipiunt eam dicatur admitti. Adiicitur in fi. l. 1. C. rerum amot. apud eundem iudicem rerum amotarum quæftionem fieri poffe,

Compenfatio fieri non folet nifi ex pari fpecie.

Iure nouo non datur retentio propter res amotas.

Iure nouo fit compenfatio corporis cum corpore.

apud quem iam cœpit conueniri maritus actione exstipulatu, vt appareat mulierem, aduersus quam instituitur mutua petitio, non posse desiderare vt coram iudice suo vocetur, quasi is coram quo maritum vocauit non sit sibi competens; nam cuius in agendo obseruat arbitrium, eundem contra se iudicem in mutua petitione consistere non iure queritur. *l. pen. C. de sent. & interloc. iud.*

IDEM A. EVZOSIO.

Lex 7. C. eod. *SI ex venditione pretium venditori debetur: Compensationis ratio opponitur. Aduersus fiscum enim solummodo emptores petitioni pretij compensationem obijcere prohibentur.*

Sententia legis. COnstituit Imp. hac lege etiam venditori pretium petenti rei venditæ emptorem posse quantitatis ex alia causa debitæ opponere compensationem. Ratio dubitandi non leuis ex eo duci poterat, quod res venditæ & traditæ aliter emptoris non fiant quam pretio soluto. §. *venditæ. de rer. diuis. apud Iustin. l. 19. quod vendidi. ff. de contr. empt.* sed breui manu & κτ' συντομίαν solutum videtur cum eadem quantitas à venditore debetur. *Quibus casibus non possit fisco obijci compensatio.* Excipit tamen Imp. causam fisci, cui, si rem aliquam vendiderit & pretium ab eo petatur, non potest obijci compensatio: Illa forte ratione, quod nonnisi præsenti pecunia res eius vendi soleant. *l. 5. §. fin. ff. de iu. fisci.* Sed præter illum casum non potest etiam opponi compensatio, si quis sit fisci debitor ob negotium copiarum l. 20. ff. hoc tit. aut etiam ex causa stipendiorum, tributorum, & annonarum, *l. 46. aufertur. §. vt debitoribus. ff. de iu. fisci.* Hæc autem tria differunt: Nam stipendia militibus, tributa principi præstantur, quæ in pecunia exoluũtur, annonæ vero sint species veluti vinum frumentum, & cætera eiusmodi, quæ magistratibus & diuersis officiis tribuuntur, de quibus in tit. 52. lib. 1. C. & tit. 16. lib. 10. Igitur indistinctè contra fiscum vt nec contra rempub. compensatio non admittitur: Sed casus certi excipiuntur in quibus locum non habet: Imo nec inter priuatos semper: *In deposito & causa momenti non potest obijci compensatio.* Nam in deposito & causa momenti cum quis alienam inuasit possessionem, & vt eam retineat, agenti interdicto vnde vi compensatio opponitur, restitutio rei depositæ vel ablatæ per vim possessionis non impeditur. §. *in bonæ. vers. sed nostra. de action. apud Iustin. l.*

fin. hoc tit. Sed & commodati non minor est fauor. *l. fin. C. commod.* quamuis sint qui in ea lege legant commendati id est depositi, & propterea contendant male collocatam hanc legem sub tit. commod. Sed nec fit compensatio debiti, cuius dies nondum venit. *l. 7. quod in diem. ff. hoc tit.* quod enim dicitur in l. 16. si cum militi. §. fin. ff. eod. tit. compensationem admitti, si quis condemnatus intra tempus iudicati, quo conueniri non potuit, agat contra debitorem suum eundemque ex iudicato creditorem, rectè Papinianus ibidem docet ipso effectu diem obligationis venisse: Ideoque licet tempus ad solutionem ex benignitate indultum sit iudicato, nihilominus illo tempore non expectato compensationem induci, quia scilicet in ea specie dies obligationis venerat, licet humanitatis gratia iudicato tempus solutionis indulgeretur.

Non fit compensatio debiti cuius dies nondum venit.

IMP. ALEXANDER A. TYRANNÆ.

FRVMENTI *vel hordei mutuo dati accessio etiam ex nudo pacto præstanda est.*

Lex 12. C. de vsuris.

CErtum est in bonæ fidei contractibus ex pacto in continenti adiecto vsuras deberi & peti posse. *l. 24. Lucius Titius. l. 28. Quintus Cæcilius. ff. depos. l. 34. qui negotia in pr. ff. mand.* in stricti vero iuris contractibus & maximè in mutuo non debentur nisi sint in stipulationem deductæ quamuis ex pacti conuentione solutæ non possint repeti: quod eo pertinet vt ex pacto debeantur naturaliter non ciuiliter, id est vt nec peti possint non solutæ nec repeti solutæ aut in solutum accepto ferri. *l. 3. hoc tit.* & si earum nomine pignus sit obligatum retentione pignoris seruantur. *l. 4. & 22. hoc tit.* quod fit maximè in pacto ἀντιχρήσεως, de quo lex est 14. quæ mox sequetur. Sed intercedunt casus quidam, in quibus etiam in mutuo ex nudo pacto ciuiliter debentur & peti possunt, veluti si agatur de traiectitia pecunia mutuo data. *l. 5. §. pen. & l. 7. ff. de naut. fœn.* vel cum ciuitas per actores suos vel administratores pecuniam credit. *l. 30. etiam. ff. hoc tit.* ne forte culpa curatorum reipub. & eorum qui res eius procurant damnum pateretur respub. si pacti tantum non stipulati essent, quod in argentariis qui quotidie pecuniam credunt multo magis est constitutum à Iustiniano. *N. 136. cap. 4.* quibus accedit casus ab Imp. Alexandro propositus in lege, in qua docet, frumento vel hordeo mutuo dato, accessionem ex nudo pacto præstari id est vsuram: Nec enim vsura tantum est in pecunia nu-

In bonæ fidei contractibus vsuræ debentur ex pacto.

Secus in contractibus stricti iuris.

Sed ex pacto tamen soluta non repetuntur.

Casus in quibus in mutuo vsuræ debentur ex pacto.

merata. *Esca* (inquit D. Ambrosius in lib. de Tobia) *vsura est: Vestis vsura est: Et quodcumque accedit sorti vsura est; & quodcumque nomen ei imponas vsura est.* Rationem autem, cur eo casu pactum proficiat ad vsurarum petitionem procliue forte fuerit hanc adferre, quia eiusmodi mutuum vt plurimum contrahunt agricolæ iuris ignari, quibus æquum, non fuerit propriam simplicitatem fraudi esse, si pacti vsuras non etiam stipulati sint. Illa etiam Duareni potest videri non inconcinna tit. de vsuris cap. 2. in nummis quidem certum esse lucrum creditoris, quia vbique certa est pecuniæ æstimatio, vt propterea ei non debeantur vsuræ nisi eas stipulatus sit, cum omnino nullum sit dispendium sensurus si sua sibi pecunia reddatur sine incremento vsurarum: At in vino, oleo, frumento, & aliis eiusmodi rebus æstimatio plerumque temporibus minuitur, vt fieri possit eum qui lucrum vsurarum percipit dispendium tamen ex mutuo pati, quia rerum quas dederat pretia multum sunt imminuta. Quæ ratio etiam facit vt in eiusmodi rebus & fructibus quibuscumque liceat egredi legitimum modum vsurarum. *l. 23. oleo. hoc tit.* Imo frugibus humidis, vel arentibus mutuo datis, licuit pacisci, vt pro duobus modijs in singulos annos vnus modius daretur. *l. 1. C. Th. hoc tit.* quia scilicet fieri potest, vt etiam cum hoc vsurarum additamento damnum creditor ferat, fructuum tempore solutionis pretio imminuto, quos forte commodiore condictione cellario vel horreo conditos potuerat vendere: Et ita apud Harmenopulum lib. 3. tit. 7. §. 24. *ἐπὶ καρπῶν δανειζομένων ἔξεστι καὶ πλείονα τόκον ἐπερωτᾶν διὰ τὸ ἄδηλον τῶν καρπῶν*: Mercium scilicet & fructuum alia aliis temporibus æstimatio: Et vt Plinius lib. 33. cap. 13. *Pretia rerum, quæ vsquam posuimus, non ignoramus alia in aliis locis esse, & omnibus pene annis mutari, pro-vt nauigationes constiterint, aut vti quisque mercatus sit, aut aliquis præualens manceps annonam flagellet.* Iure nostro, quo omnis vsurarum species prohibetur, nequicquam ijs distinctionibus est acquiescendum, & quidem aliquanto æquius: Nam si fieri potest vt tempore solutionis æstimatio rerum mutuo datarum minuatur, potest etiam fieri vt augeatur: Et omni rationi foret aduersum, vt creditor commodum aucti pretij rerum suarum consequeretur, & præterea vsurarum incrementa perciperet: Ideoque non modo prohibemur mercibus aut fructibus mutuo datis grauiores vsuras pacisci aut stipulari, sed quaslibet etiam minimas, vt damnum imminuti pretij ex euentu creditorem vel debitorem respiciat, pro-vt sors constiterit. Certè in mercibus, quas creditor erat horreo suo cōditurus ad spē carioris annonæ, hæc pactio poterit valere, vt si augeatur merciū æstimatio pretium sibi reddatur ratione habita quanti plurimi valuerunt tempore intermedio vel solutionis: Sin minuatur, sufficiat tantumdem mercium reddere quantum accepit,

Cur in frumento vel fructibus mutuo datis debeatur accessio ex pacto.

In frugibus mutuo datis licet egredi modum legitimarum vsurarum.

Pretia rerum mutantur per temporum vices.

pit, vel æſtimationem quanti conſtant tempore quo dies obligationis venit, vel mora facta eſt.

IDEM A. EVSTACHIÆ.

IN *bonæ fidei iudiciis, quale eſt etiam negotiorum geſtorum, vſurarum rationem haberi certum eſt. Sed ſi finitum eſt iudicium ſententia, quamuis minoris condemnatio facta eſt non adiectis vſuris, nec prouocatio ſecuta eſt: Finita retractanda non ſunt, nec eius temporis quod poſt rem iudicatam fluxerit, vſuræ iure poſtulantur, niſi ex cauſa iudicati.* Lex 13. C. eod.

DIfferentia vna notata eſt ad legem ſuperiorem inter contractus ſiue iudicia bonæ fidei & ſtricti iuris circa vſuras: Hîc etiam alia proponitur, nam quod in hac lege & in l. 31. §. in bonæ fidei. ff. hoc tit. dicitur in iudiciis bonæ fidei, qualis eſt actio negotiorum geſtorũ, etiam citra pactionem & ſtipulationem vllam vſuras ex mora venire, id dicitur πρὸς διαστολὴν contractuum ſtricti iuris. Et quod dicimus ex mora, accipitur illud etiam citra interpellationem vllam aut litis conteſtationem, quia officium iudicis, qui de his actionibus cognoſcit, tantumdem valet quantum in ſtrictis contractibus eius rei nominatim habita ſtipulatio *l. 6. §. fin. cum l. ſeq. ff. de neg. geſt. l. 24. Lucius §. & quidem. ff. depoſ.* Imo etiam in venditione, ſine vlla mora emptor cui fundus traditus eſt & fructus ex eo percepit vſuras pretij ſoluere neceſſe habet. *l. 5. curabit C. de act. empti* quod multo magis in tutelæ actione obtinet. *l. 24. ſi mater. ff. hoc tit. l. 1. §. fin. ff. eod.* ad quod etiam pertinet huius legis ſententia, ex qua conſtat, in actione negotiorum geſtorum, quæ bonæ fidei eſt, vſurarum rationem habendam, ſi geſtor otioſam pecuniam habuerit, quam fœnori occupare debuerat, vel etiam quia pecuniam in vſus ſuos conuerterit. In contractibus ſtricti iuris non liquet deberi vſuras aliter quam ex ſtipulatione, exceptis caſibus notatis ad legem ſuperiorem. Igitur ne quidem per litis conteſtationem deberi incipiunt, quæ non ſunt promiſſæ: Nam quantum ad l. 35. lite. ff. hoc tit. & ad l. 1. C. de iudic. Duarenus notat, & plerique alij, eas intelligi de vſuris ex cauſa ſtipulationis debitis, quæ currunt poſt

In venditione vſura pretij debentur poſt traditionem ſine mora.

An vſuræ debeantur ex mora in ſtricti iuris iudiciis.

litem contestatam, cum ex causa anteriore originem habeant. Vrget tamen in contrariam sententiam lex 2. & 3. §. 1. ff. hoc tit. quæ tradunt in his etiam iudiciis, quæ bonæ fidei non sunt nec arbitraria, causam venire post litem contestatam, quas nec Duarenus nec alij aduertunt, tantum abest vt ad eas respondeant. Posset illud dici nomen causæ referendum ad fructus rei debitæ non vero ad vsuras pecuniæ: nam statim in d.l.2. mentio fructuum fit. & vero non occurrit causæ nomine vsuras venire: nec enim causam habent à re quæ petitur: & ita cum Paulus dicat venire fructus post litem contestatam in actione ex stipulatu *l.34. videamus §. in fauiana & §. si actiones ff. hoc tit.* nihil vero adiiciat de vsuris: potest videri eas non deberi: illa differentiæ ratione, quia æquior aliquanto fructuum præstatio est, cum eos actor lucrifecerit, aut sine vllo dispendio consequi potuerit: quæ ratio in vsuris cessat, quæ interdum perceptæ omnino non fuerunt, & non nisi cum periculo fœnerantis percipiuntur. *l.62. si manis. ff. de rei vind.* Sed quandoquidem iniquum esset impunitam esse moram debitoris qui solutionem distulit, quo vsque condemnaretur: forte non aberrauerit, qui etiam in strictis actionibus admiserit post litem contestatam contra moratorem admitti rationem vsurarum, & eius quod interest. Alioqui non difficulter plurimi debitores consulto & callido consilio nouos litium amfractus & tendiculas comminiscerentur, si nulla accessione à die litis motæ debitum cresceret. Hoc & iuris nostri ratio exigit, ex quo quamuis vsuræ conuentionales prorsus sint prohibitæ, nihilominus vbi debitor in mora esse cœpit interpellatus, iam tum incremento vsurarum oneratur, ne dolus suus creditori sit fraudi. Quin ex ipso iure ciuili in legatis & fideicommissis, quæ stricti iuris sunt, ex mora quam in his repræsentandis hæres fecerit interpellatus, legatario vel fideicommissario vsuræ debentur *l.1. & fin. C. de vsuris & fruct. leg.* quod etiam Paulus definit lib.3. sent. tit. vlt. Itaque verius est vt distinctio supra posita, de vsuris debitis ex mora in stricti iuris vel bonæ fidei contractibus, eo tantum pertineat, vt in bonæ fidei iudiciis debeantur etiam sine interpellatione, in stricti̇s non nisi per litis contestationem. Sed alia occurrit inspectio in hac lege, vt circa vsuras sit illud distinguendum: vtrum officio iudicis veniant, & propter moram tardius exsolutæ pecuniæ infligantur: an ex partium conuentione vel ex stipulatu, vel ex pacto debeantur secundum positam diuisionem in rescripto superiori. Primo casu, nisi iudex qui de actione cognoscit de vsuris quoque pronuntiauerit, & actor earum rationem haberi desiderauerit, non possunt alia actione peti, & finitum semel iudicium retractari non potest, si prouocatum non sit intra tempus legibus constitutum: ad quem casum pertinet, quod in hac lege proponit Imp. Alexander.

Vsura debentur in quibuscumque iudiciis à die interpellationis.

Quid intersit vtrum vsura debeantur ex conuentione vel officio iudicis.

Posteriori vero casu etiamsi sors tantum petita sit non vsuræ: tamen vsurarum causa non est perempta. De contractibus stricti iuris id nominatim est definitum in l.centũ ff. de eo quod certo loco.& in l.1.C.de iudic.Sed idem dicendum multo magis in contractibus bonæ fidei siue debeantur ex pacto siue ex stipulatione.Ratio differentiæ in promptu est (qua etiam Cuiacius nititur tract. 2. ad Afric.ad d.l.centum) quia scilicet vbi vsuræ ex contractu debentur,duæ sunt conuentiones,duæ stipulationes,duo contractus, vel contractus vnus cui pacto adiecta est in continenti, vt in specie l. 34.qui negotia in pr. ff. mand. Vna scilicet conuentio est de sorte, alia de vsuris, quarum vnâ in iudicium deductâ nihil vetat ex alia litem contestari. At vsuræ,quæ officio iudicis veniunt,veluti accessionis vice hærent actioni principali,quæ de sorte competit,ex qua condemnatione facta iterata actio rei iudicatæ exceptione repellitur,vt recte definit Imp.Gordianus in l.4.C.Depos.denique illæ in obligatione non sunt,sed peti tantũ possũt officio iudicis de actione principali cognoscẽtis. *l. 49. qui per collusionem.§.fin.ff.de act.empti.* vnde post rem iudicatam iam nulla actio est,cui possit accedere officium iudicis. Adiicit autem Imp. Alexander in fi. huius legis, eius temporis quod post rem iudicatam fluxerit vsuras nullo iure postulari,nisi ex causa iudicati: quod ita est accipiendum,vt post sententiam intra tempus iudicati, quod humanitatis gratia iudicatis datur ad pecunias conficiendas vt iudicato satisfiat,vsuræ non possint deberi, ne quidem officio iudicis: imo quæ ex conuentione sunt debitæ interim non currunt. *l. fin. C. de vsuris rei iudic.* quod ita constitutum, ne tempus triginta dierum vel duorum aut quatuor mensium, quod secundum rationem iuris veteris noui aut nouissimi iudicatis ex benignitate datum est,vt statim bona sua distrahere ad iudicatum implendum non cogerentur,ad eorundem dispendium verteretur, si per id tempus vsurarum incrementa vel accessionem agnoscerent. Non obstat huic definitioni quod est in l. 3. §. cęterum ff. hoc tit. nam id pertinet ad fructus rei debitæ non ad vsuras pecuniæ: certum autem est temporis illam intercapedinem dilationem tantum præbere iudicato non lucrum: ideoque fructus interim percepti veniunt in restitutionem. Non obstat etiam d. l. lite.eod.tit.& l.1.C.de iudic.nam sunt illæ accipiendæ, vt & supra dictum est, de his vsuris quæ currunt post litem contestatam vsque ad tempus sententiæ, non de illis quæ post sententiam intra tempus iudicati,atque idem respondendum est ad l.41.tutor.ff. hoc tit. & si quę similes: quod enim dicitur, vsuras medij temporis deberi, non est accipiendum de tempore iudicatis dato,sed de eo quod intercessit inter sententiam, à qua appellatum fuerat, & illam qua bene iudicatum fuisse pronuntiatum fuit. Cæterum post tempus

Intra tempus iudicati vsura non currunt.

Fructus rei debita debentur intra tempus iudicati.

Post tempus iudicati vsuræ centesimæ debentur.

iudicati iam vsuræ & quidem centesimæ incipiunt deberi, licet neque conuentio vlla intercesserit, nec iudex de his pronuntiauerit, quia scilicet quasi ipso iure debitori postea moram nectenti infliguntur. l. fin. C. de vsur. rei iud.

IDEM A. AVRELIO.

Lex 14. C. eod.

SI *ea pactione vxor tua mutuam pecuniam dedit, vt vice vsurarum domum inhabitaret, pactoque ita, vt conuenit, vsa est, non etiam locando domum pensionem redegit: Referri quæstionem, quasi plus domus redigeret, si locaretur, quam vsurarum legitimarum ratio colligit, minime oportet. Licet enim maiore forte potuerit contrahi locatio: Non ideo tamen illicitum fœnus esse contractum, sed vilius conducta habitatio videtur.*

Pactum ἀντιχρήσεως siue mutui vsus quod nam sit.

Sententia legis.

Species.

HÆc lex est de pacto ἀντιχρήσεως, cum scilicet rei alicuius pignus ita constituitur, vt in vicem legitimarum vsurarum liceat creditori re pignorata vti, vel ex ea lucrum sentire. Definit autem imperator, valere eiusmodi pactum, nec esse illicitum etiamsi fructus ex re collecti modum legitimarum vsurarum excedant. Species illa. Mæuia mutuis centum à creditore acceptis domum ei obligauit & tradidit, id est re & iure ciuili pignus constitutum est: Conuenit autem vt vice legitimarum vsurarum domum illam inhabitaret, & pensiones cederent pro pecuniæ vsu. Pensiones vero longe grauiores ex locatione redigi poterant, quam summa constabat ad quam vsuræ legitimæ siue centesimæ ratio excurrere poterat: Itaque Mæuia agens actione pignoratitia id quod residuum erat in sortem sibi imputari desiderabat, ac propterea Aurelius Mæuiæ maritus Imp. Alexandrum consuluit. Rescribit Imp. nihil imputari in sortem debere ex pensionum prouentu. Ratio dubitandi illo æquitatis colore nitebatur, quod quoties illicitè fœnus contractum est, id est maiores legitimis vsuræ promissæ sunt, id quod modum excedit repetatur solutum, aut in sortem imputetur. *l. 8. si pro mutua. C. si cert. pet. l. 26. si non sortem. ff. de condi. indeb.* Ratio decidendi hæc est, quod in eiusmodi specie non tam fœnus illicitum interuenisse cen-

featur,quam vilius habitatio à creditore conducta. Idemque respondet Imp. Philippus in l.17.hoc tit.si fundus eadem lege ἀντιχρήσεως sit traditus: Idque propter fructuum incertum, qui interdum viliore pretio possunt distrahi, quam summa vsurarum constat, in quarum pensationem cesserant: Quod idem in hac lege dici potest, quia interdum incertæ possunt esse pensiones prædiorum vrbanorum, & modo maiori, modo minori mercede redimi. Secus autem obtinere Imp. docet si non ipse creditor domum inhabitauerit, sed alteri locauerit, & maiores reditus acceperit, quam potuit constare vsurarum ratio,quæ poterant propter mutuam pecuniam deberi: Nam tum residuum debitori restituitur,vel in sortem imputatur, quia in ea specie non potest dissimulari lucrum iniustum creditoris, quod re vera faceret: Et secundum hanc distinctionem accipienda etiam lex 11.si is.§.1.ff.de pign. Sed & huius l.& l.17.sententia ita demum obtinet,nisi conuentioni hæc lex adiecta sit, vt fructus hypothecarum vsuris compensentur fini legitimæ vsuræ, vt in l.1.§.pacto.ff.de pignor.& hypoth.tunc enim nulla distinctione facta, siue creditor fructus ipse perceperit, siue per eum cui domum aut fundum locauerit,residuum restituetur,vel in sortem imputabitur. Idem etiam fiet si non expressa,sed tantum tacita sit ἀντίχρησις. *l.8.cum debitor.ff.in qu.caus.pi. vel hyp. tac. contr.* cui statim obijci potest quod dicitur cessante pacto de quo in hac lege agitur furti conueniri creditorem, qui re pignorata vtitur. *§.6. furtum. de obl.quæ ex del.nasc.apud Iustin.& l.54.ff.de furtis.* Aut si res ea sit,ex qua soleant fructus percipi,eosdem fructus in sortem integros computari,vt constitit sup.ad l.2.& 3. de pign.act. Sed responderi potest illis locis debitum esse vsurarium ideoque difficilius vsuris accedere fructuum compendium: At in d.l.cum debitor mutuum erat gratuitum,ad quam sententiam accedit Cuiacius lib.8.obs.cap.17. Sed quis non videt nihil esse dubitationis,cum debitum est vsurarium,fructus rei pignoratæ nullo iure ad lucrum creditoris pertinere posse,aut etiam in d.l.cum debitor,non videri pecuniam gratuitam,cuius nomine debitor rei suæ fructus amittit. Hotomanus, quemadmodum solet pleraque vel adijcere vel detrahere vt ad concordiam reuocet legum capita inter se dissidentium, in eadem lege negationem adijcit. Tutior est sententia Gothofredi qui in notis docet eam legem accipiendam de ea pecunia, quæ à principio quidem gratuito mutuo data est,& ab eo tantum tempore fructus ad modum legitimæ vsuræ creditorem retenturum, quo cœperit debitor in mora esse,vt tum censeatur creditor consentire vt fructus pignoris pro vsuris cedant. Cæterum nec iure canonico nec nostro tacita aut expressa ἀντίχρησις proficit creditori ad retinendos fructus vice legitimæ vsuræ, cum nullæ possint deberi ex ἀντιχρήσεως.

An & quemadmodum admittatur tacita ἀντίχρησις.

Iure canonico & francico non valet pactum ἀντιχρήσεως.

pacto nisi in reditibus annuis, cum sortis dominium ita in debitorem transit, vt eo inuito non possit à creditore exigi. Igitur pactiones omnes & quicumque contractus pignoratitij, quibus fingitur prædium aut fundus venditus vt liceat debitori pretium offerendo rem suam recipere, moribus nostris improbatur: qua de re Robertus lib. 2. rer. iud. cap. 8. & dominus *Louet* pluribus locis.

IMP. ALEXANDER A. MÆSTENO.

L. 1. C. depositi, vel contra.

SI incursu latronum vel alio fortuito casu ornamenta deposita apud interfectum perierint: Detrimentum ad hæredem eius, qui depositum accepit, qui dolum solum & latam culpam (si non aliud specialiter conuenit) præstare debuit, non pertinet. Quod si prætextu latrocinij commissi, vel alterius fortuiti casus, res, quæ in potestate hæredis sunt, vel quas dolo desiit possidere, non restituuntur: Tam depositi, quam ad exhibendum actio, sed & in rem vindicatio competit.

HOc rescriptum supra coniunctim explicatum fuit cum l. 5. & 6. de pignoratitia actione.

IMP. ALEXANDER A. VVLNERATO.

Lex 4. C. mandati, vel contra.

ETIAMSI *contrariam sententiam reportauerunt, qui te ad exercendas causas appellationis procuratorem constituerunt: Si tamen nihil culpa sua factum est: Sumptus, quos in litem probabili ratione feceras, contraria mandati actione petere potes.*

REscripti huius æquitas interpretatione non indiget: Plusquam enim manifestum est, procuratorem, qui bona fide alie-

na negotia gessit, & litem suscepit vel intulit nomine procuratorio, habere mandati contrariam actionem ad repetendos sumptus, quos fecit, & si iudicio non vicerit, quia modo culpa absit & lata & leuis, casus eum non contingit, vt constitutum sup. ad l. 5. & 6. de pign. act. Ratio tamen dubitandi in huius legis specie hæc occurrere potuit, quod lite cõtestata procurator litis dominus sit effectus, vt propterea ad eum casus & euentus eius dispendio esse debere videatur: Sed ea nihil impediunt; quod enim procurator dominus litis dicitur, id non absolutè sed πραγματικῶς & cum quodam temperamento, vt quæ cum eo fiunt perinde habeantur, ac si cum eo ad quem re vera res pertinet facta fuerint: quia litis contestatio nouatio est, & lite contestata cum procuratore, iam ipsius non domini persona inspicitur, adeo vt procurator condemnari debeat aut absolui, non is cuius nomine agitur *l. 1. C. de sent. & interloc. iud.* & serua quod etiam in ea l. 1. etiam is cuius nomine procurator agit dominus litis dicitur, vt duo quodammodo sint litis domini, is ad quem res pertinet quia emolumentum vel dispendium actionis ad eum regreditur: & procurator, quia litis contestatione quasi contrahere censetur. Sed quandoquidem origo negotij semper inspicienda est, actio ex iudicato datur contra eum ad quem res spectat, nisi procurator se liti obtulerit, aut in rem suam procurator datus sit. *l. 4. ff. de re iudic.* Cuiacius hoc loco in recitationibus ait differentiam esse inter procuratorem qui victus est, & voluntarium gestorem; vt ille sumptuum nomine habeat actionem, hic non item: quod & glossa probat, nec tamen videtur admittendum, quandoquidem in negotiorum gestione perinde ac in mandato sufficit vtiliter cœptum & gestum esse negotium, licet effectum non habuerit. *l. 10. §. 1. ff. de neg. gest.* Idque etiam euidentius definit Papinianus in l. 31. liberto. §. 2. ff. eod. vbi proponitur eum, qui absentis nomine condemnatus est, habere negotiorum gestorum actionem. Quantum autem ad l. 5. iam tamen. §. in hac. ff. iudic. solui. qua Cuiacius & glossa nituntur, vbi si fideiussores qui intercesserunt ex stipulatione iudicatũ solui, defensionem susceperint pro reo & victi sint, sumptus in lite factos nos repetunt, commodissime ita responderi potest, in ea l. ex mandato fideiussores intercessisse, cuius fines diligentissime custodiendi sunt, vt constitit sup. ad l. 10. de procur. ideoque cum aliud fecerint, quam quod illis mandatum fuerat, & res exitum non habuerit, non habent actionem: At cum nullum mandatũ intercedit, ibi non potest gestori imputari quod legem sibi præscriptam non seruauerit, sed hoc tantum inspici debet, an ex vtilitate rem gesserit: quibus potest & hoc adijci, ideo in d. §. in hac. fideiussores litis sumptus non repetere, quia non vtiliter cœptum erat negotium, cum plerumque expediat magis litem im-

Procurator est litis dominus post litem contestat. l.

Explicatur lex 5. paragr. in hac. ff. iud. solui.

probam non defendi, quam cum periculo magnarum impensarum peragi. Non debuit igitur iure ex d.§. in hac. elici hæc regula, gestorem nisi vicerit sumptus in lite factos non repetere: nam quod ibi proponitur prorsus speciale est. Hæc ad hanc legem poterant sufficere. Sed quæri tamen potest curnam in ea proponatur condemnatos eos, quorum nomine agebatur, cum supra constiterit ex d.l. 1.C.de sent. & interloc. in persona procuratoris condemnationem fieri debere. Respondendum in hac lege effectum potius inspici, per quem fit, vt actio iudicati contra eum qui condemnatus est detur, quam modum pronũtiationis per quem procuratoris persona erat condemnata: vel quod forte etiam verius est, distinguendum, vt faciebat Martinus vetus iuris interpres ad d.l.1.& ipse Cuiac. in recit. ad eum tit. quamquam locus ille omnis corruptus sit inscitiâ eorum qui eas recitationes ipso dictante Cuiacio calamo exararunt, vt sunt eiusmodi pleraque in omni opere eius posthnmo. Hæc igitur admittenda distinctio, vt lite cum procuratore contestata, tum ipse condemnari debeat quasi litis dominis: sin datus sit post litem contestatam ab eo cuius res erat, non ipse condemnari debebit, sed dominus, ad quam vltimam definitionem species hoc loco proposita referri debet, quandoquidem procurator datus ad exercendas causas appellationis datur iam lite in priori iudicio contestata: imo interdum fit, vt causa appellationis agatur μονομερῶς, id est vna parte præsente. *l. fin. ff. ad S. C. Trebell.*

Lite per procuratorem instituta an condemnetur procurator vel dominus.

IDEM A. GVLIANO.

L.5.C.eod. tit.

SI *maritus sororis tuæ tibi procurans petere bonorum possessionem noluerit, cum ipso tibi congrediendum est. Quam querelam ita cum effectu habes, si mandasse te, vt peteretur bonorum possessio, eumque neglexisse arguas.*

Bonorum possessio & hereditas quid differant.

BOnorum possessio est successio prætoria, hæreditas est successio ciuilis: hæc perpetua est, illa temporaria: nam liberis intra annum, aliis intra centum dies datur: hæc dominum facit, illa possessorem. Hæreditatis aditio est actus legitimus, ac propterea per aliũ expediri non potest, adeò vt benigne obtinuerit adiri hæreditatẽ à tutore nomine infantis pupilli, qui si fari posset adire deberet tutore autore *l.5.& 18.C.de iu.delib.* At bonorum possessio peti per ptocuratorem potest, qua de re Cuiac. lib.1.obs. cap.34. Petitur autem per procuratorem, cui mandatũ est, qui si non petierit, & tempore

poremandator sit exclusus, de fide rupta vel negligentiæ nomine tenebitur actione mandati directa, in quam veniet haud dubie ipsius hæreditatis æstimatio, sicuti venit in lege Aquilia, cum seruus alienus hæres institutus occisus est antequam adiret. §. *illud. de lege aquil. apud Iustin. l. 23. inde Neratius. ff. eod. tit.* Sed hoc ita demum, si speciale mandatum intercesserit: nam vix est, vt mandato generali illud contineatur, vt procurator necesse habeat, aut possit petere bonorum possessionem, eaque vna est causa quæ mandatum speciale desideret adijcienda illis, de quibus sup. ad l. 10. de procurat. idque probat hæc lex, quæ vltra generale mandatum negotiorum, quod ponendum est procuratori datum esse, aliud speciale ad causam petendæ bonorum possessionis exigit.

IMP. ALEXANDER A. TIMOTHEO.

NOMINIS *venditio etiam ignorante vel inuito eo, aduersus quem actiones mandantur, contrahi solet.* L. 3. C. de hæred. vel act. vend. *PP. V. Id. Feb. Maximo II. & Æliano Coss.*

CONiuncta lex prima inf. de nouationibus cum hac l. 3. (quæ eandem habet inscriptionem & subscriptionem) differentiam constituit inter delegationem debitoris & venditionem siue cessionem nominis. *Quid differat delegatio & cessio nominis.* Delegatio debitoris fit per stipulationem consentiente ipso & stipulanti promittente, quod debet delegāti: venditio vero siue cessio nominis est delegatio, quę fit debitore ignorante aut etiam inuito cessis aduersus eum actionibus, & facto procuratore in rem suam ipso emptore, qui etiam vtilem habet actionem, si is qui directam mandauit sine hærede decesserit. *l. 1. C. de obl. & act.* Sed & ea potest constitui differentia, quod is qui delegatur statim debitor esse desinit eius qui delegat, & nouatio fit hinc inde: At vero is qui nomen vendidit vel cessit, remanet creditor, & tuto ei solui potest, nisi emptor nominis aut alius, cui mandatæ fuerint actiones, id ipsum denuntiauerit debitori, aut partem debiti ab eo acceperit, vel eo nomine litem contestatus sit. *l. 3. C. de nouat. & act.* quod ius ciuile Parisiensium hac definitione comprobauit, *simple transport ne saisit point, s'il n'est signifié.*

IDEM A. DIOGENI.

L.4.C.eod.

QVI nondum certus de quantitate hæreditatis, persuadente emptore, quasi exiguam quantitatem eam vendidit bonæ fidei iudicio conueniri, vt res tradat, vel actiones mandet, non compellitur. Nam suo quoque iure eorum persecutionem habet.

Species legis.

LEx superior fuit de actione vendita, hæc & duæ sequentes sunt de hæreditate vendita. Huius species ita potest effingi. Mæuius Sempronio hæres extiterat aut bonorum possessor Titius persuasit Mæuio eam hæreditatem perquam esse exiguam, cum tamen eius vires non ignoraret. Mæuius fraudem & calliditatem ignorans, quæ aduersus se nectebatur, eam hæreditatem minimo pretio vendidit. Mox cum sibi de modo patrimonij constitisset, & à Titio conueniretur, vt cætera venditionis perficeret, id est vt res hæreditarias traderet vel actiones mandaret, detrectabat conuentioni fidem præstare. Igitur ea de re vel ipse vel emptor Imperatori preces obtulit. Rescribit Imp. venditorem ex empto actione conueniri non debere; Imo si quasdam res tradiderit, posse illum suo iure eas vindicare. Mouebat, quod venditio perfecta esset, quæ solo consensu contrahitur. Mouebat, quod ab initio contractus sunt voluntatis, postmodum vero conuertuntur in mutuas & necessarias præstationes. Mouebat, quod nemo possit mutare consilium in alterius detrimentum. Sed euicit dolus emptoris, vt irritus contractus omnino constituatur. Obstant tamen huic definitioni l. 9. si quis. ff. de dolo & l. 13. Iulianus. §. per contrarium. ff. de act. empti, quæ dant tantum actionem ex vendito, vt venditor consequatur quanti pluris erat venditurus. Sed has gl. accipit de dolo, qui incidit in contractum, non de illo, qui causam ei dedit, de quo hæc lex est accipienda. Causam contractui dedisse dolus censetur, si alias venditor non erat venditurus: incidit in contractum, cum venditurus quidem erat, sed pluris. Primo casu non valet omnino venditio: secundo valet, sed dolus potestate & iudicio actionis bonæ fidei purgatur; qua de re in l. & eleganter. ff. de dolo. Hoc de dolo qui ex insidiis & calliditate venit: nam quod ad eam speciem doli, qui venit ex reipsa, cum res scilicet in se circumscriptionem habet, vt ait l. 36. ff. de verb. obl. & citra fraudem vllam, cum vter-

Quid referat an dolus dederit causam cõtractui vel inciderit in contractum.

que ignoraret modum bonorum, minimo vendita est hæreditas; nec irrita constituitur venditio, nec agitur iudicio ex empto aut quanti minoris; adeo vt etiam si dimidio minus iusti pretij vendita fuerit hæreditas, locus tamen non fit beneficio legis 2. C. de resc. vend. quod ex senatus Parisiensis decretis satis constat.

Beneficium l. 2. C. de resc. vend. locum non habet in venditione hæreditatis.

IDEM A. ONESIMO.

EMPTOR *hæreditatis actionibus mandatis, eo iure vti debet, quo is, cuius persona fungitur: Quamuis vtiles etiam aduersus debitores hæreditarios actiones emptori tribui placuit.* Lex 5. C. eod.

VT emptori nominis venditor mandat directas actiones, vel illis non mandatis vtiles eidem competũt: Ita qui emit hæreditatem mandatis à venditore actionibus vti potest, vel suo nomine vtilem habet contra debitores hæreditarios, quod est ex constitutione D. Pij. *l. si cum emptore. ff. de pactis.* Rectè tamen gl. notat vtiles actiones emptori ita competituras, si ipsæ actiones directæ sint hæreditariæ, id est si defuncto cuius vendita est hæreditas quæsitæ sint: Nam si post aditam à venditore hæreditatem fuerint comparatæ, & ipsi hæreditati acquisitæ, veluti si hæres, antequam venderet hæreditatem, à debitore hæreditario pignus acceperit, de quo cum defuncto non conuenerat, emptori non competent sine cessione. *arg. l. si hæres pecuniam. ff. ad S. C. Trebell.* cui non obstat lex 21. hæres in pr. ff. de fideiuss. nam vt rectè Cuiac. tr. 7. ad Afric. ad d. l. 21. fingendum est in ea specie hæredem hæreditario nomine à debitore hæreditario accepisse fideiussorem: Ideoque etiam sine cessione eadem obligatio fideiussoria in fideicommissarium, cui restituta est hæreditas, transfertur: Sicuti diceremus eadem ratione transituram vtilem actionem, si venditor hæreditatis nomine hæreditario fideiussorem à debitore hæreditario accepisset: Quod si suo nomine: nec in fideicommissarium hæredem nec in emptorem transiret, ex d. l. si hæres. Igitur præstari eam & cedi nominatim oporteret. *l. 2. §. 8. non solum. ff. de act. vel hæred. vend.* Quæ vero accommodatur emptori vtilis actio, eadem contra eum creditoribus hæreditariis non datur: Nec inuitus emptor actiones hæreditarias suscipit, sed conuenitur venditor, qui ipse facto suo non potest eximere se ab oneribus hæreditariis: Cum enim adeundo contraxerit

Emptor hæreditatis habet actiones directas si cessæ sint vel vtiles sine cessione.

Sed hoc ita si defuncto competierint.

Diluitur argumentum contrarium.

Vendito hæreditate non conuenitur emptor à creditoribus hæreditariis.

cum ipsis creditoribus, defuncti nullomodo posteà defugere onera actionum potest. Sed quia tamen id agitur vendita hæreditate, vt commoda & incommoda omnia in emptorem transeant, & propterea intercedunt plerumque stipulationes emptæ & venditæ hæreditatis, de quibus Cuiacius lib. 2. obs. cap. 30. consequens est vt conuentus venditor ab emptore repetat & consequatur, quod legatariis aut defuncti creditoribus præstiterit, idque actione ex stipulatu si stipulatio intercesserit, vel actione ex vendito si nulla stipulatio interuenisset: Idemque obtinebat, si donata esset hæreditas ea lege vt satisfiat creditoribus: Illa enim conuentio non eximit donatorem ab oneribus hæreditariis, sed ei præstat tantum actionem præscriptis verbis, vt conuentioni satisfiat, vel rerum donatarum condictionem. *l. 22. cum res. C. de donat. l. 28. hæreditatem. ff. eod.* ad quod pertinet etiam l. 2. sup. de cond. ob caus. dat. quam suo loco exposuimus: Nec aliter obtinebit si quis hæreditatem sibi delatam & à se etiam aditam legauerit: Nam legatarium actiones hæreditariæ non sequuntur, & tamen conuenietur legatarius actione ex testamento ab hæredibus testatoris, vt onera hæreditaria in se recipiat, atque eo nomine caueat hæredem defensum iri. *l. 76. cum filius. §. 1. l. pen. §. 2. quæ marito. ff. de leg. 2. l. 29. qui concubinam. §. 2. ff. de leg. 3.*

Cur intercedant stipulationes emptæ & venditæ hæreditatis.

Si legata sit hæreditas remedio cautionis onera legatarium sequuntur.

Vno dumtaxat casu statim securus est venditor, cum scilicet fiscus hæreditatem vendidit; ipso iure enim actiones in emptorem transeunt, vt perinde conueniri possit & debeat, ac si ipse hæres scriptus fuisset, vel ab intestato successisset. *l. 1. C. hoc tit. l. 41. cum qui. ff. de iu. fisci.* Sed & si alio vendente quam fisco creditores hæreditarij contra emptorem egerint, & ille actiones susceperit: Exceptionem taciti pacti nanciscitur venditor, vt postea agentes contra se hæreditarios creditores excludat. *l. 2. C. de pactis.* quia scilicet ab eius persona recessisse, & fidem emptoris secuti esse censentur. *arg. l. 5. si creditores. §. 1. ff. de separat.* vbi dicit Paulus defuncti creditores qui separationem impetrauerunt ad bona hæredis redire non posse, quod idem Vlpiano probatur in l. 1. §. 17. ff. eod. Nihil refert in eadem ipsa specie dissentire Papinianum in l. 3. §. fin. eod. dum prætextu quodam æquitatis nititur, qui nullus est: Et expeditius est ad tollendum id dissidium vti autoritate imperatorum in l. vn. C. Th. de resp. prud. qui palam definiunt in pari numero sententiarum partem eam vincere in qua excellentis viri ingenij Papinianus eminet, qui tamen vt vincit singulos, ita vincitur à duobus.

Cum fiscus vēdit hæreditatem ipso iure onera transeunt in emptorem.

Si hæreditarij creditores conuenerint emptorem non possunt regredi contra venditorem.

Papiniani sententia improbata.

IDEM A. POMPONIO.

QVI *tibi hæreditatem vendidit, antequam res hæreditarias traderet, dominus earum perseuerauit: Et ideo vendendo eas aliis dominium transferre potuit. Sed quoniam contractus fidem fregit: Ex empto actione conuentus, quanti tua interest præstare cogitur.* L.6. C.eod.

TRaditionibus non nudis pactis dominia rerum transferuntur. *l. traditionibus. C. de pactis.* Licet itaque venditio nudo pacto aut conuentione contrahatur, quia est ex eo genere contractuum, qui consensu perficiuntur: Tamen dominium rei venditæ emptorem non facit, nisi traditio intercesserit: Emptor itaque habet tantum obligatum venditorem, vt cætera venditionis ei præstentur, id est vt res tradatur & de euictione caueatur. *l. 13. si duo. §. 3. si quis. ff. de iureiur. l. 5. si hæres. ff. de act. empti.* actionem autem in rem non habet. *l. 50. si ager. ff. de rei vindic.* Quin si re nondum tradita emptor sine voluntate venditoris nactus sit possessionem, magis tanquam prædo quam velut emptor possidere censetur. *l. 5. ff. de acq. poss.* quo fit etiam vt, si res vendita nondum tradita furto sit surrepta, condictionem habeat venditor non emptor: Quam sufficiet pro omni præstatione eidem mandari. *§. quod si fugerit. de empt. & vend. apud Iustin. l. 35. quod sæpe. §. 4. si res vendita. ff. de contr. empt. l. 14. eum qui emit. l. 80. si vendidero. ff. de furtis.* Ex superioribus facile illud concluditur: Venditorem, qui nondum tradidit & dominus remanet, iure alij rem à se venditam vendere posse, ita vt secundus emptor cui res tradita est potior sit: Nec enim refert quis prior emerit, sed cui priori res tradita sit. *l. 15. quotiens. C. de rei vindic.* nec interest etiam an ille cui tradita est pretium soluerit: Nam traditio statim eum facit dominum vt docet Harmenopulus ἐν προχείρῳ lib. 3. cap. 3. §. 97. maximè cum fides habita est de pretio aut alio modo satisfactum est, pignore, fideiussore, vel expromissore dato *§. vendita de rerum diuis. apud Iustin. l. 19. quod vendidi. ff. de contr. empt.* Idemque obtinet multo magis, si duobus res sit donata, nec enim is cui primum donatio facta est, sed is cui prius tradita est dominus existit *d. l. quotiens. §. fin.* quod & senatus decretis est comprobatum. Ex his manifesta est sententia huius legis, ex qua is qui hæreditatem vendidit, nec dum res hæreditarias tradidit, alteri vendere iure potest, quia dominus mansit:

Contractus venditionis non tribuit dominium emptori nisi res ei tradita sit.

Ex duobus emptoribus potior ille est cui tradita est.

Vid. Dn. Louët in litt. V. num. 1. cum notis.

Sententia legis propositæ.

Vt & poteſt iure hæreditariam ancillam manumittere.l.3. C.de his qui à non dom.man.quæ cum hac l.coniungenda eſt, etiamſi in ea paulum mutata ſit inſcriptio ſcribentium incuriâ. Quibus illud congruit: Vt & pactum inter venditorem hæreditatis & debitorem hæreditarium interpoſitum valeat, ſi ignorauerit venditionem debitor. *l.fin. ff. de tranſact.* Sed illis caſibus omnibus de fide rupta venditor conueniri poteſt actione ex empto, vt quanti emptoris intereſt præſtare cogatur, quod docet Imp.in hac lege. Poſſit illud videri compelli ipſum venditorem poſse ad fidem contractus implendam, & rei venditæ traditionem faciendam, idque etiam perſpicue docet Paulus lib. 1. ſent. tit. 13. Sed hoc ita verum ſi rei tradendæ facultatem habeat, quo caſu etiam manu militari poteſt ab eo auocari. *arg.l.68.qui reſtituere.ff.de rei vindic.* Cæterum ſi rem alteri vendiderit, nec rem præſto habeat, vt in hac lege, in locum traditionis ſuccedit condemnatio in id quod intereſt. *l. 4. C. de act. empti.*

Venditor tenetur ad rem tradendam ſi illam poſſideat.

IMP. ALEXANDER A. MARONIDI.

Lex prima C. de reſc. vendit.

SI pater tuus per vim coactus domum vendidit: Ratum non habebitur, quod non bona fide geſtum eſt. Malæ fidei enim emptio irrita eſt. Aditus itaque nomine tuo præſes prouinciæ autoritatem ſuam interponet: Maximè cum paratum te proponas id, quod pretij nomine illatum eſt, emptori reſtituere.

ILlud eſt iuris notiſſimi neminem poſſe renuntiare ſemel conſtitutæ obligationi aduerſario non conſentiente. *l. ſicut. C. de obl. & act.* vt inde fiat quod interdum à principio beneficij eſt, & nudæ voluntatis, idem poſtmodum neceſſitatis quibuſdam legibus adſtringat contrahentes. *l. 17. in commodato §. ſicut autem ff. commod.* & certe vix æquis auribus admitti debet, qui aut quod ipſe fecit improbare deſiderat, aut à placitis ſemel conuentionibus recedere. *l.25.poſt mortem.ff.de ad opt. l. 76. nemo poteſt. ff. de reg. iu.* Excipi poſſint contractus quidam, in quibus ex vna dumtaxat parte ſtatus obligationis pendet: veluti in mandato, depoſito, precario, ſocietate, in quibus magis licet rebus integris aut etiam quandocumque ſententiam mutare, quod in contractibus innominatis fit etiam, ſi

A contractu diſcedere non eſt liberum inuito aduerſario.

Excipiuntur contractus qui vnius tantum gratia ſuſcipiuntur & alij quidam.

nondum vtraque pars placitis acquieuerit, vt propterea in his competat vt plurimum condictio ob rem dati ex pœnitentia, Sed frequentius est tamen vt in aliis speciebus contractuum, in quibus vtriusque spectatur vtilitas vel vnius tantum, non possit ius semel quæsitum auferri & in dispendium & incommodum illius cuius res agitur negotium semel transactum rettactari. Sic nec donatio semel facta potest reuocari. *l. 4. & 5. C. de donat.* nec de contractu venditionis iure perfecto licet fisco & multo minus priuatis recedere. *l. 3. de contractu, hoc tit.* Et hæc ita vera sunt si modo nulla ratio idonea aliud suadeat quam ius ipsum induxerit, vt illa occurrente debeant circumscribi superiores definitiones: sicuti fit in ipso contractu donationis, quæ ex pluribus causis semel perfecta potest reuocari, & maximè ex illa qua is qui bona sua omnia vel partẽ aliquã facultatũ alicui largitus est nullis subnixus liberis, postea sobolem procreauit. *vulg. l. si vmquam. C. de reuoc. donat.* Plures vero proponuntur causæ, ex quibus ipsa etiam venditio rescindi solet, veluti in l. 7. de agric. cens. & col. lib. 11. C. cum fundus sine censitis & agricolis, vel illi sine fundo cui addicti sunt venduntur, aut cum pater vel propter paupertatem, vel aliam quamlibet causam filium vendidit: fauore enim libertatis & ingenuitatis, oblato pretio quod accepit potest liberos suos recipere. *l. fin. C. de patr. qui fil. distr. l. 1. C. de lib. causa.* Sed nihil ab hoc tit. recedendum qui propriè pertinet ad causas rescindendæ venditionis. Vna in hac lege proponitur, metus scilicet: vt enim dolus, qui dat causam venditioni illam irritam constituit: ita & metus qui dolum continet. Et cum hic contractus consensu perficiatur, & vis & metus consensum non habeat, consequens est irritam esse venditionem, quam non voluntatis inductio libera, sed violentia extorsit. Pretium autem restituitur ex hac lege, quod non redditur in specie l. pen. C. de his quæ vi metus-ve cau. fi. Sed hoc quia metus illatus erat à magistratu qui propterea eã pœnã debet coërceri vt & re & pretio careat. At ex d. l. pen. pretium lucro est venditoris qui vim passus est, quod cedit lucro fisci in l. 46. non licet. ff. de contr. empt. & l. 46. aufertur. §. quod à præside ff. de iu. fisci. Potest dici ibi à volentibus rem fuisse magistratui distractam, vt propterea pœna magistratui irrogata non debeat ijs compendio esse, qui nullam iniuriam passi sunt. Vel vt tradit Cuiacius lib. 16. obs. cap. 13. constituendum in illis legibus post depositum officium venditorem ratam habuisse venditionem. Aduertendum vero illud est magistratus prouinciales siue militares siue ciuiles tempore administrationis non potuisse emere res quaslibet, exceptis his quæ ad alimoniam essent necessaria, aut si bona paterna à fisco venderetur: alioquin etiam in quadruplum puniebantur, & fundus ipse quem emissent fisco vindicabatur d. l.

Donatio semel facta non reuocatur.

Donatio bonorum omnium facta à cælibe & orbo reuocatur liberis superuenientibus.

Causæ quædam ex quibus venditio rescinditur.

Quoties venditio vi est extorta irrita est sed pretium restituitur.

Diluitur contrarium argumentum.

Magistratus prouinciales emere non possunt in prouincia dum administrant.

Metus arguitur ex dignitate contrahentium.

non licet & l.9.& 13.in pr. ff.de iu. mil. idque propter suspicionem inferendi metus quæ ex summa potestate oritur: nam vt ait Cassiodorus, *semper est suspecta potentia, dum velle creditur qui posse indicatur.* Nec obstat lex ad inuidiam C. de his quæ vi metus-ve cau. fi. nam proculdubio accipi debet de quieta dignitate, cui nulla iurisdictio adiuncta est, qualis est senatoria. Eiusmodi dignitas non sufficit ad metum arguendum, nisi alia probationum adminicula suppetant. Iuri veteri derogauerat Valentinianus. N. *de confirm. iis quæ admin. vel off. publ. ger. distr. sunt vel don.* & comprobauerat emptiones à iudicibus factas, vel donationes in eos collatas, modo ab his dolus & metus abesset pœnâ etiam aduersus venditorem constitutâ, qui contractum voluntarium cum iudice habitum rescindere voluisset. Sed Iustinianus ius antiquum reuocauit. *l. vn. C. de contr. iud.* Leo Philosophus magistratibus vrbanis permisit voluntarios contractus, prouincialibus vero interdixit N.84. Demum Cæsar Romanus distinctionem eam sustulit restituto penitus iure veteri, vt apparet ex Harmenopulo lib.3.tit.3. §.11. *περὶ ἀρχόντων.*

Diluitur arg. contrarium.

IMP. ALEXANDER A. CAPITONI.

Lex 1. C. sine censu vel reliquis fundum comparari non posse.

EX conuentione quidem, qua pactam nouercam tuam cum patre tuo dicis, cum fundum in dotem daret, vt ipsa tributa agnosceret: Actio tibi aduersus eam competere non potest, etiamsi pactum in stipulationem deductum probetur. Sed & si fundus æstimatus, ita vt pars instrumenti significat, in dotem datus est: Ex vendito actio, vt placitus stetur non competit. PP. No. Decemb. ipso A. III. & Dione Coss.

HÆc lex exposita est cum l. 11. sup. de pactis cui coniungenda est.

IMP. ALEXANDER A. APOLLONIO.

Lex 1. C. de periculo & cómodo rei venditæ.

POST *perfectam venditionem omne commodum & incommodum, quod rei venditæ contingit, ad emptorem*

rem pertinet. Auctor enim ex his tantum causis suo ordine tenetur, quæ ex præcedente tempore causam euictionis parant: Et ita, si ei denuntiatum est, vt causæ agendæ adesset, & non absente emptore contra eum pronuntiatum est.

NOtissima est regula quam proponit Imp. initio huius rescripti. Dictum fuit supra sæpius perfici venditionem consensu: ideoque post consensum præstitum, qui casus circa rem venditam intercedunt, id est deteriorationis vel interitus, illi venditorem respiciunt: Licet enim nondum dominus sit re nondum tradita: Tamen loco domini est: Tum quia actionem habet ad eam persequendam, tum quia venditoris ius in ea censetur diminutum, quod ei auelli possit proposita actione ex empto: Et hoc ita verum est, vt etiamsi seruus venditus decesserit ante traditionem, nihilominus emptor pretium soluere teneatur. *l. fin. hoc tit. §. cum autem. de empt. & vend. apud Iustin.* Obijcitur lex 33. si fundus. ff. Locati, vbi si fundus publicatus sit post venditionem antequam tradetetur, pretium emptor non soluit, aut solutum repetit. Sed respondendum in ea specie publicationis periculum non ex causa præsenti oriri, sed ex præterito pendere propter crimen perduellionis, quod forte publicationi causam dedit, ac in ea re non est omnino vtendum operâ Cuiacij, qui ad d. l. 33. tr. 8. ad Afric. dum vult eludere generalem definitionem d. §. cum autem. non aduertit plures locos in iure existere, qui idem omnino & disertis verbis constituunt & maxime d. legem fin. Quod etiam nititur arg. l. quod si neque. ff. hoc tit. non hoc probat generaliter re perempta ante traditionem emptorē pretio liberari, quia ædilis in iniuriam venditoris lectos venditos antequam traderentur consciderat, vt propterea ex causa speciali debuerit emptor esse secutus & pretium retinere. Secus autem vbi periculum ex solo fato venit, quo casu obtinet definitio d. §. cum autem & d. l. fin. Obijci potest etiam lex fin. ff. de cond. ob caus. dat. ex qua qui pecuniam dedit, vt sibi Stichus daretur, Sticho mortuo antequam detur, pecuniam repetit. Sed manifeste dicit I.C. ibi non esse contractam venditionem, quia pecunia non loco pretij data est, & propterea commodè potest dici eum qui pecuniam accepit Stichum non habuisse venalem, ac per hoc pecuniam eum reddere quod semper eius periculo & damno esset moriturus, vt proponitur in l. si pecuniam. §. fin. ff. eod. tit. Obijci potest rursus l. 34. si in emptione. §. 6. si emptio. ff. de contr. empt. Sed in illa specie cum emptio ita facta est, *est mihi emptus Stichus aut Pamphilus*, electio est venditoris vter seruus sit venditus,

Diluitur argumentum l. 33. ff. Locati.

Improbatur sententia Cuiacij.

Obijcitur & diluitur l. fin. C. de cond. ob caus. dat.

Obijcitur & diluitur lex 34. paragr. 6. ff. de contr. empt.

ideoque antequam declarauerit voluntatem suam, qui primus moritur censetur eius periculo esse, quia omnino in eo constitisse emptio non censetur, sicuti in rebus, quæ pondere numero vel mensura constant, non prius censetur perfecta venditio, quam appensæ, admensæ, aut numeratæ fuerint: Vnde nec prius periculum ad emptorem pertinet. *l.35. quod sæpe §. in his. ff. de contr. empt. l.1. vers. sed & custodia. ff. hoc tit.* & eo amplius in vino vendito, vt periculum in emptorem transeat, requiritur vt sit degustatum: Quasi non prius contracta emptio videatur. *l.1. & 4. ff. eod. tit.* nec dissimiliter obtinet in trabibus venditis, quarum non censetur venditio perfecta, nisi cum signatæ fuerint. *l. quod si neque. §. fin. ff. eod.* illis tamen exceptis, quæ per auersionem venditæ fuerint. *l. 62. qui officij. §. fin. ff. de contr. empt.*

Conuentio transfert periculum in venditorem.

Quod si in lege venditionis conuenerit, vt venditoris esset periculum, si frumenta, quæ in herbis erant, aliqua tempestas læderet: Dubium non est, quin casus fortuitus venditorem respiciat. *l. 78. fistulas. §. fin. ff. eod.* & citra conuentionem quoque fuga serui venditori adscribitur, quasi magis ex culpa eius quam ex casu veniat. *§. quod si fugerit de empt. & vend. apud Iustin.*

Obijcitur lex 64. ff. de euict.

Sed ex aduerso sententiam huius legis duo videntur impugnare. Primum lex 64. ex mille. in pr. ff. de euict. quæ definit, agro vendito per eluuionem post venditionem & traditionem minore facto si postea euincatur, non diminui euictionis obligationem: quod perinde est ac si dicatur illud periculum ad venditorem pertinere.

Obijcitur lex 13. paragr. 14. ff. de act. empti.

Deinde lex 13. Iulianus. §. 14. si Titius. ff. de act. empti, ex qua si fundus venditus sit centum iugerum, in quo tantum nonaginta erant: Decem iugera, quæ postea accreuerint, fidem venditoris liberant; quod idem est ac si I.C. diceret, commodum alluuionis post perfectam venditionem contingentis venditorem, non emptorem spectare.

Diluitur primum argumentum.

Ad primum respondendum, fundo, cui flumen partem aliquam abstulit, euicto: Censetur à principio nulla facta venditio, ac per hoc decrementum venditoris damno est.

Diluitur secundum argumentum

Ad secundum. I.C. ipse palam docet, id concedi ignorantiæ & bonæ fidei venditoris, quod crediderit centum esse iugera cum venderet: Quod secus obtineret, si tempore venditionis sciuisset fundum constare tantum 90. iugeribus. Quia autem circa rem venditam triplex species periculi intercedere solet: Hoc notandum primam partem huius legis pertinere ad periculum deteriorationis vel interitus, quod vt plurimum venditione perfecta emptorem spectat, & rem ipsam afficit, ac ex causa emptionem consequente ex præsenti oritur. Quæ sequuntur pertinent ad periculum euictionis vel rei venditæ vitium, quod tempore venditionis latebat. Illud ad venditorem pertinet, aduersus quem vel actionibus ædilitiis vel ex empto aut actione de dupla agitur, vtique si in casu euictionis ei denuntiatum sit, vt liti subsisteret, &

emptorem cui rei venditæ fiebat controuersia defenderet: qua de re inf. ad l. 8. de euict.

IDEM A. IVLIANO.

CVM *conuenit, vt singulæ amphoræ vini certo pretio væneant antequam tradantur, imperfecta etiam tum venditione, periculum vini mutati, emptoris, qui moram mensuræ faciendæ non interposuit, non fuit. Cum autem vniuersum quod in horreis erat positum, venisse sine mensura, & claues emptoribus traditas alleges: post perfectam venditionem, quod vino mutato damnum accidit, ad emptorem pertinet. Hæc omnia locum habent non solum si vinum, sed etiam si oleum, vel frumentum, vel his similia vænierint, & ea aut deteriorata aut penitus corrupta fuerint.* L. 2. C. eod. tit.

QVæ ad hanc legem pertinent, fere omnia ad legem superiorem sunt adnotata: in ea namque definitur, vini non prius perfectam emptionem esse, quam admensum fuerit, aut emptor moram fecerit quo minus id fieret: vnde & illud sequitur, interim mutati vini periculum, quod forte acorem vel mucorem contraxit, emptoris non esse, sed venditoris. Sed & adijcit etiam Imp. vini vniuersi per auersionem venditi, quod erat in horreis vel apothecis, periculum statim ad emptorem pertinere, quia nulla mensuræ faciendæ ratio venditionem moratur. Quod ait claues emptoribus traditas, id non eo pertinet, vt fuerit illud necessarium ad perficiendam emptionem, sed vt appareat idipsum quod venditum erat perinde esse, ac si & traditum quoque esset.

IDEM A. DRAPHANIÆ.

DOLVM *auctoris bonæ fidei emptori non nocere certi iuris est.* L. 3. C. eod.

Species legis secundum Accurs. Vix est vt hæc lex ad hunc tit. pertineat: nec enim in ea verbum vllum de periculo & commodo rei venditæ: Ei tamen recte Accursius affingit speciem ex l. 15. si vina. ff. eod tit. vt si de bonitate vini affirmauerit venditor, vel cum sciret bonitatem eius non duraturam nisi ad certum tempus, non admonuerit tamen emptorem, tunc teneatur etiam post vinum admensum, & degustatum, quia dolus auctoris id est venditoris bonæ fidei emptori non debet *Species secundum Cuiacium.* præstare dispendium, Cuiacius etiam in recit. ad eam legem ponit speciem ex l. qui à debitore. ff. de his quæ in fr. cred. vbi qui emit sciens à fraudatore potest conueniri pauliana actione, non vero secundus emptor, qui ab eo postea ignorans emerit. Sed potest etiam species poni in eo, qui sciens rem alienam ignoranti vendidit, cuius dolus non oberit, quo minus bonæ fidei emptor eam possit vsucapere, si aliunde vitium in re nullum sit: Sed illa species Cuiacij, & hæc quam ponimus, à titulo & regula quæ in eo proponitur aliquantum aberrant.

IMP. ALEXANDER A. SEPTIMÆ ET ALIIS.

L. 2. C. si quis alt. vel sibi sub alt. nom. vel al. pecun. emerit.

Si emancipatis vobis fundos, quos nomine vestro cum in potestate ageretis, pater emerat, tradidit, vel in possessione eorum voluntate patris fuistis, dominium acquisistis.

Species legis proposita. Speciem ad hanc legem apponere sufficiet quæ etiam per se iam patet satis. Titius nomine filiorum, quos in potestate habebat, fundos emit: mox eosdem filios emancipauit, & ipsis fundos eosdem tradidit: vel cum ipsi in fundorum possessione essent, pater id passus est: Quærebatur an dominium recte quæsiuissent, & an pater eiusmodi donationem posset reuocare. Rescribit Imp. fundos iure ad filios emancipatos pertinere. Mouebat quod vt pacisci alteri vel stipulari, ita obligationem empti venditi nemo potest acquirere, neque etiam valet donatio collata in filios, qui sunt in potestate, vt constitutũ est sup. ad l. 4. famil. hercisc. Ratio decidendi est, quod pater qui emit filio vel nomine filij, sibi emisse cen- *Vox patris vox filij.* setur: vox enim patris, vox filij: Et filius patris, vt seruus domini, est priuatum instrumentum: vnde & illud Aristotelis lib. 1. ἠθικῶν μεγάλων. cap. 33. μέρος τι ἐστι τοῦ πατρὸς ὁ υἱός, πλὴν ὅταν ἤδη λάβῃ τὴν τοῦ ἀνδρὸς τάξιν, καὶ χωρισθῇ ἀπ' αὐτοῦ. τότ' ἤδη ἐν ἰσότητι καὶ ὁμοιότητί ἐστι τῷ πα-

rei. Quantum vero ad ius donationis licet illa facta filiis, qui sunt in potestate, potuerit reuocari: tamen in eo quod fundi illis non sunt adempti dum emanciparentur, ex nouo consensu censetur donatio confirmata.

IDEM A. PATRIMO.

MANCIPIA, *quorum meministi, si vt proponis nomine tuo itemque fratris tui cui successisti, empta, vobis tradita sunt: licet instrumento emptionis matrem tuam pecunias numerasse contineatur, persequi ea more iudiciorum non prohiberis.* L.3.C.eod.

REctius aliquanto poterat dubitari in hac lege: an res empta à matre filiorum nomine ad eos pertineat, quod nullum intercedat ius potestatis, quo in persona sua possit videri emptio constitisse, vt propterea possit dici locum esse definitioni legis 6. hoc tit. id est, neque sibi actionem quæsiuisse matrem, quia noluit: neque filiis, quia non potuit refragante iuris definitione, qua constitutum est alteri in cuius potestate non sumus vel qui in nostra potestate non est obligationem nos acquirere non posse. Sed non ita strictim hæc iuris regula accipitur vt summis affectionibus parentum in liberos id non tribuatur quin possint ipsis parare vtiles actiones in locum directarũ quæ deficiunt, vt fit in specie legis Gaius Seius. ff. sol. matrem. l. pactum. Cod. de pactis conu. & aliis vulgaribus. Deinde in specie proposita non modo nomine filiorum à matre mancipia empta sunt, sed etiam ipsis sunt tradita cuiusmodi traditione dominium acquiritur: quod autem pecunia matris pretij nomine numerata dicitur, id ipsi condictionem ex mutuo si liberis crediderit aut negotiorum gestorum actionem parat, si id fecit quasi gerens eorum negotium, non ius dominij vllum tribuit, quod accidit tamen casibus certis quos notat gl. ad l.1. hoc tit. & Cuiac. in recit.

IMP. ALEXANDER A. CANTIANO.

SI *præsidi prouinciæ probatum fuerit, Iulianum nullo iure munitum seruos tuos scientibus vendidisse, resti-* L.1.C.de rebus al. non alien. & de

prohib. rerum alien. vel hypoth.

tuere tibi emptores seruos iubebit. Quod si ignorauerint, & eorum facti sunt, pretium eorum Iulianum tibi soluere iubebit.

IAm huius legis explicata sententia est sup. ad l. 3. de rei vind. ex qua constitit rei nostræ nobis inuitis & ignorantibus dominium in aliquem transferri non posse. Sed hoc ita verum est, nisi emptor bonæ fidei sit, & vsuceperit: tunc enim rei vindicatio extinguitur, modo illæ conditiones absint, quæ ex parte rei inutilem constituunt aut prorsus impediunt vsucapionem. Igitur sola superest actio ad pretium contra venditorem. Sed an pretium quod accepit an quo res constabat reddere debebit? Hoc expeditius est vt constituatur si commodè res acta est id soluat quod accepit: sin minus, quanti potuit distrahi. Quod si malæ fidei accesserit furtum dubium non est quin sit etiam actio pœnalis furti competitura.

IMP. ALEXANDER A. CHARISIO.

Lex 2. C. de pactis inter empt. & vẽd. compos.

SI fundum parentes tui ea lege vendiderunt, vt siue ipsi siue hæredes eorum emptori pretium quandocumque vel intra certa tempora obtulissent, restitueretur, teque parato satisfacere conditioni dictæ, hæres emptoris non paret: vt contractus fides seruetur, actio præscriptis verbis, vel ex vendito tibi dabitur, habita ratione eorum, quæ post oblatam ex pacto quantitatem, ex eo fundo ad aduersarium peruenerunt.

Species legis proposita.

IN venditione fundi conuenerat, vt quandocumque vel intra certum tempus pecunia emptori redderetur, liceret venditori vel eius hæredibus fundum recipere. Querebatur an possit ipse venditor, hæres-ve eius desiderare, vt oblato & reddito pretio sibi fundus restitueretur & quanam actione is vel ille experiri deberet. Rescribit Imp. actionem præscriptis verbis, vel ex empto vendito, eis accommodandam. Ratio dubitandi duplex erat. Prima quod à contractu semel perfecto nemo discedere possit, & maxime à venditione. *l. 3. C. de resc. vend.* Deinde cum actio præscriptis verbis de-

tur tantum ex contractibus innominatis, hîc autem proponatur venditio contracta: videbatur nequaquam illum titulum actionis in eiusmodi negotio posse interuenire. Ratio decidendi est, quod conuentio dat legem contractui, & mutat formam & conditionem eius: Ideoque cum pactum in continenti sit adiectum, vt liceret venditori aut eius hæredibus intra præscripta tempora pretio restituto redintegrare sibi ius dominij, quod aute venditionem habuerat in eo fundo: nihil intercedit dubitationis, quin potestatem conuentionis possit exercere, & cum eiusmodi pactio sit quodammodo contra ipsam emptionis naturam, ex qua dominium rei venditæ à venditore discedit ad eum non rediturum: Vt propterea dubitari posset an actio empti ex tali pactione daretur: tollendę dubitationis causa, vt res in tuto esset venditori, ei vtriusque actionis Imp. fecit potestatem: vt præscriptis verbis ageret tanquam ex incerto & innominato contractu, aut empti vēditi tanquam ex contractu venditionis certo & nominato. In huiusmodi specie Proculus in factum tantum actionem dabat quæ est præscriptis verbis. *l. 12. si vir. ff. de præscr. verb.* Sabinus vero & Iulianus etiam actionem ex empto. *l. si conuenit. ff. de resc. vend. l. 11. §. is qui vina. ff. de act. empti.* Vtramque sententiam comprobauit Imp. in hac lege, & forte dissidium quod erat inter autores decidere voluit. Absurdum quidem videbatur dari actionem ex empto, quæ in hoc datur vt contractus impleatur, non vt ab eo discedatur: Ideoque rectè Iulianus in d. §. is qui vina, dabat vtilem tantum ex empto non directam: Incongruens etiam erat dari actionem præscriptis verbis, quia pactio adiecta erat contractui nominato. Ne tamen nulla daretur, placuit dari vtramque. Pluribus vero casibus occurrit, vt actio præscriptis verbis competat, quoties negotium habet naturam contractus nominati, nec tamen merè est contractus nominatus: Sic in precario intercedit. *l. 2. & 19. ff. de precar.* quia licet contractus nomine veniat. *l. 23. ff. de reg. iu.* tamen nomen proprium habere non censetur, quia & donationi & commodato accedit propius, nec tamen est commodatum, quia potest reuocari quandocumque; nec donatio, quia qui donat sic dat, vt nō recipiat, quod in precario secus intercedit. Sic re æstimata data vt vendatur, licet merces interueniat ac per hoc videatur locatio contracta, tamen datur præscriptis verbis de æstimato, quia incertum est quis conduxerit quis locauerit aut etiam quia is contractus continet speciem emptionis. *l. 2. ff. de æst. act.* Idem cōstituendū in specie l. 1. §. vlt. ff. de præscr. verb. & aliis similibus casibus. Itaque quod dicitur in l. quoties. eod. tit. tum demum agi illa actione si alia deficiat, ita accipi debet, si certa & tuta actio occurrat: alias si res sit in incerto, perinde agitur præscriptis verbis, ac si incerti contractus negotiū esset gestū. De duob.

Ex precario datur actio præscriptis verbis.

in specie quam tractamus quæri potest: primum, an si emptor rem alteri vendiderit possit venditor contra secundum possessorem agere, qui rem emit vel fundū non admonitus de pactione, quæ in contractu autoris sui adiecta fuerat: Deinde, an venditori qui conuenit, vt sibi liceat quandocumque oblato pretio rem suam recipere, nullum tempus obijci possit, nulla-ve præscriptio eum agentem repellat, quin semper quando ei libuerit vtatur potestate conuentionis. Vtraque quæstio est ex vsu fori, in quo frequentius agitur de emptione eiusmodi, cui conuentio adijcitur, vt liceat vel quandocumque vel intra certum tempus rem suam recipere: vnde dicitur contractus gratiosus, aut emptio contracta sub pactione redhibitionis, vel retractus conuentionalis. Et quidem quantum ad secundam nihil est, quod de ea longius dubitetur, cum & senatusconsultis & vsu plurium municipiorum sit definita: vt videlicet facultas redhibitionis spatio triginta annorum concludatur; ne videlicet perpetuò rerū dominiū emptori sit in incerto, & venditor eius-ve hæres semper in insidiis sint, vt quo tempore res venditæ plurimi constiterint, tunc velint reuocare possessionē rerum venditarum, id non facturi si pretium earum esset diminutum. Illud igitur est iuris certissimi verba illa (quandocumque aut toties quoties) ciuiliter accipi debere, si ipse venditor aut eius hæres vtatur facultate redhibitionis intra triginta annos à tempore contractus numerandos, quod plenius ex his constat, quæ sunt ab erudito senatore Dn. Loüet relata, in collecta decretorum Curiæ Parisiensis, subiectis in eum locum notis locupletissimis Iuliani Brodæi disertissimi patroni. De priore autem quæstione nō occurrit quicquam esse definitum. Sed fortè non erit iniquum constituere etiam venditori contra extraneum possessorem esse actionem in rem, vt & ei offerendo possit rem suam recipere, quasi eiusmodi pactio rem ipsam afficiat. & id quoque Annæus Robertus in quæstione si non simili, non tamen in totum diuersa refert iudicatum lib. 3. rerum iudic. quod rationi congruit, ne sit in potestate emptoris alteri rem tradendo eludere placitum cōuentionis; & hac ratione nequaquā ille errauerit, qui dicat in specie legis 3. C. de cond. ob caus. dat. non tantū donatori, qui rei donatæ conditionē hāc adiecit ne alienaretur, cōdictionē cōpetere aduersus donatariū: sed etiā vindicationē aduersus extraneū possessorē, cui donatarius rem alienauit: quāuis id Cuiacius in recit. ad d. l. 3. non admittat. Certè restitutio minoris non tantum in personam est, sed etiam in rem, si res quam vni vendidit ad alium postea peruenerit. *l. 13. interdum. §. fin. ff. de minor.* qua comparatione videtur constituēdum etiam donatori dandam vindicationem, ne si inops sit qui accepit inanis quoque sit effectus condictionis. In eam rem plura apud Dn. Loüet in litt. S. num. 9.

Cum pactū redhibitionis tempus non habet post 30 annos exerceri non potest.

Ex pacto redhibitionis adiecto in venditione agitur in rem & in personam.

Restitutio minoris non tantū est in personam sed etiam in rem.

IDEM

IDEM A. FELICI MILITI.

QVI ea lege prædium vendidit, vt nisi reliquum pretium intra certum tempus restitutum esset, ad se reuerteretur: si non precariam possessionem tradidit, rei vindicationem non habet sed actionem ex vendito. L.3.C.eod.

Idem A. Iuliano.

COmmissoriæ venditionis legem exercere non potest, qui post præstitutum pretij soluendi diem, non vindicationẽ rei eligere, sed vsurarũ pretij petitionẽ sequi maluit. L.4.C.eod.

VTrumque rescriptum est de lege commissoria, id est de conuentione, quæ ex continenti in contractu emptionis & venditionis solet adijci, vt si pretium pars-ve pretij residua intra certum diẽ nõ sit soluta, liceat emptori inemptam rem facere, & partẽ pretij, quæ sibi prænumerata fuerit, retinere. Et pretij quidem parte aliqua in antecessum data nec residuo exsoluto, si commissum sit in legem: fructus medij temporis lucratur emptor, quia pretium non recipit: nulla parte pretij à principio soluta, rem cum fructibus restituit. *l.4. & 5. ff. de lege commiss.* Quærebatur autem in specie legis tertiæ; an committente in legem venditionis emptore, venditor haberet actionem in rem, an vero ex vendito actionem in personam tantum vt rem reciperet: & commodè Imperator distinguit, vt si venditor precariam dumtaxat possessionem rei venditæ concesserit donec pretium pars-ve pretij exolueretur, tunc exerceat dominij potestatem & vindicationem habeat. Sed & interdicto, quod precario, recuperandæ possessionis nomine agere potest. Sin res tradita sit fide habita de pretio vsque dum tempus præstitutũ veniret: tunc, quasi dominio translato in emptorem solam actionem in personam habeat ex empto. Dubitari poterat, quemadmodũ in lege superiori, num etiã daretur actio præscriptis verbis: Sed pactum legis commissoriæ non est contra naturam emptionis, vt pactum de quo in ea lege agebatur: Imo ad firmandam venditionem adijcitur, ne in pretij præstationẽ diutius venditori mora fiat. In lege 4. hoc quæritur; an venditor, qui post con-

Lex commissoria quid sit.

Quæstio legis tertiæ.

Quæstio legis quartæ.

dictum diem solutioni, non vsus est pactionis beneficio, sed pretium vel etiam donec solueretur eius vsuras petiit, possit postea eiusdem legis exercere potestatem, quod negat Imperator. Mouebat quod lex eiusmodi venditioni adijci soleat venditoris causa, vt liberum ei sit eius commodum amplecti, vel eam spernere. *l.2.& 3. ff. de lege commiss.* Sed visum est Imperatori ipsum venditorem legis beneficio renuntiasse, qui cum posset eam exercere pretium petere maluit: Ideoque iam variare & ad hanc redire non potest. *l. pen. ff. eod.* Sic ille cui legata est optio vel electio prima testatione ius suum consumit. *l. 20. apud. ff. de opt. vel elect. leg.* Sed & si commissoriam elegerit, inuito emptore venditio semel rescissa restitui non potest. *l.4.§.1.& l. fin. ff. de lege comm.* Vt autem emptor legem impediat, offerre pecuniam debet, si sit cui possit offerri: alioquin frustra hoc se colore defendet, quod non sit interpellatus. *d. l. 4. §. fin.* vt & in ea re locus sit definitioni, qua constitutum, diem interpellare pro homine. *l.2. C. de iu. emphyt. l. magnam. C. de contr. stipul.*

IMP. ALEXANDER A. NONIO.

Lex 3. C. si seru. exp. væn.

ANCILLA, *quæ exportanda vænijt, nec exportata est, sed ab emptore in eadem ciuitate morante empta & manumissa est, aduersus legem venditionis libera fieri non potuit; & ideo aditus à te procurator meus partibus suis fungetur.*

Ratio cur mancipiorum venditioni hac pactio adijci soleat, vt exportentur.

ANcilla vendita est ea conditione vt exportaretur. Eiusmodi leges solebant adiici à dominis in venditione seruorum propter offensam aliquam, dum volunt eorum conspectum amandare, vel propter quandam animorum & morum diffidentiam, quam ipsa veluti natura ingenerauit de qua etiam Quintil. decl. 325. *Sunt quidam*, inquit, *irrationabiles impetus animorum: sunt quædam gratuita odia.* Et in hanc sententiam festiue Martialis ad Sabidium.

Non amo te, Sabidi, nec possum dicere quare;
Hoc tantum possum dicere, non amo te.

Species legis proposita.

Ancilla igitur exportanda vænijt. Emptor neglecta conuentionis lege, tantum abest, vt exportauerit: Quin potius eandem in ea ipsa ciuitate, vbi venierat, manumisit. Quærebatur, an iure id factũ esset. Rescribit Imp. non fieri liberum imo aditum ipsius Imperatoris procuratorem partibus suis functurum, id est ipsam ancillam

vindicatutum, ita tamen vt lex à venditore dicta seruetur ac ipsa ancilla exportaretur. Dubiam huius rescripti æquitatem facit libertatis fauor, & ea ratio, qua etiam in simili quæstione Papinianus nitebatur, quasi viro bono non conueniat credere ideo sua interesse, quod sæuientis animo non sit satisfactum. Sed motus est Imperator, quod conditio adiecta venditioni ipsi seruo hæreat, maxime cum propter eiusmodi conditionem pretio viliori vendita ancilla censeatur: qua tandem ratione etiam ipse Papinianus admisit, non minus pœnæ nomine conueniri emptorem, qui legi non paruit, quam si è contrario conuenisset ne exportaretur, & aliter factum esset: qua de re agitur in l.6. & 7. ff. de seru. export. ad quas pertinet obseruatio Cuiacij lib.2.cap.37. Sed ex hoc rescripto non est concludendum, ancillam quæ exportanda vendita est manumitti non posse: nam illo tantum casu est irrita libertas, si vel exportata non sit, vel post exportationem manumissa eo loci moretur, vnde abesse debebat. *l.1. hoc tit.* Et hoc vel illo casu mancipium non recipit venditor, nisi sibi receperit manus iniectionem: sed ad fiscum pertinet, reuocata libertate: & venditor ad pœnam tantum agit, si quam stipulatus sit. *l.2. hoc tit.* Imo etiam pactum in continenti adiectum ad actionem proficeret ex noua Papiniani sententia in d.l.6.§.fin. In specie autem huius legis, in qua non proponitur conuenisse de manu iniicienda in seruum, vel de pœna à venditore præstanda, si lex contractus non seruaretur: Certum est reuocata tantum libertate, seruum cedere lucro fisci: nam quod in l. fin. hoc tit. inf. ipse Imp. ait seruo contra quam lex venditionis patiebatur in locis vnde efferri iussus est commorante vti iure suo venditorem: id ita accipiendum, si pacto vel stipulatione de pœna vel manus iniectione sibi cauerit: & ea etiamsi intercesserint, ita ageretur, si volũtate emptoris in locis interdictis moratus sit: nam si fugerit nihil factum aduersus venditionem videbitur: quod idem erit si is qui legem dixerit eam remiserit. l.1.3. & pen. ff. de seruis export.

Ancilla quæ exportanda vænit potest manumitti.

Cum seruus contra legem venditionis non est exportatus fit fisci.

IDEM A. PAPIÆ.

MOVEOR, *quod te à seruis tuis dominum eorum venisse affirmas sub ea lege, ne in patria moreru, & ab eo cui te emptor prior vendiderat, manumissum esse dicis. Quare competens iudex aduersus eum, quem præsentem esse*

Lex 4. C. eod. tit.

dicis, cognitionem suam præbebit: Et si veritas accusationis aderit, execrabile delictum in exemplum capitali pœna vindicabit. Sed quoadusque probaueris quæ intendis, status tuus esse is videtur, qui in te post manumissionem deprehenditur.

Species legis proposita. MAgnum rerum humanarum ludibrium species hoc rescripto proposita arguit, quod vel à Sidonio non debuit omitti, dum ep. 8. lib. 1. omnia in deterius conuersa describit: Serui dominum vendunt. Res est plana. Serui coniuratione facta Papiam dominum vendiderunt, & ne flagitium eorum detegi posset, hanc conuentionem venditioni adiecerunt vt exportaretur extra prouinciam vbi vænierat & domicilium habuerat. Emptor rursus eum vendidit Mæuio. Is quia commodam forte illius seruitutem erat expertus, illum manumisit: Itaque suæ factus potestatis libellum principi obtulit querelam aduersus seruos suos & rei totius seriem continentem. Imperator casus nouitate, & seruorum scelere motus rescribit, totum negotium ad iudicis competentis cognitionem referendum, qui examinata fide veri seruos capitali pœna coërceret, & status controuersiam dirimeret & interim tamen ipsum Papiam lite pendente pro libertino habendum. Nihil est quod de rescripti ratione quæratur quæ apparet manifesta, quia magis facti quæstio quam iuris versabatur ideo iudicis notionem esse debere.

IDEM A. SERAPHIANO.

Lex 5. & fin. C. eod. tit. *QVI exportandus à dominò de ciuitate sua vænit, nec in vrbe Roma morari debet. qui autem de prouincia certa, nec in Italia. Si itaque contra legem constitutam factum probare potes: Vtere iure, quod propterea tibi competit.*

HOc rescripto Imp. explicat, quænam sit verborum potestas cum conuenit, vt quis seruus ex ciuitate vel prouincia exportetur. Id vero docet eum qui certa ciuitate abstinere iubetur in vrbe Roma morari non posse, quia scilicet Roma est cōmunis patria.

&eodem exẽplo qui relegatus est, vel cui patria sua vel alia ciuitate interdictum est, Romæ morari non potest. *l. 7. relegatorum. §. 15. constitutum. & l. fin. ff. de interd. & rel.* Adijcit Imp. eum, qui de prouincia certa exportandus væniit, in Italia morari non posse, quia scilicet ipsa domina prouinciarum & imperij sedes, qua carere haud dubio voluit eum dominus qui eum vendidit, licet de eo nihil sit comprehensum, arg. d. l. fin. de interd. & releg. sicuti est restituta cum pluribus aliis eius tit. idque habet naturalem intellectum ne fruatur maioribus qui minoribus abstinere iubetur. *l. 5. ff. de seru. eo port.* Certè in aliis prouinciis vel ciuitatibus morari poterit, exceptâ Româ vel Italiâ & ea vnde nominatim abesse iussus est.

IMP. ALEXANDER A. SOCRATI.

PRÆFECTVS *vrbi amicus noster, eam quæ ita væniit, vt, si prostituta fuisset, abducendi potestas esset ei, cui secundum constitutionem D. Hadriani id competit, abducendi impertiet facultatem. Quod si eum patientiam accommodasse contra legem quam ipse dixerat, vt in turpi quæstu mulier haberetur, animaduerterit: Libertate competente secundum interpretationem eiusdem principis, perduci eam ad prætorem, cuius de liberali causa iurisdictio est, vt ibi lis ordinetur iubebit. Nec enim tenor legis, quam semel comprehendit, intermittitur, quod dominium per plures emptorum personas ad primum, qui prostituit, sine lege simili peruenit.* Lex 1. C. si mancipium ita vænierit ne prostituatur, vel contra.

Idem A. Seuero præf. Vrbis.

M*Vlierem, quam ita vænisse allegas ne prostitueretur, aut si prostituta fuerit libera esset; per officium militare exhiberi apud tribunal oportet: Vt si controuersia referatur de pacto (quod tamen si verum est, libertas mulieri* L. 2. C. eod. tit.

existente conditione competit) agatur causa apud eum cuius de ea re notio est. Hæc autem lex & si tabulis venditionis inserta non est, quamuis epistolà vel sine scriptis facta ostenditur, valet.

Idem A. Aurelio.

L.3.& fin.C. eod.tit.

E AM, *quæ ita venijt ne corpore quæstum faceret, nec in caupona sub specie ministrandi prostitui, ne fraus legi dictæ fiat, oportet.*

PActio de quà actum est in legibus supra expositis adijcitur vt plurimum venditioni seruorum, eorum odio cui impensius venditor indulget, aut etiam vt securitati suæ prospiciat, ne forte ab illis seruis, quos graui aliqua contumelia affecerint, periculum subeant. *l.1. ff. de seru. export.* Nemo quantum fieri potest lædendus est. Etiam erga seruos promenda est benignitas: & meminisse decet quemque Phocylidis opportune admonentis:

Non sunt serui iniuria afficiendi.

Στίγματα μὴ γράψῃς ἐπονειδίζων θεράποντα.

Cæterum si læseris: etiam ab his diligentissimè cauendum. Ἔστι κἂν μύρμηκι κἂν σέρφῳ χολή. Et forte ad seruos iniuriose à dominis habitos pertinet vetus illud prouerbium: *Quot serui, tot hostes*: & illud Theophili, ὁ δοῦλος τῇ φύσει τοῦ δεσπότου πολέμιος. Ad rem. Pactio vt dictum est, de qua in superioribus rescriptis, venditioni seruorum erat adiecta eorum odio: Illa, de qua hic tit. & hæ tres Imp. Alexandri constitutiones adijcitur ancillarum fauore. Sed & in venditione masculorum eandem conditionem adijcere olim interfuit, vt propterea in hac ipsa tituli huius epigraphe nomen mancipij positum sit, quod commune est masculis & fœminis. Puerorum meritoriorum frequens mentio in libris, & veneris masculæ etiam institores fuere, & prostibula mascula non minus quam meretrices palam fuêre in lupanaribus, vt constat ex Gellio lib.2.cap.18. cuiusmodi pathyci & concubini exoleti dicebantur, quos etiam vetare voluisse imperatorem Alexandrum Lampridius autor est: Quod non effecit tamen, veritus ne id prohibens publicum dedecus in priuatas cupiditates conuerteret, vt mos est homines prohibita magis poscere & fauore persequi: Sed quod tentauerat tantum Alexander, id Imp. Philippus perfecit tandem, vt idem Lampridius scribit: Et demum Impp. Constantinus & Constans infandum

illud scelus, siue publicum siue priuatum probrum esset, coërcuerunt gladio vltori reis tanti criminis subditis. *l. 32. cum vir. C. ad l. Iul. de adult.* quod idem repetitum à Iustiniano. N. 77. Sed non modo ipsorum mancipiorum fauore, sed domini ipsius etiam adijci solebat illa conuentio: Dum qui vendit ancillam hac conditione ne prostituatur affectioni simul & verecundiæ suæ obsequitur quod Papinianus innuit in l. 6. §. cæterum. ff. de seru. export. ac propterea aliquanto æquior, quam illa vt seruus exportetur: Cum beneficio affici hominem hominis intersit: pœnæ vero non irrogatę indignatiò solam duritiem contineat. *l. 6. eod. tit.* Hinc illa inter has duas conuentiones & pactiones differentia; quod illa, vt seruus exportetur remitti potest emptori, vt dictum fuit ad l. 3. tit. superioris: Hæc vero non potest. Imo si patientiam accommodauerit postea venditor, vt posset ancilla prostitui, in libertatem è vestigio eripitur ex constitutione Hadriani, cuius in l. 1. hoc tit. Imp. Alexander mentionem facit. Si consensus nullus venditoris intercesserit: Tunc prostitutâ ancillâ venditor qui sibi recepit manus iniectionem eam abducet interueniente præfecto vrbis. Adiri præfectum vrbis Imp. docet, quamuis possit ipse venditor potestatem conuentionis exercere sine magistratus autoritate, qui nec propterea vim facere dicetur: Quemadmodum creditor qui rem pignoratam aufert, non rem alienam contrectare sed ius suum exsequi dicitur. *l. 55. cum creditor. ff. de furtis.* Quamquam ciuilius facit qui magistratum adhibet. *l. 3. C. de pignor.* Si pacto conuenerit, vt libera fieret ancilla, si prostituatur: Tunc in legem venditionis emptore committente statim per officium militare id est apparitores præfecti vrbis ancillæ repræsentatur libertas, sicuti docet Imp. in l. 2. hoc tit. Est vero illa lex scripta ad Seuerum præf. vrbis non præf. prætorio, vt quidam vulgati Codices ferunt quod rectè notauit Cuiac. in recit. ad hunc tit. nam ea de re iurisdictionem præfecti vrbis fuisse docet l. 1. hoc tit. in pr. & manifestius comprobatur ex l. 1. §. hoc quoque ff. de off. præf. vrb. Et est hic Seuerus, ad quem rescribit princeps, idem cum Catilio Seuero, quem Lampridius ipsius Alexandri cognatum fuisse tradit, eumque extitisse doctissimum. Prætoris etiam cognitionem ea de re fuisse docet lex 1. hoc tit. sed tum demum si de libertate quæreretur, non si de ancilla aut mancipio abducendo. Quod ait Imp. in l. 2. circa finem pactionem huiusmodi valere, etiam si non tabulis venditionis inserta, sed epistola vel sine scriptis facta sit: Idem fere est ac si diceret, eam pactionem ex interuallo prodesse ad agendum, quod fauor tuendæ pudicitiæ aduersus strictam iuris rationem extorsit. Dicitur & illud in l. fin. eam quæ væniit ne corpore quæstum faceret, nec in caupona posse prostitui sub specie ministrandi, ne scilicet fraus pactioni fiat, quia fre-

Pactio ne ancilla prostituatur remitti non potest.

Præfecti vrbis iurisdictio erat cum ancilla contra pactionem erat prostituta.

Ancilla quæ vendita est hac lege ne prostitueretur non potest ministrare in caupona.

quentius fit vt in his castitas periclitetur, quæ obsequio seruili in caupona famulantur, & ipsa intemperantiæ vina præbent, vt rectè Constantinus Imp. in l. 29. quæ adulterium. C. ad leg. Iul. de adult. quæ optime mentem d. l. fin. explicat, etiam si neque à gl. neque à cæteris tractatoribus sit notata. Hoc superest, quod tradit Imp. in l. 1. in fi. conditionem siue legem emptionis qua conuenit, ne ancilla prostitueretur non intermitti, & si per plures emptores peruenerit. Illud est ex iure certissimo & ab ipsis etiam Iurisconsultis definitum. *l. 10. §. 1. ff. de in ius voc. l. diuus. ff. de iu. patr.* idque ea ratione nititur, quod ipsi ancillæ quodammodo hæreat, & emptor nihil possit constituere, quo illam legem eludat. Potest illud quæri quid sit cõstituendum si conuenerit, ne ancilla prostituatur, nec præterea quidquam sit cautum. Amplius de ea re est deliberandum: Nam nec id palam his rescriptis imperator Alexander nec ipsi I. C. ti alibi definierunt; an liceat emptori ancillam abducere, an vero libera fiat. Res ea animaduersionem desiderat. Apparet Papinianum remota stipulatione & pacto dedisse actionem ex empto in l. 6. §. cæterum. ff. de seru. export. Quinam igitur erit effectus eius actionis? Procliue est, vt dicatur dari in id quod interest venditoris affectionis & verecundiæ ratione, qua etiam pudor eius pulsatus videtur per iniuriam ancillæ factam. Sed & illud non improbabiliter dici poterit etiam ipsi venditori ius esse ancillam abducendi perinde ac si pactum intercessisset manus iniectionis, & ad hanc quoque speciem potest porrigi constitutio Imp. Hadriani, quam refert Imp. Alexander in l. 1. hoc tit. nam inane omnino videretur rescriptum aut constitutio, si dicatur eam tantum pertinere ad eum qui pactus est nominatim manus iniectionem, cum citra constitutionem vllam ex pactione tam legitima, quæ ex continenti bonæ fidei contractui adiecta erat, debuerit apud iudices aut magistratus suscipi & admitti cognitio. Atquin illud rependetur: inanem etiam fore pactionem manus iniectionis, si tantumdem liceat venditori qui simpliciter pactus est ne ancilla prostitueretur, ac illi qui conuentioni eiusmodi etiam hanc legem adiecit, vt sibi ancillam abducere liceret si fidem pactioni non præstaret? Sed quis non videt pleraque à principio solita nominatim & expressim fieri, quæ postea versa sunt in ordinariam & assiduam iurisdictionem, vt etiam omissa pro cautis haberentur. Sic quia duplæ stipulatio solet adijci in contractu venditionis, pro adiecta censetur si fuerit omissa. *l. 31. quod si nolit. §. 20. quia assidua. ff. de ædil. ed.* Sic quia solebat caueri vt fructus fundi locati pro pensione obligarentur. *l. 61. si seruus. §. 8. locati. ff. de furtis.* tandem obtinuit, vt etiam tacitè sine pactione vlla obligati essent. *l. 7. in prædiis. ff. in qu. caus. pig. vel hyp. tac. contr.* Sic quia solebat fiducia contrahi in emancipatione filiorum, tandem obtinuit

Quid fiat si conuenerit tantum ne ancilla prostitueretur nec vltra quid fuerit adiectum.

Quæ contractibus solent adijci plerumque omissa pro cautis habenda sunt.

obtinuit vt & pro contracta haberetur. Liceret per plura exempla currere vt eiusmodi similia proferrentur. Tam sollicita autem & diligens disquisitio de potestate illius pacti, *ne mancipium prostitueretur*, satis arguit illo cessante emptorem qui ancillam prostituisset à se emptam securum fuisse, vt in nullam pœnam incideret: nam & lupanaria olim omnino non improbata, & ea etiam exerceri solita in multorum & honestorum virorum prædiis autor est Vlpianus in l. 27. ancillarum. §. fin. ff. de pet. hæred. adeo vt de lenonibus sit ille Senecæ patris locus contr. 4. lib. 10. *Potest aliquis & non esse homo honestus, & esse innocens reus.* Verum non propterea mancipiis ablatum est iuris auxilium, si per vim à dominis prostituerentur citra consensum suum: nam proprie constitutio Seueri Imp. de qua in d. l. 1. §. hoc quoque ff. de offic. præf. vrbis. quæ illam curam præfecto vrbis concessit, vt mancipia tueretur ne prostituerentur, ad id pertinet, non ad quæstionem siue causam pactorum de quibus sunt tres Imp. Alexandri Constitutiones hoc loco propositæ. Alioqui quæ seruis aduersus intolerabilem sæuitiam dominorum suppetiæ dantur, vt eos bonis conditionibus vendere dominus necesse habeat. tit. de his qui sunt sui vel al. iu. apud Iustin. eædem eisdem aliquanto fauorabiliori æquitate præstandæ sunt, si pudori vis inferatur, cum stupri metus bonis maior quam mortis ipsius esse debeat. *l. 8. §. fin. ff. quod met. cau.* Cadit autem in seruos & ancillas honesti respectus, & idem qui ingenuis hominibus virtutum cultus esse potest. Non conditione sed animo homines æstimantur. Vestis, aut dignitas, aut opulentum patrimonium, atque ipsæ laquearibus aureis ornatæ domus, ad pompam sunt: Nihil ad mentem pertinent, qua sola homines distinguntur. Etiam plures optimæ notæ philosophi serui fuerunt, vt docet Gellius lib. 2. cap. 18. *Si omnes homines*, inquit Seneca, *ad primam originem reuocentur, à dijs sunt. Quid est eques romanus, aut libertinus aut seruus? Nomina ex ambitione, aut iniuria nata.* Et hîc aptandus locus D. Gregorij Nazianzeni in carm. 52.

Εἷς χοῦς πάντεσ, ἑνὸς πλάστου γένος, ἡ δὲ τυραννὶς
Εἰς δύο τὰ θνητῶν ἔσχισεν, οὐχὶ φύσις.
Δοῦλος ἐμοὶ πᾶς σεπτὸς, ἐλεύθερος ὅστις ἄριστος.

Sed ne à iurisprudentia ad intimam philosophiam temerarius fiat decursus, id de quo quærimus præstitere tandem Theodos. & Valentinianus l. 12. si lenones. C. de episc. aud. quæ integrior est in l. pen. de spectac. lib. 11. C. qua cautum, vt domini, qui ancillis peccandi necessitatem imponere voluerint, ius dominij interuentu episcopi amittant & in metallum damnentur, & liberæ etiam sunt ipsæ ancillæ à iure patronatus, quod & continetur in constitutione græca Iustiniani quæ est de iure patronatus relata à Cuiacio lib. 20. obs. cap. 34.

Lupanaria olim non improbata.

Mancipiis quæ per vim prostituerentur auxilio magistratus succursum.

Serui virtutum & morum honestorum capaces.

Plures philosophi serui extitere.

Domini qui ancillas inuitas prostituunt puniuntur & iure dominij in his amittunt.

IMP. ALEXANDER A. PATRICENSI.

L. 1. C. si mancip. ita fuerit alien. vt manumitt. vel contra.

SI Patroclus posteaquam te Hermiæ donationis causâ dedit lege dicta, vt si quindecim annis continuis seruisses, ad libertatem perducereris, ita vt ciuis romanus esses. Tempore peracto: Si modo Patroclus non contrariæ voluntatis fuerat, aut etiam si decesserat: Ad libertatem peruenisti: Quoniam placuit non solum ad venditos, sed etiam ad donatos eam legem, vt manumitterentur, pertinere. Nec te potuit semel translato dominio in Hermiam postea alij Patroclus vendere: Et ideo non de præstanda tibi libertate quam ex constitutione iam fueras adeptus, litigare debuisti: Sed libertatem, quam obtinueras, defendere.

Idem A. Eutychiano liberto.

L. 2. C. eod. tit.

SI ea lege Chrestes seruum suum sed naturalem filium venumdedit, vt emptor eum manumitteret: Quamuis non est manumissus, ex constitutione diuorum Marci & Commodi ad Aufidium Victorinum liber est.

Idem A. Fulginio.

L. 3. C. eod.

SI Iusta Saturnino puellam nomine Firmam agentem tunc annos septem, hac lege vendiderit, vt, cum haberet annos viginti quinque, libera esset: Quamuis factum ab emptore præstandæ libertatis pacto non sit insertum: Sed vt libera esset, expressum tamen constitutioni diuorum Marci & Commodi in semestribus scriptæ locus est: Ideoque impleto vicesimo quinto anno Firma libera facta est: Nec obest

ei, quod vicesimo septimo anno manumissa est, quæ iam ex constitutione libera erat. Et is, quem post vicesimum quintum annum ex te conceptum enixa est, ingenuus est.

HÆc tria rescripta pertinent ad sententiam constitutionis Diuorum Marci & Commodi ad Aufidium Victorinum. Ex vsu Imperatores Diuos vocamus, quia post mortem referebantur inter diuos indigetes eâ formâ iis-ve solennibus, quæ describit Herodianus lib. 4. in pr. vnde & iocus Antonini Caracallæ in Getam fratrem mortuum, cui senatus diuinos honores post mortem decreuerat, *sit diuus, dum non sit viuus*. Marcus autem Philosophus in consortium Imperii adhuc viuens filium allegerat: & ideo sub vtriusque nomine pleræque à Iurisconsultis constitutiones referũtur. Illâ, de qua hîc agitur, hoc cautum fuit, vt si seruus ancilla-ve venditi essent ea lege, vt intra certum tempus manumitterentur ab emptore, tunc nisi id factum esset ipso iure liberi essent: quam constitutionem interpretatus Imp. Alexander in l.3. docet idem obtinere, etiamsi factum præstandæ ab emptore libertatis pacto non sit insertũ, sed hoc rantum [illegible]nuenerit, vt vendita ancilla libera fieret: nam hoc vel illo casu constitutio ipsa ancillæ repræsentat libertatem, ita vt partus post illud tempus editus liber sit & ingenuus: quod multo magis obtinet in seruo, qui filius est naturalis ipsius venditoris. *l.2.* cum præter fauorem libertatis & constitutionis autoritatem, affectionis ratione ipsius venditoris interfit. *l.54. cum seruus. ff. Mandati.* Naturalis filij nomen triplici modo in iure accipitur: vel enim eum significat, qui in seruitute parentum susceptus est, aut ex domino alio-ve homine libero & ancilla natus est, qui proculdubio ventrem semper sequitur, non patris liberi conditionem, sicuti accipitur in hac l.2. hoc tit. l.17. §. si quis vxori. ff. ad Trebell. l. naturalis. ff. de præscr. verb. & alibi in iure passim. Deinde significat eum qui ex liberis duobus, vel matre saltem libera natus est, sed ex concubinatu vel alia coniunctione illegitima, vt in tit. C. de natur. lib. Denique sumitur pro filio legitimo, qui ex iusto parentum matrimonio editus est, & ita vocatur comparatione adoptiui filij, qui legitimus tantùm est, non naturalis etiam: Et illo sensu nomen naturalium liberorum accipitur in tit. de adopt. in pr. apud Iustin. Sed recurrendum ad constitutionem Marci & Commodi, quam in l. 1. docet Imp. non modo ad venditos seruos sed etiam ad donatos pertinere. Species eius illa est. Patroclus Patricensem seruum Hermiæ donauit hac lege dicta donationi, vt post quindecim annos ad iustam libertatem perueniret, id est ciuis romanus fieret: Nondum enim temporibus Alexandri erat abolita

Imperatores post mortem relati inter diuos indigetes.

Naturalis filij quotuplex sit significatio.

Constitutio Marci & Commodi habet locum in seruis donatis.

Species legis primæ.

latina & dedititia libertas, quarum comparatione iusta libertas dicebatur, quæ romanam ciuitatem tribuebat. Nondum eo tempore elapso Patroclus Patricensem alij vendidit, ac postea decessit. Quindecim annorum emenso spatio Patricensis ex lege donationis præstari sibi libertatem desiderat, eoque nomine Imp. Alexandro preces obtulerat. Seruus principi rectè preces offert vbi de sua libertate agitur vel etiam de domini commodo, & iusta est causa supplicaudi. l. 1. & 6. C. de prec. Imp. off. Multo magis itaque Patricensis in hac specie, vbi etiam ipso iure liber est. Imp. rescripit frustra eum de libertate litigare aut ipsam petere, cum magis sit vt eam quasi iam adeptus defendat. Ratio dubitandi hæc erat, quod verba constitutionis DD. Marci & Commodi pertinerent tantum ad seruos venditos; ac propterea videbatut Patricensem non modo liberum non esse, sed nec libertatem desiderare potuisse. Ratio decidendi hæc est quod cum par ratio, imo etiam maior libetalitatis conditionem impleri suadeat, æquum est sententiam constitutionis ad eam quoque speciem pertinere: Quod pridem etiam obtinuisse ipse Imp. ostendit: Nec enim nouum ius in ea constituit, sed secundum illud quod obtinebat rescripsit. Videtur primum eius sententiæ autorem esse Papinianus in l. pen. ff. qui sine manum. nam quasi de iure nondum certo respondet, donatis seruis sub ea lege vt manumitterentur, libertatem competere ex sententia constitutionis D. Marci post tempus in negotio contrahendo præstitutum. Alioquin Scæuola religiosiot iuris, qui ipse sub Marco floruit in l. 122. qui Romæ. §. Flauius. ff. de verb. obl. nondum producere illam constitutionem ad seruos donatos erat ausus: & fere hanc rationem componendi dissidij inter d. §. Flauius & hanc l. primam probat Cuiacius lib. 1. obs. cap. 29. quamuis & illud dici queat Scæuolam respondisse de specie proposita in d. §. Flauius antequam omnino ipsa constitutio D. Marci promulgata esset: Nam ex eo, quod adiuncto nomine Commodi filij prolata est, satis constat nonnisi extremis imperij diebus eam ab ipso Imp. emanasse. Cæterum nec postea obtinuit eam constitutionem pertinere ad donationem inter coniuges, si seruus vxori donatus sit, vt manumittatur. *l. 7. quod autem. §. vxori. ff. de don. inter vir. & vx.* quia scilicet dominium à donatore non abscedit, cui debet esse liberum an velit manumittere. Sed nec pertinet ad seruum sub ea lege legatum l. 81. si fundum. §. 1. ff. de leg. 1. quamuis rectius possit dici in ea specie non habere locum eam constitutionem, quia serui legatum, si non esset intra annum manumissus, ad alium translatum erat: alioquin non difficulter admitti posset non manumittente intra præstitutum tempus legatario constitutioni locum fore. Non habet etiam locum hæc constitutio, vbi citra

Seruus principi potest preces afferre.

Constitutio Diui Marci non habet locũ in seruo donato à cõiuge alteri coniugi.

Non pertinet etiam ad seruum sub lege manumittendi legatũ.

emptionem pecunia vel quid aliud datur vt seruus manumittatur. *l.5.pecuniam.§.item si quis.ff. de cond. caus.dat.l.5.§.at cum do.ff. de praescr. verb.l.9.C.de cond.ob caus.dat.* credo ob eam rationem, quia in eiusmodi conuentione, *do vt facias*, re integra antequam is qui accepit legi conuentionis pareat, licet ei qui dedit pœnitere, & pecuniam datam vel rem repetere. *l.3.§.2.sed si tibi.ff. de cond.cau. da.* Alioqui si appareat pecuniam pretii nomine tanquam ex causa emptionis datam, constitutioni locus erit. *l. 4. hoc tit. l. Paulus. §. 1. ff. de liber. caus.* Sed & si venditum mancipium ab emptore manumitti placuerit, nec tempus præstitutum sit: si hoc actum sit, vt id esset in potestate emptoris; eo moriente erit liber: si non appareat quod actum sit, intra duos menses præstanda est libertas. *l. fin. ff. qui sine mand. ad lib. peruen.* Notandum autem illud: Etiam si tempore elapso, intra quod manumitti seruus venditus debuit, ipso iure mancipium ad libertatem perueniat: tamen esse patronum emptorem, eique honorem haberi, vt in ius nisi venia impetrata possit ab eo vocari, qui liber factus est. *l.10. in pr. ff. de in ius voc.* Quinetiam ad successionem liberti is patronus admittitur & commodum habet bonorum possess. contra tabulas, si sit præteritus à liberto vel liberta. *l.3.§. sed si hac l. ff. de bon. libert.* quamuis operas imponere non possit. *l.13. in pr. ff. de oper. libert.* neque huic distinctioni, quam posuimus modo, obstat lex 4. ff. de bon. libert. quæ ait eum qui ex lege vel S.C. liber est nullius esse libertum: nam hoc ita verum, si libertus legi tantum libertatem suam debeat, veluti cum propter detectam domini necem liber fit. Cæterum in ea specie, circa quam versamur, non tantum constitutioni libertatem suam acceptam refert seruus, sed emptori quoque qui pretium pro eo numerauit, cui non debet nocere mora forte modica, si ipso momento præteriti temporis libertatem non præstitit, quam competituram beneficio constitutionis non ignorauit. Pene effugit stilum, quod in l.1. hoc loco notatur, illam pactionem vt seruus manumittatur, remitti posse ab eo qui ipsam legem dixit, id est emptore aut donatore, vt tum constitutioni locus non sit. Cui definitioni quod opponitur lex quæsitum. ff. de seru. export. Recte Accurs. respondet in ea lege non fieri seruum liberum ex constitutione, sed ex ipsius emptoris voluntate, qui, quod mutauerit voluntatem venditor, non propterea prohibetur ipse seruum manumittere, si velit.

Qui emit seruum sub lege manumittedi patronus est eius qui liber ex constitutione factus est.

Diluitur argum. contrarium.

IMP. ALEXANDER A. SABINO.

L.4.C.Locati.

EX Diui Antonini Pij litteris, certa forma est, vt domini horreorum effractorum eiusmodi querelas deferentibus custodes exhibere necesse habeant, nec vltra periculo subiecti sint: quod vos quoque adito præside prouinciæ impetrabitis: qui, si maiorem animaduersionem rem exigere deprehenderit, ad Dominium Vlpianum præfectum prætorio & parentem meum reos remittere curabit. Sed quia domini horreorum nominatim etiam ipsi custodiam repromiserunt: Idem exhibere debent.

Merces qualibet in horreis fuerũt deposita.

MOris fuit in horreis recludi & recondi merces alienas custodiendas *l.22. vulgaris. §.6. certè. ff. de furtis.* nec fuère tantum frumentaria, quæ ob id granaria Persio, sed & vinaria. *l.7. ff. de instr. fund. & instr. leg.* Imo & res aliæ in his depositæ. *l.1. hoc tit. §. item si quis. de rer. diuis. apud Iustin. & l. clauibus. ff. de contr. empt.* Hinc repetita toties in iure quæstio de effractura horreorum, cum sæpissime inhiantes prædæ latrones solerent impetu facto eorum fores effringere, & merces quaslibet pretiosas ibi repositas & depositas asportare. Et ad hanc ipsam quæstionem pertinet hæc Imp. Alexandri constitutio, in qua refertur rescriptum siue epistola Antonini Pij diuersa ab illa quę posita est in l.1. hoc tit. qua constitutum effractis horreis & suppilatis, raptisque mercibus quæ in eis essent, ad hoc tantum teneri ipsorum horreorum dominos, vt exhibeant custodes de quorum fraude vel negligentia quæratur. Dominus horreorum solebat seruos suos custodes adhibere, qui propterea etiam in quæstionem peti possunt. *l.55. dominus. ff. hoc tit. l.3. §. effracturas. ff. de off. præf. vig.* qua de re in prouinciis fuit præsidis vel proconsulis cognitio vt docet Imp. hoc loco. Adiicit tamẽ, *qui si maiorẽ, &c.* quæ verba quemadmodum accipi debeant, vix est vt satis constet. An non præses ius habuit animaduertendi in fures, latrones, effractores? Illud vero est certissimũ habuisse. *l. congruit. ff. de off. præs.* Quin & habuit ius gladij & imperium merum licet non plenissimum, quod nec diffiretur Cuiac. in parat. ffrum ad tit. de offic. præf. prær. Quod idem Cuiac. in recit. ad hunc tit. ait in his quæ maiorem ani-

Custodes horreis adhibiti.

Præses habuit ius gladij.

maduerſionem deſiderarent noxios à pręſide remitti ad præfectum prætorio id etiam ſatis huius legis verba loquuntur, ſed eſt ſuſpectiſſimum tamen: maximè cum in l.10.& ſeqq. ff. de off. præſ. dicatur præſidem in prouincia omnium Romæ magiſtratuum vice & officio fungi, & ex omnibus caufis cognoſcere, de quibus præfectus vrbis, Conſules & prætores, ipſe etiam præfectus prætorio cognoſcunt. Amplius ea de re deliberandum; niſi dicamus id ſummæ affectioni tribuendum eſſe, qua Vlpianum tum temporis prætorio ſuo præfectum ipſe Imp. Alexander proſequebatur, vt eum de re aliqua maioris momenti voluerit cognitionem ſuam interponere. Sed & illud etiam probabilius fingi poteſt, edixiſſe Imperatorem vt rei remitterentur ad pręfectum prætorio, quod forte manus militaris, quæ præſidi aderat, par non eſſet delictorum conſciis coërcendis, quod numerus poterat etiam aduerſus publicam diſciplinam eſſe contumax, niſi maiori imperio & plurium militum copia ab inſolentia prohiberetur. Recte hoc loco gl. notat Vlpianum vocari parentem Imperatoris ſcientiâ & ætate, non cognatione. Certè Vlpianus tutor fuit Imp. Alexandri, vt Lampridius notat, felix pupillo tam magno, vt eo nomine potuerit Imp. eum vocare parentem ſuum: Nam ipſi patritij & ſupremi conſiſtorij aſſeſſores principis patres vocantur. §. filiusfam. qu. mo. ius patr. pot. ſol. Sed magis eſt vt referatur hoc nomen ad illam conſuetudinem, qua Imperatores ſummos quoſque magiſtratus parētes cariſſimos vocare ſolebant maximè præfectum prætorio & præfectum vrbis, conſules, viros patritios & militum magiſtros, vt conſtat ex pluribus Nouellis Valētiniani & Theodoſij, & reſcriptis aliquibus Honorii Imp. ad Symmachum præf. vrbis. in auctario quod adiectum eſt epiſtolis ipſius Symmachi. Inferiores magiſtratus magis fratres amantiſſimos vocabant, veluti magiſtrum officiorum, comites quoſlibet, vt conſtat ex eiſdem N N. Valentin. & Theod. quæ ſcriptæ ſunt ad Numum & Opilionem magiſtros officiorū: & Hæſiodorum, Florianum, Ennodium, comites rerū priuatarum vel ſacrarum largitionum: quamuis vna ſit quæ ſcripta eſt ad Florentinum magiſtrum officiorum & alia ad Eudoxium comitem rerum priuatarum vbi vocantur parentes cariſſimi Auguſtorum: nam hę litteræ ſingulares. P. K. AA. ſignificant, parens cariſſime Auguſtorum: vt illæ FR. A. frater amantiſſime: & aliæ FR. A A. frater Auguſtorum: & hæ P. K. A. Parens cariſſime amantiſſime, vbi K ſcribitur more græco, vt ſæpe in ſubſcriptionibus Kal. pro Calendis. Sed & magiſtratus ipſi & conſiliarij principis vocabantur etiam amici: vt ipſe Vlpianus ab ipſo Imp. Alexandro amicus vocatur in l.4. inf. de contr. & comm. ſtip. & in l.17. ff. de iure patr. Voluſius Mæcianus l. C. amicus vocatur D D. fratrum. Sed ad rem. Imp. in hac lege

Cur Imp. Alexāder Vlpianū vocet parētem ſuū.

Maiores magiſtratus vocari parentes à principibus ſolitum.

Minores magiſtratus fratres ab eiſdem appellari moris fuit.

Magiſtratus etiā vocatur amici ab ipſis principibus.

Custodia nomen sumitur dupliciter.

adijcit, *sed quia, &c.* quod mirum videri possit, quandoquidem citra conuentionem vllam ex ipsa contractus natura locator semper debet custodiam. Sed custodiæ nomen est ambiguum. Si pro ea sumatur, quæ ex natura locationis debetur, locator de effractura latronum non tenetur, quia custodia aduersus vim maiorem & iniuriam parum proficit. *l. 31. si ea res. ff. de act. empti. l. 41. sed de damno. ff. hoc tit.* Igitur custodiam tantum præstare debebit aduersus fures, si quid extrinsecus illæsis horreis ex rebus depositis siue custodiendis datis perierit, quæ species est legis primæ hoc tit. Sin illud vocabulum sumatur pro cura & diligentia omni, quam in se nominatim ex pactione recepit dominus horreorum: tunc ipsius effracturæ periculum agnoscit, quia debuit eo cautius sibi prospicere, quo fidem suam firmius adstrinxerat: ad quam definitionem pertinent nouissima verba huius rescripti: & hæc distinctio eo magis vera videri debet, quod qui in se periculum casus fortuiti recepit, pacti legem seruare tenetur. *l. 9. §. Iulianus. ff. hoc tit.*

IDEM A. PETRONIÆ.

Lex 5. C. eod. tit.

CERTI *iuris est, ea quæ voluntate dominorum coloni in fundum conductum induxerint, pignoris iure dominus prædiorum teneri. Quando autem domus locatur: non est necessaria in rebus inductis vel illatis scientia domini. Nam ea quoque pignoris iure tenentur.*

Inuecta illata in domum pro pensione tenentur tacita obligatione.

QVæ illata sunt & inducta in prædium vrbanum, tacite censentur obligata. *l. 4. ff. de pactis.* olim quidē tātū in vtraq; Roma & territorio earum: Hodie in prouinciis quoque. *l. fin. C. in qu. caus. pi. vel hypoth. tac. contr.* & hoc ita verum si illata sint, vt ibi maneant ad vsum conductoris, & in eius supellectili contineantur. *l. in prædiis. §. fin. ff. eod.* Neque vero pro pensionibus tantum: sed & si culpa sua inquilinus habitationem fecerit deteriorem. *l. 2. ff. eod.* quod & locum habet in horreo conducto & stabulis, quæ quantum ad hanc iuris definitionem prædiorum vrbanorum nomine veniunt. *l. 3. & 4. §. fin. ff. eod.* In rusticis prædiis conuentio necessaria est: alioquin non censentur obligata, quæ inuehuntur aut inferuntur *d. l. 4.* ita vt ne quidem prætextu debiti pensionum restitutio eorum moram patiatur. *l. 5. C. eod.* Ratio differentiæ est, quod prædij vrbani

Secus de inuectis in prædium rusticum quæ sine pactione expressa non obligantur.

Ratio differētiæ.

vrbani nulli sunt fructus, qui possint pignoris iure retineri: & ideo inuecta tacite censentur obligata pro pensionum securitate: At in prędiis rusticis fructus nascuntur, qui etsi nulla conuentio intercesserit tacite domino fundi tenentur. *l.7. in prædiis. ff. eod.* adeo vt si non soluta pensione clam colonus eos deportauerit furti nomine conueniatur. *l.61. si seruus. §. 8. locaui. ff. de furtis.* & inde fit etiam vt, quia non soluta pensione fructuum furtum facere colonus dicitur, ex senatusconsultis non admittatur ad cessionis beneficium, quasi ex causa criminali potius quam ciuili obligatus sit. Superior differentia quæ notata fuit circa illata in prædium vrbanum vel rusticum, eadem quoque in hac lege constituitur: nam in prima parte huius legis nomen voluntatis sumitur pro conuentione expressa, qua placuit inter fundi siue prædij rustici dominum & colonum, vt inducta pignori essent: & propterea dicendum hanc legem superiori definitioni non obstare. Id etiam manifestius probat secunda legis species, quæ est de inuectis & illatis in prædium vrbanum, in quibus dicitur domini siue locatoris scientiam non esse necessariam, id est non requiri pignus conuentionale, sed tacite obligationem induci, vt iure hypothecæ teneantur.

Fructus prædiorũ locatorum tacite censẽtur obligati.

Vid. Dn. Louet in litt. C. num. 57.

IDEM A. VICTORINO.

NEMO *prohibetur rem, quam conduxit fruendam, alij locare, si nihil aliud conuenit.* Lex 6. C. eod.

RAtio dubitandi hæc potuit esse, quod vt plurimum inquilini aut coloni persona debeat inspici, cum locator non esset alij locaturus. Sed non aliter conductor vtetur hoc beneficio vt alteri locet, quam si eandem aut certe non deteriorem conditionem locatoris faciat: ac prætere a æquum est vt secundi conductoris nomine remaneat obligatus, si qua in re propter pensionem aut domus vel fundi deteriorationem domino sit obnoxius. Quod si conuenerit ne alteri locaret, pactioni standum.

IDEM A. TERENTIANO.

SI *cum Hermes vectigal octauarium in quinquennium conduceret, fidem tuam obligasti: posteaquam spatio* L.7. C. eod.

eius temporis expleto, cum idem Hermes in conductione vt idoneus detineretur, non consensisti, sed cautionem tibi reddi postulasti: non oportere te de posterioris temporis periculo adstringi, competens iudex non ignorabit.

Octauarium vectigal quid.

OCtaua pars pretij nomine vectigalis vel portorij solebat ex quibusdam mercibus exigi & fisco inferri. *l.2.C.de Eunuchis.* & inde etiam vectigalis octauarij nomen in hac lege, vt octauarij, qui eiusmodi vectigalia redimebant. *l.8. Cod.de vectig. & commun.* sicut apud Græcos decimarum erant exactores. Harpocration δεκατώνης, τελώνης. δεκατεύτη, τελώνιον. Hoc vectigal octauarium conduxerat Hermes in quinquennium, pro eo fidem suam adstrinxit Terentianus. Exacto quinquennio retinetur Hermes in conductione à fisco aut repub. vt idoneus: & retinetur volens, nec enim potuit inuitus. *l.3.§.cum quinquennium.ff.de Iu.fisci.l.inuitos.C.hoc tit.* quamquam propter magnos prouentus, quos superioribus annis fecisse inueniuntur, ipsi publicorum vectigalium conductores paulum interquiescente iuris ratione ad hoc possint adigi, vt eodem pretio sequentium annorum conducta quoque retineant vectigalia, quo priori tempore habuerunt. *l.11.cotem.§.fin.ff.de publicanis.* Terentianus sibi reddi cautionem fideiussionis desiderabat, quam pro Hermete emiserat. Rescribit Imp. eum posterioris temporis periculo non adstringi, si secundæ conductioni non consenserit. Mouebat quod Hermes adhuc erat obligatus: Sed non potuit liberationem Terentiano semel quæsitam finita prima conductione eidem inuito auferre, *arg.l.fin.ff.de pactis.* Pignora sane, si quæ Hermes prima conductione dedisset, remanent obligata, quia nullius periculum versatur, quam ipsius. *l.13.item quæritur.§.qui impleto.ff. hoc tit.*

Species legis proposita.

Tempore finito nemo inuitus in conductione retinetur.

Diluitur argumentum contrarium.

IDEM A. HIGINO.

L.8.C.eod. tit.

LICET *certis annuis quantitatibus fundum conduxeris: si tamen expressum non est in locatione (vt mos regionis postulabat) vt si qua lue tempestatis, vel alio cæli vitio accidissent damna, ad onus tuum pertinerent: & quæ euenerunt sterilitates, vbertate aliorum annorum repen-*

ſatæ non probabuntur: rationem tui iuxta bonam fidem haberi recte poſtulabis, eamque formam, qui ex appellatione cognoſcet, ſequetur.

HÆc lex pertinet ad ſterilitatem, quæ propter vim diuinam calamitate agros afflixit: cuiuſmodi multa damna ſolent ſegetibus, vineis, arboribus fructibuſque terræ omnibus accidere: qualia ſunt, ſi lolio aut auena aliiſque herbis noxiis ſegetes fuerint oppreſſæ, ſi rubigine, aut ærugine, carbunculatione, ſiue ſyderatione, aut etiam vermiculatione fructus ſint corrupti, ſi edaci mutium, erucarum, aut locuſtarum pernicie ſint conſumpti, ſi ſturnorum aut graculorum tempeſtas calamitoſa inciderit, ſi flatu ventorum, vel creberrima grandine, aut largioribus imbribus fructus fuerint decuſſi, ſi hoſtes incurrerint, ſi chaſmate vel hiatu terræ fundus deſederit, abſumptuſ-ve ſit, eiuſ-ve pars maxima: Qua de re quædam Cuiacius lib.15. obſ. cap.28. & plura Budæus ad l. ex conducto. §. 2. ff. hoc tit. qui tamen bruchi non faciunt mentionem, quo etiam fructus infeſtantur, vt apparet in illo loco D. Hieronymi ad cap.3. Malachiæ prophetæ, qui & relatus in can. reuertimini.16.qu.1. Sed fieri poteſt vt agros quidem irrigantibus pluuiis ſit quidem fertilitas: Verum aut locuſta veniet, aut bruchus, aut eruca, aut ærugo, & labores hominum vaſtabunt. Sed procliuius eſt, vt ſub nomine locuſtæ contineatur bruchus: Quamuis ad pompam & vbertatem orationis vnum inſectum ab alio D. Hieronymus ſeiunxerit: Nam & Heſychius *βροῦκος γένος ἀκρίδος* & idem forte qui etiam *μηλολόνθης*, animal renotius, quam apud latinos nomine, quem filo vinctum pueri ludos faciunt more antiquo, de quo ipſe etiam Ariſtophanes *ἐν νεφέλαις*:

Agrorum calamitates multiplices.

Ἀποχάλα τὴν φροντίδ' ἐς τὸν ἀέρα,
Λινόδετον ὥσπερ μηλολόνθην τοῦ ποδός.

Hæc autem damna omnia ad damnum locatoris pertinent, quatenus conductori mercedem cogitur remittere, vt docet Imp. hac l.8. cui tamen definitioni tres exceptiones idem imperator applicat. Prima eſt, ſi aliter conuenerit, nam vt ſupra poſitum ad l.4. valet conuentio, vt caſus fortuiti periculum ferat, qui ſepoſita conuentione, illud non ferret. Secunda eſt niſi aliter mos regionis ferat, vt damna illa ad colonum pertineant: & propterea, verba illa quæ ſunt incluſa parentheſi, vno tenore legenda ſunt, & ita corrigenda, *aut mos regionis non poſtulabat*; quod docet locus Harmenopuli lib.3. cap. 8. §. 6. qui proprie ad hanc conſtitutionem pertinet. *ἡ διάταξις βούλεται, τὴν ἀπὸ τοῦ ἔργου γινομένην ἀφορίαν μὴ τῷ μισθωτῷ ἐγκυκλοῦσθαι, ἀλλὰ τῷ δεσπότῃ, εἰ μὴ τὸ ἐνάντιον συμπεφώνηται, ἢ τὸ ἔθος τοῦ κλί-*

Caſus quibus caſus qui circa fructus accidit periculo ſunt conductoris.

ματος τοῦτο βέλτιον. quod & probat Cuiacius in recit. ad hunc tit. nisi quod nõ adijcit negationẽ, quę omnino esse debet in hac clausula, vt sit sensus eius integer. Tertia exceptio est nisi quæ euenerint sterilitates vbertate sequentiũ annorũ sint pẽsatæ: Nam tum remissio non fiet: Imo etiam si facta sit, sub titulo donationis, reuocari poterit, quasi non donauerit dominus, sed transegerit. *l.15.ex conducto.§.Pap.al.l.si vno.ff.hoc tit.* Quæ dicta sunt, pertinent ad colonum, qui certa mercede & pecunia numerata fundum conduxit: Nam colonus partiarius quasi societatis iure & damnum & lucrum cum domino fundi partitur. *l.25.si merces.§.vis maior.ff.hoc tit.* Attinuit autem dixisse damna fere omnia ad locatorem pertinere, quia quædam colonum spectant: Veluti si vinum acuerit vel mucorem contraxerit, vel si raucis aut herbis noxiis segetes corruptæ sunt. *d.l.ex conducto.§.2.* idque ita demum si fructus omnes non sint læsi: nam vix est vt supra damnum seminis & impensæ inaniter curæ & culturæ, mercedem præstare cogatur: & quidem sufficiet colono remitti pensionem: nec enim vltra æquum est locatorem teneri etiamsi ex ipsius coloni bonis exercitus aut latrones aliquid abstulerint, *d.§.2.& l.12.hoc tit.* Quantum ad causam Emphyteutæ, licet colono comparetur, & vocetur etiam colonus perpetuarius, tamen ei canon, aut pensitatio annua non remittitur, si quid eiusmodi circa fructus fundi vectigalis acciderit, sed tantum si labe aut chasmate ager perierit totus, aut pro maiori parte. *l.1.C.de iu.emph. l.3.de fund.patrim.lib.2.cod.* quia scilicet canon ille exiguus est, nec tam in fructum pensationem datur, quam in dominij recognitionem. Obstat tamen d.l.15.§.Pap.ff.hoc tit. vbi in vectigali fundo, qui idem est cum emphyteuticario remissio fit: sed ibi adiicienda negatio: & ita legendum, *non idem dicendum in vectigalis damno*; quod probat lectio *βασιλικῶν* à Cuiacio relata ad lib.4.resp.Pap.in fine, quæ ita habet: *οὐ τὸ δὲ καὶ ἐπὶ ἐμφυτευτικοῦ ἐστι*: vel dicendum nomen vectigalis ibi non sumi pro fundo vectigali, sed pro vectigali publico cuius redemptor vel publicanus impetrauit liberationem, aut mercedis imminutionem propter aliquem casum fortuitum, cuius incommodum si rependerit sequentis anni fœlix prouentus, poterit à publicano pensio remissa exigi, quod forte non caret ratione: nam nequaquam adsentiendum Cuiacio qui in recit. ad d. l. primam ait, ante Zenonem emphyteutæ sicuti colono remissam fuisse annuum solarium.

Colonus partiarius cum domino fundi lucrum & damnum partitur.

Quodnam damnum ad colonum pertineat.

Emphyteuta propter læsionem fructuum non remittitur canon.

Ratio.

Diluitur argumentum contrarium.

IDEM A. FVSCO.

EMPTOREM *quidem fundi necesse non est stare colono, cui prior, dominus locauit: Nisi ea lege emit. Verum si probetur aliquo pacto consensisse, vt in eadem conductione maneat: Quamuis sine scripto: Bonæ fidei iudicio ei, quod placuit, parêre cogetur.* L. 9. C. eod.

DEfinit Imp. hac lege: Emptorem fundi à domino in certos annos antea locati non adstringi, vt colono frui præstet, nisi hac conditione emerit, de qua sufficit conuenisse, licet scriptura instrumenti non sit comprehensum: Quod similiter, idem Imp. sup. docuit in l. 2. si mancip. ita vænierit ne prost. legem illam ne mancipium prostituatur valere, licet tabulis venditionis non sit inscripta: Modo vel epistola vel alias sine scriptis facta ostenderetur; Dubium mouebat in specie proposita, quod cum locatio præcessisset emptionem, colono ius videretur quæsitum; sed locationis ille contractus actionem parat in personam contra locatorem vt condemnetur in id quod interest, non etiam ius in re ipsi colono tribuit, vt inuito emptore qui iam dominus est in fundo moretur per tempus locationis: Quod idem dicendum in legatario fundi ipsius, vel eo qui vsumfructum in eodem fundo habet, qui non coguntur pati colonum vti frui: Licet enim à locatore ius suum habeant: Tamen obligatio personalis ipsos non tenet, sunt enim rei non personæ successores. *l. 59. arbores. §. 1. ff. de vsuf. l. 32. qui fundum. ff. hoc tit.* contractus autem res non afficit sed personas obligat, & hinc ratio cur constitutum supra ad l. 6. de hæred. vend. domino rem vni, mox eandem alteri vendente, potiorem esse secundum emptorem, si ei res tradita sit: quia prior venditio, quam secuta traditio non est, non dominium emptori, sed tantum actionem in personam fidei ruptæ nomine contra venditorem parat. Igitur quantum ad hæredes locatoris, qui ipsi locatorem referunt, stare conductioni à defuncto factæ cogentur, si ipse dominus fuit: Nam si vsufructuarius tantum erat, & id sciuit conductor, omnino non tenentur: Quia ipse prospicere debuit morte ipsius fructuarij ius vsusfructus peremptum iri *l. 9. si quis domum. §. idem quærit. ff. hoc tit.* Huic autem rescripto locus non est in fisco vendente fundum, quem ante locauerat: Nam tacite videtur venditioni inesse cõuẽtio, vt emptor colo-

Sententia legis proposita.

Contractus locationis parat actionem in personam non in rem.

Legatarius fundi locati non tenetur colono præstare vti frui.

Heredes tenentur colono præstare vti frui.

Fisco vendente fundum à se locatum tenetur emptor præstare colono vti frui.

An mulier teneatur stare locationi fundi dotalis quam constante matr. fecit maritus.

no vti frui præstet, ne fiscus in id quod interest colono teneatur. *l. fin. ff. de iure fisci.* quod forte idem dicendum cum maritus fundum dotalem locauit & decessit, aut solutum est matrimonium ante conductionem finitam. Cum vxori dos relegata est à marito, quia lucrum repræsentationis sentit: Dubium non est quin possit videri eam colono debere præstare frui licere, cui maritus fundum dotalem locauerat: Nam & hoc nomine cauere eam hæredi passuram se frui colonum docet l. 1. §. fin. ff. de dote prælegata. Cum non est dos prælegata, & diuortio vel morte solutum est matrimonium, maior est quæstio: & forte tamen verius est tum quoque mulierem non posse irritam facere conductionem: Neque alio videtur pertinere quod Paulus tradit l. 25. filio familias. §. fin. ff. solu. mat. non aliter mulieri fundum reddi oportere, quam si cauerit id quod maritus soluere condemnatus sit ab ea præstitum iri: Quod & ratio iuris & nostri admittit, quo maritus fundos iure proprietatis ad vxorem pertinentes, in nouem vsque annos locare potest. Ergo sine fraude factam locationem mulier ratam habere necesse habet post mortem mariti. Ratio autem illa potest esse, quod tempore locationis dominus rerum dotalium sit maritus, vt propterea videatur rectè contracta, & consensus etiam ipsius vxoris intercessisse. Sed quod magis pertinet ad speciem huius legis; tractatorum plerique & maximè Ioannes Faber ad hanc legem & Guido Papius qu. 480. tradunt emptorem adstringi factæ locationi à venditore, si ipse bona sua omnia in fidem contractus obligauerit: nam veluti pignoris iure cuius causa emptionem præcedit ipse colonus fundum retinebit, quod idem est, si impensas fecerit ipse conductor in ipsum fundum. Alia tradit Accurs. quæ negligi non debent.

Maritus potest fundos vxoris proprios constante matrimonio locare in nouem annos.



COMMENTARII IN RESCRIPTA AVRELII ALEXANDRI SEVERI IMP. ROMANI QVÆ LIB. V. Codicis Iustinianæi continentur.



EX eo libro sunt 63. tres constitutiones per diuersos ipsæ quoque titulos sparsæ. Duæ priores occurrunt in tit. de donationibus ante nuptias, quarum hæc sunt verba.

IMP. ALEXANDER A. ATTALO.

SI præsidi prouinciæ probaueris: vt Eutychiam vxorem duceres, munera te parentibus eius dedisse, nisi Eutychia tibi nupserit, tibi restitui, quod dedisti, iubebit. L. 2. C. de donat. ante nupt. vel propter nupt. & sponsaliciis.

Idem A. Marcellæ.

POllicitatione à fratre quondam tuo sponsalium causa facta, etsi in stipulationem deducta sit, ideo præstanda non fuit: Quoniam in dote vxor maritum fefellit. Exceptionem itaque doli aduersus actionem ex stipulatu rectè obijcies. Lex 3. C. eod.

PRior constitutio pertinet ad munera sponsalitia, quæ gratia sponsaliorum gener socero vel sponsæ parentibus dat, aut inuicem sponsus ab iisdem accipit, quæ quid differant ab arris sponsalitiis Cuiac. docet in parat. ad hunc tit. Rescribit autem Imp. Attalũ, qui Eutychiæ nuptias ambiẽs munera parentibus eius dederat, nuptiis nõ secutis ea posse repetere. Mouebat quod donatio semel facta nõ reuocatur ne quidẽ principis rescripto l. 5. si donationẽ C. de reuoc. don. vnde etiã Aristoteles donationẽ vocat χρέος ἀνανάδοτον quasi sit creditum insolubile, nullo vnquam casu aut tempore repetendum. Sed occurrit potior hæc ratio, quod quæ fiunt in sponsalibus donationes, aut munera quæ mittuntur, contemplatione nuptiarum futurarum fiunt: Vnde his non secutis quasi causa deficiente repetitioni locus est: Nec est dubium eiusmodi munera repeti per condictionẽ causa data causa non secuta. Altera constitutio est de donatione quæ sponsæ facta est vel traditione (cuiusmodi olim donatio omnis constabat inter extraneos) vel etiam ex stipulatione, nam ex sola conuentione & pacto donandi ante Iustinianum actio non fuit: Docet autem Imp. sponsum ipsum vel maritum aut eius hæredem, (nam species est de hærede qui conuenitur) ex stipulatione donationis causa facta non posse conueniri, si hanc sponsus in sponsam contulit propter spem dotis maioris, quam animo decipiendi mulier promiserat: Quasi & illo quoque

Sententia legis 2. *Sententia legis 3.*

casu donationis causa defecerit: Alioquin si non dotis obtentu & nuptiarum causa, sed simpliciter ac solius liberalitatis exercendæ voro donatum esset, rescindi donatio etiam nuptiis non secutis non poterit. *l.* 10. *si filiæ. hoc tit.* Sed iure nouo tamen vix est vt vlla donatio facta inter sponsos valeat nisi nuptiis secutis, quandoquidem semper contemplatione nuptiarum facta censetur. *l. cum veterum, hoc tit.* nisi fortè mors sponsi interuenerit post osculum sponsæ datum aut raptum: Illo enim casu pars rerum donatarum penes sponsam remanet. *l. si à sponso eod.* Quanquam autem in hac l. 3. fiat mentio dotis & donationis factæ inter sponsos: Non est illa tamen accipienda de ea donatione, quæ fit in compensationem dotis, & passim vocatur ἀντίφερνα, & olim ante nuptias, postea à Iustiniano propter nuptias vocitata est: Illa enim antiquis prudentibus fuit incognita, vt ait Iustinianus in §. sunt & aliæ. de donatio. Inst. ergo & Imperatori Alexandro. Est igitur accipienda de donatione simplici facta tempore sponsaliorum, quæ tamen reuocatur si mulier sponsum in dote fefellit, & illa quidem est mera liberalitas eo animo facta, vt secutis nuptiis ad sponsum non reuertatur, vel vt ad eum redeat illis non secutis. *l.* 1. *§. fin. ff. de dona.* Imo res sibi à sponso donatas sponsa in dotem conuertere potuit quasi suas pleno iure factas. *l.* 1. *hoc tit. l.* 5. *generaliter. §.* 1. *C. de secundis nup.* Illa altera non est mera donatio, sed propter dotem fit: & quemadmodum dotem recipit mulier soluto matrimonio, ita donationem propter nuptias maritus, vel hæredes mariti, nisi aliter conuenerit pactis adiectis de lucranda dote vel donatione propter nuptias, eiusue parte aliqua *l.* 9. *ex morte. cum seq. C. de pactis conuent. &c. &* N. 119. Illa à solo sponso fiebat in sponsam, & iure etiam nouo à sponso vel marito in sponsam vel vxorem: prior vero de qua hic igitur, etiam à sponsa in sponsum. Quinam Imperator illam donationem, quæ propter dotem fit, induxerit, non satis constat: Iustinianus in dicto §. est & aliud ait, à iunioribus principibus esse introductam: sed quinam illi sint adhuc quæritur. Id ad Aurelianum Imperatorem Ferretus refert, propter l. 6. hoc tit. quæ simplicem donationem in sponsam collatam vocare videtur, quasi comparatione facta ad eam quę in pensationem dotis fit. Alii referunt eam ad Constantiũ, vt Contius. Forte à consuetudine cœpit, & postea etiã inualuit. Certe nulla constitutio meminit donationis ante nuptias propter dotis causam factæ ante legem ex morte C. de pactis conu. quæ est Leonis & Anthemii, quos forte voluit innuere Iustinianus in d. §. est & aliud. sed in re non satis certa quilibet suum errorem sequi potest.

Omnis donatio facta inter sponsos censetur facta contemplatione nuptiarum.

Quid differat donatio simplex facta in sponsalibus à donatione propter nuptias.

IMP.

IMP. ALEXANDER A. PERPETVO.

LIBERI *concubinas parentum suorum vxores ducere non possunt, quia minus religiosam & probabilem rem facere videntur. Qui si contra hoc fecerint crimen stupri committunt.* Lex 4. C. de nuptiis.

FAcilis est sententia huius constitutionis, quæ docet concubinam patris aut aui liberos id est filios vel nepotes ducere non posse; quasi eiusmodi coniunctio ad stuprum potius nefarium accedat, quam ad nomen legitimi consortij. Et certè vtcunque patris concubina nouerca non sit: Tamen filio nouercæ loco est, quia concubina est vice coniux: in nuptiis autem contrahēdis naturale ius & pudor maximè inspici debet. *l. 14. adoptiuus. §. 2. ff. de ritu nupt.* & inuerecundum esset filium cum ea nuptias contrahere, quam pater loco vxoris habuit. Et idem constituetur, vt quæ concubina patris fuit, filij etiam esse non possit. *l. 1. §. 3. ff. de concub.* concubinatum iure ciuili permissum esse his qui legitimam vxorem non habent satis constat. Sed vt quarumdam nuptiis est abstinendum: Ita & de concubinatu: Quamuis possunt species intercedere, vbi concubinatus eius potest eligi, cum qua iure matrimonium constare non potuit, qua de re quædam Cuiac. lib. 5. obseru. cap. 2. *Concubina patris non est nouerca sed tamen est loco nouercæ.*

IDEM A. MAXIMÆ.

SI *vt proponis pater quondam mariti tui in cuius fuit potestate cognitis vestris nuptiis non contradixit: vereri non debes, ne nepotem suum non agnoscat.* L. 5. C. eod. tit.

ET illud quoque rescriptum perspicuum est, atque in eo definit imperator: Rectè contractas esse nuptias à filiofamilias, si pater non contradixerit: Ideoque nepotem ex ea coniunctione natum auo suum hæredem esse, si filius ipse decesserit. Hæc ratio dubita-

tionem mouebat, quod patris consensus nuptias non præcessisset. Sed is est matrimonij fauor, vt videatur pater consensisse, qui cognitis nuptiis filij sui eius factum non improbauit: Maximè eum propter contemplationem publicæ honestatis non debeat dissolui matrimonium sine patris voluntate contractum, vt ait Paulus lib. 2. sentẽtiarum tit. 19. Hæc sufficiunt: Nam quæ de consensu parentum in nuptiis liberorum requirendo poterant adijci, tam nota sunt, vt inanis opera fuerit, quidquam setio de eadem re definire.

IMP. ALEXANDER A. AMPHIGONO.

Lex 1. C. de incestis & inutil. nuptiis.

LIBERTA *eademque vxor tua si à te inuito decessit: connubium cum alio non habeat, si modo vxorem eam habere velis.*

Libertinus non potest ducere patronam. *Patronus ducere libertam potest.* *Liberta quæ est vxor patroni ab eo inuito non potest diuertere.* *Liberta inuita non nubit patrono.*

Libertinus non potest ducere patronam suam. l. 3. Cod. de nuptiis. nisi forte, tam ignobilis est, vt ei possint esse honestæ liberti nuptiæ. *l. 13. si patrona. ff. eod.* sed non idem est in patrono, qui libertam suam vxorem ducere non prohibetur. *l. 15. vxorem Cod. eod.* nisi iusta causa interueniat, veluti si fiat senator: Sed illud est priuilegium patroni, quod ab eo inuito diuertere ipsa non potest, vbi ducta est semel. *l. 45. in eo cum seq. ff. de ritu nupt. l. fin. in princip. ff. de diuortiis* idque lege Papia constitutum erat, vt docet inscriptio illarum legum. & de ea etiam accipienda lex 8. inf. de operis libert. quæ est Imp. Alexandri. Ad eam quoque definitionem pertinet hæc lex prima. Sed excipienda est illa liberta, quam aliquis ex causa fideicommissi manumisit: Quandoquidem minimi momenti est beneficium, quod ab eo inuito quæ manumissa est potuit extorquere. *l. penult. ff. de diuortiis. l. 50. proxime. ff. de ritu nupt.* Occurrere poterat hæc dubitatio in hac lege, quod libera debeant esse matrimonia tam in contractu quam in distractu, adeo vt non valeat hæc conuentio, ne liceat diuertere, vt ipse imperator Alexander definit in l. 2. C. de inutil. stipul. & propterea etiam inuita liberta patrono non nubit: Et si sponsa eius sit, potest eius sponsalibus renuntiare, nisi matrimonij causa manumissa sit. *l. 28. inuitam. l. 45. in eo iure. §. 4. l. si matrimonij. ff. de ritu nupt.* Sed hoc euicit honos, qui debetur patrono summus propter ingens libertatis beneficium ab eo acceptum, ne à placito semel eius consortio liberta discedat, si eius consuetudine ipse delectetur: Quod idem obtinet, si patroni sit concubina: Nam

quia eiusmodi concubinatu dignitatem matronæ siue honestæ matris familias non exuit, quam aliæ exuunt concubinæ. *l. 41. probrum. §. fin. ff. de ritu. nupt. l. 13. si vxor. ff. ad l. Iul. de adult.* ideo patronum cuius concubina est deserere inuitum non potest. l. 1. in principio. ff. de Concub. in qua male explicatur à gl. & Godofredo illa ratio quam subinfert Vlpianus: Quod enim dicit honestius esse patrono libertam habere concubinam, quam matrem familias, sic est accipiendum: Magis esse ex dignitate patroni liberta vti vt concubina, quam eam ducere in vxorem: Quia scilicet impar fere semper eiusmodi coniugium. *Liberta qua est concubina patroni non exuit dignitatem honestæ matrisfam.*

IMP. ALEXANDER A. BYRRHO.

MATER *pupillæ cum tutore filiæ sua, vel filio tutoris nuptias contrahere non prohibetur.* L. 2. C. interd. matr. inter pupillam & tut. &c.

Idem A. Rogatiano.

C*Vm proponas ei, quam matrimonio tuo iunctam fugeris, post liberos susceptos curatorem patrem tuum datum, quem contendis, nec te in potestate habuisse, cum rite contractum matrimonium ex post facto vitiari non potuerit: Iustam interpretationem metuere non debes, ne liberi, quos habetis non ex iusto matrimonio suscepti videantur. Vt autem omnis scrupulus auferatur: Insistere pater tuus debet, nec non & vxor tua, vt alius loco eius detur: Habebit enim facultatem repetendæ rationis negotiorum gestorum ab eo, qui fuerit substitutus.* L. 2. C. eod.

TVtor ducere pupillam suam, aut filio suo vel nepoti in matrimonium collocare non potest, nisi ei à patre desponsa, destinata, aut testamento nominata sit: Quod idem obtinet in curatore. *l. 36. tutor l. 59. ff. de ritu nupt. l. 7. qui pupillam. ff. ad leg. Iul. de adult.* Matris arbitrium, cui permisit moriens maritus conditionem filiæ eligere, non sufficeret, si tutorem pupillæ datum ipsa eligeret. *l. 62. quantquam. ff. de ritu nupt.* Ratio cur matrimonium eiusmodi prohibetur *Tutor vel filius eius pupillam ducere non possunt nisi certis casibus.* *Ratio superioris definitionis.*

est in procliui, quia fieret sæpe, vt vel tutor vel filius eius, pupillā vel adultā in matrimonium ductā, inanem redderent tutelæ actionem vel vtilem negotiorum gestorum actionem, siue delinimentis eam corrumperent, siue maritali authoritate eam compescerent, quominus administratæ tutelæ vel curationis rationes repeteret: Quibus illud est consequens, vt non sit perpetua eiusmodi prohibitio, sed duret tantum vsque ad illam ætatem, qua exigi rationes possunt, videlicet vsque ad annum ætatis vigesimum sextum impletum, quo iam certum est pro tenore iuris antiqui non posse minores petere restitutionem earum rerum nomine quas in minore

Quæstio legis 2. ætate gesserunt. l. 66. non est. ff. de ritu nupt. In specie autem legis 2. hoc tit. dubitabatur an tutor vel filius tutoris possent ducere matrem pupillæ suæ, quod videretur parari hæc affectio ad impediendum ius pupillæ. Sed hæc nihil nocent: Nam nulla ibi verecūdiæ ratio intercedit, quominus pupilla à vitrico, aut vitrici patre, eodemque tutore rationes exigat. Igitur oratio D. Marci & Commodi, siue senatusconsultum, quod ad eam factum est, de pupilla tantum locuta sunt, nec pertinet ad alias personas pertinentes ad affectionem pupillæ, quam sufficit à fraudibus esse securam, quæ per speciem contracti cum ea matrimonij rationibus eius inferrētur.

Tutor potest collocare filiam pupillo suo. Imo nec pertinet ea oratio ad pupillos quominus filias suas ipsis tutores collocent in matrimonium. *l. 64. libertum. §. fin. ff. de ritu nupt.* quia scilicet maior est constantia & vis animi in sexu virili, cum nec vllus obsequij & reuerentiæ obtentus sit pupillum remoraturus, quominus rationes à socero repetat, si quæratur non ex fide & diligentia, qua debuit, tutelam suam esse administratam. Facilius fœminas imbecillitas consilij, & sexus infirmitas, verecundia etiam prohibet, quominus libere cum socero vel marito agant.

Sententia legis 3. In l. 3. constituit Imp. Alexander non esse causam idoneam, cur matrimonium rite contractum dirimatur, quod socer curator nurui suæ forte minori viginti quinque annis datus sit; quamuis sit expeditius alium curatorem dari, quia & illo quoque casu posset fraus senatusconsulto fieri, vt nurus propter matrimonij honorem & pudorem vereretur exigere rationes à socero. Itaque ipse socer excusare se debet: licet enim verba orationis deficiant, sententia tamen eius offenderetur, vt recte dicitur in l. 17. licet. C. de excus. tut. Idem est in marito vxori suæ curatore dato, qui proculdubio, vt à se fraudis suspicionem amoueat, id agere debet, vt alius curator substituatur. *l. 4. C. eod. tit.* alioqui licet rebus vxoris suæ debeat affectionem: tamen propter eiusmodi metum creari curator non potest, vt definit hic noster Imp. in l. 2. inf. qui da. tut. vel cur possūt. Igitur quod scriptum est in instit. §. pen. de excus. tut. maritum curatorem vxori suæ datum excusare se posse, id est transferendum in

legis necessitatem, quia etiam cogitur se excusare, ne in periculum incidat. Imo & in sponso id definit Modestinus in l. 1. §. 1. ff. eod. Certè procurator vxoris suæ maritus esse potest. *l. maritus. C. de procurat.* quia non solet hoc officium continere omnem administrationem: & si contineat, tamen ab vxore, quæ est maior annis, datur: nec vlla suspicio euertendarum rationum, cum pendeat ex voluntate ipsius reuocare mandatum, quod non æque obtineret, si eidem curator daretur.

Maritus potest esse procurator vxoris non curator.

IMP. ALEXANDER A. CLAVDIO.

FRVSTRA *existimas actionem tibi competere, quasi promissa dos tibi nec præstita sit: cum neque species vlla, neque quantitas promissa sit, sed hactenus nuptiali instrumento adscriptum, quod ea quæ nubebat dotem dare promiserit. PP. Kal. Aug. Pompeiano & Peligno Coss.*

L. 1. Cod. de dotis prom. & nuda pollicit.

Sententia huius legis ad hanc speciem redigi potest. Titia cum nuberet Claudio marito dotem promisit generaliter, neque speciem vllam aut quantitatem designauit, Claudius ex ea pollicitatione agebat, quia certum est in causa dotis promissæ agi ex nudo pacto aut pollicitatione. *l. 6. hoc tit.* & cum ei non præstaretur, aut solutionem mulier detrectaret, quod incerta esset pollicitatio: Claudius Imp. Alexandrum consuluit. Rescribit ille, actionem ei non competere. Occurrebat rei æquitas, quod matrimonij onera ferret maritus, & indotatam vxorem haberet. Sed Imperatorem stitit illa ratio, quod ex nuptiali instrumento non appareret, quod ipse Claudius petere deberet: quo fit vt simplicitati & socordiæ suæ in expensum id referre debeat, qui non exegit, vt certa res aut quantitas designaretur, cuius nomine sine periculo vagæ & incertæ petitionis posset experiri. Verum huic rescripto obstat lex cum post. §. gener. ff. de iu. dot. ex quo, si genero socer dotem arbitratu suo certa die dari promiserit, agere gener potest, vt socer pro modo facultatum suarum & generi dignitate dotem constituat. Hîc hærent omnes fere tractatores, qui tamen inuicem dissentiunt, nec tam eorum quisque in meliori sententia est, quam diuersa: Omniũ contrarias & inter se pugnantes opiniones collegit Nicolaus de passeribus in conciliatione legum contrariarum. Cuiusque sententiam reprobare, idque firmissimis rationibus, est in facili: potio-

Species legis proposita.

Obijcitur lex cum post. paragr. gener. ff. de iu. dot.

rem eligere vix queat quisquam. Magis illi ingenui qui fatentur hæc legum capita pugnare, nec aliter controuersiam discingunt, quam quod Papiniano aliter visum in d.§. gener, aliter Imperatori Alexandro in hac lege, qui potuit à sententia Papiniani discedere vt pote tempore posterior. Sed vltra quam hæc sententia nodum magis scindit quam dissoluit, non caret ipsa etiam scrupulo, cum Imp. Gordianus, qui post ipsum Alexãdrum Imperatorem floruit, manifeste videatur sequi sententiam Papiniani in l.3.hoc tit.in qua constituit ex pollicitatione dotis esse actionem, licet nec species nec quantitas sit demonstrata. Quia vero ex Solonis legibus in media ciuium discordia nulli licet solitarium videri, sed parti alterutri est accedendũ: ne res sine exitu sit, hæc forte commodior sententia est, à qua enarratio Harmenopuli, & interpretatio Duareni non recedunt, vt distinguendum sit, an pater vel extraneus incertam dotem promiserit, an mulier. Si pater vel extraneus; quia duorum intereſt & mariti & mulieris, vt dotem habeant; ille constante matrimonio, illa etiam soluto: tunc actio marito datur perinde ac si insertum esset arbitrium boni viri: & ita accipiendus d.§. si gener. & d.l.3. hoc tit. Sin mulier ipsa; quia mariti tantum interest, ipsi vero mulieri vtile est quam minimo fungi dotis exsolutione: tunc actio cõtra eam non detur, sed ei liceat vel re leuissima fidem suam soluere, ad quod pertinet sententia huius legis. Et ad hanc definitionem accedit generalis hæc regula inutilem esse vel stipulationem, vel legatum rei incertæ, quæ ad minimum redigi potest, veluti si quis leget domum cum nullam habet, vel fundum promittat nulla demõstratione adiecta: quia enim res eiusmodi ad minimam & derisoriam præstationem possunt restringi, magis est vt nihil actum censeatur. *l.71.si domus in pr.ff.de leg.1.l.115.ita stipulatus.ff. de verb.obl.* quod non est in homine incerto promisso, quia certam à natura definitionem habet, & in eo quoque legatum constat. *l.13. cum incertus.ff. de leg.1.*

Solutio.

Nulla est promissio rei incertæ quæ ad minimũ redigi potest.

IMP. ALEXANDER A. EVPHEMIO.

Lex 3. C. de iure dotium.

ET si dotis exactio, defunctâ in matrimonio filiâ, potuisset ad patrem peruenire: Dotalibus tamen seruis maritus testamento directam & fideicommissariam libertatem iure dedit, & præstitam reuocare non debuit: Cum & inter

viuos manumittendi mancipia dotalia, constante matrimonio, liberam habeat maritus facultatem. PP. VI. Id. Decembr. Antonino & Alexandro Coss.

COnstitutum iam sup. ad l. 13. de neg. gestis, dotem profectitiam, mortuâ in matrimonio filiâ, ad patrem redire. & rectè mortuâ: nam si adhuc viuat & solutum sit matrimonium actio de dote est communis inter patrem & filiamfam. *l. 2. §. 1. ff. sol. matr.* nec si pater pactus sit hanc sibi reddi, eo magis habebit actionem, quia sola stipulatio ei proficit. l. 6. hoc tit. quæ intelligenda est quoties diuortio vel mortē viri solutum est matrimonium: nam si mortua sit filia in matrimonio, pactum ei proficit: imo sine pacto ad eum dos profectitia reuertetur: & ita est accipienda l. 4. inf. sol. matr. quem-adm. dos pet. quæ est ipsius Imp. Alexandri. Hac vero lege quæritur an, si seruos dotales manumiserit maritus inter viuos aut etiam testamento, & directā eis vel fideicōmissariā libertatē dederit, valeat ipsa manumissio, vel possit pater defunctæ mulieris eam reuocare. Rescribit Imp. non posse. Mouebat legis Iuliæ autoritas, quæ fundum dotalem inæstimatum vetabat alienari: At alienationis verbo manumissio continetur. *l. fin. C. de commun. rer. alien.* quod & iure canonico obtinet. *cap. 3. & 4. de extra de reb. eccl. non alien.* Mouebat etiam, quod maritus soluto matrimonio res dotales inæstimatas reddere teneatur, ac per hoc videbatur inutiliter data libertas seruis dotalibus. Sed rectè existimauit Imp. legem Iuliam ad seruos dotales, & res quaslibet mobiles non pertinere, sed ad prædia vrbana vel rustica: illa enim fundi dotalis inæstimati alienationē vel obligationem impedit, non etiam rerum omnium dotalium. Cæterum res inæstimatæ mulieri soluto matrimonio reddi debent ita demum si extent, & adhuc sint in dominio mariti, non si eas alienauerit, quod potest. Hanc definitionem non euertit quod dicitur in l. in rebus hoc tit. mulierem res dotales posse soluto matrimonio vindicare siue inæstimatæ sint siue inæstimatæ: nam hoc tantū verum est cum maritus non est soluendo, vt eo casu in subsidium eas possit mulier vindicare. Non pugnat etiam lex 50. æstimatis. ff. soluto matrim. quæ res dotales ait reddendas mulieri, etiam si alienatæ sint à marito, si modo alienationi ipsa non consenserit, nec eam ratam habuerit, quia dicendum est id locum habere vbi nominatim conuenit, vt res inæstimatæ soluto matrimonio redderentur: alioquin si nihil conuenerit iure à marito facta alienatio videbitur. Non pugnat lex 5. hoc tit. cuius verba statim subiicientur: nam quod ibi dicitur rebus dotalibus æstimatis maritum dominium consequi, non inde sequitur rebus inæstimatis in dotem datis do-

Quæstio legis propositæ.

Alienationis verbo manumissio continetur.

Lex Iulia non pertinet ad res dotales mobiles.

Diluitur arg. l. in rebus. C. hoc tit.

Diluitur arg. l. 50. ff. soluto matr.

Diluitur arg. l. 5. hoc tit.

minium ad eum non transire: sed ad hoc tantum pertinet, vt liceat marito soluto matrimonio res ipsas æstimatas retinere & pretium soluere, quod ita non esset si inæstimatæ essent: nam eas reddere teneretur si extarent: aut quod magis est vt periculo mariti sint, *l.10. cum dotem. l. 21. si inter. hoc tit.* quod fieret secus si inæstimatæ essent: nam tunc ipsi mulieri deteriores vel meliores fierent. *l.10. plerumque in pr. ff. eod.* Maritus generaliter rerum dotalium dominus est: Ideoque nec eas vindicare vendere, aut donare mulier potest. *l.9. doce. C. de rei vindic. l.23. si prædium. C. hoc tit. l.21. constante. C. de donat.* & propterea I. C. in l. 75. quamuis. ff. hoc tit. ait dotem in bonis mariti esse. Consequẽs igitur est vt res dotales alienare possit excepto casu legis Iuliæ, quæ vt dictum est dum vetuit fundi dotalis alienationem, satis concessit alias res à marito posse distrahi. Igitur & seruos dotales recte manumittet, vt hac lege Imp. definit, quod ita verum tamen, si soluendo fuerit: aliter enim, ne videatur facta in fraudem mulieris, nullius erit momenti. *l. seruum dotalem ff. de manum.* quia scilicet vbi maritus ad inopiam vergit iam in ea causa dos est, vt etiam constante matrimonio reddi debeat. *l. 29. vbi. hoc tit. l. 24. si constante ff. sol. matr.* Illo autem casu manumissi serui patronus est maritus. *l. 3. §. si dotalem. ff. de suis & legit. hæred.* sed si tamen inuita muliere manumiserit, quodcumque ipse ex hæreditate liberti acceperit, id mulieri restituere tenebitur. *l. 61. dotalem ff. sol. matr.* ad quam Duarenus & Cuiac. lib. 11. quæst. Papiniani notant pretium quoque serui maritum restituturum, quod vix est vt admittatur, ne pretium mulier consequatur, & præterea emolumentum iuris patronatus. Quod si mulier donationis causa marito permiserit manumittere seruum dotalem: quia ex hac causa donatio valet nihil restituit maritus: Sin consenserit non donandi animo, restituet ei maritus quod vt patronus consecutus est, quod alio iure non item *l. 62. quod viri cum seqq. ff. soluto matrim.* nec aliter dici poterit in hac lege, vt maritus patri mulieris teneatur id restituere, quod nactus fuerat iure patronatus, atque eadem distinctio admittatur agente patre quæ admitteretur dotem persequente ipsa muliere.

Res dotales inæstimata fiunt mulieri meliores vel deteriores.

Serui dotales maritus potest manumittere si soluendo sit.

IDEM A. VALENTI.

Lex 4. C. eod.

NVLLA *lege prohibitum est, vniuersa bona in dotem marito fœminam dare. PP. IIII. Id. Iul. Maximo II. & Æliano Coss.*

Hanc

HAnc legem coniungi debere cum l. vn. sup. si adu. do. ibidem constitit. Sed videtur falsum quod hic proponitur, quandoquidem modum dotibus imposuerat lex Papia. l. 2. C. Th. de inoff. do. & Cuiac. lib. 29. quæst. Papin. ad l. 6. ff. de vsuris arbitratur ex ea definitum, ne plus dotis nomine daretur, quam decies centena millia nummorum. Potest dici legem Papiam esse de patre qui filiam suam in matrimonium collocabat, non de ipsa muliere quæ sibi ipsi dotem constituit, quasi illa possit omnia bona sua in dotem dare ex hac lege, nisi minor sit. d. l. vn. Vel alio modo potest accipi hic locus, vt possit mulier bona sua omnia in dotem dare, si summam legis Papiæ non excedant. Quod autẽ ait Cuiac. ad l. 72. ff. hoc tit. lib. 8. resp. Pauli, ex hac lege abrogatam esse legem Papiam vix est vt admittatur, cum magis secundum ius quod obtinebat imperator rescripserit, quam antiquum emendauerit. Certè Iustinianus dotis modum esse voluit centum auri libras, vt scilicet maior intra illam quantitatem consisteret. Sed fuerant leges Solonis quæ omnino prohibuerant dotem matrimonio accedere, vt plerumque indotatas vxores ducere satius est, qua de re Cuiac. lib. 25. obs. c. 25. & Annæus Robertus lib. 2. rerũ iudic. cap. 4. Constitutionibus etiam principum nostrorum Francisci primi & Caroli noni dos omnis iubetur certam quantitatem non egredi. Sed iam vix his constitutionibus definitus aureorum numerus comparando mundo muliebrum (pro vt in omnem luxus intempestiuioris insolentiam lasciuiunt) suffecerit. Rectè vero docet gl. hoc loco hanc legem non habere locum, quando mulier secundo nubit: Nec enim potest in fraudem filiorum suorum bona sua omnia in dotem dare, vel titulo quocumque in secundum maritum transferre, sed seruare debet modum qui præscribitur in l. 6. hac edictali C. de sec. nupt. vt scilicet non plus ei possit concedere, quam ad vnum ex liberis, cui minus relinquitur est peruenturum, quo iure vtimur etiam ex constitutione Francisci secundi principis quondam nostri.

Modus dotiũ ex lege Papia.

Modus dotis secundum Cuiacium.

Mulier liberos habens secundo marito omnes bona in dotem dare non potest.

IDEM A. STATIÆ.

QVOTIES *res æstimatæ in dotem dantur: Maritus dominium consecutus, summæ velut pretij debitor efficitur. Si itaque non conuenit vt soluto matrimonio restituerentur & iure æstimatæ sunt: Retinebit eas si pecuniam* L. 5. C. eod.

tibi offerat. D. III. Id. April. Alexandro A. II. & Marcello Coss.

IAm constitit sup. ad l.5. & 6. de pignor. act. æstimationem inducere titulum emptionis, qua de re etiam quædam tradita sup. ad l.3. hoc tit. igitur rebus æstimatis in dotem datis veluti emptor est maritus: Ergo retinere eas potest, etiam si solutum sit matrimonium; quasi pretium, quo æstimatæ sunt, debeat, non res ipsas. Excipit Imp. nisi conuenerit, vt dirempto matrimonio restituerētur: eo enim casu in hoc tantum facta esse æstimatio censetur, vt si res aliqua interiret, aut fieret deterior, id dispendio mariti cederet. *l. 21. si inter. hoc tit.* quod idem est si conuenerit vt mulieri liberum esset vel res ipsas vel æstimationem eligere. *l. plerumque 10. §. fin. ff. hoc tit.*

IMP. ALEXANDER A. PAPINIANÆ.

Lex 2. C. de dote cauta non numeratæ.

QVOD *de suo maritus constante matrimonio donandi animo in dotem adscripsit, si eandem donationem legitime confectam non reuocauit, qui incrementum doti dedit, & durante matrimonio mortem obiit: Ab hæredibus mariti, quatenus liberalitas interposita munita est peti potest. PP. Non. Decemb. Alexandro A. III. & Dione Coss.*

VT debitori, qui Chirographum emisit, nec pecuniam accepit, datur querela non numeratæ pecuniæ, secundum quod definitum sup. ad l.5. de non num. pecun. ita marito eius-ve hæredi datur querela non numeratæ dotis, si spe futuræ numerationis cauerit dotem se accepisse quam non accepit, qua de re quædam tradita sup. ad l. 6. de compensat. Casus autem in hac lege proponitur in quo hæres mariti non habet querelam non muneratæ dotis partis-ve eius. Species est eiusmodi. Titius, cum nullam dotem ab vxore Papiniana accepisset, donandi animo cauit dotem se accepisse centum aut ducentorum aureorum: Aut etiam cum certæ quantitatis dotem ab ea accepisset, maioris quantitatis cautionem emisit, vt similiter liberalitatem suam erga vxorem suam promeret. Moritur

Species legis.

Titius. Papiniana ab hærede mariti dotem petit. Ille defuncto dotem datam aut numeratam non esse contendit, vel non tantam ei præstitam, quanta instrumento dotali conscripta est. Vt creditor qui pecuniam petit ex Chirographo intra quinquennium vel biennium, eam numerasse se docere & probare debet: Ita & mulier, quæ dotem petit. l. 1. hoc tit. Igitur, cum Papiniana fidem probationis implere non posset: Imo etiam, cum certum esset nullam dotem ab ea datam, vel tantam pecuniæ quantitatem non dedisse, quanta tabulis matrimonij continebatur: Imp. Alexandrum consuluit. Ille rescripsit, dotem, vti instrumento comprehensum est, ab hærede peti posse. Illa ratio desiderium Papinianæ impugnare videbatur, quod dotem peteret quam non numerauerat: Ratio decidendi illa est, quod in ea specie quantitatem instrumento comprehensam hoc colore non petit Papiniana, quod eam dederit aut numerauerit, sed quod donandi animo cautionem eiusmodi maritus emiserit; ex quo, cessante causa numerationis, occurrit liberalitatis ratio, quam erga eam maritus exercere voluit; sicuti obtinet cum maritus certam rem vel quantitatem vxori legat, quam dotis nomine accepisse contestatur: Licet enim re vera nihil dotis nomine acceperit: Tamen summa vel corpus legatum debetur. §. 15. *sed si vxori. de legatis apud Iustin. l. 3. & fin. de falsa cau. adi. leg. vel fideicom.* cessante enim causa debiti, est actio ex fideicommisso. *l. 88. Lucius. §. quisquis.* 10. *ff. de leg.* 2. Verum huic constitutioni opponit glossa l. 1. C. de donat. ante nupt. vbi si maritus donandi animo dotem auxerit, peti non potest, quod in dotem datum non est. Respondendum id ita obtinuisse iure antiquo, quo omnino inter virum & vxorem facta donatio non valuit, vt nec morte confirmaretur. & constituendum, quo tempore rescriptum, quod est in d. l. 1. emissum fuit ab Impp. Seuero & Antonino, nondum ipsos oratione habita in senatu edixisse, vt facta inter virum & vxorem donatio morte confirmaretur: Quod forte foret perspicuum si d. l. 1. diem & consulem haberet: Nam ex l. cum hic status. 32. ff. de don. int. vir. & vx. apparet quibus consulibus orationem ijdem Impp. habuerint: Quamquam enim tribuitur ibi soli Antonino tamen ipse Antoninus in l. 4. tit. seq. eam quoque tribuit patri, vt oporteat præsente patre Septimio Senero ipsum Antoninum eam orationem habuisse. Sed obstat etiam huic legi quod est in l. 23. Papinianus. ff. de don. int. vir. & vx. ex qua etiam post orationem, de qua diximus, donationes factæ inter virum & vxorem non confirmantur, nisi traditio mortem donantis præcesserit, excepta causa annui, quod à se inuicem stipulantur vxor aut maritus & prærogari non solet antequam dies venerit *l. 33. si stipulata in pr. & §. fin. ff. eod.* Sed commode Accursius respondet in hac lege videri traditionem intercessisse,

Obijcitur & diluitur lex 1. C. de donat. ante nupt.

Diluitur arg. l. 23. ff. de don. inter vir. & vx.

quod accepisse se & debere maritus cauerit, cum id fecerit sciens prudensque. Quinimo etiam iure nouo huic dubitationi Iustinianus occurrit N.162. nam in rebus vxori à viro donatis nec traditis, perinde post mortem viri actionem dat contra hæredes, ac donationem confirmari constituit, ac si traditæ essent, quod ius antiquum non admittebat ex d.l. Papin. Ait Imp. hoc loco, *si eandem donationem &c.* quibus verbis significat donationem factam à marito in vxorem posse reuocari: Nam in eo iuris veteris rigor tantum est relaxatus, vt donationes factæ inter virum & vxorem donationibus causa mortis comparentur, id est vt morte donantis ipso iure confirmentur: Cæterum reuocari pœnitentia possunt. *d.l.32.§. ait oratio.ff.de don.inter vir.& vx.* Iure antiquo ne quidem morte confirmabantur, nisi testamento id cautum fuisset hac solenni clausula; *vxori meæ quidquid viuus dedi, donaui, eius vsibus comparaui, concedi darique volo.l.33.vxori.§.1.ff.de leg.3.l.13.vxori.ff.de auro & arg.leg.* quæ ob id clausula vulgaris dicitur. *l.109.si quando.ff.de leg.* 1. quod eam mariti solerent testamento adiicere, quoties quid vxori donassent. Sunt autem eæ leges Africani & Scæuolæ, qui scripserunt ante orationem Antonini, cum ea clausula necessaria erat. Reuocatæ autem censentur donationes inter coniuges, si factum sit diuortium. *l.62.& ideo.§.fin.ff.de donat.int.vir.& vx.* nec forte alia ratio quæri debuit cur in d.l.1.C.de don. ante nupt. dicatur nihil actum esse donatione, si dotem maritus auxerit, quam quia ipse maritus eam reuocauit diuortio facto cum vxore, quod hic glossa recte docet. Inimica vxor mariti post diuortium. *l.78.cum in fundo.§.2.vers.sed & si non.ff.de iu.dot.l.39.Cicero.ff.de pœnis.* Sed si tamen integra concordia discedant, valebit donatio etiam post diuortium: Imo interdum ipsius diuortij causa fit donatio, vt bona gratia liceat marito vel vxori diuertere, quo casu statim valet. *l.11.sed interim.§.fin.cum l.seq.l.32.§.10.si diuortium.l.60.vitricus.§ fin.ff.de donat.inter vir.&c.* Reuocatur etiam donatio, si res vxori vel marito donata ab ipso donatore pignori detur. *l.12.si maritus tit.seq.d.l.32.§.5.si maritus.ff.eod.* qua in re separatur causa legati à donatione causa mortis. *l.3.cum post.C.de legatis.§.si rem suam eodem tit. apud Iustin.* illa ratione, inquit Accurs. ad d.§.5. quia legatum à principio valuit, donatio non item. Sed ea distinctione iure nouo non est opus: Nam ex d. N.162. nequaquam eo colore vxori facta donatio censetur reuocata, quod rem donatam maritus obligauerit. Sed reuocatæ donationis coniectura ex aliis etiam argumentis ducitur: veluti si is ea-ve quæ donatum accepit prior decesserit: Quod idem obtinet in donatione causa mortis facta cuilibet: Quamquam si simul vterque coniux mortuus fuerit, vel naufragio, vel incendio, vel ruina, magis sit vt donatio valeat, & hæredibus donatarij proficiat, quia non existit su-

Donatio facta vxori à marito potest reuocari.

Reuocata censentur donationes facta in coniuges si diuortium sequatur.

Fit interdum donatio vt liceat diuertere & tunc statim valet.

Reuocata donatio censetur cum res donata pignori datur.

Secus in legato.

Reuocata censetur donatio facta inter coniuges si donatarius prior decesserit.

perstes donator, qui eam reuocet & rem condicat. *l.* 8. *ff. de reb. dub.* quod idem dicendum, si ambo capti sint ab hostibus, ibique decesserint, quamquam temporibus diuersis, quia tempore captiuitatis simul mortui censentur: Quod si vnus redierit, vel infirmabitur donatio si donator, quasi extiterit superstes vere, vel confirmabitur si donatarius. *l.* 32. §. 14. *si ambo. ff. eod.* ac propterea fictio legis Corneliæ & postliminij locum habet in eiusmodi donationibus, vt scilicet si donator captus sit, & post eius captiuitatem decesserit donatarius adhuc superstite donatore, donatio valeat fictione legis Corneliæ licet re vera post mortem donatarij decesserit apud hostes is qui donauit: Et inuicem, vt si donatarius ab hostibus captus sit, & interim decedat donator nihilominus donatio valeat si post eius mortem redeat donatarius quasi beneficio postliminij donatio confirmetur, ad quas species pertinet. l. fin. C. eod. Si autem qui donauit seruus priuati factus sit, reuocatur donatio. *d. l.* 32. §. 6. *si donator. ff. eod.* Exemplum poni potest in liberto qui coniugi suæ donauit, si propter vitium ingrati animi in seruitutem reuocetur à patrono: vel in muliere quæ ex S. C. Claudiano post ternas denuntiationes in potestatem concedit eius, cuius dominio seruus cum quo stupri consuetudinem repetiit suppositus erat: Tunc enim ne qua fraus aut iniuria fiat domino ad quem bona donatoris redierint, magis est vt donatio non valeat: Quod tamen obtinet secus in donatore, qui pœnæ seruus est effectus, quia cum eius bona confiscari oporteat, magis fauendum vxori vel marito cui donatum est, quam fisco. *l.* 24. *res quæ. C. eod. tit.* Verum in deportatione nondum donatio confirmatur, quia deportatus per omnia pro mortuo non habetur: ideoque adhuc in pendenti est vtrum fisco locus sit donatione reuocata: an donatario, si donator in eadem voluntate mansèrit. *d. l. res quæ.* Sane vbi donator mortem sibi intulerit ob sceleris conscientiam vel etiam memoria eius damnata sit, quod fit in reo perduellionis, omnis donatio mortis causa, qualis & hæc quæ fit inter coniuges, reuocatur. *d. l.* 32. *paragr.* 1. *si maritus.*

Si autem simul decedat donatio confirmatur.

Casus alij qui reuocant donationem.

IMP. ALEXANDER A. QVINTILLÆ.

SI *vt proponis pater tuus, in cuius potestate fuisti, marito tuo genero suo instrumentum debitoris donationis*

Lex 5. C. de donat. inter vir. & vx.

causa dedit, isque vita functus est, ac postea à marito diuertisti: quod gestum est non valet.

QVæ tractata sunt ad legem superiorem ea planiorem faciunt interpretationem huius constitutionis & trium sequentium, quæ magis pertinent ad donationes factas inter virum & vxorem: quamquam hæc sit de donatione facta inter socerum & generum.

Qui nam sint inter quos ratione matrimonij non valeant donationes.

Sciendum est vt iure antiquo donatio inter coniuges non constabat, ita nec constitisse inter eos eas've in quorum potestate coniuges essent, vel inter eos qui essent in potestate coniugum, & coniuges ipsos: vel inter eum in cuius potestate vnus coniux esset, & alterum coniugem; ne videlicet per interpositas personas ius donationis inter ipsos coniuges prohibitum aliquo fraudis commento eluderetur. Igitur vt res exemplis fiat manifestior: consocer consocero donare iure ciuili non potest, quia in eorum potestate sunt vir & vxor. *l. 2. hoc tit.* neque frater qui in soceri est potestate vxori fratris, neque socer nurui aut genero, neque nurus aut gener socero donare potest. *l. 3. §. 2. & seqq. l. 5. §. 2. ff. hoc tit.* Sic nec mater filio ipsa suo qui in potestate mariti est donare potest, nisi hoc agatur, vt commodum ipsius donationis soli filio quæratur, & ei res restituatur post mortem ipsius patris, aut filii emancipationem, aut ei in castra eunti aliquid det, quod non sit ad patrem peruenturum. *d. l. 3. §. 4. & l. 49. Sulpitius, ff. eod.* qua ratione dicendum in l. si constante, hoc tit. filiam cui mater donauit non fuisse in patris potestate. His est consequens vt nec filius in potestate patris constitutus matri aut nouercæ donare possit, bonis castrensibus exceptis, quia in his patri nihil quæritur & propterea pater donasse non videbitur *d. l. 3. §. 4. vers. quare. ff. eod.* Cæterum si ratio potestatis non intercedat, valebit donatio: veluti si vir sit emancipatus à patre vel vxor ipsa à suo, aut in alia potestate sint quam socerorum: tunc enim vel ipse socer nurui, vel nurus socero donare poterit. *d. l. 3. §. 6. ab vxoris.* & secundum hæc inter socrum & nurum semper constat donatio, vel inter vitricum & priuignum, vel socrum & generum, quia inter eos ius patriæ potestatis non vertitur. *d. l. 3. §. 7. socrui. l. 60. vitricus, eod. tit. l. 23. si te. hoc tit. l. 12. si mater. C. de donat. ant. nupt.* Sed quibus casibus donatio non valebat ratione potestatis, post orationem Imp. Antonini, qua inter virum & vxorem factæ donationes ad vim & potestatem factarum inter extraneos mortis causa donationum sunt redactæ, cœperunt quoque illæ morte confirmari. *d. l. 32. §. 16. oratio. ff. eod. tit.* Nec pugnat §. 21. si consocer. in eadem l. nam quod dicitur infirmari donationem si consocer consocero donauerit, & coniuges qui in eorum potestate erant emancipati sint, vel

vnus ex his: eo non pertinet, vt confirmari morte non possit, sed ad id tantum, quod non valeat, vt donatio simplex, quia tempore donationis coniuges erant in potestate cōsocerorum, nec emancipatio superueniens impediet eam reuocari, tempore potius donationis inspecto, quam illo, quo emancipatio coniugum secuta est. Igitur post orationem, si nurus socero, in cuius potestate erat maritus, vel genero socer qui filiam habet in potestate donauerit, donatio quæ iure antiquo prorsus erat inutilis, morte donantis poterit confirmari. *d.* §. *oratio.* & ad hanc iuris definitionem proprie pertinet species hoc loco proposita, quæ eiusmodi est. Quintilla nupserat Mæuio. Titius pater Quintillæ, in cuius potestate etiam ipsa erat, donationis causa cautionem debitoris sui Mæuio genero dedit, eique mandauit actiones: Mox decessit. Quintilla à marito diuertit, & repetit instrumentum, quod Titius pater ipsi dederat aut etiam ab eodem pecuniam petiit, quam à paterno debitore exegerat. Quærebatur an posset. Rescribit Imp. non valere quod gestum est, ac reuocari donationem posse. Ratio dubitandi ducitur ex superiori definitione, qua admissum est post orationem Imp. Antonini donationes factas inter coniuges, eos-ve in quorum potestate sunt, perinde vt quaslibet donationes causa mortis factas morte donātis confirmari. Ratio decidendi hæc est, quod collata donatio à socero in generum tacitam hāc conditionem habere censetur, si cum filia in matrimonio mansisset; & quemadmodum ad legem superiorem definitū est, diuortio videri reuocatam donationē factā inter coniuges: idem dici debet de donatione facta à parente vnius coniugis erga alium, cum non tam socer dedisse censeatur, quam ipsa vxor, quæ in soceri potestate erat, aut certe filiæ contemplatione socer genero donasse censeatur. Igitur vt eiusmodi donatio confirmetur mors vtriusque exigitur & soceri qui donauit & vxoris quæ filia est donatoris: nam socer mortuâ filiâ, & filia mortuo patre donatore reuocare donationem possunt.

Species legis proposita.

IDEM A. NEPOTIANO.

ETIAMSI *vxoris tuæ nomine res, quæ tui iuris fuerant depositæ sunt: causa proprietatis ea ratione mutari non potuit, & si donasse te vxori res tuas ex hoc quis intelligat: cum donatio in matrimonio facta, prius mortuâ eâ, quæ liberalitatem excepit, irrita fit. Nec est ignotum,* L.6.C.eod.

quod cum probari non posit vnde vxor matrimonij tempore honestè quæsierit: de mariti bonis eam habuisse veteres iuris autores merito crediderint. PP. Non. Decembr. Alexandro A. III. & Dione Coss.

SVpra ad l.2. de do. cauta non num. definitum fuit, donationem factam inter coniuges omnino irritam fieri, si prior decedat is cui donatum est: quod & habet locum in specie hoc rescripto proposita: vbi cum maritus vxori donaturus passus esset ab vxore res suas tanquam ad eam pertinentes deponi: Idem non prohibetur easdem post mortem vxoris tanquam sui iuris & dominij existentes vindicare. Primum, quod extincta omnis causa donationis censetur vxore mortua, cui donatas eas volebat: Deinde, quia liberum est marito, etiam si ipsa viueret, eiusmodi donationem reuocare. Quid si dubitetur vtrum res ab ipsa vxore depositæ pertineant ad maritum aut ad defunctam mulierem? Et id quoque definit Imp. de bonis mariti videri vxorem habere, si probari non posit, vnde eas matrimonii tempore honestè quæsierit, quod ex veterum iuris conditorum autoritate constituit. Veteres iuris autores Imp. intelligit Quintum Mucium, & qui eius scripta enarrauerat Pomponium. *l.51. Quintus. ff. hoc tit.* qui ita responderunt turpis suspicionis euitandæ gratia, ne videretur stupro has quæsiuisse: quemadmodum in iure canonico episcopus vel presbyter censetur ex bonis Ecclesiæ locupletatus, qui aliunde non potuit honestè: & propterea ea Ecclesiæ restituere tenetur, quæ nec habebat, cum ad eam administrandam accessit, nec docet vnde sibi obuenerint *cap. 1. extr. de pecul. cleric.* quod non idem de tutore, qui pauper ad tutelam accessit ac durante tutela facultatibus auctus est. *l. 10. si defunctus. C. arb. tut.* quia scilicet non ita debet tutor omnes operas suas & industriam pupillo, vt marito vxor, vt Ecclesiæ Episcopus.

Sententia legis.

Ratio rescripti.

Quod mulier habet censetur habere ex bonis mariti nisi probetur vnde id habuerit honeste.

Quod habet Episcopus cẽsetur habere ab Ecclesia nisi contrarium appareat.

IDEM A. THEODOTÆ.

L.7.C.eod. SI *ex voluntate patris tui filio tutoris nupta es: collata in maritum donatio ipso iure irrita est. Sed si matrimonium iure non valuit: licet ipso iure donatio tenuerit: quia tamen indigna persona eius fuit, qui nec maritus potest*

test dici : vtiles actiones super reuocandis his tibi competunt. PP. Kalendis Octobr. Lupo & Maximo Coss.

CONstitit iam satis ad l.2.& 3. sup.de interd.matr.inter pup. & tut. &c. nuptias contrahi non posse inter tutorem filium-ve tutoris & pupillam, nisi ita destinauerit pater. Cum autem Theodota ante redditas tutelæ rationes & ætatis suæ annum 26. impletum filio tutoris nupsisset, & res quasdam marito donasset, intra tempus matrimonii eas eo dirempto repetebat. Consultus Imp. ita distinguit (nec enim plam & liquido rem gestam precibus expresserat.) Aut voluntas inquit & destinatio patris intercessit, vt Theodota filio tutoris coniungeretur: Et tunc matrimonium constitit: vt potuerit ipse tutor, idemque puellæ socer pro modo facultatum & dignitate natalium dotem ipsi pupillæ constituere. *l. 69. cum post. §. nuptiis. ff. de iu. dot.* vnde & illud sequitur vt donatio ipso iure sit irrita, id est, in ea causa sit, vt possit ex pœnitentia reuocari, quasi facta inter coniuges. Aut pater de nuptiis nihil dixit & tunc, quia matrimonium non valuit, ipso iure donatio tanquam inter personas extraneas facta tenet. Sed quia is qui falso colore coniugij Theodotam decepit, indignus est, & ex flagitio suo compendium sentire non debet: ipsi Theodotæ vtiles actiones accommodantur, vt res donatæ reuocentur. Ratio distinctionis est aperta: nam in prima specie ratio coniugij illicitam donationem fecit, ne venalis sit concordia inter coniuges & mutuo amore se spolient, dum largitioni inuicem concedunt, quod affectioni summæ debetur: In secunda vero specie, quia lege prohibente matrimonium constare non potuit, verendum non fuit, ne venalia essent coniugij obsequia, quod nullum est: quo fit etiam vt concubinæ donatio recte fiat nec possit reuocari. *l.33. donationes. ff. de donat. l. 3. §. 1. vers. diuus. ff. hoc tit.* eo excepto, si quid focariis suis milites donent. *l.3. hoc tit.* nam & meretrici quod datur non repetitur. *l.4. §. 3. sed quod. ff. de cond. ob turp. caus.* quod enim est in l.12. si vero. §. adolescens. ff. mand. & l.8. ff. pro empt. eô non ostenditur, quod meretrici datum est condici; sed id tantum, eum qui mandatu luxuriosi adolescentis pro meretrice fideiussit actionem mandati non habiturum, aut eum bonæ fidei emptorem non esse, qui ab eo emit, quem sciebat precium acceptum scorto daturum. Cæterum quia iniquum esset contra ius contractis nuptiis ratas donationes esse, quæ tanquam inter virum & vxorem factæ sunt, ne melior sit conditio eorum, qui iniustas nuptias contrahunt, quam illorum, qui secundum præcepta legum in consortium humani & diuini iuris conueniunt, quamquam ipso iure valeant, tamen reuocantur, vt in hac specie: quod

Species legis propositæ.

Quod concubinæ aut meretrici datur, non repetitur.

Quando matrimonium non constat donatio facta inter côniuges ipso iure valet, sed tamen reuocatur.

in casibus similibus obtinet: veluti cũ senatoris filia nubit libertino, vel prouincialis mulier ei qui in ipsa prouincia iurisdictionẽ exercet, aut magistratu vel ciuili vel militari fungitur. *l. 3. §. 1. ff. hoc tit.* Dat vero Imp. ipsi mulieri vtiles actiones, id est vindicationem vel condictionem sine causa, vt recte gl. interpretatur. Atquin Vlpianus in l. 32. §. fin. ff. hoc tit. tradit quod ei, cui donatum est, aufertur non donanti restitui, sed fisco vindicari. Posset tentari quod est donatum à muliere ei cum quo illicitæ nuptiæ sunt contractæ, id ei restitui: quod vero mulieri datum fuerit non restitui viro, sed fisci compendiis quæri. Verum nequaquam illud dicendum est: nam pupilla, quam contra S. C. tutor duxerit, ex eius testamento capere potest. *l. fin. ff. de leg.* 1. quo argumento & id quoque admitti potest donationem collatam in eam vires habituram, quasi si extraneæ mulieri ab extraneo facta esset: vt propterea fisco etiam locus non sit. Igitur illud commode dici debebit, vt si quidem virgo nupserit ignara iuris, teneræ adhuc ætatis, & illicitas nuptias contraxerit: tunc siue donauerit, repetat: siue ei donatum sit, id retineat: atque etiam si ex testamento eius qui cum ea illicitas nuptias affectauerit quid illi relictum sit, eius emolumentum consequatur, quandoquidem nihil ipsa peccare videtur, sed potius decepta est.

Mulieri quæ donauit marito cũ esset illegitimum matrimoniũ datur repetitio.

Diluitur contrarium arg.

Distinctio commodissima de rebus donatis inter coniuges iure non coniunctos reuocandis.

Fallere credentem non est operosa puellam
Gloria, simplicitas digna fauore fuit.

Sin iam prouectioris ætatis sit, vt potuerit etiam delicti esse particeps, quod aduersus leges admissum est, & sciens prudensque illicitas nuptias contraxerit: tunc quod dederit ipsa vel acceperit fisci lucro cedat, ad quem casum referendus §. fin. d. l. 32. & hæc quoque distinctio aliquo modo nititur autore Papiniano in l. 63. præfectus. ff. de ritu nupt. ad quam etiam applicanda enarratio Cuiacij lib. 1. definitionum Papiniani.

IDEM A. LEONI.

L. 8. C. eod. SI *fructus eorum prædiorum, quæ in dotem accepisti matrimonij tempore vxorem tuam percipere passus es, eosque vxor tua absumpsit: restitui tibi post diuortium oportere nulla ratione contendis. Sin autem ab his locupletior facta est: in tantum potest conueniri.* P. P. V. Kalend. Octobr. *Maximo & Paterno Coss.*

DVbiam huius rescripti sententiam facit, quod scribunt Vlpianus & Pomponius in l. 45. fructus. ff. de vsuris, & l. 17. de fructibus ff. hoc tit. vxorem vel maritum fructus suos facere, quos ex re sibi à coniuge donata perceperint: quod eo pertinet, vt quamquam in re principaliter donata donatio non constet, quia reuocari potest: valeat tamen in fructibus & vsuris ex ea re aut pecunia perceptis, vt hæc donatarius sui cõpedij faciat nec restituat, quamquam ex his locupletior factus sit. Sic vero distinguendum. Aut res vel summa donata est, ex qua coniux fructus percepit: & illo casu in fructibus donatio consistit, quia illos donatarius non tam ex liberalitate alterius coniugis, quam ex sua industria percepisse censetur: quo fit, vt soli fructus industriales tantum vel ciuiles ad commodum donatarij proficiant: naturales non item, quia facto eius non veniunt. Aut fructus donati sunt per se, vel ex fundo dotali, vel alio qui ad maritum pertinet: Et tunc, quia mera donatio est, cum nullos sumptus, nulla impendia, nullam curam aut culturam, nullum periculum in se suscipit qui accepit, reuocari potest, quatenus locupletior factus est qui accepit, & ita accipiẽdum quod hoc loco Imp. definit: cui congruit lex 20. pro oneribus. C. de iu. dot. Non obstat huic distinctioni l. 2. C. de pactis conu. nam ibi fructus prædiorum dotalium non sunt vxori donati à marito, sed tantum destinati, vt sumptibus eius eorum-ve qui circa eam erant cederent, quos sumptus agnoscere maritus tenebatur: & ideo nihil eo nomine maritus repetere potest. Non obstat etiam l. vn. C. si dos const. matr. sol. sit. nam id speciale in dotis fructibus quæ mulieri constante matrimonio à marito restituta est: cum enim debeant repensare onera matrimonij quæ interim maritus sustinuit restitui debent ab hæredibus vxoris non inspecto eo an locupletior facta sit an non: quamquam potest etiam illud dici, non restitui eos ex quibus nõ est facta locupletior, nec enim id ibi aperte dicitur & possũt verba generalia d. l. vn. interpretationem accipere ex hac lege. Porro ex hac lege constat, quod supra dictum est diuortio infirmari donationem factam inter coniuges, vel reuocari posse à donatore, id ita demum accipi, si is ea-ve quæ accepit ex re donata factus sit locupletior: Alioqui nihil restituitur. & omnimodo vt reuocari possit, debent hæc duo concurrere; vt & qui donauit pauperior sit, & qui accepit locupletior: atque ideo si mulier quod accepit à marito in res mortuas impenderit puta vnguenta, cerussam, purpurissum, vel pecuniam sibi donatam pro cognato in sportulas erogauerit non tenetur quicquam restituere, quia locupletior facta non est. *l. 5. §. Marcellus. l. 7. paragr. 1. l. 31. paragr. pen. ff. hoc tit.* & inuicem, si legatum vel hæreditatem repudiauerit maritus, vt ad vxorem perueniret, quæ substituta erat, donatio statim valet,

Fructus ex re vel pecunia donata pertinent ad coniugem cui donatũ est licet donatio non constet.

Fructuum donatio potest reuocari.

Diluitur argumentum contrarium.

Donatio facta inter coniuges non reuocatur nisi qui accepit sit locupletior & qui dedit pauperior.

quia pauperior non est maritus, licet illa locupletior existat. *d. l. 5. paragr. 13. maritus. l. 31. sed si. paragr. quod legaturus.* quod idem obtinebit, dum fideicommissum vxori restituere iussus ab ea falcidiam nõ detrahit, aut summam qu n præcipere iussus est non deducit, quasi magis pleniore officio præstandę fidei fungitur, quã vxori donare cẽseatur. *d. l. 5. §. 15. si quis rogatus.* Plures eiusmodi casus possunt interuenire, in quibus statim donatio sui momento subsistit, veluti si seruus donatus sit manumissionis causa, qua in re vxor aut maritus locupletiores non censentur, licet libertum habeant. *l. 22. hoc tit. l. 7. §. fin. cum ll. seqq. ff. eod.* nec si mulier pecuniam accipiat à seruo, qui sibi manumissionis causa donatus est, aut etiam operas ei imponat donatio impedietur, quia id ab ipso marito non accepit, nisi seruus ex peculio suo, quod ad maritum pertinet, pecuniam ei dederit. *l. 9. si eum. §. 1. ff. eod.* Idem obtinebit si donatio facta sit inter coniuges sepulturæ gratia, quia qui accipit locupletior factus in ea re non creditur, quam religioni dicauit. *d. l. 5. §. concessa cum seq. ff. eod.* Multo magis vires suas obtinebit donatio, si quid vxor viro dederit equestris dignitatis lati clauij alteriusve honoris adipiscendi causa, cum nec inde locupletior maritus existat. *l. 41. & seqq. ff. eod.* quod etiam hoc habet rationem specialem, quia rem suam gessisse potius quam marito donasse vxor censetur: siquidem mulieres honore maritorum eriguntur. *l. 13. mulieres. C. de dignit. lib. 12.* Similes casus hoc tit. in Pandectis sub eod. tit. occurrunt vndiquaque.

Valet donatio inter coniuges manumissionis causa.

Valet etiam statim sepulturæ causa.

Idem si vxor donet marito honoris adipiscendi gratia.

IMP. ALEXANDER A.
ALBVTIANÆ.

Lex 1. C. de repud. & iudic. de mor. sublato.

MATRIMONIVM quidem deportatione, vel aquæ & ignis interdictione non soluitur, si casus in quem maritus incidit, non mutet vxoris affectionem: ideoque dotis actio ipso iure non competit: sed indotatam eam esse, cuius laudandum propositum est, nec ratio æquitatis, nec exempla permittunt. P P. Non. Nouemb. Alexandro A. III. & Dione Coss.

Matrimonium soluitur deportatione.

PAlam docet Imp. in hac lege, non solui matrimonium deportatione vel aquæ & ignis interdictione quod idem cauetur l. 5. ff. de bo. damn. & l. 24. tit. superiori. cui tamen obstat lex 56. si quis

ſtipulatur.ff.ſol.matr. & id quod definit generaliter Vlpianus in l. 14.ſed ſi.§.3.ff.qui & à qu.man.pœna matrimonium dirimi. Dicendum cum Cuiacio ad N.22. iure quidem ciuili diſſolui matrimonium, ſi eius ſtricta ratio inſpiciatur, quæ illud nonniſi inter ciues conſiſtere patitur: ſed tamen iure gentium, quod vt plurimum in nuptiis ſeruatur, illud remanere. Quinetiam ipſa in metallum damnatione, quia nec eiuſmodi pœna iure nouo ſeruitutem irrogat, matrimonium non dirimitur, ſed ſeruitute tantum, ſi forte vnus ex coniugibus aduerſus patronum ingratus extiterit, & in dominium patroni ſit reuocatus *d.N.22.cap.8.& 9.* Ait autem Imp. *ſi caſus,* &c. nam vtique pendet ex eo qui culpæ eſt exors, vt fidem coniugij ruptam velit, quo caſu etiam nullas pœnas feret iniuſti diuortij. Cæterum magis eſt, propter ſummam illam animorum coniunctionem, qua ſine mendacio bene concordans matrimonium ſtare debet, vt fortuitis caſibus mariti mulier acquieſcat, & inuicem infortunij quo vxor laborat maritus ſit particeps. Iure canonico certum eſſet ne ſeruitute quidem eiuſmodi coniugium dirimi. Verum quæritur in hac lege an de dote actionem habere mulier poſſit. Reſcripſit Imp. competere poſſe ne mulier ſit indotata. Mouebat quod dotis dominus ſit maritus, maximè dum conſtat matrimonium: ex quo videbatur eam ad fiſcum pertinere, ad quem poſt deportationem bona ipſius mariti peruenerunt. Contrarium tamen euicit æquitatis & benignitatis ſumma ratio, ne ex pietatis officio vxor marito obſequens dotis commodum amitteret: Ideoque quaſi ſoluto matrimonio dotis actionem habere Imp. conſtituit, quam tamen alias conſtante matrimonio perſequi non poteſt, niſi cum maritus ad inopiam vergit. *l.29.vbi. C.de iu.dot. l.24. ſi conſtante. ff.ſol.matr.* Nec obſtat lex 65.ff.eod. quia ibi non agitur de actione dotis, ſed de ea, qua vxor à viro repetit, quę conſecutus eſt ex hæreditate vel operis ſerui dotalis, quem inuita aut volente muliere poſtea manumiſit: Idque apparet ex legibus præcedentibus, in quibus ea de re agitur. In hac autem ſpecie, quæ hîc proponitur, iniquum eſſet delictum mariti mulieri obeſſe, cum pœna ſuos teneat autores. *l.ſancimus.C.de pœnis.* nam è contrario muliere deportata dos tamē penes maritum remanet, ſi retineat mariti affectum, ne ſcilicet vxorem indotatam habeat. *d.l.5.ff.de bo. damn.* quod ita obtinet niſi mulier damnata ſit ex quinque legibus, ſcilicet maieſtatis, vis publicæ, parricidij, veneficij, de ſicariis, ex quibus dotem amittit vel partem eius aliquam. *l.3.ff.eod.d.l.24.ſi conſtante.§ fin.ff.ſol. matr.* qua in re tamen marito integra iura ſeruantur circa deductiones, quas facere poteſt, aut ne in ſolidum conueniatur, quemadmodum ſi ab ipſa muliere aut hæredibus eius conueniretur, ne alias in eius perniciem mulier punita videretur. *l.36.ſi maritus. ff. eod. l.4. ff.*

Diluitur contrarium argumentū

Damnatio in metallum ſeruitutem iure nouo non irrogat.

Quæſtio legis propoſita.

Vxor non habet actionem de dote dum conſtat matrimoniū niſi ſit inops maritus.

Diluitur contrarium arg.

Pœna ſuos tenet autores.

Quibus ex cauſis damnata mulier dotem amittit.

Damnato marito non amittit mulier partem bonorum tempore matrimonij quæsitorum.

de bo. damn. Secundum hæc plerumque iudicatum, confiscatis mariti bonis non auferri mulieri rerum earum partem mediam, quæ constante matrimonio quæsitæ sunt: licet enim eiusmodi rerum dominus sit & habeatur maritus, vt dum societas & communio bonorum constat de his libere possit disponere: tamen delinquendo non potest spem coniugis intercipere, qua de re Chanutius *in quæst. illustr. cap. 56.* & plura eruditus senator dominus Loüet in collecta placitorum Curiæ Parisiensis *in lit. Cod. num. 35. & 52. & litt. D. num. 31. lit. F. num. 15. cum notis eruditissimis ibi adiectis.* Sed hoc cum pœna mortis marito irrogata est, & bona eius publicata. An idem dicemus, si exilij pœna siue deportationis tantum sit imposita & bona publicata, vel cum per contumaciam abesset mortis sententia est aduersus eũ dicta? Vxori aduersus fiscum saluam dotem esse vt dictum est hîc docet Imperator. Sed de lucris nuptialibus quærimus, quæ mulier in tempus mortis mariti stipulata vel pacta est, aut etiam de parte bonorum vtriusque vel diligentiâ vel parsimoniâ in commune quæsitorum, quæ morte mariti vel impetrata separatione ad eam pertinere debet. Quod ad nuptiale lucrum donationis propter nuptias, quam doarium vocare solemus, etiamsi aliquantisper hæc inter se differant, vel etiam ea quæ ornamentorum siue mundi nomine extra sortem bonorum propriorum ex bonis mariti vel communibus iure præcipuo sumere debet, magis est vt ea sumere non possit, antequam maritus mortem naturalem oppetierit, in quam sententiam etiam nouissima Curiæ Parisiensis decreta concesserunt, illa ratione, quod hæc non nisi post mortem mariti solent ad eam pertinere. Igitur æquum est vt dum lucis munere fruitur maritus, vsusfructus earum rerum cedat vel fisco vel creditoribus mariti, qui vel exulat, vel est in fuga iudicium pœnæ metu detrectans. Quantum ab bonorum partem quæ dum constitit matrimonij societas quæsita sunt: quia in his etiam seruandis, tuendis, curandis, vxoris industria non minimum confert, & in laboris consortium cum marito venit: etiamsi non occurrat ad præsens ea de re quicquam iudicatum: tamen ille non errauerit, qui statim eorũ bonorũ partem mulieri adiudicari pronuntiauerit, cum in his non tam lucrum faciat, quam rem voto publici iuris & amicabilis consortionis affectu iam ante suam consequi censeatur.

IMP. ALEXANDER A. POLLONIO.

Lex 4. C. sol. matr. quem-

DOs *à patre profecta, si in matrimonio decesserit mulier filiafamilias, ad patrem redire debet.*

PP. XVIII. Kalend. Septembr. Fusco & dextro Coss. admod. dos pet.

DE hac lege dictum satis ad l. 13. sup. de neg. gest. & ad l. 3. C. de iu. dot.

IMP. ALEXANDER A. POLYDEVCÆ.

COMPENSATIONIS *æquitatem iure postulas: non enim prius exolui quod debere te constiterit æquum est, quam petitioni mutuæ responsum fuerit: eo magis quod ea te persequi dicis, quæ diuortij causa amota quereris. Cum igitur apud competentem iudicem ex stipulatu conueniaris: apud eundem doce tui iuris res ablatas esse. PP. Dat. V. Kal. Decemb. Alexandro A. III. & Dione Coss.* L. 1. C. rerum amotarum.

ET hoc quoque rescriptum supra coniunctim fuit expositum cum l. 6. sup. de compensat.

IMP. ALEXANDER A. GORDIO ET ALIIS.

SI *tutores testamento vobis dati sunt: Quamquam vnus vestrum suæ ætatis factus sit, id est pupillarem ætatem excesserit: Tutela tamen vestra ad eum pertinet. Dat. V. Kal. Ianuar. Maximo II. & Æliano Coss.* Lex 3. C. de testam. tutela.

DEfinitio huius legis plana est: tutores impuberibus datos non propterea liberari, quod vnus ex his ad suam ætatem venerit. *Sententia legis proposita.* Poterat ratio dubitandi hinc duci, quod iam is qui pubes est factus, si forte frater sit, possit esse tutor legitimus fratrũ suorũ. Ratio decidendi hæc est, quod quemadmodum successio testamentaria præcedit causam hæreditatis quæ ab intestato defertur. *l. 39. quamdiu. l.*

70.in plurium.ff.de acq.hered.l.89.quamdiu ff. de reg.iu. ita tutela testamentaria ordine prima est,& dum illa speratur & competit, legitima cessat. Et hinc ratio cur in testamento tutore dato sub conditione vel ex die, interim honorarius tutor detur à magistratibus, non legitimo sit locus.l.11.si quis.ff.hoc tit.§.1.de attil.tut.apud Iustinianum. Recte vero Accursius hanc legem refert ad ius antiquum,quo etiam minores 25. annis poterant esse legitimi. l. fin. C. de legit. tut. paragr. Item maior. de excus. tut. & cur. apud Iustin. Imo & pupilli ipsi potuere esse tutores legitimi. d. paragr. item maior, non quidem vt ipsi administrarent,sed vt per alios administratæ tutelę periculum sustinerent,vt ait Cuiac.in parat.C.ad tit.de legit.tut.Sed errat ipse maximopere lib. 17. obs. cap. 28. dum ait pupillos fuisse legitimos tutores tam agnatorum masculorum quam fœminarum: Nam duobus pupillis sibi inuicem agnatis existentibus, qui fieri poterat vt vnus alteri tutor esset; cum conditio vtriusque eadem foret: Vt potius dicendum sit neutrum sibi tutorem esse, aut sibi inuicem futuros tutores, quod deridiculum esset. Non expendit Cuiacius locos qui feruntur de pupillis tutoribus apud Vlpianum in fragmentis, esse tantum de tutela fœminarum, vt propterea dicendũ videatur ad pupillos pertinuisse tantũ onus tutelæ agnatarũ vel libertarũ impuberũ vel etiam puberum,quæ in manu viri non essent,vt magis hæc tutela autoritatis fuerit, quam administrationis:Vtcumque enim fœminæ essent in perpetua tutela: Tamen res suas administrare poterant,vt vel debitores eis rectè pecuniam soluerent,vt docet Cicero in Topicis.Forte etiam illud recte dici poterit,quod de pupillis tutoribus legitimis agnatarum Vlpianus dixerat, male ipsum Tribunianum intellexisse de qualibet legitima tutela in d.l.fin.& paragr. item maior.vt propterea autore idoneo, id est ipso Tribuniano lapsus sit Cuiac.Alioqui, vt iterum repetatur, cum duo pupilli sibi inuicem sunt agnati; aut vnus est patronus alter libertus: Constitui non potest,quis potius debeat esse tutor, cum τὸ ἴσιζον & parilitas conditionis omne commentum eiusmodi excludat. Quod æque non fit cum pupillus agnatus est aut patronus,& agnata pupilla vel liberta: Nam saltem possit videri sexum valentiorem aliquo iure in fœminam impuberem vim & potestatem aliquam retinere aut quod magis per ætatis progressum aliquando pupillum effectu & gestu earum tutorem futurum. Sed ad rem. Recte hæc verba, sua ætatis,&c. statim explicuit Imp.de pubertate: Nam ambigua sunt, & significant eum quoque qui attigit 25.annum.l.50. cum filiosfam.ff.de leg.3.

Vbi tutela testamentaria speratur cessat legitima.

Pupilli potuere esse legitimi tutores.

Improbatur sententia Cuiacij.

IDEM

IDEM A. FELICIANÆ.

MATER *testamento filiis tutores dare non potest, nisi eos hæredes instituerit. Quandoautem eos hæredes (non) instituerit, solet ex voluntate defunctæ datus tutor à præsidibus confirmari. Nullo vero ex his interueniente, si res pupillares, qui dati sunt administrauerunt: Protutelæ actione tenentur. PP.* V II. *Kal.* Iun. *Iuliano* I I. *& Crispino Coss.* L. 4. C. eod. tit.

HOc rescripto proponitur generalis regula: Matrem filiis testamento tutorem dare non posse. Ratio ducitur ex l. 12. tab. quæ locuta est de patrefam. tantum deinde quia id conceditur iuri summo potestatis, qualem nullam habent matres in liberos. Ait Imp. *nisi &c.* Sed nec illud efficit vt iure dati censeantur. *l. 69. peto. paragr. mater. ff. de leg. 2.* sed illud tantum, vt ex decreto præsidis in prouinciis, vel prætoris Romæ cōfirmari possint, & quidem inquisitione facta, vt & ipse Imp. definit in d. l. 1. tit. seq. non tamen satisdatio ab his exigetur. *l. 2. ff. de confirm. tut.* vt nec solet à testamentariis exigi. Is qui non iure à patre datur veluti emancipato nulla inquisitione facta confirmatur. *§. fin. de tut. apud* Iustin. ἁπλῶς βεβαιοῦται, vt ait Modestinus in l. 1. ff. de confirm. tut. Quid si filium mater prçterierit aut etiam exhæredauerit? verius est ab eo datum filio impuberi tutorem non futurum: Nam in l. 4. ff. hoc tit. nominatim I. C. ait matrem nonnisi instituto filio tutorem dare. Quapropter rectè Cuiac. in notis prioribus ad libros instit. tit. de tutelis. & lib. 19. quæst. Papin. ad d. paragr. mater. rectè ex hac l. tolli debere ait negationem, quæ in ipso textu est parenthesi inclusa. Sunt quidem leges pleræque, quæ generaliter definiunt tutorem à matre datum confirmari: Sed sub hac conditione accipiendæ sunt, si & mater filium cui tutorem dat, hæredem scripserit, vt eum rebus potius, quam personæ dedisse censeatur. *d. l. 4. ff. hoc tit.* Pater qui habet filium in potestate etiam exhæredato dare tutorem potest. *paragr. sed si. de inoff. test. apud* Iustin. *l. 26. iure. paragr. fin. ff. hoc tit.* Exhæredato emancipato forte non potest: Nam & naturali filio, quem ex concubina suscepit, si nihil ei reliquerit frustra dat, ideoque non con-

Mater filiis tutorem testamento dare non potest.

Datus tamen ab ea confirmatur si filium suum hæredem instituerit.

Nisi mater filium institueret tutor ab ea datus non confirmatur.

Filio suo exhæredato tutorem pater dare potest.

firmatione modo, sed & inquisitione opus est. *l.7.ff. de confirm. tut.* magis mater extraneo comparatur, qui potest etiam dare tutorem alieno pupillo quem hæredem instituit. *d. l.1. §.2. & l.4.ff. eod. tit.* Adijcit Imp. *nullo vero, &c.* id est si filios mater non instituerit, nec dati tutores iure sint confirmati, nihil gestum censebitur: Imo nec se excusare tenentur quasi datio prorsus sit inutilis, vt docet lex 1.tit.seq. cuius statim verba subijcientur. Si tamen qui dati sunt administrauerint, quod crederent se tutelæ & administrationi obnoxios, pro tutelæ actione tenebuntur vt in fine huius legis constituitur. Pugnare tamen videtur lex 1.hoc tit.& l.4.C.qui da.tut.vel cur.possunt, vbi in eadē specie locus est actioni negotiorū gestorū. Sed dicendum vtramque concurrere, vt hac vel illa pupilli possint agere, quia qui negotia gessit est loco tutoris aut gestoris, & vtriusque actionis eadem potestas, idem effectus, vtraque bonæ fidei, vtraque easdem præstationes admittit.

IMP. ALEXANDER A. PRISCO.

Lex 1. C. de confirmādo tutore.

TESTAMENTO *matris tutores dati excusare se necesse non habent: nisi decreto secundum voluntatem defunctæ, & quidem inquisitione habita, dati fuerint. PP.* III. *Non. Mart. Iuliano* II. *& Crispino Coss.*

AD huius legis enarrationem sufficiunt quæ ad superiorem sunt adnotata.

IDEM A. VALERIO.

L.2.C.eod. tit.

NEQVE *per epistolam neque ex imperfecto testamento tutorem recte dari indubitati iuris est. Sed voluntas patris in constituendis tutoribus vel curatoribus in his casibus à iudice, ad cuius officium hæc res pertinet, seruari solet. Secundum quæ vereri non debes, ne tempus,*

antequam confirmareris, tibi cesserit. PP. VIII. *Id. Aug. Alexandro* A. II. *&* *Marcello Coss.*

CVm dicitur testamentarios tutores potiores esse, & quoties illis locus est cessare legitimos vel honorarios: hoc ita accipiendum, si testamentum sit perfectum aut codicillis testamento confirmatis sint dati. *l.3. ff. de testam. tut. l.2. C. eod.* nam neque ex epistola, quam fideicommissi nomine ad supremam iudicij contestationem aliquis emisit, neque ex testamento imperfecto recte dantur, vt palam hac lege Imp. definit: Imo etiam si testamentum sit perfectum, non prius ex ea tutoribus tutela defertur, quam ex eo adita sit hæreditas: Vnde omnia quæ in testamentis scripta sunt pendent. Sufficit vero si plures instituti sint ab vno aditam eam esse. *l.9. si nemo cum seq. ff. de testam. tut.* Igitur tutores testamento imperfecto dati tutores non sunt: Sed tamen poterunt confirmari à prætore vel præside, qui facile iudicium patris de filiorum tuitione & educatione decernentis sequetur: Et his quoque quasi testamentariis satisdationis onus remittitur. *l.3. ff. hoc tit.* quod idem in tutoribus, qui interdum legitimo testamento dantur, obtinet, si non recte dati sint, id est si ab eo dati fuerint, qui pupillum non habebat in potestate: Verum antequam confirmentur periculum tutelæ non agnoscunt: Quod secus obtinet, quando recte dati sunt: Nam ex quo innotuit ipsis tutores se datos, statim periculum tutelæ suscipiunt, etiamsi testatô conuenti non sint. *l.5. item autem. al. l.6. quidam. §. fin. ff. de adm. tut. & cur.* Imo etiam si excusati appellauerint, & appellatio eorum iniusta pronuntiata fuerit, medij temporis periculum agnoscunt. *l. fin. ff. si tut. vel cur. aut mag. app. l. vn. §. fin. ff. si pend. app. mors interu.*

Non possunt relinqui tutores nisi solemni testamento vel codicillis testamento confirmatis.

Tutor testamentarius non administrat ante aditam hæreditatem

Periculum tutelæ statim tutores tenet, vbi se datos sciunt.

IDEM A. SOSSIANO PP.

L.3. C. eod.

S*I vt proponis pupillo cuius meministi, pater inutiliter testamento tutores dedit, & priusquam hi confirmarentur, alij ab eo, cuius interest, dati sunt*: Id *quidem, quod iure gestum est, reuocari non potest. An autem qui iudicium patris habent, curatores eidem pupillo constitui debeant: aditus competens iudex, inspectis vtilitatibus eius, æsti-*

mabit. P P. I I I. *Id. April. Modesto & Probo Coss.*

HÆc lex est de tutore qui testamento perfecto,non iure tamen datus est à patre,veluti cum filio emancipato vel naturali tutorem dedit. Hic confirmandus est: Alioquin vt constat ex superioribus datio non consistit: Atqueideo, si quasi nullus esset tutor testamentarius, prætor aut alter magistratus ad quem res pertinet, cuique tutoris dandi ius est, alios tutores dederit, recte dati videbuntur: neque eò impedietur magistratus, quominus si res pupilli exigat illi qui testamento inutiliter dati erant honorariis à se datis adiungantur,non quidem vt tutores,sed vt curatores.

IMP. ALEXANDER A. FVSCIANÆ.

Lex 5. C. qui petāt tut. vel curat.

AMITA *tutores petere filijs fratris sui non prohibetur.* P P. V. *Kal. Iul. Maximo II. & Æliano Coss.*

Idem A. Otaciliæ.

Lex 6. eod. tit.

M*Atris pietas instruere te potest, quos tutores filio tuo petere debes: sed & obseruare ne quid secus, quam oportet, in re filii pupilli agatur. Petendi autem filiis curatores necessitas matribus imposita non est: cum puberes minores anno vicesimo quinto ipsi sibi curatores, si res eorum exigit, petere debeant.* P P. X. *Kal. Octob. Iuliano II. & Crispino Coss.*

COnstitit sup. ad l. 4. de testam. tutela, quatenus tutorem dare mater possit testamento, quod forte etiam locum habet in auia: quamquam lex fin. ff. de confirm. tut. videtur hoc constituere, datum ab auia tutorem non compelli ad administrationem nec posse confirmari: sed illud fingi potest in illa specie ab auia non fuisse nepotem aut neptem institutos. Hæc autem duo rescripta pertinent ad tutores honorarios, qui cessantibus testamentariis &

Mater quæ filijs tutores non petit

legitimis dari debent, & id quidem maxime matre requirente ex pietatis officio, ita vt si cessauerit emolumento successionis decidat, quam ex Tertylliano liberis aliquando morientibus sperare potuerat, si impuberes decedant. *paragr. penult. de Tertyll. S. C. apud Iustin. l. 1. & 2. Dig. hoc tit.* Imo si legitimam filiorum tutelam susceperit, (quod potest iure nouo cum vidua est) & alias nuptias repetierit, antequam ea postulante alius tutor datus sit, successionem eorumdem filiorum amittit, siue ei sit delata iure pupillaris substitutionis, siue ab intestato. *l. pen. Cod. ad S. C. Tertyll.* quamquam si ipsa minor sit hæc negligentia possit ei condonari. *l. 2. Cod. si adu. del.* Videtur etiam in l. 6. hoc tit. ipse Alexander eas adstringere, vt filiorum tutores suspectos faciant sub eiusdem pœnæ comminatione, quod summa ratio postulat. Certe in locum suspectorum tutorum qui remoti sunt debere eas alios petere certissimi iuris est. *d. l. 1. ff. hoc tit.* quod in petendis curatoribus idem non fuit constitutum: primum, quia ipsi liberi puberes facti sibi petere curatores possunt: Deinde, quia inuitis iis curatores non dantur. *paragr. inuiti de curat. apud Iustin.* De amitâ etiam dubitatum fuit, vtrum fratris filiis tutores honorarios petere deberet: Rescribit Imp. in l. 5. non prohiberi quo minus petat. Certè nulla iuris constitutione eam cogi cautum est. Vt videretur eam prohiberi debuisse quominus peteret, dubitationem illud faciebat, quod soleant mulieres & debeant à magistratuum tribunali procul abesse, quas etiam sexus verecundia misceri hominum cœtibus prohibet. Sed ratio sanguinis & pupillorum fauor eo rem protulit, vt admittatur quæcumque mulier ad eorum affectionem pertinens, adeo vt in accusatione suspecti tutoris etiam quæcumque extranea possit audiri, si prætori constiterit eam pietate productam sexus verecundiam non egredi, nec ferre pupillorum iniuriam. *paragr. consequens. vers. quinimo. de susp. tut. vel curat. apud Iustin.* Hoc ad hanc legem adnotandum ex l. 10. sciant. Cod. de legit. hæred. nouissime ab Impp. Theodosio & Valentiniano fuisse illud definitum, quoscumque qui quocumque modo ad successionem pupilli mortui vocantur adstringi, vt ipsis tutores petant: Alioquin eis si impubes moritur ius succedendi denegari, vt quod erat olim in matre pupillorum speciale, id iam obtineat generaliter in quibuscumque agnatis vel cognatis vtriusque sexus, ac ipsis etiam ex substitutione pupillari extraneis pupillorum hæredibus.

ius eis succedendi amittit si intra pubertatem decedant.

Idem obtinet si filiorum suorum tutores suspectos non arguat.

IMP. ALEXANDER A. AMPHIBOLO.

Lex 1. C. qui da. tut. vel cur. pos. & qui da. non possunt.

CVM tibi in eadem ætate constituto, vt si de statu tuo constaret, per tutores vel curatores negotia tua administrari deberent, libertatis controuersiam fieri alleges: non ideo oportuit impediri, quo magis liberali causa ordinata (quia interim pro libero haberis) curator tibi daretur, per quem defendi causa tua potest. PP. Kal. Nouemb. Alexandro A. Coss.

CErtum est tutores vel curatores tantum dari illis, qui sunt sui iuris, id est qui in nullius potestate sunt, ac liberi sunt & ciues. Tutela enim & cura munera sunt ciuilia, quę ciuibus iniūguntur, & in ciues suæ potestatis ac bona eorum exercentur: Et maximè tutela, quæ est vis ac potestas in capite libero, id est in eo qui liber est à potestate dominica vel paterna. His est consequens vt filiusfam. tutorem habere non possit præterquam in l. fin. C. de sent. pass. & rest. cum filio deportati tutor datus est, ac postmodum deportatus in integrum restitutus est: Nam si patris mores suspecti sunt, qui recipit patriā potestatē, tutor antea datus esse nō desinet. Cæterum curatorem habere potest filiusfam. dum pater captus est ab hostibus, ne in medio pereat substantia eius. *l. 6. §. ff. de tut.* tutorem vero habere non potest, quia ius potestatis non est abscissum vt in deportato, sed pendet tantum propter spem postliminij. Sic fit illud quoque vt tutorem habere non possit seruus ratione duplici. Primum, quia est in mancipio alieno: Deinde quia nihil suum habet: Et licet principaliter detur personæ, tamen & rebus quoque curandis datur. Excipitur ille casus, si hæredem institutum rogauerit testator, vt seruum impuberem manumitteret, & ei hæreditatem restitueret: Nam si hæres adire hæreditatem nolit, propter spem imminentis libertatis seruo interim dabitur tutor, cuius interuentu hæres ex S. C. Trebelliano adire hæreditatem cogatur, vt per hoc seruus fiat liber, & ei hæreditas restituatur. *l. 13. si impuberi. ff. de tut. & cur. da. ab his.* Excipiendus est & casus alter: si impuberi fiat controuersia status: nam quia interim pro libero est, tutorem quoque accipere poterit, vt datio valeat si liber postea pronuntiatus sit. l. 17. ei qui. ff. eod. quod idem in pubere dicendum esse Imp. do-

Tutores tantum dantur liberis hominibus sua potestatis non seruis.

Filiusfam. tutorem habere non potest nisi vno casu.

Curatorem tamen habere potest cum pater est captus ab hostibus.

Seruus tutorem habere non potest.

Exceptio prima superioris regula.

Exceptio secunda

ret hac lege, vt ei causa liberali pendente curator dari possit, quia interim vindiciæ dantur secundum libertatem & pro libero habetur, maxime si ex possessione libertatis in seruitutem vindicetur.

IDEM A. ARTHEMISIÆ.

MARITVS, *& si rebus vxoris suæ debet affectionem, tamen curator ei creari non potest.* PP. *Kal. ius Fusco. II. & Dextro. Coss.* Lex 2. C. eod.

DE hac lege quædam tradita sup. ad l. 2. & 3. de interd. matr. inter pup. & tut. nec est cur plura debeant adijci.

IMP. ALEXANDER A. OTACILIÆ.

TVTELAM *administrare virile munus est, & vltra sexum fœmineæ infirmitatis tale officium est.* PP. X. *Kal. Octob. Iuliano II. & Crispino Coss.* Lex 1. C. quando mul. tut. off. fungatur.

HOc rescriptum partem esse legis 6. sup. qui pet. tut. inscriptio & subscriptio demonstrat. Species ita fingi potest. Otacilia testamento mariti tutelam communium liberorum administrare iussa erat. Cum ipsa forte hoc onus iniungi sibi nollet, rem detulit ad imperatorem. Rescribit Imp. ei quidem non recte testamento mariti hanc tutelam esse demandatam, quia virile munus est & vltra sexum fœmineæ infirmitatis: Sed ex maternæ pietatis officio hanc ipsi curam incumbere, vt filiis à magistratu tutores petat. Igitur satis perspicue apparet fœminam administrare tutelam non posse, ne matrem quidem: Adeo vt in ea re voluntas defuncti mariti non confirmetur, si id caueat testamento. *l. 26. ff. de testam. tut.* multominus etiam à iudicibus aut magistratibus ei tutela potest deferri. *l. 21. eisdem. ff. de tut. & curat. da. ab his &c.* Quamquam obtinuerit interdum ipsam matrem filiorum tutelam à principe impetrare potuisse l. 16. tutela & l. fin. ff. de tutelis. Et in hac specie etiam id à principe Otaciliam impetraturam fuisse, si id desiderasset, certum est: Nam & maritus id potuit cauere, vt tutores à se dati consilium matris pupillorum in gerenda tutela sequerentur. *l. 5. §. 8. Papinianus.*

Species legis proposita.

Matri non defertur tutela liberorum etiamsi patris voluntas intercedat.

Interdum tamen à principe impetrabant tutelam filiorum matres.

Iure nouo potest mater filiorum tutelam administrare.

ff. de admin. tut. & cur. Iure etiam nouo ex constitutione l.2.& 3. hoc tit. deficientibus tutoribus testamentariis & legitimis mater administrare potest tutelam filiorum suorum tam legitimorum quam naturalium, si secundas nuptias non contrahat. Imo etiam ex N.18.& 94. matri & auiæ tutela iniungitur, etiamsi legitimi tutores existant: Soli testamentarij eas excludunt. Sed iis ita demum rerum pupillarium administratio permittitur, si actis interuenientibus palam fidem faciant matrimonium se non repetituras, atque etiam caueant se S.C.ti Velleiani beneficio non vsuras; si gestæ tutelæ ratio ab his exigatur. Iure nostro, cum testamentarij tutores nulli sint aut legitimi, sed omnes à magistratu vtriusque parentis cognatis intercedentibus dari soleant vno ex illis electo, fit vt plurimum vt si integræ existimationis mater existat ei tutela filiorum deferatur: imo & si secundas nuptias contrahat, solet tutela transferri in vitricum iuris ciuilis exemplo, quo etiam vitricus priuigni sui tutor esse potest. *l. fin. C. de contr. iud. tut. l.32. nonnumquam. §. fin. ff. de adopt.* Hoc etiam iure nostro est speciale, quod alterutro parente mortuo tutoribus liberi opus habeant, cum morte matris iure ciuili nullus tutor detur liberis qui sunt in patris potestate: Vt & pupilli illi tantum dicuntur, qui patrem amiserunt, qui-ve in potestate patris esse desierunt ante pubertatem, non qui matre tantum sunt orbati.

IMP. ALEXANDER A. VALENTINIANO.

Lex 1. C. in qu. caus. tut. hab. tutor vel cur. dari possit.

*P*OTVIT *quidem & debuit competens iudex in locum excusati tutoris, licet pupillus alios quosque haberet tutores, curatorem dare. Quamuis autem curator cum aliis in locum eius substitutus sis: Tamen periculo administrationis vltra pubertatis tempora non adstringeris. PP. V. Id. Iun. Modesto & Probo Coss.*

Licet verum sit tutorem habenti tutorem dari non posse: tamen à principio plures tutores dari possunt. *l. simul. 23. ff. de tut. & cur. da. ab his.* Quod fit maxime cum late diffusum est patrimonium: nec interest id testamento, an à magistratu fiat. *l. 1. C. de tut. & cur. ill. §. 1. de satisd. tut. vel cur.* Imo & legitimi plerumque plures intercedunt, si plures sint eiusdem gradus agnati. *§. fin. de cap. dimin. apud Iustin. l. 5. ff.* de

de legit. tut. Quod si vnus ex testamentariis vel honorariis decesserit, alius in locum eius substituitur. *l. 46. Lucius. paragr. cum testamento. ff. de adm. tut.* quod æque fieri non debet in legitimis tutoribus, si vnus decedat, quia non tam propter diffusum patrimonium omnes administrant, aut tutelæ periculum agnoscunt, quam quia plures sunt eodem gradu, quod exemplo patronorum constituendum est, qui si tutores simul legitimi existant liberti sui impuberis, & vnus decedat, in eius locum alter non substituitur. *l. 3. §. sed si aliquis. ff. de legit. tut.* In specie autem huius legis manifestum est, propter late fusum pupilli patrimonium plures datos pupillo tutores, vt propterea necesse fuerit in locum vnius, qui excusatus est, curatorem dari, vt eius tutoris vice fungatur: vnde fit etiam, vt eius curatoris officium pupilli pubertatem non egrediatur, atque in totum tutori cuius vicem obit comparetur.

IDEM A. HYLÆ.

PROPTER *late diffusum, vel in diuersis locis constitutum patrimonium, vel quod solus ad administrationem non sufficias, an tibi tutelam administranti adiungi aliquos curatores oporteat: præses prouinciæ, si te non sufficientem deprahenderit, æstimabit.* PP. VIII. *Id. Decemb.* Pompeiano & Peligno *Coss.* L. 3. C. eod.

CVm hac lege coniungenda est lex 11. inf. de excusat. tut. quæ ad eandem speciem pertinet. Vtriusque sententia hæc: tutorem testamēto datum ad vniuersum patrimoniū, qui intra centesimum diem non petiit excusari se à bonis, quæ in alia prouincia erant quam qua morabatur, temporis præscriptione submoueri, sed adiungi ipsi curatores, qui rem cum eo administrent. Certum est præsidem prouinciæ dare non posse eum tutorem qui in prouincia sua non moratur. *l. 5. C. qui dare tut. vel curat. possunt.* vt nec magistratus municipalis alium quam qui in ipsa est ciuitate, nisi ibi desint, qui sufficere possint administrationi: quo etiam casu debent inquirere ex viciniis ciuitatibus honestissimum quemque, & eius nomen ad præsidem prouinciæ remittere. *l. 24. diui. ff. de tut. datis ab his, &c.* Sic nec ei pupillo magistratus dare tutorem potest, quem suæ iurisdictioni suppositum non habet. *l. 1. §. fin. ff. eod.* Non idem in tutore testamentario, qui dari potest, etiam si diuersæ sit ciuitatis. *l. 32.*

Sententia legis propositæ & l. 11. inf. de excus. tut.

Præses dare non potest tutorem iurisdictioni sua non subiectum.

Magistratus non potest dare tutorem pupillo qui intra territorium suum non moratur.

testamento. ff. de testam. tut. ad quam speciem est referenda l. 10. etiam. ff. de tutelis. Cum igitur tutores à magistratu dati sunt, qui domicilium non habent, vbi res sitæ sunt, facile excusationem merentur. l. fin. ff. de excus. tut. Imo nec periculum cessationis, si tutelæ se non immiscuerunt, agnoscunt d. l. 5. quid a. tut. vel cur. pos. neque etiam intra constituta tempora proponere excusationes tenentur, id est intra quinquaginta dies. l. 13. εἰ Νέαι χρ. §. fin. de excus. tut. Alias quicumque tutor datus est, si velit excusari, intra quinquaginta dies proponere & contestari excusationes suas debet, si modo sit intra cẽtesimum miliarium ab eo loco vbi datus est; quod quidem tempus cedit ab eo momento, quo ipsi tutori decretum magistratus aut testamentum patris pupillorum notum fuerit. §. qui autem. de excusat. tut. apud Iustin. l. 6. inf. eod. tit. Cæterum peragendo iudicio ex die nominationis quatuor menses continui constituti sunt. l. 38. quinquaginta. ff. eod. Qui autem datus est tutor non appellat; sed venire debet excusationes suas allegaturus. d. §. qui autem, quas si iudex non approbauerit appellare tum poterit. l. 1. §. 2. ff. quando appell. sit. Sed licet tutores dati extra prouinciam in qua morantur, necesse non habeant intra tempora constituta proponere excusationes suas vt dictum est: tamen vbi quis tutor datus est pupillo patrimonium habenti tam in prouincia in qua ipse tutor moratur quam in alia: excusatio eorum bonorum ratione, quę extra prouinciam sunt peti debet intra legitimum tempus quinquaginta dierum: nec ideo minus tamen vbi illi præterierint, potest desiderare tutor, vt curatores sibi adiungantur propter late diffusas pupilli facultates.

Tutor debet proponere excusationes suas intra 50. dies.

IMP. ALEXANDER A. PACONIO.

L. 6. C. de admin. & peric. tut. vel. cur.

NON est ignotum tutores vel curatores, si nomine pupillorum vel adultorum scientes calumniosas instituant actiones, eo nomine condemnari oportere: ne sub prætextu nominis eorum propter suas simultates securè lites suas exercere posse existiment. PP. *V I. Id. Maij Maximo I I. & Æliano Coss.*

VNusquisque in negotio alieno bonam fidem agnoscere tenetur: ideoque actores ciuitatum, vel pupillorum tutores litis sumptus, si nomine reipub. vel pupillorum improbe litigauerint,

Tutores improbe litigantes nomine pupilli sumptus

agnoſcunt, vt nec honoraria imputare ſuis rationibus poſſint. *l. 9. quotiens. §. nec vtique. ff. de admin. tut. l. 78. qui ſolidum. §. etiam. ff. de leg. 2.* Alioqui vt recte Imp. hoc loco fieret plerumque, vt ſecure ſimultates ſuas cum ipſa minorum pernicie ſub prætextu nominis eorum exercerent: Er ad id pertinet locus Apuleij orat. prima pro ſe. *Altera die dat libellum, nomine priuigni mei Sicinnij Pudentis admodum pueri, & aſcribit ſe ei aſſiſtere, nouo more per alium laceſſendi ſcilicet: Vt obtentu eius ætatulæ, ipſe inſimulationis falſæ non plecteretur.* Verum & illud obtinuit in cauſis criminalibus, quas nomine pupilli tutor inſtituit, vt poſſit ipſe de calumnia condemnari, ſi id ſciens fecerit vt odio ſuo obſequeretur. l. 2. C. de his qu. vt ind. *factos in litem rationibus non imputant.*

IDEM A. VALERIO.

TVTELAM *pupillorum tuorum ſic adminiſtrare debes, ne ædificium, quod his relictum eſt, contra formam alienandi teſtamento datam vendas.* PP. *VI. Id. Iul. Maximo. II. & Æliano. Coſſ.* Lex 7. C. eod.

INanis videtur eius legis cautio, quandoquidem ex l. 22. hoc tit. tutor, etiam ceſſante lege teſtamenti, pupillorum prædia vrbana vel ruſtica & res mobiles pretioſas ſine decreto vendere non poteſt. Sed hoc ad ius vetus recte retulit Accurſius, quo ante Conſtantinum autorem d. l. 22. prædia ſiue ædificia vrbana alienari vel obligari poterant ſine decreto: ideoque opus fuit in hac ſpecie nominatim caueri, ne id fieret, quod ſepoſita illa lege fieri potuiſſet. Senatuſconſulto facto ad orationem DD. Seueri & Antonini id fuerat prohibitum, ne pupillorum vel in vniuerſum minorum omnium prædia ruſtica alienarentur. *l. 1. ff. de rebus eorum qui ſub. tut.* quia. ſcilicet fructuoſiora ſunt & certiores inde prouentus. Quantum ad ædificia domos & prædia vrbana; non ſolum illa alienare poterat tutor, ſed etiam ex neceſſitate officij tenebatur, quod forte maiores ſumptus in his tuendis fieri ſoleant, & minor ex his reditus proueniat, niſi in vrbe Roma vbi imperij & rerum ſedes, tum illa ratione vt illis prædiis diſtractis & aliis rebus mobilibus pecunia inde refecta fœnori collocaretur, vel etiam in depoſito haberetur ad alia prædia ruſtica vel ſuburbana emenda, in quibus comparandis ex Horatij conſilio ſecurius aliquanto negotium ſuum agit diligens rerum ſuarum moderator & bonus paterfamilias. *Prædia qualibet & res pretioſa ad minorem pertinentes ſine decreto non poſſunt alienari.* *Diligentis eſt patruſſim. ex pecunia ſua fundos comparare.*

Solos felices aio bene viuere, quorum

Conspicitur liquidis fundata pecunia villis.

Verum aliter postea Constantino visum qui in d. l. 22. hoc tit. magis ex re minorum credidit, mobiles res pretiosas atque immobiles indistinctè ipsis seruari, quas plerumque ab auis aut proauis quæsitas familiæ seruari pluris interest, quam cum periculo distrahi, quod fieri possit vt pecunia inde confecta parum idoneis nominibus collocetur, vel, dum seruatur ad rusticorum prædium emptionem, casu fortuito amittatur. Ad hanc legem illud præter superiora adnotandum venit, non semper seruari conditionem testamento adscriptam ne res alienetur ab hærede vel legatario, nisi id appareat contemplatione alicuius id factum, veluti familiæ, aut etiã eius ipsius, cui legatur, quia ei vt minus industrio ad sibi quærẽdũ vitæ subsidiũ prospicere testator voluit. *l. Titio centũ 71. in pr. ff. de cond. & dem.* Alioquin illa potest insuper haberi: *l. 114. filiusfam. §. 14. diui. ff. de leg. 1. l. 38. pater. §. Iulius. ff. de leg. 3.* vt insuper habetur etiam, si alienatio sit inuoluntaria, vel si fiat propter debita defuncti testatoris. *l. 67. peto. §. 1. ff. de leg. 2. & d. l. 38. pater in pr.* vel cum dos aut donatio propter nuptias ex illis bonis restitutioni obnoxiis constitui debet ei, qui grauatus est fideicommisso. *l. 22. mulier. §. pen. Dig. ad S. C. Trebell. auth. res quæ. C. comm. de leg. ex N. 39.* Quinimo, cum hæres grauatus est restituere, quod ex hęreditate superfuerit, alienandi facultatem non amittit. *l. 70. Imperator. §. fin. cum ll. seqq. Dig. de leg. 2. l. 54. Titius. l. 58. deducta. §. pen. & fin. Dig. ad S. C. Trebell.* quamquam aliter definitum ex N. 108. quia in huiusmodi specie, ad minus fideicommissario debet integrum quadrantem seruare.

Non semper conditio non alienandi impedit alienationem.

IDEM A. APRILI.

L. 8. C. eod.

ET *si scisses te curatorem datum, nec administrasses: Cæteris curatoribus, & administrationem peragentibus, & sufficientibus damno præstando, contra te actio dari non potest. Sin autem nescisses te curatorem datum: Etiamsi soluendo cæteri non sint, damni periculum ad te non redundat. P P. VII. Kal. Decemb. Alexandro A. III. & Dione Coss.*

Cum plures tutores sunt vni

PLuribus tutoribus datis non semper omnes administrant, sed plerumque idoneior eligitur, qui cæteris satisdat rem pupilli

faluam fore. *§.1.de satisd. tut. vel cur. apud* Iustin. *§. 19. sed & si quis. de inutil. stipul. apud eundem.* quæ res eos non liberat qui non administrant: nam remanent quasi custodes & obseruatores illius, cui administratio permissa est, vt excussis facultatibus eius, qui gessit, conueniantur. *l. 3. §. 1. & 2. Dig. hoc tit.* Cæterum si idoneus sit, ex persona eius non onerantur, qui tutelæ se non immiscuerunt. *l. fin. inf. si tut. aut cur. non gess.* quod & pertinet ad eum, qui cum sciret se cum aliis tutorem datum, tutelam non attigit: nam nec is conuenitur, si alij qui administrarunt sufficiant damno præstando, vt docet Imp. hac lege. Alias qui non administrarunt, tenetur ex eo die, quo datos se esse cognouerunt, vt constitutũ sup. ad l.2. de testam. tut. quemadmodum è contra omnino non tenentur, qui datos se tutores fuisse ignorarunt. Scientiam vtique probare debet pupillus. *l. 5. paragr. fin. cum l. seq. Dig. hoc tit.* cui obstat lex 5. tit. seq. sed ibi recte gl. docet præsumptione aliqua tutorem grauari, quod forte adfuisset testis eo testamento, quo tutor datus est: quod tamen non est perpetuò verum: nam plerumque testes nesciunt quid sit in testamento scriptum *l. 39. Gaius. Dig. de pign.*

de committitur administratio alij remanent obseruatores eorum quæ geruntur.

Si hi qui administrauerunt non sint soluendo alij qui non gesserunt conueniuntur.

IDEM A. INCLYTÆ.

SI *curatores habes, hique dotare te bonis tuis cessant: adito præside impetrabis, vt quod moderatum est honestæ personæ, præstare cogantur.* PP. XVII. *Kal. Maij.* Agricola & Clementino *Coss.* L. 9. C. eod.

Idem A. Rufinæ.

SI *liberti eiusdẽq; curatoris culpa seu fraude ratio vestra læsa sit: sarciri damnum ab eo, qui dedit, præses prouinciæ curabit: non dubitaturus etiam grauiorem exsecutionem adhibere, si quid tam aperta fraude commissum est, vt puniendum in liberto crimen deprehendatur.* P P. XI. *Kal. Aug.* Agricola & Clementino *Coss.* L. 10. C. eod.

DE lege nona actum fuit sup. ad l. vn. si adu. do. Ad legem 10. Illud est notandum interdum libertos patroni sui liberis dari

Liberti frequentius notitia causa tutores patroni liberis dantur.

tutores vel curatores principaliter, interdum notitiæ tantum causa iis adiungi qui rem gerunt, vt ipsos tutores instruant quam late pateant pupilli facultates: quod fit maxime quando tam est tenue libertorum patrimonium, vt secure eis tutela committi non possit. l.1.tit.seq. cuius verba statim subijcientur. Hoc vero vel illo casu periculum malæ administrationis eos contingit. Et siquidem ipsi principaliter rem gesserint culpæ & fraudis admissæ nomine conueniuntur: Imo quo maiorem fidem & affectionem defuncti liberis debent, eo seuerius etiam in eos debet animaduerti, si quid oscitanter vel fraudulosè fecerint. Sin tantum sunt notitiæ causa dati, ita demum tenentur, si suspectos tutores non fecerint illos qui tutelam administrabant aut cum illis fraudis consilium participauerunt.

IMP. ALEXANDER A. QVANTO.

Lex 1. C. de peric. tut. vel curat.

ET *qui notitiæ causâ liberti tutores dantur, quamuis soli administrandorum negotiorum pupillorum siue adultorum facultatem interdum non accipiant propter tenuitatem sui patrimonij: Periculo tamen omnes sunt obligati: Siue ea quæ scire debent, ex vtilitate eorum tutores siue curatores dißimulauerunt, aut fraudem aliquam adhibuerunt, vel cum aliis participauerunt, aut cum suspectos facere deberent, vel in officio muneris, vel debito obsequio cessauerunt* PP. IX. *Kal. Febr. Alexandro A. II. & Marcello* Coss.

Idem A. Saturo.

L. 2. C. eod. tit.

AD *eos, qui in alia prouincia tutelam administrant, periculum administrationis ex persona tutorum, qui in alia prouincia res pupilli gerunt, non porrigitur.* PP. *Non. Iul. Alexandro A. II. & Marcello Coss.*

LEgis primæ sententia exposita fuit sup. ad legem superiorem. Quod vero in l.2. definitur planum est, & ita demum obtinet, si

inter tutores diuisa tutela sit à testatore vel iudice: Alioqui diuisa ab ipsis tutoribus administratione si vnus male administrauerit, & soluendo non sit, contutoris periculum versatur: Imo & si diuisa sit administratio; alter quoque ex culpa vel dolo contutoris conuenietur, si cum eum suspectum facere deberet non fecerit, aut tardius fecerit iam euersis facultatibus. *l.14.etiam.l.46.Lucius.§.6.cum testamento.ff.de admin.tut.l.2.C.de diuid.tut.*

Tutor vnus ex facto alterius non tenetur si diuisa sit administratio inter eos.

IMP. ALEXANDER A. SORARCHO.

Lex 2. C. quando ex fa. tut. min. ag. vel conuen. deb.

ET *si tutores tui, cum pecuniam pupillarem crederent, ipsi stipulati sunt: Vtilis actio tibi dabitur.*

HÆc est certissima iuris ciuilis definitio, per liberam personam nostræ potestati non subditam acquirere aut stipulari nos nihil posse, excepta causa possessionis. *l.1.C.per quas pers.l.11.solutum.§. per liberam.ff.de pign.act.*& propterea si quis stipulatus sit centum sibi dari, pro parte tantum valet stipulatio. 8.*si quis de inutil.stipul.l.110.si mihi.ff. de verb. obl.*nisi si aliter constituatur ex rei ipsius natura, vt in seruitute, quam si quis sibi & alij stipuletur, sibi tantum acquirit in solidum, quia pro parte constitui non potest.*l.5.proprium.ff.comm. præd.*aut sibi quis & alij fundum emerit, quia non tam commodè potest diuidi fundus, quam pecunia, ne fiat iniuria venditori, qui totum fundum vendere voluit, nec ad communionem debet compelli.*l.64.fundus.ff.de contr.empt.*Sed possint superioris regulæ plures proponi exceptiones & casus, quibus illa perdit officium suum: Ac primum, cum illud Papinianus generaliter definiat beneficio hominem affici hominis interesse.*l.7.ff.de seruis export.*videtur quoque illud inualescere debere, vt & alteri possimus obligationem & actionem parare. Sed videndum est, ne non quod definit Papinianus ad suam speciem debeat restringi, vt illud verum sit quando paciscentis intersit ratione affectionis, & promittenti nihil detrahitur. Cæterum nulla obligatio in ea lege alteri acquiritur. Et vero obligationes omnes & stipulationes sunt introductæ, vt quisque acquireret quod sua interesset, non vt aliis actionem pararet, nisi qui stipularentur essent in potestate alicuius cui commodum omne quærerent, aut in manu haberent illos quibus paciscerentur, aut eorum quolibet modo interesset extraneo aliquid dari, qua de re solent tractari plurima in §.5.si quis alij. & §.20. alteri de inutil. stipul. apud Iustin. Sed licet interdum non versetur ratio po-

Alteri obligationem acquirere nemo potest.

Si quis stipuletur sibi & alteri pro parte tantum valet stipulatio.

Exceptiones superioris definitionis.

Beneficio hominem affici hominis interest.

Pater potest stipulari & pacisci liberis emancipatis & mater etiam liberis suis.

testatis: Tamen cum pater liberis emancipatis, aut etiam filiis mater stipulatur, illis actio vtilis quæritur, quasi sibi videantur obligationem acquirere, qui illam ijs quæsiuere quos affectu propensiore diligant. *l.45. Gaius Seius. ff. sol. matr. l. si ita. 9. l. 23. pater. ff. de pactis dot. l. 26. Publia. ff. depos. l. 45. quodcumque §. 2. si quis ita. ff. de verb. obl.*

Liberi non possunt pacisci parentibus in quorum potestate non sunt.

quod non idem tamen habet locum si liberi parentibus paciscantur. *l. 59. debitor. §. fin. ff. ad S. C. Trebell.* quia eorum non est tantus amor erga parentes quantus parentum erga illos, vt tradit Cuiac. lib. 4. resp. Pauli ad d. l. 26. ff. depos. Vt alia omittere liceat, ad sententiam legis propositæ est accedendum, in qua circumscribitur etiam regula generalis,

Tutor pupillo potest acquirere actionem.

quandoquidem tutor pupillo, quem in potestate non habet, aut in cuius potestate non est (de paterna aut dominica intelligimus: Nam alias tutor in pupillum vim aliquam & potestatem exercet) acquirere potest obligationem, ita vt directa actione deficiente possit pupillus ex contractu, quem tutor iniit, habere actionem ex stipulatu post pubertatem, si dum tutor eius tutelam exerceret pecuniam ex rationibus pupillaribus confectam & fœnori collocatam sibi reddi stipulatus sit: Neque id modo in actione ex stipulatu, sed etiam in actione de constituta pecunia. *l. 5. cum qui. §. 9. si actori. ff. de const. pecun.* vel etiam cum tutor locauit prædia pupilli, vel in causa pupillari iudicio expertus sententia secundum eum lata est: Nam & his casibus post pubertatem pupillus locati aget, vel iudicatum exsequetur. *l. 4. hoc tit. l. 6. ff. eod.*

Ex negotio gesto cum tutore nomine pupilli pupillus ipse conueniri potest.

quod vicissim obtinet vt condemnato tutore ex negotio quod pupillum contingit, vel etiam in res pupillares accepta à tutore pecunia, transferatur omnis actio & obligatio in pupillum, quasi ipse iure contraxerit. *l. 1. & 3. hoc tit. l. 5. & pen. ff. eod.* Hi igitur sunt casus speciales, de quibus intelligenda est l. vlt. hoc tit. per tutorem pupillo actionem nisi certis ex causis dari non posse, vt non oporteat produci ad consequentias, quod ex benignitate admissum contra ius commune & regulam generaliter receptam, quæ constituit per liberam personam nostro iuri non subiectam nos obligationem acquirere non posse: Quamuis possit & illud dici, ne quidem per tutorem pupillo acquiri actionem posse ex d. l. 11. solutum. paragr. per liberam. ff. de pign. act. Sed ille paragr. est accipiendus de actione directa, quæ pupillo non quæritur impediente stricta iuris actione, non de vtili, quæ tum ex hac lege tum ex aliis supra allegatis pupillo ex facto tutoris accommodatur.

IMP.

IMP. ALEXANDER A. FORTVNATÆ.

PRÆSES *prouinciæ tutores filiorum tuorum strictioribus remediis adhibitis, omnimodo administrationis officium compellet agnoscere. Quòd si in eadem contumacia perseuerauerint: Suspectos postulare, vt alij in locum eorum petantur, non prohiberis.* P.P. *Idib.* Ianuar. Alexandro A. III. *& Dione Coss.* L. 3. C. de suspectis tutoribus.

Idem A. Thalidæ.

E*Tiam testamento patris tutorem datum suspectum postulare potes, si fraudem tutoris argueris.* PP. VIII. K*al. Ianuar. Maximo* II. *&* Paterno *Coss.* L. 4. C. eod.

Idem A. Asclepiadi.

IN *postulandis suspectis tutoribus seu curatoribus, non vires patrimoniorum principaliter, sed an nihil segniter, nihil fraudulenter geratur, perpendi oportet.* PP. VI. *Kal. Ianuar. Maximo II. &* Paterno *Coss.* L. 5. C. eod.

NOn est seiungenda horum rescriptorum interpretatio. Prius docet non modo suspectos tutores remoueri, qui fraudulenter & dolose vel negligenter tutelam administrant, sed & qui omnino non attigerunt rerum pupillarium curam, postquam à pręside vel prætore iussi sunt: Quamquam, ne & hac contumacia possint se immunes præstare ab officij & muneris publici necessitate, ex constitutionibus obtinet eos compelli ad administrationem, qua de re nec lex Attilia nec Iulia & Titia cauerant. §. *sed ex his de attil. tut. apud Iustin.* quod fieri captis pignoribus debet, vt recte glossa: Nam & hoc genus coërcitionis in iudiciis frequentius fuit etiam in quacumque causa alia. *l.* 5. §. 10. *si quis. ff. de lib. agn. l.* 4. §. 2. *ff. de damn. inf. l.* 9. *sacrilegi.* §. *fin. ff. ad l. Iul. pecul.* Ne dicamus cum gl. ita tutorem remoueri, si in contumacia perstiterit: Nam & tum quoque poterit compelli si res pupilli id exigat. In l. 4. ostendit Imp. etiam testamento tutorem datum posse vt suspectum remoueri: In qua defini-

Tutores compelluntur captis pignoribus ad administrationem rerum pupillarium.

Coercitio frequens per captionem pignorum.

tione hæc ratio dubitandi occurrebat, quod fides tutoris electa esset à patre pupillorum: Sed potuit patris spem elusisse, qui melius de eius moribus & industria præsumpserat. Igitur cuiuscumque generis tutor sit, ille, potest remoueri aut postulari: Neque testamentarium patris approbatio, neque legitimum sanguinis necessitudo, neque honorarium & à magistratibus datum fides inquisitionis & autoritas præstabit liberationem ab ea accusatione. Sed nec satisdatio oblata, nec florentis patrimonij & rei familiaris vires integræ, aut etiam dignitatis alicuius splendor accusationem impediet, quasi sit par futurus semper reddendis rationibus: Nam vt rectè Iustinianus l. fin. C. in qu. caus. in int. rest. non est necess. præstat periculum anteuettere, & intacta iura seruare, quam post causam vulneratam eius remedium quærere: Maximè cum satisdatio propositum maleuolum tutoris non mutet, sed potius diutius grassandi in rebus pupillorum præstet facultatem. *l.5. ff. hoc tit. §. fin. eod. tit. apud Iustin.* quo fit vt rectè dicat Imp. in l.5. in postulandis suspectis tutoribus non vires patrimoniorum inspici principaliter, sed id tantum, an nihil fraudulenter, nihil segniter gerant. Igitur vtcumque diues, vtcumque in dignitate constitutus tutor poterit tanquam suspectus postulari, quia non tam dignitas aut facultates præstant ad fidem habendam tutori, quantum vitæ institutum decens, & rectum mentis incorruptæ propositum, moresque probi: Et eo etiam pertinet illud Modestini in l.21. εἰδέναι χρή. §. fin. ff. de tutor. & cur. datis ab his &c. ὅτι ἀξίωμα οὕτως ἱκανὸν πρὸς πίστιν ὡς ἀγαθὰ προαίρεσις καὶ χρηστοὶ τρόποι.

Omnes tutores possunt vt suspecti postulari.

Satisdatio oblata à tutore non impedit quominus vt suspectus postuletur.

IMP. ALEXANDER A. EVARESTO.

Lex 2. C. de in litē dando tut. vel cur.

AN *tibi partis fundi paterni vindicatio competat: is, cuius de ea re notio est, æstimabit. Respicere autem debes officium, in quo te esse tutorem dicis: ne ob eiusmodi petitionem euictione secuta, vltra pretii quantitatem, auctoris hæredem pupillum tuum oneres, qui laudatus per te defendi debeat: cum aut compensationis rationem habere, aut contrario tutelæ iudicio experiri possis. Sed ne tum ius, si quod habes, impediatur: ad eam rem defendendam, quæ aduersus te vindicantem agenda erit, curatores pu-*

pillo petantur. P P. X I I. *Kal. Maii. Iuliano* I I. *&*
Crispino Coss.

HOc rescriptum pertinet ad dandum pupillo curatorem in litem, si quando tutor negotium aliquod vel controuersiam habet cum pupillo ipso: nam illo casu autor in rem suam pupillo esse non debet, ne ad compendium suum iustas pupilli defensiones & allegationes dissimulet. Igitur extra ordinem curator dandus est, cuius interuentu lis illa dirimatur. Olim tutor in eam rem dari solebat. *paragr. fin. de autor. tut. apud Iustin.* quod etiam intelligit ipse Imp. Alexander in l. 7. inf. de excus. tut. vel curat. dum tutori hoc ipso casu numeris participem dari docet. Et illa causa fuit, in qua maxime tutorem habenti tutor dari potuit: Quod obtinuit siue tempore tutelæ, siue postea lis inter tutorem & ipsum pupillum orta esset: alioqui non iusta fuit ratio excusationis, si is qui datus esset tutor, creditor pupilli vel debitor esset, aut alicuius litis implicitã rationẽ cũ eo haberet *d. l. 7. inf. de excus.* nec propter litem idonea fuit causa excusationis, nisi esset de bonis vniuersis aut de statu & hæreditate esset. *l. 16. C. eod. l. 4. item. eod. tit. apud Iustin.* Iure nouo neque tutore neque curatore opus est, nisi forte tutela durante tutor cœperit esse creditor vel debitor minoris aut pupilli: nam si, antequam tutela incipiat, ipsum pupillum aliqua actione obligatũ habuerit, vel ipsi obligatus sit, omnino tutor eius esse prohibetur: alioquin si quam actionem aduersus ipsum pupillum habeat, eam amittit, si eam dissimulauerit se habere ex N. 72. verendum enim fuit, ne vel debitor debiti cautionem inter pupillares rationes inuentam corrumperet, vel creditor apochas & professiones acceptarum per longum tempus vsurarum igne combureret, aut quid eiusmodi insidiarum in minoris facultates strueret. Hæc ad eam legem notata sufficerent, nisi eius speciem proponere expediret quandoquidem est subobscura, nec alia tamen poni potest quam Accursius voluit. Euarestus fratris filio à prætore tutor datus est vel tutor legitimus ei extitit quasi propior agnatus. Cum autem Titius frater Euaresti pater pupilli fundum communem inter eos viuus Sempronio vendidisset: desiderabat Euarestus actione in rem contra Semproniũ agere, & ei controuersiã proprietatis facere propter partem eius fundi, quæ ad se pertinebat, & in qua ius dominationis Titius frater per alienationem interponere non poterat, sicuti definitum sup. ad l. 2. comm. diuid. Non satis constabat quemadmodum commodè id fieri posset propter autoritatis siue euictionis actionem, quam Sempronius erat in iudicium deducturus contra ipsum pupillum Titij venditoris hæredem, cui ip-

Tutor litem habens cum pupillo non potest ei esse autor in rem suam.

Propter litem quæ cum pupillo intercedit non datur excusatio tutori.

Secus iure nouo.

Species legis proposita.

sum Euarestum adesse officij necessitas suadebar. Cum igitur Euarestus vereretur, ne partem fundi vindicando ipse faceret, vt Sempronius contra pupillum regrederetur, atque ita ipse propter hoc finita tutela iudicio tutelæ conueniretur: aut etiam partis dominiũ quam in fundo vendito habebat amitteret, si de iure suo nullam contestationem faceret: Imperatorem consuluit. Rescribit Imp. consultius facturum Euarestum & magis ex muneris iniuncti ratione, si ipse dominij controuersiam emptori non faciat, ne ob eiusmodi petitionem euictione aduersus Sempronium secuta ipse Titius ex stipulatione duplæ agat aduersus pupillum Mæuij hæredem, atque ita ipsi pupillo damni occasionem præstet: qua in re nihil sibi obfuturus est Euarestus, quia finita tutela poterit pupillo reputare pretium partis suæ, quam tanquam patris hæres ipsi ratam venditionem habenti pupillus debet, idque per modum compensationis si quid pupillo debeat ex ratione tutelæ administratæ, vel contrario iudicio tutelæ, quia vltro agere poterit contra pupillum. Quod si Euarestus partem fundi paterni recipere malit, quam pretium eius à pupillo consequi: neque enim inuitus tenetur ratam facere venditionem: tunc constituit Imperator ipsum pupillo suo curatores petere debere, quibus intercedentibus dominij controuersia, quam ipse contra Sempronium intendit, & actio autoritatis, quam contra pupillum Sempronius est editurus, possit expediri. Nulla hîc ratio alia dubitandi poterat assignari, quam illa; quod videretur incongruens tutorem, qui ipse tueri debet res pupilli, efficere vt iudicio dupli conueniatur ab extraneo emptore. Sed ipsa rei æquitas satis docet, iniquũ esse vt officiũ suũ tutori sit damnosum, cum eadem causa eius debeat constitui, quæ foret si tutor non esset. Aduertere illud necesse est, si quidem ipse tutor in hac specie elegerit actionem in personam pretij nomine contra pupillum, tunc ipso iure peremptam actionem in rem contra possessorem, quod & docet lex 3. de rei vind. quæ supra exposita est. Cæterum illud quoque dici debebit præscriptionem nullam interim contra tutorem currere, quamdiu tutela durat, si postea pretium petat. *l. 1. §. pen. ff. de contr. ind. tut.* quasi iam tum actio nata videatur quo ratam venditionem habuit. Sed & statim agere potest negotiorum gestorum, quasi pupilli pater in alienatione partis suæ negotium quoque eius gesserit.

IMP. ALEXANDER A. BRVTIÆ.

SVO *potius periculo magistratus tutores, quos petiisti, dederunt: quam tu contra sexus conditionem alicui ex ea obligatione obstricta es, quod tuo periculo tutores filiis tuis dari postulasti. P P. III. Id. Mart. Maximo III. & Vrbano Coss.* Lex 1. Cod. si mater indemn. promis.

AD eam legem sufficiunt ea quæ tradita sunt ad l. 6. sup. ad S. C. Vell.

IMP. ALEXANDER A. DIONYSIODORO.

EDVCATIO *pupillorum tuorum nulli magis, quam matri eorum, si non vitricum eis induxerit, committenda est. Quando autem inter eam, & cognatos, & tutorem, super hoc orta fuerit dubitatio: aditus præses prouinciæ, inspecta personarum & qualitate & coniunctione, perpendet, vbi puer educari debeat.* Lex 1. C. vbi pup. educ. debeat.

PArs illa & quidem potior officij tutorij est, vt pupillum pupillam-ve liberaliter & pudicè tutor educari curet: ea de re plerumque testatores edicere solent, vt non solum liberis tutores dent, sed etiam constituant, vbi intra tempus pubertatis morari debeant. *l. 7. Quintus. ff. de annuis leg.* Sed lege paterni testamenti cessante, nihil est expeditius quam vt matri eorum educatio permittatur. *Ἀξιοπιστοτέρα μητὴρ πρὸς τ̃ τῶν παίδων ἀνάψυξιν.* vt ait eleganter Iustinianus N. 22. cap. 38. & est illud Plinij elegans ep. 12. lib. 9. quod in hanc sententiam trahi possit. *Vbi* (inquit) *iucundius pueri morabuntur quam in patria, aut pudicius continebuntur, quam sub oculis parentum, aut minore sumptu quam domi.* Sed impuberum educationem matri ita permittit Imp. si ipsis vitricum non induxerit. Atquin

Matri permittenda educatio liberorum vbi de ea re nihil pater testamento edixit.

Modo tamen ad secunda vota non transierit.

Vitricus potest esse tutor priuignorum suorum non educator.

vitricus potest esse tutor priuignorum suorum, vt constitit sup. ad l. 1. qu. mul. tut. off. fungi possit. Sed non iidem semper educatores possũt esse, qui tutores, vt fere fit apud eos nõ tuto educari, qui ipsis pupillis successuri sunt. *l.2. hoc tit. l.1. §.1. ff. eod.* nisi forte mater sit, cuius votũ est sẽper, vt liberos habeat superstites: vt recte illud Iustinianus dixerit N.93. cap. 1. Τὴν μητέρ. ὁ φύσεως ἔρως ἐνστὰς περὶ τοὺς παῖδας ἀνύποπτον ἀποτελεῖ τὰ πολλά. Cæterum quia potest esse diuersa matris, tutoris, & cognatorum sententia, res tota temperari debebit magistratus arbitrio, quemadmodum definitum est, si de puellæ nuptiis inter eosdem non conueniat. *l.1. C. de nupt.* Apud nos non minus matri traduntur liberi educandi, quod secundas nuptias contraxerit. Plura in hanc sententiam Robertus lib.1. rer. iudic. cap. 8. & 9.

IMP. ALEXANDER A. EVPHIDO.

Lex 2. C. de alun. pupillo præstandis.

QVOD *plerumque postulatur, vt arbitrio prætoris alimenta pro modo facultatum pupillis vel iuuenibus constituantur: pro officio suo, qui aliena negotia gerunt, ne apud iudicem controuersiam habeant, faciunt. Cæterum si bonus vir & innocens tutor arbitrio suo aluit pupillos: quod interdum etiam necesse est fieri, ne secreta patrimonij & suspectum æs alienum pandatur, quod melius est interim taceri, quam cum de modo bonorum quæritur vltro proferri, & apud acta ius dicentis contra vtilitatem pupillorum adsignari: non dubiè accepto ferre debebunt ea, quæ vir bonus arbitratur, merito ad exhibitionem educationis ministeria studiáque erogata esse, nec ferendus est iuuenis, qui cum præsens esset, studiisque eruditus, atque alitus esset: si ea per alium se consecutum non probet, sumptus recuset, quasi vento vixerit, aut nullo liberi hominis studio imbui meruerit.* PP. Non. Decembr. *Maximo II. & Æliano Coss.*

QVemadmodum tutoris officium est educationi pupillorum prospicere, ita & præstandis pupillo alimentis: nam educationis cura circa alimẽtorum præstationem maximè versatur, quibus continentur etiam sumptus, qui pupilli erudiendi causa fiunt, vt & definitum ad l. 11. sup. de neg. gest. Etiam moribus pupilli præpositus est tutor, & propterea mercedes eius præceptoribus dare debet, non quas minimas potest, sed quas decet pro facultate patrimonij & dignitate natalium. *l. 12. cum plures. §. 3. ff. de admin. tut.* Quapropter fit plerumque, vt tutor velut suspectus remoueri debeat, qui alimenta pupillo non præstat. *§. si quis tutor. de susp. tut. apud Iustinianum. l. 3. §. tutor. ff. eod.* Atq; etiã ex ea causa celerior executio fieri debet quam ex vlla alia, vt & diebus quoq; feriatis decerni possint, quia hæc res moram non patitur. *l. 2. ff. de ferijs.* Maxime vero arbitrio prætoris solent constitui pro modo facultatum pupillarium. Sed potest etiam ipse prætor siue magistratus id ipsũ definire, quod plerumque expeditius est, ne secreta patrimoniorum diuulgentur, quod apprime est incommodum, maximè in nobilium familiis, vt ait Iustin. edicto 7. cap. 2. & generaliter, inhumanum est paupertatis suæ detegere vilitatem, vel inuidiæ exponere diuitias l. 2. §. sed vbi quarta. quando & qu. quarta pars lib. 10. C. qua ratione & illud obtinuit ex S. C. curiæ Parisiensis, causam agentibus summæ doctrinæ & eloquentiæ viris Petro Mauguino & Iuliano Brodæo, vt iudices vel magistratus, quibus incumbit cura conscribendi inuentarij bonorum ad minores vel pupillos pertinentium, id non possint inuita eorum matre, si alleget liberis suis eiusmodi bonorum ἀναγραφὴν fieri non expedire. Si igitur innocens tutor circumspecta ratione secundum patrimonij vires ipse non expectato magistratus imperio ea quæ ad exhibitionem educationis necessaria sunt subministrauerit: rectè illos sumptus ipsi reputabit, nec propitiis auribus audietur adultus, qui paria facere rationibus detrectabit, & referre tutori in expensum eos recusabit; vtique si pro natalium conditione, pro ipsius pupilli qualitate, omnia gesta sint, & necessariis disciplinis sit instructus. *arg. l. 25. seruos. ff. de pign. act.* alioqui fiet illud interdum, vt non quantum impendit repetat, si plus æquo impenderit. *l. 2. paragr. 1. Dig. vbi pup. educ. deb.* Et hac ratione modum seruorum, qui circa pupillum futuri sunt, secundum facultates eius æstimare debet. *l. 13. tutor. Dig. de admin. tut.* nec probe tamen vniuersum patrimonium pupilli, si amplum sit, in alimenta eius poterit impendi, sed ita sumptus temperare, ne mergantur pupilli: & propterea quod frugaliter exhibitioni commodum est, inspici debet, vt aliquid ex reditu superfit. *l. 3. Dig. de contr. ind. tut. l. 3. paragr. 1. & 3. Dig. vbi pud. educ. deb.* Solent enim semper patresfam. qui sunt frugi, aliquid præsidij causa seponere,

Munus tutoris est maxime circa præstationem alimentorum.

Moribus pupilli dicitur præpositus.

De alimentis etiam die feriato agi potest.

Patrimonij secreta non debent diuulgari.

Matre inuita non fit repertoriũ bonorum pupillarium.

Alimenta & ministeria pupillo tribuenda sunt pro dignitate familia & modo bonorum.

Pecunia sine peculio fragilis. vnde vetus illud prouerbium: pecunia sine peculio fragilis. *l.* 79. *si chorus. paragr. pen. ff. de leg.* 3.

IMP. ALEXANDER A. AGLAO.

Lex 4. C. arbitrium tutelæ.

EVM, qui bonis paternis secundum edicti formam abstentus est hæreditariis actionibus conuenīri nulla ratio suadet. Nec ad rem facit, quod aduersus curatores vel tutores, si non consultè abstentus sit, actio ei competat. Nihil quippe in ea, quæ ex officio gesta sunt, vel geri debuerunt, veniet: Sed culpa solummodo quantique interfuit eius, non fuisse abstentum, æstimatur. Cui consequens est, vt si propter eam causam transegisti cum tutoribus vel curatoribus: Nulla aduersus te creditoribus patris tui petitio competat. PP. III. Kal. Maij, Alexandro A. Coss.

INitio huius legis proponitur hæc generalis definitio: Eum qui patris hæreditate se abstinuit secundum edicti formam actionibus hæreditariis non teneri. Certissimū est in iure ciuili ex l. 12. tab. filios qui in potestate sunt suos esse patri & necessarios hæredes, beneficio tamen prætoris esse voluntarios, vt vel abstinere vel immiscere se bonis possint. Qui igitur se abstinuit iam amplius hæredis loco non est, quod idem dicendum in extraneo hærede, qui repudiauit. Sane si quid amouerit suus antequam abstineat, iam hæreditati semel alligatus est: si postea, furti tantum nomine tenetur. *l.* 71. *si quis. §. ait prætor. vt. §. fin. ff. de acq. & om. hær.* quo argumento comprobatum est ex S. C. tis, defuncti vxorem, quæ cum eo bonorum communionem habuerat, vt ex iure communi solet, oneribus societatis pro parte sua in solidum adstringi, si quid amouerit antequam renuntiasset ipsi societati, idque etiam si minor annis ipsa mulier esset, qua de re eruditus senator in collecta decretorum curiæ Parisiensis in litt. R. num. 1. In hærede extraneo, qui quid expilat exhæreditate, secus est: nam integrum ei est repudiare, nec est alia ratio componendi dissidij inter d. §. fin. & l. 21. in pr. ff. eod. Ratio diuersitatis forte illa, quod prætoris beneficium detur filio abstinenti se, qui non censetur abstinere cum quid ex bonis aufert & asportat.

Sui iure prætorio habent beneficium abstentionis.

Sed si ante abstentionem aliquid amouerint tenentur vt hæredes, si postea, furti.

Hæres extraneus qui quid expilat exhæreditate pro hærede non habetur.

aſpottat. At hæres extraneus nullam à lege habet diſpoſitionem vt ſit neceſſarius, totumque ex eius voluntate pendet; ideoque cum aditio animi ſit potius quam facti, & admiſſum contrariam voluntatem teſtetur, conſequens eſt vt nihil ei obſit hæreditatem expilaſſe adhoc, vt propterea pro hærede geſſiſſe dicatur. In poſteriori parte legis propoſitę illud definitur: Filium qui bonis paternis tutore vel curatore autore abſtentus eſt non magis creditoribus patris obſtringi, quod iudicio tutelæ vel vtili negotiorum geſtorum actione conſecutus ſit, quod ſua intererat non fuiſſe abſtentum. Dubitationem faciebat, quod filius ipſe tantumdem emolumenti percepiſſet à tutore vel curatore, quantum ſi ſe immiſcuiſſet bonis paternis, vt propterea videretur eum quaſi patris hæredem creditoribus eius eſſe obnoxium. Verum reſcripti æquitatem illa ratio facit certiſſimam, quod defuncti filius id non ex hæreditate patris, ſed ex deciſione tantum conſecutus ſit. *arg. l. 3. §. fin. ff. ad leg. falcid.* Non quæcumque filius habet occaſione patris vel paternæ hæreditatis, ea illum oneribus ſubijciunt, ſi ea poſſit habere citra titulum ius & nomen hæredis. *l. 20. §. pen. ff. de acq. vel omitt. hær.* Sic Papinianus definit in actione ſepulchri violati, ſi filius contemptæ religionis & ſepulchri vindex ab eo aliquid conſecutus ſit, qui patris conditorium & cineres violauerit, non propterea à patris creditoribus poſſe conueniri: Nam cum illa actio ſit popularis, non propterea bonis miſcuiſſe ſe cenſetur, cum citra vllum periculum ſubeundorum onerum idem potuerit extraneus. *l. pen. ff. de ſepul. viol.* idem obtinebit ſi à paterno liberto ali ſe filius deſiderauerit, vel ab eo operas petierit, quas hæres extraneus petere non potuit, quæque ei debentur vt filio non vt hæredi, & aliis caſibus ſimilibus. *l. 13. ſi quis l. 20. §. ſi quid tamen cum ſeq. ff. de acq. vel om. hæred.*

Sententia legis propoſita.

Quod à patre filius habet citra nomen hæredis eum paterna hæreditatis non obligat.

IMP. ALEXANDER A. FRONTINO.

HÆREDES *eorum qui tutelam vel curam adminiſtrauerunt, ſi quid ad eos ex re pupilli vel adulti peruenit, reſtituere coguntur. In eo etiam quod tutor vel curator adminiſtrare debuit, nec adminiſtrauit, rationē reddere eos debere non eſt ambigendum. P P. VIII. Kal. Nouemb. Alexandro A. III. & Dione Coſſ.*

Lex fin. C. de hæred. tut.

NOtum est ex contractibus vel quasi contractibus venientes actiones ad hæredes transire: Ergo actione tutelæ tutorum vel curatorum hæredes tenentur, non modo vt restituant quod ad eos ex re pupilli vel adulti peruenit, sed etiam vt teneantur earum rerum nomine, quas male defunctus gessit, vel omnino non gessit.

IMP. ALEXANDER A. ZOTICO.

Lex 1. C. si tutor non gesserit.

CERTVM est, non solum eos, qui gesserunt, sed etiam qui gerere debuerunt, tutelæ teneri etiam in ea, quæ à contutoribus seruari non potuerunt: Si modo cum suspectos facere deberent, id officium omiserunt. Tu autem, etsi contra patronum tuum famosam actionem instituere non potuisti: Prouidere tamen, ne quid tutelæ deesset, necessariis postulationibus apud eum, cuius de ea re iurisdictio fuit, potuisti. PP. *II. Id. Decemb. Maximo* II. *& Æliano Coss.*

Idem A. Iusto.

L. 2. C. eod.

QVi se non immiscuerunt tutelæ vel curæ: Ex persona eorum, qui gesserunt & idonei sunt, non onerantur. Si qua vero sunt, quæ cum geri debuerint, omissa sunt: Latæ culpæ ratio omnes æqualiter tenet. PP. *VIII. Kal. Maij Iuliano II. & Crispino Coss.*

COnstitit iam supra in l. 8. de admin. tut. succidaneos esse alieni periculi tutores, qui non administrauerunt, si hi qui gesserunt non sint idonei. Maximè si cum suspecti contutorem arguere deberent, id non fecerint. Aliqua tamen ratio dubitandi erat in specie legis primæ, quia libertus Zoticus, qui cum patrono datus fuerat tutor alicui pupillo, commodè non poterat suspecti crimen intendere patrono qui rem administrabat, quod famosam actionem qualis est accusatio suspecti aduersus eum instituere non possit, vt & dicitur in l. 1. inf. de obseq. patrono præst. quæ cum hac l. 1. con-

iungenda est. Sed huic dubitandi rationi in eo Imp. occurrit, quod liberum fuerit ipsi Zotico, detracta verborum asperitate actione in factum agendo contra patronum, pupilli communis commodis prospicere, puta petendo vt ei curator adiungeretur, quod fit frequentius, cum ipsi pupillo tutor aliqua necessitudinis vel affinitatis vinculo coniunctus est, vt non debeat notata fide & existimatione remoueri. *l.9.si tutor.ff.de susp.tut.* Sed neque etiam semper verum est, contra patronos actionem famosam non posse intendi, vt liquebit ex his quæ adnotabuntur ad l.4.inf.de obs.patr.præst. Certè in hac specie cum non nomine suo ipse libertus suspecti accusationem famosam aduersus patronum esset editurus, videbatur etiã nulla ratione impediendus quominus districto iudicio ageret, sicuti potest in causa pupilli libertus tutor aduersus patronum suum agere veniâ non impetratâ. *l.16. quæsitum.ff. de in ius voc.* Sed hoc forte cum ipse libertus rem pupilli administrat, quo casu propius ipsum pupillum refert, vt potius agere pupillus videatur quam libertus, quod in hac specie dici non potest, vbi libertus ipse non administrat.

Nomine pupilli sui tutor libertus potest agere contra patronum veniâ non impetratâ.

IMP. ALEXANDER A. AMPLIATO.

Lex 2. de vsur. pupillar.

EIVS, *quod ex causa tutelæ debetur, vsuras præstari oportere, dubium non est, quamuis aliis pro participe muneris necessitas solutionis irrogetur: Quia non id alias contingit, quam si cessatio contutoris in suspecto faciendo computari possit.* PP. XIII. *Kal. Iul. Iuliano II. & Crispino Coss.*

CVm supra sæpius constiterit contutores conueniri in subsidium, si illi qui gesserunt, non sunt soluendo: Id modo in hac lege quæritur, an qui propter culpam collegæ conuenitur, non modo sortem quam ipse reliquatus est, sed etiam vsuras eius pecuniæ præstare debeat, quas incunctanter pupillo exolui debere Imp. rescripsit. Dubitandi ratio ex eo oritur summa, quod vbi pecunia ex detrimento soluitur, id est vbi pro aliis non ex contractu sed ex officio quis conuenitur, veluti magistratus qui male publicam pecuniã collocauit, aut fideiussor eius, in damnũ sortis dumtaxat, nõ etiam in vsuras collega substituitur. *l.21.Lucius.§.1.l.24.constitutioni-*

Quæstio legis & sententia.

Pecunia quæ ex detrimento soluitur vsuræ non debentur.

bus.ff.ad municip. quod idem etiam cum redemptoribus operum ipsi pecuniæ publicę administratores negligenter pecuniam prærogarunt vltra quam eis debebatur, quam saluam ipsi facere debent ciuitati. *l.17. quidam.§. pen. ff. de vsur. l. fin. ff. de admin. rer. ad ciuit. pert.* Verum existimauit Imp. eius qui non gessit cum deberet, vel collegam suum non postulauit cum posset, quodammodo suo nomine cōstitui debitorē, vt propterea non tantū sortis damnū à cōtutore debitæ, sed etiam vsuras agnoscere debeat: Quod idem Modestinus respondit in actione subsidiaria quæ datur contra magistratus, qui tutores dederunt cum soluendo non essent: Nam quia ex facto suo censentur conueniri, quod non exegerint idoneam satisdationem: Actionis eius potestatem parem esse ac illius, quæ contra ipsos tutores datur rescriptum est. *l. fin. ff. de mag. conuen.*

In actione subsidiaria magistratus conueniuntur de sorte & vsuris.

IDEM A. VITALIO.

Lex 3. C. eod. tit.

SI *pecuniam pupillarem neque idoneis hominibus credere, neque in emptionem possessionum conuertere potuisti: Non ignorabit iudex vsuras eius à te exigi non oportere. PP. Id. April. Modesto & Probo Coss.*

CIrca illud maximè cura tutoris incumbit, vt pecuniam pupilli collocet ad fœnus, vel eam deponat, vt ex ea prædia rustica comparet. Sin minus, post sex menses incipiet vsuras debere, si per negligentiam non sit collocata. *l.15. ff. de admin. tut.* & illæ quidem vsuræ pupillares dicuntur, quæ sunt quincunces aut trientes, nisi pecuniam pupillarem ipse tutor in vsus suos impenderit, quo casu soluit legitimas. *l.7. §.4. & 10. quæ autem. ff. eod.* & si ad damnum resarciendum non sit idoneus tutor ob fœnus non exercitum, aut omissam prædiorum comparationem, extra ordinem poterit coërceri. *l.49. ob fœnus. ff. eod.* Quod si constiterit nullam ab eo negligentiam admissam, pecunia pupillo vacabit, nec quidquam ipse tutor præstat. *l.12. ff. eod.* quod Imp. etiam hac l. docet. Cæterum iure nouo ex N. 72. cap. 6. non tenetur tutor pecuniam collocare, ne ea male collocata ipsi vel pupillo pereat. Magis tamen nos sequimur ius antiquum: Nec enim licet tutori otiosam detinere pecuniam pupillarem.

Vsuræ pupillares quænam sint.

IMP. ALEXANDER A. FELICI.

ELIGERE *debes vtrum cum ipsis tutoribus vel curatoribus seu hæredibus eorum, an cum his, qui pro ipsis se obligauerunt agere debeas, vel (si ita malis) diuidere actionem: nam in solidum & cum reo, & cum fideiussoribus, agi iure non potest.* PP. X. *Kal. Febr. Iuliano* II. *& Crispino Coss.* Lex 1. C. de fideiuss. tutorum.

Idem A. Prisco.

NON *est ambigui iuris, electo reo & soluente fideiussorem liberari. Ideo & si simpliciter acceptus est fideiussor in id quod tutor seu curator debiturus esset: cum proponas tutorem seu curatorem damnatum soluisse: quid dubium est liberatum esse fideiussorem? Plane si stipulatio rem saluam fore interposita est, vel cautum est in id, quod à tutore seu curatore seruari non potest: manet fideiussor obligatus ad supplendam tibi indemnitatem.* PP. VII. Kal. *Aug. Fusco* II. *& Dextro Coss.* L. 2. C. eod.

PEriculum tutelæ male administratæ non modo manet ipsos tutores, sed etiam eorum fideiussores & affirmatores, id est qui pro ipsis fidem suam adstrinxerunt, & eos idoneos adfirmauerunt: Idque siue stipulatio intercesserit, siue tantum in acta publica nomina sua referri passi sint. *l. 4. §. fin. ff. hoc tit.* Et refert tamen quomodo accepti, & quanam verborum conceptione fidem suam adstrinxerint: nam si simpliciter in id, quod tutor vel curator debiturus esset, accesserit: in sortem dumtaxat, quæ iure obligationis à tutore debetur, non in vsuras quæ veniunt officio iudicis, condemnari potest fideiussor: Ideoque si tutor sortem soluerit, & vltra soluendo non sit ad agnoscendum vsurarum incrementum: fideiussor tamen liberatur. Si verò rem pupilli saluam fore promiserit, vel cauerit in id quod à tutore vel curatore seruari non potest; quod idem est ac si in omnem causam obligationis fideiusserit:

Periculum male gesta tutela spectat tutorum fideiussores.

An fideiussores tutorum teneantur propter vsuras sortis à tutore debita.

tunc quantominus à tutore seruari potest vsurarum nomine, ad supplendam eiusmodi indemnitatem pupillo vel adulto remanet obnoxius: & hæc est sententia l. 2. Quod autem in principio eius dicitur: electo reo & soluente liberari fideiussores: videtur impugnare regulam iuris antiqui, qua ante Iustinianum obtinuerat, vt electo reo principali, & facta contra eum litis contestatione, fideiussorem statim liberari. *l. 28. generaliter. C. de fideiuss.* qua de re etiam Cuiac. lib.25. obs.cap.25. Sed expeditius est, vt dicatur eiusmodi regulam fauore pupillorum insuperhabitam, cum fideiussores tutorum spopondissent, rem pupilli saluam fore. Docet præterea Imp. in l.1. liberum esse pupillo vel adulto, vtrum velit agere contra ipsos tutores hæredes-ve eorum, an contra fideiussores; quia scilicet temporibus Alexandri electio creditori competiit, nisi aliter conuenisset. *l.5. C. de fideiuss.* vt etiam, pignoribus datis & fideiussore, potuerit creditor ante fideiussorem conuenire, quam pignora distrahere. *l.17. omissis. Cod. eod. tit.* à quo iure Iustinianus recessit. N.4. ex qua præsentem debitorem ante exigere debet, quam ad fideiussorem perueniat: qua in re etiam ius vetustissimum renouauit, ad quod referendum illud Quintiliani decl.273. *Non aliter salua fide ad sponsorem venit creditor, quam si à debitore recipere non possit.* Imo etiam iure intermedio ante Iustinianum qui pro decurione vel quo alio res publicas administrante intercessisset, ante ipsum magistratum cõueniri non potuit. *l.1. de decurion. lib.10. C.* Tradit etiam Cuiac. ad d.N.4. (quamuis illud leges ab eo laudatæ nõ definiant) idem in fisco obtinuisse ante Iustinianum, vt debitorem suum prius conuenire teneretur, quam contra eius fideiussorem experiretur. Certe pro conditione obligationis, si vel rei nomine quis se soluturum vel quantominus à reo vel pignoribus ab eo datis consequeretur creditor promisisset, reus principalis conueniri aut pignora distrahi ante debuerunt, quam perueniretur ad fideiussorem. *l.97. si ita. §.1. l.116. decem. ff. de verb. obl. l.63. inter. ff. de fideiuss.* Non idem si ita creditor stipulatus esset, *si centum reus non soluerit, ea fide tua esse iubes?* Nam satis fuisset reum appellatum non soluisse, vt mox contra fideiussorem agi posset. *l.16. fideiussor. §. fin. ff. de fideiuss.* Sed iure nouo superuacua esset hæc distinctio: nam vt dictum est excuti antea reus debet quam fideiussor, nisi aliter conuenerit, & ordinis beneficio quod d.N.4. restituit, fideiussor renuntiauerit, vt solet remedio huius pactionis iuri cõmuni præscribi. Ait Imp. in l.1. hoc loco *vel si ita malis, &c.* ex quo docet posse quidem creditorem diuidere actionẽ inter reum principalem & fideiussorem, quod tamen facere non cogitur inuitus. *l.27. si plures. §. fin. ff. de fideiuss.* quia beneficium diuisionis est cum fideiussores plures sunt, & vnus detrectat solidi exsolutionem quia cæteri soluendo sunt, vt plenius

Electo reo principali olim fideiussor liberabatur.

Licet creditori omisso reo agere contra fideiussorem.

Iure nouo secus.

Fideiussor decurionum post decurionem conuenitur.

constabit in l. 10. inf. de fideiuss. Adijcit Imp. *nam & solidum, &c.* vnde liquet duas quidem obligationes esse rei & fideiussoris, & eo nomine etiam diuersas competere actiones; verumtamen aliã aliam consumi, nec ex vtraque condemnationem & solutionem fieri, quia vtraque est rei persecutoria, & eiusdem rei nomine competit.

IMP. ALEXANDER A. BASILIO.

LIBERTOS *à tutela vel cura liberorum patroni seu patronæ nullam excusationem impetrare, amplissimus ordo autore diuo Marco censuit. Et ideo nec illud eis prodesse debet, quominus curatores etiam inuiti patroni seu patronæ liberis dentur, quod eorumdem tutelam administrauerunt.* Lex 5. C. de excus. tut. vel cur. & temp. earũ.

Idem A. Maximiano.

Q*Vinquaginta dies, qui præfiniti sunt ad professionem excusationis his, qui tutores seu curatores dati sunt, ex eo die cedere, ex quo decretum prætoris aut testamentum parentis notum fuerit ei, qui ad munus vocatus fuerit, ipsa constitutio, quæ hoc induxit, sanxit. Sed si quis in eius temporis computatione, ab eo cuius de ea re notio fuerit, iniuriam passus, non prouocauit: acquiescere rebus iudicatis debet.* PP. III. *Non. Maij, Iuliano* II. *&* Crispino *Coss.* L. 6. C. eod.

Idem A. Antonio.

N*Eque à tutela, neque à cura ideo quis excusatur, quod creditor siue debitor eius est cui tutor siue curator datus est: Sed participem in munere habere debet, vt si res exegerit, is qui alieno auxilio eget, defen-* L. 7. C. eod.

datur. P P. III. *Id. Iul. Iuliano* II. & *Crispino* *Coss.*

Idem A. Maximo.

L.8.C.eod. *COloni, id est conductores prædiorum ad fiscum pertinentium hoc nomine excusationem à muneribus ciuilibus non habent.* Ideoque *iniunctæ tutelæ munere fungi debent.* P P. IV. *Kal. Februar. Fusco & Dextro Coss.*

Idem A. Romano.

L.9.C.eod. *FRater tuus non ideo à tutela vel cura excusari debet, quod oculum amisit.* Proinde *intelligis munus susceptum eum deserere non posse.* P P. *Kal. Febr. Modesto & Probo Coss.*

Idem A. Crispino.

L.10.C.eod. *EXactores tributorum tanto tempore, quanto rationem tributarium tractauerint, non solum ab oneribus, sed etiam à tutelis vacationem habere dubitare non debuisti.* D. *Idib. Aug. Alexand. A.* III. & *Dione Coss.*

Idem A. Hilæ.

L.11.C.eod. *TEstamento tutor datus, vt à bonis illis excusareris, quæ pupilli tui in alia prouincia, quam vnde es, vbique moraris, posident: intra quinquagesimum diem postulare debuisti. Quod si facere cessasti: excusatio quidem temporis præscriptione submouetur. Sed propter latè diffusum patrimonium an tibi adiungi aliquos curatores oporteat: Præses prouinciæ, si te insufficientem deprehenderit, æstimabit.*

mabit. PP. VIII. *Id. Decemb. Pompeiano & Peligno Coss.*

NOn requirunt hæc rescripta magnam operam interpretis. Et vero lex 6. & 11. explicata iam fuit ad l. 3. in qu. caus. tut. hab. & de lege septima, quædam tradita fuerunt sup. ad l. 2. de in litem dando tut. Supersunt igitur quatuor, quarum prior docet, ex oratione D. Marci habita in senatu, libertum vel libertos à tutela vel cura filiorum patroni necquicquam excusari. Non solent quidem dari soli propter tenuitatem patrimonij vt docuit Imp. in l. 1. sup. de peric. tut. Sed si dentur, nequaquam excusabuntur, ne parum memores acceptæ à defuncto patre pupillorum libertatis violati obsequij nomine postulentur: Nam & is ingratus dicitur, qui negotia patroni tutelam-ve liberorum eius administrare detrectar. *l. 19. ingratus. ff. de iu. patr.* quod adeo verum est, vt quantum ad hanc causam nihil liberto proficiat ius aureorum annulorum impetrasse. *l. 14. ἀπελεύθερον. ff. hoc tit.* nec filiorum modo sed nec nepotum tutela se liberare potest. *d. l. 14.* vt propterea in specie l. 5. hoc tit. nomen liberorum sumatur περιληπτικῶς, ac nepotes etiam contineat. Illis est consequens quod adijcit Imp. in ea l. libertum, qui filiorum patroni tutelam gessit, non posse se excusare ab eorumdem cura, quod posset alius tamen. *paragr. fin. hoc tit. apud Instin.* Lex 8. definit colonum prædiorum ad fiscum pertinentium excusationem non habere à muneribus ciuilibus, ac per hoc à tutela: qua in re differunt à colonis patrimonialibus, qui ne quidem vtiliter dantur. *l. fin. C. qui tut. da. vel. cur. poss.* quia scilicet perpetui sunt, & terræ adscripti, alij subinde mutantur: Et rursus differunt etiam ab his, qui res fisci administrant quorum officium, industriam, & personæ nauitatem, requirit. *paragr. 1. hoc tit. apud Instin.* inter quos sunt etiam exactores tributorum quamdiu rationem tributariam tractant. *l. 10. hoc tit.* in qua forte legendum, *ab honoribus*, pro, *ab oneribus*: Alioquin & ipsa tutela onus est: & constat Cuiacium idem mendum deprehendisse in l. 1. de his qui num. lib. se excus. lib. 10. C. Lex 9. quæ superest docet coclitem, id est eum qui vnum oculum amisit, propterea excusationem non habere, quia demum ea valetudo præstat vacationem, ex qua morbo sontico corpus vel animus laborat, vt rebus agendis vacare non possit. At, qui vnum oculum amisit, par adhuc esse potest negotiorum administrationi: Quod idem non esset in eo qui vtroque lumine esset orbatus.

Non excusantur liberti à tutela filiorum patroni vel nepotum.

Libertus qui tutelam gessit filiorum patroni eorum quoque curator inuitus fieri potest.

Colonus prædiorum fisci non excusatur à tutela.

Vuu

IMP. ALEXANDER SYMMACHO ET DIOTIMO.

Lex 1. C. si tutor. vel cur. falsis alleg. excus. sit.

SI absentibus necessariis personis, vel his qui sua sponte vos defendere volebant, non competentibus allegationibus, qui vobis tutores aut curatores dati erant, liberati esse à munere visi sunt: Ne eis circumuenisse iudicis religionem, prosit, præses prouinciæ audiet vos. Et si iniustum decretum extorsisse eos apparuerit: Exinde ad eos periculum administrationis pertinere pronuntiabit, ex quo dati sunt. PP. XII. Kal. Maij Maximo. II. & Æliano Coss.

EXcusatio recepta liberat à periculo & onere tutelæ, *l.22. si tutor. vit. superiori.* modo vera sit: Alioquin si per ambitionem aut gratiam, & falsis allegationibus immunitatem ab eo onere aliquis meruerit, periculum administrationis neglectæ agnoscit ex quo datus est, quod illa ratione docet Imp. hoc loco, ne dolus ei prosit & circumuenisse religionem iudicantis lucro imputet. Atquin libertas semel data apud consilium, siue causa vera sit siue falsa, non retractatur; *§. semel. qu. ex cau. man. licet apud* Iustin. Sed hoc fauor libertatis obtinet, qui idem non est cum excusatio recepta est ex falsa allegatione, quandoquidem vtilitas pupillorum impugnatur.

IMP. ALEXANDER A. PATERNO.

L. 2. C. de magistr. conuenien-dis.

IN hæredes magistratus, cuius non lata culpa idoneè cautum pupillo non est, non solet dari actio. PP. III. Nou. Iul. Iuliano II. & Crispino Coss.

Sententia legis proposita.

BReuis definitio est, quæ hoc rescripto proponitur: in hæredes magistratus, qui tutorem dedit, nec ab eo leui culpa cautionem exegit, dari actionem non solere. Cuiacius lib. 13. obs. cap. 39. hoc loco arbitratur delendam negationem in principio, vt legi debeat,

cuius lata culpa &c. quod falsum esse docet lex 4. ff. eod. quæ ait magistratum quidem in omne periculum succedere, hæredem autem eius dolo proximæ culpæ succidaneum esse; quod omnino pugnaret cum hac lege: Nam detracta negatione illa sensus hic legis esset: Hæredem magistratus propter latam culpam defuncti conueniri: Ac propterea idem Cuiac. lib. 21. obs. cap. 2. ab antiqua & vulgari lectione recedendum non esse palam confitetur. Admisisse culpam leuem magistratus censetur, cum eos dedit fideiussores, qui idonei existimabantur, nec tamen inquiri cauit de eorum facultatibus: Latã vero, cũ oscitãter se gessit & nõ modo de facultatibus tutoris scrupulosius non quæsiuit, sed nec omnino inquisiuit. Cur magistratus de omni culpa, aut saltem de leui & lata: Hæres vero eius de lata tantum teneatur, quæri debuerit: Nam cum actio hæc subsidiaria contra magistratum sit rei persecutoria: Eodem modo debuit dari contra hæredem eius. Cuiacius d. cap. 2. lib. 21. obs. ait contra ipsum magistratum esse quasi pœnalem, vt propterea difficilius contra eius hæredem detur. Magistratus nomen in hac lege, & toto ipso tit. pro minoribus magistratibus, id est duumuiris siue magistratibus municipalibus superuacuum est, vt dicatur, cum id Cuiacius in vtrisque paratitlis admoneat.



COMMENTARII IN RESCRIPTA AVRELII ALEXANDRI SEVERI IMP. ROMANI QVÆ LIB. VI. Codicis Iustinianæi continentur.

IN libro 6. Codicis sunt rescripta Imp. Alexandri sexaginta septem, quorum pleraque ad causam testamentariæ successionis pertinent, & omnia fere continent non minimi momenti quæstiones. Quæ prima occurrunt sumpta sunt ex tit. de furtis & seruo corrupto. Prioris hæc verba sunt.

IMP. ALEXANDER A. AVRELIO HERODI.

Lex 4. C. de furtis.

ADVERSVS *eum dumtaxat, quem seruum tuum sollicitasse dicis, si eum deterioris animi fecit, serui corrupti agere potes. Quod si sollicitatum occultauit: Etiam furti cum eodem agere potes. Quas actiones etiam per procuratorem exercere minimè probiberis. PP. Id. Septemb. Alexandro A. Coss.*

Species legis proposita.

REscripti huius manifesta sententia est: Eum, qui seruum alienum ad fugiendum vel domino furtum faciendum sollicitauerit, serui corrupti nomine teneri. Hanc conditionem Imp. adijcit, *si eum deterioris animi fecerit*, ex quo possit illud constare, si serui mores non sint corrupti, id est si seruus consilium maleuolum sit aspernatus, non potuisse conueniri eum qui suasit. In minoribus delictis, qualia sunt priuata omnia & ordinaria, cogitationis & animi pœnam nemo patitur si effectum res non habuerit, quod rectè Cuiacius docet lib.15.obs.cap.25.ducto argumento ex l.cogitationis.ff.de pœnis & l.22.impuberem.§.4.& si ei.ff.ad l.Corn.de fal. sed possit etiam commodè exemplum sumi ex §. interdum. vers.certè de obl.quæ ex del.nasc. apud Iustin. in quo qui hortatus est aliquem ad furtum faciendum non tenetur furti, vtique si secutum non sit: Hac enim exceptione eum locum intelligendum esse nemo non nescit. Nec potest probè in contrarium duci argumentum ex generali regula, quæ constituit consilij non fraudulenti nullam esse obligationem: Nam non inde sequitur ex consilio fraudulento obligationem aliquam nasci, vbi nihil damni secutum est. Quantum ad definitionem iuris noui: dubium non est, quin ex constitutione Iustiniani sit furti & serui corrupti actio aduersus corruptorem & sollicitatorem.*l.20.hoc tit.§.9.sed & si.de obl. quæ ex del.nasc.apud Iustin.*quod an ad cæteras causas protrahatur, vbi consilio callido quis vsus est nullo detrimento secuto, vix est vt definiri debeat sine constitutione. Sed tamen non iniquum erit prauum monitorem extra ordinem aliqua infamia affici, vt discat quisque præbere se rerum bonarum suasorem, & a prauis consiliis abstinere, quæ, vbi leuem & facilem animum fuerint adorta, malis innumeris viam præmuniunt. Et quod dictum cogitationis pœ-

Cogitationis pœnam nemo patitur in minoribus delictis.

nam pati neminem, hoc accipiendum iure fori: Nam apud deum solo voto crimen admittitur, vt sunt notissima sacræ paginæ testimonia. Amplius adijcit Imp. Alexander, eum qui non modo seruo fugam suasit, sed etiam fugitiuum occultauit, furti quoque teneri, quo nomine duæ fient condemnationes, vna in duplum mixta quanti seruus depretiatus est propter eius mores corruptos: Altera in duplum quanti seruus constat; hac ratione, quia duo facta sunt & duo delicta, quorum vnum quodque puniri publicè interest, sicuti cum quis hominem surripuit vel rapuit, postmodum occidit: Occurrit enim, vt duæ actiones concurrant; vna scilicet furti vel bonorum raptorum, altera legis Aquiliæ. *l. 2. ff. de priu. del.* ad quod pertinet, quod dicitur, numquam actiones præsertim pœnales de eadem re concurrentes inuicem consumi; quod an verum sit, & quatenus verum sit, & quibus distinctionibus res tota concludatur, non est extra aleam vt quid definiatur: idque vt fiat commodius, necesse est vt quæstio integra de concurrentibus actionibus & iudiciis retegatur nec scitu indigna, nec satis tamen animaduersa, & quæ requirat diligentiam tractatoris intelligentis, nec incuriosi. Summam huius controuersiæ continet eruditi antecessoris obseruatio 24. lib. 8. cui tamen pleraque applicanda ad perfectam tractationem. Id vero primum constituendum, vel plures actiones rei persecutorias concurrere contra vnam eandemque personam, aut plures: Vel rei persecutoriam vnam contra plures competere: Vel rei persecutoriam cum pœnali aut mixta dari contra vnum pluresve: Vel duas pluresve pœnales aut mixtas ex eodem facto vel pluribus contra vnum pluresque in concursum venire: Vel pœnale iudicium priuatum cum criminali extraordinario vel publico simul institui: Vel duo iudicia publica criminalia ab vno contra eundem vel à duobus inuicem contra se proponi. Hæc est analysis & methodus totius negotij commodè explicandi.

Analysis totius quæstionis de concurrentibus actionibus aut iudiciis.

Quantum ad primam inspectionem, quæ est de concurrentibus actionibus rei persecutoriis, siue in rem sint siue in personam, quæ competunt de eadem re contra vnam eandemque personam, facilis est definitio, vnâ dumtaxat experiri licere, & vnâ in iudicium deductâ, aliâ vti non licere, ne bis idem exigatur, quod bona fides non patitur, vt certissimâ iuris regulâ est definitum. Ad hanc conclusionem referendum est, quod traditur in l. 43. nemo. §. fin. ff. de reg. iu. dum plures actiones concurrunt eiusdem rei nomine, vnâ quem experiri debere. Fit vero frequentissimè harum actionum concursus: Vt ecce legatarius plures habet actiones vt legatum consequatur: Habet actionem in personam ex testamento contra hæredem: Habet actionem in rem ad dominium rei sibi legatæ vindicandum: Habet & actionem hypothecariam, qua bona de-

Cum plures actiones rei persecutoriae eiusdem rei nomine concurrunt vna aliam consumit.

Exempla circa superiorem conclusionem.

functi sibi obligata esse propter legatum sibi relictum possit contendere.§.1.*de leg.apud Iustin.*Sed actiones illas omnes cumulare non potest, quia non id ei concessum est,vt pluribus actionibus vtatur,sed vt laxior ei facultas agendi esset, & ex vna quam elegerit legatum petat.*l.*76.*cum filius.*§.*fin. ff. de leg.*2.Sic sup.in l.2.de pa. int.empt.& vend.compos.constitit concurrere actionem ex empto,vel præscriptis verbis:Et in l.5. ff.de act.empti. actio ex testamento cum actione ex empto concurrit similiter.Sic in permutatione,ei cui fides non præstatur cum ipse rem suam tradidit, datur actio præscriptis verbis vt conuentioni pareatur, vel condictio, si rem quam iam tradidit in antecessum repetere malit.*l.* 4. *&* 5. *C. de rer.permut.* Imo quoties eiusmodi actiones rei persecutoriæ concurrunt, qui vnam elegit ad aliam recurrere non potest, quod nominatim in actione de peculio & tributoria quæ concurrunt definit Vlpianus in l.9.quod in hærede.paragr.1.ff. de tribut.act. & hinc est quod dicitur, eum qui de re aliqua agit vna actione, remoueri exceptione rei iudicatæ,si de eadẽ re alia actione agat.*l.5.ff. de except. rei iudic.*quamquam à principio, quoties incertum est quæ potius actio teneat, duæ possint dictari, si protestetur actor ex alterutra velle se cõsequi,quod ipsum contingit.*l.*1.§.4.*quia autẽ.ff.quod legat.*Et hinc fit etiam,vt qui actione in rem agit tanquam non possideat, possit postea melius cognito iure suo ante litem contestatam possessionem quasi suam tueri interdicto retinendæ possessionis.*l.*12. *naturaliter.*§.*fin. ff.de acq.poss.*vnde etiam iuris nostri ratio,& ciuilis quoque permittit,vt creditor contra debitorem simul agat actione in personam & hypothecariã,vt vtriusque actionis effectus solutione tantum debiti inhibeatur.*l.* 10. *aduersus & l.fin. C. de obl. & act.* ita vt nec per venditionem pignorum, si debito non sufficiant, personalis extinguatur, nec per actionem in personam condemnatione secuta actio hypothecaria intereat, si nondum sit satisfactum. *l.* 1. *C. de pign. l.* 3. *Cod. de distr. pign. l.* 13.*grege.*§.*etiam.ff.de pignor.* quia scilicet eiusmodi actiones non tantum dantur,vt eligere liceat commodiorem, sed etiam vt vtroque modo possit creditor ad suum peruenire. Hæc fere ad primum caput propositæ disputationis sufficiunt, nisi quod illud etiam possit adnotari, definitionem illam ita esse intelligendam, si duæ pluresve actiones rei persecutoriæ,quæ vni vel contra vnum competunt, ex eadem causa descendant: Nam si ex diuersis, obtinebit secus,& ex vtraque fiet condemnatio: Veluti si à Titio rem emerim, & eandem ab eodem emerit Mæuius, cui successerim: duæ enim actiones ex empto eiusdem rei nomine aduersus Titium mihi competent; vna ex persona mea,altera ex persona defuncti: Quo fiet vt vnâ consequar rem ipsam,alterâ pretium: Quod idem est si

Ex duabus actionibus rei persecutoriis vna electa alia perimitur.

Duæ actiones rei persecutoriæ quæ dantur eiusdẽ rei nomine se inuicẽ non consumunt si ex diuersa causa descendant.

duo non domini separatim vendiderunt, & vnus alteri succedat: Nam duas præstabit ille euictiones; vnam ex persona sua, alteram ex persona defuncti, quia scilicet illę actiones, vtcumque de eadem re contra eumdem competant: manant tamen ex diuersis contractibus & causis omnino separatis. *l.* 10. *non est nouum. ff. de act. empti.* Secunda inspectio est de concurrentibus actionibus rei persecutoriis contra plures de eadem re: Et hæc quoque facile definiri potest, vt cum creditor suum consecutus est, nihil vltra desiderare queat, & propterea actio omnis perimatur. Sic supra constitit in l. 1. C. de fideiuss. tut. vel curat. pupillum vel adultum, qui solidum à tutore exegit, contra fideiussores eius frustra agere: Et certum est duobus reis promittendi vel fideiussoribus existentibus, vno soluente contra alium creditoris actionem esse peremptam, quia vterque eiusdem pecuniæ nomine & ex eadem causa obligatus est: quod idem esset si diuersus esset titulus actionis: nam si contra debitorem actum sit condictione certi vel qua alia, fideiussor vel mandator debitoris actione ex stipulatu vel mandati amplius conueniri non poterit. Tertia inspectio est de concursu actionis rei persecutoriæ cum pœnali, quæ contra vnum eumdemque competit, quas vtrasque competere & vnam aliâ non consumi dubium non est, quia vna persequitur, quod patrimonio nostro decessit & nobis abest: Altera persequitur pœnam, vt qui deliquit ei subijciatur. Sic constat eum qui contra furem egit condictione furtiua, aut rei vindicatione ad rei persecutionem, non impediri quominus postea agat contra eundem actione furti ad pœnam dupli aut quadrupli aut è contra. *l.* 12. *ancillæ. hoc tit. l.* 7. *si pro fure.* §. 1. *ff. de cond. furt. l.* 54. *si pignore.* §. 3. *cum furti. ff. de furtis.* Eademque est ratio actionis cōmodati, depositi, mandati, pro socio, locati: cum commodatarius, depositarius, locator, socius, & alij, circa rem commodatam, depositam, communem, vel circa mandatum aut tutelam, & administrationem procurator, tutor, aut curator furtum admiserunt: Nec enim propterea quod actum est illis actionibus ad rem recipiendam, ideo perempta est furti actio ad pœnam: Sane condictio furtiua extinguitur; aut ea si actum sit, superiores perimuntur, quia per has & illam rei persecutio & eius quod patrimonio tenus interest in iudicium deducitur. *l.* 14. *si seruus. ff. commod. l. si sacculum. ff. depos. l.* 3. *C. eod. l.* 22. *si mandauero.* §. *si tibi. ff. mand. l.* 45. *&* 46. *ff. pro socio. l.* 1. §. 22. *ff. de tut. & rat. distr. l.* 42. *si locatum. ff. locati.* Cui definitioni non obstat lex 71. si is qui. ff. de furtis, vbi si in re commodata furtum sit factum, I. C. palam definit furti actionem & commodati simul non competere, sed vnâ electâ aliam perimi: namque (vt rectissime Cuiac. lib. 17. obs. cap. 12. & in recit. ad hunc tit.) in d. l. 71. actio furti ponitur pro condictione furtiua, quam non dubium

Quando plures actiones rei persecutoriæ dantur contra plures de eadem re, vno soluente alij liberantur.

Cum actio rei persecutoria concurrit cum pœnali neutra alteram tollit.

Exempla circa superiorem conclusionem.

Diluitur contrariũ argumẽtum.

est perimi, si commodati actione actum sit, & è contra, quia vtraque rei persecutoria est. Non item obstat l.1. huius tituli, quia, vt idem Cuiacius notat locis supradictis, non negatur generaliter propter actionem mandati competere actionem furti, quam non extingui eius actionis concursu palam supra definitum est ex l.22.§.si tibi. ff. mand. Sed in specie d.l.1. non potest competere vtraque, quia se inuicem impugnant: cum enim mandantibus seruis meis ex pecunia mea quam surripuerant sciens aliquis prædia comparauit, & ago mandati vt prędia empta tradantur, palam factum procuratoris approbo. Non possum igitur contra eumdem agere furti, ne mihi contrarius sim. Secus si improbato mandato & toto negotio, pecuniam datam à seruis actione mandati repeterem: tunc enim possit & actio quoque furti ad pœnam competere vt in d.§.si tibi. Denique contrariarũ actionum non admittitur concursus, vt omnibus expetiri sit ius, sed vt tantum potestas fiat eligendi commodiorem, quod & docet lex vn.C.si seruus ext. se emi mand. Nec dicendum est eum qui egit querela inofficiosi testamenti, & postea instituit querelam testamenti quasi falsi & è contra *l.33. cum qu. l.16. contra. C. de inoff. testam. l.135. si ita. §. fin. ff. de verb. obl.* propterea actiones contrarias proponere: licet enim qui inofficiosum dixit testamentum aliquod, defuncti iudicium & illud verum subesse fateatur: tamen vtraque actione id agit, vt testamentum subruat; quod manifestius dicendum in eo, qui falsum dixit nec obtinuit, qui quidem non prohibetur illud idem tanquam non iure factum, aut non signatum dicere. *l. 47. Lucius. ff. de petit. hæred.* Nunc dicendum de concursu actionis rei persecutoriæ cum mixta, in quo tractatu certum est, si quidem prius actum sit mixtâ, extingui actionem rei persecutoriam, quæ ipsi etiam inerat. Sin rei persecutoriâ: remanere aliam quatenus pœnam continet, & in ea plus est quam in priori, ad quam definitionem pertinet, quod dicitur in l.41. quoties. §. fin. ff. de obl. & act. si ex eodem facto duæ actiones competant, iudicis partes esse, vt quod plus est in reliqua actione id actor ferat. Sic etiam, arboribus furtim cęsis, cum competat interdictum quod vi aut clam, quod rei persecutoriam actionem imitatur, & actio legis Aquiliæ quæ mixta est: si ex lege Aquilia primum actum sit, interdictum quod vi aut clam amplius non redditur, quia rei ratione interesse desiit actoris, ita tamen vt vltra etiam possit competere actio in duplum ex lege 12. tab. quatenus plus in ea est, quam in ipsa actione legis Aquiliæ. *l. pen. ff. arb. furt. cæs.* Sed hanc conclusionem & definitionem euertunt plures iuris loci, ex quibus constat, si actione rei persecutoria primum actum sit, extingui tamen mixtam penitus: vt ecce, si tutelæ actum sit vel condictione furtiua contra tutorem, extinguitur actio pœnalis mixta in duplum de rationibus

Diluitur aliud.

Non admittitur concursus actionũ contrariarum.

Quando actio rei persecutoria concurrit cũ mixta, & mixta actum est tollitur altera, non è contra.

Proponuntur & diluuntur argumenta contraria.

rationibus distrahendis. *l.1.§.21.in tutela.& l.2. §.sed & condictio.ff.de tut.& rat.dist.* Sed commodissimè Cuiac.lib.8.obs.cap.24. quod veluti huius tractationis summam constituimus, licet ipsa capita legum non adscribat, respondet tamen id esse, quia actio de actionibus distrahẽdis arbitraria est, quæ vt eius generis pœnales omnes extinguitur, vbi actoris desiit interesse: quare secus obtinet, si actio tutelæ concurrat cum mere pœnali, quę arbitraria non est, veluti cum actione furti: nam proculdubio, etiamsi ea actum sit remanet furti actio. *d.l.1.§.22.hinc tamen. ff. eod. tit.* Euertunt eandem definitionem leges illæ, ex quibus constituitur locati actione concurrente, quæ rei persecutoria est, cum actione mixta arb.furtim cæs. vel legis Aquiliæ, contra colonum qui arbores succidit: vel condictione ob turpem causam concurrente cum actione in quadruplum mixta de calumniatoribus contra eum qui pecuniam accepit, ne negotium faceret; vtra primum actum sit aliam perimi. *l.25.si merces.paragr.4.& l.43.si vulnerauerit.ff.locati.l.9.si colonus.ff.arb. furtim cæs.l.in hæredem.paragr.fin. ff.de calumn.* Sed & verior sententia eiusdem Cuiacij dicto loco, qui ita admittit in his speciebus & similibus verum esse vnam extingui ab alia, si duriori, id est mixta prius actum sit quam rei persecutoria, non è contra. Hoc de concursu actionis rei persecutoriæ cum pœnali vel mixta quando contra vnum eundemque competunt. Nunc quærendum quid constituatur quando eædem actiones, contra plures dantur. Et distinguendum, vtrum eadem sit causa agendi contra omnes, an vero contra vnum actio competat rei persecutoria ex contractu contra alium pœnalis ex delicto. In primo casu hoc expeditum est vnam ab alia non consumi: Sed hoc interest quod rei persecutoriâ contra quemlibet agi potest: Sed postquam ab vno satisfactum est, ea extinguitur; pœnalis vero cõtra singulos competit in solidum, nec quod ab vno soluetur alios liberabit: atque ita si plures furtum fecerint restitutio ab vno facta cæteros liberat: Dupli vero vel quadrupli nomine omnes sunt obnoxij. *l.1.C.de cond.furt.* neque enim ideo quis à pœna debet esse securus, quod secum criminis participes habeat. *Æquum est*, inquit Plinius ep.11.lib.1. *commune crimen ab vtroque defendi, vel si dilui non possit in vtroque puniri:* quod idem est in eo delicto, ex quo nulla nascitur actio rei persecutoria, aut mixta, sed pœnalis tantum, quia nec imminutum patrimonium est: sicuti fit cum plures album prætoris corruperunt vel iniuriam intulerũt. *l.7. §.fin.cum l.seq.ff.de iurisd.omn.iud.* Si autem mixta concurrat contra plures: in solidum quidem dari dicitur contra singulos, quatenus scilicet pœnam continet, non quatenus rem persequitur: qui enim rem restituit; cæteros liberat: Sic accipiendæ sunt lex 11.

Quando pœnalis actio vel mixta & rei persecutoria competit contra plures quod vnus soluit alios non liberat à pœna.

Item Mela.§.sed si plures.ff.ad l. Aquil.l.20. obligatus. §. fin. cum l.seq.ff.de lib.cau.l.6. si plures. ff. arb. furtim cæs. vbi si plures vel damnum dederint,vel arbores cæciderint, vel liberum hominem tanquam seruum vendiderint ignoranti emptori, in solidum conueniri dicuntur, quæ tamen actiones, cum mixtæ sint, non admittunt solidi condemnationem in persona plurium, nisi quatenus pœnam continent. Verum illarum definitionum plures etiam sunt exceptiones. Et primum cum rem fisci plures surripuerunt, pœna quadrupli semel soluitur, non singuli pœnam soluunt: quod vt in causa fisci speciale est,ita & illud quoque,vt semper quadrupli condemnatio fiat siue furtum sit manifestum, siue nec manifestum. *l. 46.auferetur. §.fin. ff. de iu. fisci.* Non dissimiliter obtinet quando familia seruorum furtum fecit: nam ne factum familiæ in tantum domino noceat, vt totam familiam noxæ dedat, vel singulorum nomine duplũ vel quadruplũ rei furtiuæ præstet, illa pro vno seruo habetur, vt si ignoret dominus teneatur tantum quantum si ipse aut liber homo aliquis deliquisset: Sin minus in solidum pro singulis seruis. *l.1.ff. si fam. furt. fec. dic.* quod tamen in omni debiti specie à familia admissi non obtinet: nam si ab ea album prætoris sit corruptum, aut iniuria illata, quia videlicet illo casu magis est vt plura facta esse censeantur, & maior videtur esse contemptus prætoris,quo à pluribus iniuria ipsi vel priuatis hominibus illata est. *l. 9. si familia. ff. de iurisd. omn. iud. l.34. si plures. ff. de iniur.* Imo etiam in damno à familia dato dominus in solidum pro singulis seruis suis conueniri poterat *d.l.9.* quia edictum prætoris de furto tantũ erat: Sed tandem autoritate iuris autorum idem in damno à familia dato constitutum est. *l. 32. illud. ff. ad l. Aquil.* quod ipse Cuiacius probat lib.8.obs. cap.20. & lib. 3. ad edictum Pauli ad d.l.9. Sed & obtinet etiam illud,vt cum pluribus seruis libertas data est, & ante aditam hæreditatem libertate nondum competente damnum dederint, vel furtum fecerint hæreditati,possint singuli conueniri in solidum,quia scilicet non iam vt familia seruorum,sed vt liberi effecti propter spem imminentis libertatis existimantur: Ideoque postquam re vera ad libertatẽ peruenerũt suo nomine conueniuntur,& quod ab vno aut nomine vnius soluitur cęteros non liberat. *l.1.§.fin.ff.si is qui testam. liber esse iussus,&c.* Non habent locũ etiam superiores definitiones, quando actio pœnalis arbitraria vel mixta contra plures competit: nam quia actio tantum fit pœnalis ex accidenti propter contumaciam non restituentis,& principaliter datur ad interesse agentis: Ideo vbi vnus soluit condemnatus in duplum vel quadruplum pro actionis qualitate, cæteri qui sunt delicti participes liberãtur: atque ita siue plures dolũ aut metũ intulerint, siue publicani quid vltra solitũ vectigal exegerit, siue duo plu-

Plures proponuntur exceptiones prioris definitionis.

Si plures rem fisci surripuerint quod pœnæ nomine ab vno soluitur cæteros liberat.

Si plures serui furētur vel damnum dent idem est ac si vnus homo liber deliquisset.

Secus in actione iniuriarum vel de seruo corrupto

Cum pœnalis actio vel mixta, quæ arbitraria est cõpetit cõtra plures quod vnus soluit liberat cæteros.

Exempla circa superiorem definitionem.

res-ve tutores rationes pupilli conturbauerint, & vnus condemnatus soluerit, alij liberantur. *l.14. item si. §. fin. ff. quod metus causa. l. si plures. ff. de dolo. l.15. si ex duobus. ff. de tut. & rat. distr. l. si plures. ff. de publicanis.* Quibus actionibus similes sunt illæ, in quibus condemnatio versatur circa id quod interest: tunc enim quod ab alio soluitur alium liberat: quod habet locum, si plures dolo fecerint, quominus is, qui cauerat iudicio sisti, eo loco die-ve sisteret: nam vbi vnus soluit, desiit actoris interesse. *l.1. §. si plures. Dig. de eo per quem fa. erit.* Alioquin si pœna sit quanti ea res est, secus obtinet: quod fit quoties plures exemerint eum qui in ius vocabatur: quo casu generali definitioni locus est, qua constitutū pœna ab vno soluta alios non liberari. *l. pen. §. pen. Dig. ne quis eum qui ius voc. est vi exim.* Sed & præscribitur etiam superioribus definitionibus in edicto de deiectis & effusis: vtcumque enim ex plurium cœnaculo quid deiectum sit vel effusum: tamen si vnus soluerit socios liberat. *l. 3. Dig. de his qui deiec. vel effud.* quia scilicet vna domus, vnum cœnaculum: & ideo quamuis sint plures habitatores, tamen vnum est factum: Deinde est quasi delictum non maleficium, cum nec possint omnes effudisse, ideoque propter incertum contra vnum tantum agitur: quod secus obtinet cum versatur delictum & omnes deliquerunt, vt in damno iniuriā dato: licet enim sit incertum quis occiderit aut vulnerauerit, ramen omnes tenentur, nec quod ab vno soluitur alios liberat, quatenus illa actio pœnam continet. *l.11. item Mela. §. sed si plures. ff. ad leg. Aquil.* Secundū membrū prius propositæ diuisionis illud fuit, vt si actio rei persecutoria & pœnalis competeret contra plures ex causa diuersa, tunc vna aliam consumat: vt ecce, si res commodata furto amissa sit, aut res cauponi data custodienda; rei domino est actio commodati vel de recepto contra eum qui accepit, & in custodiendo culpam admisit, vtraque rei persecutoria: Est eidem actio pœnalis furti, imo & condictio furtiua rei nomine contra furem. Sed nō potest simul rei persecutoria agere dominus rei furtiuæ contra commodatariū vel cauponem aut exercitorem, & postea etiā actione pœnali contra furem. *§. quæ de fullone. de obl. quæ ex del. nasc. apud Iustin. & l. fin. in pr. hoc tit. l. 3. paragr. fin. Dig. nautæ caup. stab.* Cuiac. lib. 8. obs. cap. 24. ait id fieri quia non in vnum eumdemque cōpetit actio rei persecutoria & pœnalis sed in diuersos: Verum quam facillime potest hæc ratio subuerti: nam exempli gratia si quis dolo malo se dixerit possidere rem quam quis vindicaturus esset: etiam si possit conueniri pœnali actione propter dolum, tamen non ideo verus possessor absoluetur contra quem actio rei persecutoria in rem dabitur. *l.7. Dig. de rei vindic.* & similiter si quis dolo malo tabulas non exhibeat, quibus sibi quis relictum aliquid contendit, & propterea condemnatus sit legatario soluere

In edicto de deiectis & effusis quod ab vno soluitur alium liberat.

Si actio rei persecutoria & pœnalis competat contra plures ex causa diuersa alia aliam consumit.

Exempla circa propositam regulam.

Refellitur sententia Cuiacij.

quanti interest interdicto pœnali de tabulis exhibendis, non propterea extinguetur actio rei persecutoria ex testamento contra ipsum hæredem legati ipsius verum debitorem. *l.3.§.pen.ff.de tab.exhib.* & seruo occiso, si quis falso dixerit se occidisse, & condemnatus sit, non propterea liberatur is, qui re vera occidit. *l.20. qui seruum.ff. de interrog. act.* aut etiam qui debitorem alienum exemit, soluendo ipsum debitorem non liberat, quia suam pœnam soluit. *l. fin. ff. ne quis eum qui in ius voc. vi exim.* & eiusmodi similibus casibus, quibus apparet licet contra vnum actio rei persecutoria competat eiusdem rei vel causæ nomine, pœnalem nihilominus contra alium non extingui, ita vt alia aliam non consumat, sed vtraque possit suis vicibus in iudicium deduci. Itaque ad aliam definitionem recurrendum, & ita distinguendum. Vel delictum eius contra quem pœnalis datur effecit, vt nasceretur actio rei persecutoria contra alium; & tunc, si actor actionem pœnalem eligat, liberatur is qui ex contractu tenebatur, sicuti fit in duobus speciebus ab initio propositis: Nam delictum furis effecit, vt exercitor vel commodatarius culpæ nomine tenerentur ad rem restituendam: Igitur electo fure, illi liberantur: Et è contrario si ipsi conuenti sint actione commodati, vel de recepto, æquum est vt indemnitati suæ succurrant, & actionis pœnalis furti, imo & condictionis furtiuæ emolumentum, quæ contra furem competit, consequantur. At vbi delictum eius contra quem datur actio pœnalis causam non præstitit actioni rei persecutoriæ, quæ alias esset competitura contra debitorem: Tunc, quod ab vno pœnæ nomine solutum est ipsum debitorem aut possessorem non liberat: Vtique nisi prius actum sit rei persecutoria, quam pœnali, quia tunc etiam illo casu verius erit pœnalem consumi, nisi præterea aliquid actoris intersit: & ita accipiendæ lex 13. etiam. §. pen. ff. de pet. hær. & lex 95. Stichum §. si dolo. ff. de solut. vel nisi inuicem causam vnus habeat ab altero, aut quasi defensor veri possessoris alter se possidere aut occidisse dixerit; quod fit quoties seruus deliquit & dominus seruum possidere desiit dolo malo: Siue enim possessor primum conueniatur, siue is qui desiit mala fide possidere, alter liberabitur. *l.24. de illo iuncta.l. 26. electio. ff. de noxal. act. & l.20. qui seruum. ff. de interrog. act.* Succedit quæstio de concurrentibus actionibus pœnalibus, de qua sic definiendum. Aut competunt de pluribus factis & delictis, & tunc dubium non est quin omnibus agi possit: Sicuti in hac lege datur actio serui corrupti propter serui mores deprauatos, & furti propter celatum seruum: Quod & tradit Vlpianus in l. inde Neratius. ff. de seruo corr. forte ex sententia huius rescripti: Vel si seruus primum sit surreptus, mox occisus, agetur furti, & legis Aquiliæ. *l.27. §. seruus. ff. ad leg. Aquil.* & in aliis eiusmodi speciebus, quas Cuiacius

Distinctio commoda proponitur.

Cum plures actiones pœnales competunt ex pluribus factis vna aliam non consumit.

ſigillatim enumerat lib. 8. obſeru. cap. 24. quod idẽ erit dicẽdum, ſi vna ſit ſpecies maleficij, ſed bis peccatum ſit; veluti ſi vnus idemque à Mæuio pecuniam acceperit, vt Titio negotium faceret, & ab ipſo Titio ne faceret, duobis iudiciis ipſi Titio in quadruplum tenebitur. *l. 3. §. fin. ff. de calumn.* aut cum bis eiuſdem rei furtum fecit. *l. 56. interdum. ff. de furt.* quia ſcilicet ex ſingulis cauſis ſingulæ pœnæ irrogandæ ſunt *l. 15. ex ſenatuſconſulto. §. 1. ff. ad S.C. Turpil.* Si autem vnum ſit factum, vnum-ve delictum, cuius nomine plures ſunt actiones, vt ex rapina oritur actio furti, & vi bon. raptorum: Vel vnum tantum eſt factum, ſed plura delicta, veluti cum ſeruus atrociter eſt verberatus, vel ancilla immatura ſtuprata, vnde naſcitur domino actio iniuriarum & damni; tunc verius eſt alia aliam conſumi ſi grauiore primum actum ſit: Sin leuiore cæteras remanere, quatenus plus in his aut in aliqua earum eſt. *l. 1. ff. vi bon. rapt. l. 88. ſi quis egerit. ff. de furtis. l. 34. qui ſe ſeruum. l. 54. plura. ff. de obl. & act.* ſecundum quam diſtinctionem eſt accipiendum, quod generaliter definitur in l. 5. paragr. 1. ff. ad l. Aquil. & l. 25. ſi ſtuprum. ff. de iniur. l. 6. ff. ad l. Iul. de adult. nec in alia etiam ſententia eſt Cuiacius d. cap. 24. lib. 8. obſ. qui ſub eadem diſtinctione accipit legem 32. cum ex vno. ff. de obl. & act. quamuis legis caput non adſcribat. Superiori quæſtioni affinis eſt tractatus ille, an ſi ex vno eodemque delicto ſit actio ciuilis priuata, & criminalis perſecutio ex iudicio publico, poſſit vtraque competere, ita vt per vnam alia non tollatur. Et quidem verum eſt ob idem crimen pluribus legibus neminem reum fieri poſſe. *l. 14. ſenatus. ff. de accuſ. & inſcript.* quod & vetuerat Titus Imp. vt docet Suetonius in eius vita cap. 8. in fi. quo pertinet illud ſacræ ſcripturæ, οὐκ ἐκδικήσεις δὶς εἰς τὸ αὐτό. Sed hoc habet locum quando concurrunt duo iudicia publica, quia eodem tendit vtrumque; quod ſecus obtinet in quæſtione propoſita, in qua iudicium priuatum competit ad id quod pecuniariter intereſt: Criminale vero vindictam publicam perſequitur: Quo fit vt propter ſeruum occiſum damni pecuniarij nomine agi poſſit lege Aquilia, & lege Cornelia de ſicariis ad criminis publicam coërcitionem. *§. liberũ. de lege Aquiliæ apud Iuſtin. l. 23. §. ſi dolo. ff. eod. tit. l. 3. C. eod.* & ſimiliter bonis vi raptis actio prætoria vi bonorum raptorum, & accuſatio ex lege Iulia de vi priuata vel publica inſtitui poteſt. *l. 2. §. 1. ff. vi bon. rapt.* vt nec propter cauſam interdicti de tabulis exhibendis inhibetur quis ex l. Corn. teſtamentaria accuſationem deferre. *l. 3. § ſi quis dolo. ff. de tab. exhib.* & aliis ſimilibus caſibus, quod plenius definitur in l. vn. C. qu. ciu. act. crim. præiud. cui definitioni nihil obſtat lex 4. ff. de publ. iud. nam quod ibi definitur per actionem legis Aquiliæ præiudicium fieri legi Corneliæ de ſicariis, non hoc ita intelligendum eſt, vt poſtquam vna actum ſit aliâ agere non liceat,

Singula pœna ex ſingulis cauſis ſunt irroganda.

Si ex vno facto plures ſint actiones pœnales vna aliam conſumit ſi grauiori primum agatur.

Nemo ſit reus duabus legibus.

Si ex delicto aliquo priuatum iudicium & publicum competat vtroque agi poteſt.

Exempla circa ſuperiorem concluſionem.

Diluitur argumentum contrarium.

sed quod prioris iudicij euentus animum & motum iudicis, qui de alia est cogniturus, quasi quoddam præiudicium præparet, vt ex ea exemplum sumat, ex quo aliud iudicium commodius possit definiri. Sed nec pugnat lex 6. §. fin. ff. nautæ caup. stabul. quæ negat de eiusdem hominis admisso bis quæri posse: Nam hoc verum est si concurrant duæ priuatæ actiones pœnales, aut quod magis est, vt cum semel actum est & absolutio contigit, amplius de eadem re agi non possit propter exceptionem rei iudicatæ. Minus etiam obest lex vn. C. Th. quando ciu. actio crim. præiud. nam quod illic dicitur actionem priuatam de moribus, quæ contra vxorem datur, non concurrere cum accusatione publica adulterij, vt proponi vtraque possit, eam habet rationem, quod ea non detur de re familiari, sed ad vindictam, vt quæstio adulterij de iniuria lecti maritalis, vt ob hoc eiusdem potestatis esse censeatur, cuius accusatio publica ex lege Iulia. Et similiter, quia iudicium priuatum iniuriarum, & publicum ex lege Cornelia eodem principaliter tendunt, vt vindictam priuatæ iniuriæ reposcant, vno electo aliud consumitur. *l. 6. §. 1. l. 7. §. 1. ff. de iniur.* Certè, si concurrat iudicium priuatum cum extraordinario; etiam vno tantum agi poterit eadem ratione, quia in vtroque priuati damni quæstio versatur, quod fit in furto, ex quo ad pœnam pecuniariam in duplum vel quadruplum agi potest, aut extra ordinem ad pœnam fustium vel quam aliam. *l. 56. interdum. §. 1. ff. de furtis.* Non suffecerint superiora, nisi etiam de illo quæratur; cum concurrit iudicium publicum cum priuato, an id vel illud prius definiri oporteat. Videtur autem nihil interesse quodnam prius instituatur, quod docet lex vn. C. qu. ciu. act. crim. præiud. & paragr. liberum de lege Aquil. apud Iustinianum. Sed statim opponi poterit lex pen. & fin. C. de ord. cognit. quæ definiunt vel vtrumque iudicium simul ab eodem iudice discingi, vel criminale ciuili aut priuato præferri, vt de eo primum definiatur. Posset dici, in illis iudiciis agi de concursu criminalis iudicij cum priuato pecuniario, non de eo quod oritur ex delicto, sed hoc differētiæ nullam rationem habet. Inanes illi, qui in id incumbunt in componendis antinomiis, vt aliquas minutias differenriarum comminiscantur, cum tamen in diuersitatis ratione hæreant. Cuiac. lib. 20. obs. cap. 25. constituit hanc differentiam, vt si ex diuersa causa persecutio ciuilis & criminalis descendant, tunc prius de criminali agi debeat, aut certè de vtraque simul: si ex eadem causa, vt in d. §. liberum, electionem esse qua prius agatur. Sed & hoc quoque falsum est: nam actio priuata rerum amotarum & accusatio publica legis Iuliæ de adulterijs ex diuersa causa descendunt, & tamen si concurrant, vna propter aliam non differtur. *l. 27. rerum. ff. de act. rer. amot.* Commodius

Diluitur aliud argumentum.

Diluitur tertium argumentum.

Cum iudicium priuatum & publicum eodem principaliter tendunt vnum alio consumitur.

Cum iudicium publicum cum priuato concurrit nihil refert quo prius agatur.

Argumentum contrarium proponitur & diluitur.

Proponitur sententia Cuiacij & refellitur.

hæc distinctio admitti potest, vt quæratur an iudicium priuatum vel publicum vni contra eundem competat; & tunc siue ex eadem causa siue ex diuersis oriantur liberum sit, hoc vel illud primum eligere vt in d. §. liberum & d. l. 27. Sin vnus contra aduersarium agat ciuili, & ab eodem conueniatur criminali, vel è contra: tunc causa criminalis prior definiatur, aut certè vtraque simul terminetur, vt fit in l. 33. adulterij C. ad l. Iul. de adult. vbi si maritus vxorem accuset adulterij, illa agat contra eum actione de dote, causa criminalis impedit ciuile iudicium: quod ita demum obtinet, nisi causa ciuilis præiudicialis sit: tunc enim etiam criminis causam interim morabitur. *l. 26. quoniam C. eod. tit. l. 8. præses. C. ad leg. fab. de plag.* quod idem est si in causam ciuilem quæstio falsi inciderit, hoc animo forte proposita, vt cognitio causæ ciuilis principaliter in iudicium deductæ protelaretur: nam illo casu ciuilem criminalis non morabitur *l. 2. C. Th. ad leg. Corn. de falf.* & illud fit multo magis, si causa tantum possessionis agatur, & causa ciuilis rem non definiat, quemadmodum fit ex edicto D. Hadriani, dum hæres mittitur in bonorum possessionem, etiam si falsum testamentum dicatur. *l. 2. C. de ed. D. Hadr. toll. quæ est Imp. Alexandri*, causa enim illius missionis momentaria est, & hæreditatem addicit apud hæredem tandiu tantum remansuram, donec falsi quæstio dirimatur. His igitur casibus fit, vt licet vnus experiatur actione ciuili, alter accusatione criminali; nihilominus causa ciuilis primum definiatur; sicuti è conuerso, licet is qui vim passus est, & fundi possessione deiectus, contra vnam eandémque personam habeat interdictum vnde vi nomine recuperandæ possessionis, & actionem in rem; & præter hæc iudicia ciuilia, ei quoque competat iudicium publicum ex lege Iulia de vi publica vel priuata: tamen contra quam supra definitum electionem non habet, quod prius inferat, sed prius quæstio proprietatis aut possessionis ciuiliter proponi ab eo debet, quam ad publicum iudicium perueniat. *l. 1. C. de appel. l. 6. C. ad l. Iul. de vi pub. vel priu.* forte propter illam rationem; quod si appareat dominum fuisse eum, qui vim fecit, facilius possit ab inuidia publici criminis se liberare: cui tamen rationi nequaquam ex rescripto D. Hadriani locus pridem fuerat, ex quo obtinebat agi primum causam criminis, quam ad quæstionem ciuilem de possessione aut proprietate perueniretur, *l. 37. si de vi. ff. de iudic. l. 5. ff. ad l. Iul. de vi publ. de quibus videndus Cuiac. lib. 5. obs. cap. 15. lib. 19. cap. 16.* Ad notandum vero & illud: vbi ex vtraque parte versatur causa criminis, & publica accusatio mutuis inscriptionibus instituitur: prius eius criminis causam agi, cuius nomine facta primum inscriptio est, nisi maius crimen is qui inter reos delatus est, opponat accusatori suo. *l. 1. & 19. C. de his qui accus. non poss.* In causis vero ciuilibus, quæ

Si iudicium priuatum & publicum vni competant contra aliquem: liberũ est vno vel alio prius agere: secus si duo contra se inuicem agant.

Causam ciuilem quæ de possessione est tantum criminalis persecutio non moratur.

Cum quis de fundo deiectus est prius causa ciuilis de rei proprietate aut possessione terminatur quam iudicium publicum de vi instituatur.

Secus iure antiquo.

Cum duo inuicem se accusant criminis causa primum agitur

cuius nomine facta primum inscriptio est. hinc inde competunt vel in rem vel in personam ex causa honesta, qui prior ad iudicium prouocauit, is etiam prior ad sententiam perueniet. *l. 29. qui prior. ff. de iudic.* nisi alteri præiudicet. *l. 7. ff. de pet. hæred. l. 1. C. de ord. iudic.* quod fit quoties quæstio status incidit, quæ procul dubio prius definienda est; vnde & præiudiciales actiones dicuntur, quod morentur & præiudicium parent actionibus alijs, quæ principaliter in iudicium deductæ sunt. §. *præiudiciales de act. apud Iustin.* Hæc forte sufficiunt ad dilucidam explicationem institutæ quæstionis: & vix est vt sint in iure loci vlli, qui non possint ad distinctiones propositas reuocari. Superest tamen legis propositæ pars vltima, in qua definitur; actionē furti vel serui corrupti per procuratorem posse exerceri: qua in re separanda est causa publici criminis ab actione priuata quæ, competit ex priuato delicto vel maleficio, vt & inf. constabit ad l. 3. de accus. & inscript.

In iudiciis ciuilibus qui prior egit prior quoque ad sententiam peruenit.

Quæstiones status sunt præiudiciales.

IDEM A. CORNELIO.

L. 5. C. eod. tit.

CIVILE *est quod à te aduersarius tuus exigit, vt rei, quam apud te fuisse fateris, exhibeas venditorem: nam à traseunte & ignoto te emisse, dicere non conuenit volenti euitare alienam bono viro suspicionem. PP. Kal. Maij, Maximo* II. *& Æliano Coss.*

SOlet hæc lex obiici generali definitioni, qua constituitur actori incūbere onus probationis nō reo. Sed nihil est quod per eā illa regula euertatur: nam in hac lege is qui in rem aut actione furti agebat, iam dominij sui fidem fecerat, vnde erat necessarium, possessorem qui conueniebatur, fundata intentione actoris, iam in se recipere onus illud, vt doceret vnde rem haberet, ne videretur iniustam possessionem non idonea defensione tueri: Alioqui plerique rebus alienis clam ablatis fingerent sibi mendacem aliquem titulum, quem flagitio suo obtenderent. Imo etiam si certum sit rem emisse possessorem, non propterea tamen agentem dominum exceptione iusti tituli repellere potest, quo minus eā vindicet. Quod itaque hic dicitur possessorem debere exhibere autorem suum; ad hoc non pertinet, vt propterea rem retineat: sed tantum vt furti suspicione se liberet: nam nec desiderare potest, vt pretium, quod venditori suo dedit, dominus reddat, vt constitit supra ad l. 3. de rei vindic. & docet nominatim lex 2. hoc tit. Ad hanc legem pertinet,

Dominus pretiū rei suæ possessori à quo vindicat illam restituere non tenetur.

tinet, quod definitum lib. 6. capit. Caroli magni cap. 272. quo quis prohibetur ab homine incognito aliquid comparare, nisi fideiussore accepto: Sin minus, re agnita emptor cogitur autorem suum iudicio sistere intra tempus à iudice definiendum, idque nisi fecerit, iureiurando fidem facere tenetur se nesciuisse furem eum esse, qui vendidit, & accepta tantum pretij parte media rem domino restituit. His adnectendi autores laudati à doctissimo Sauarone ad Sidonium Apollinarem ep. 4. lib. 6.

IDEM A. PYTHIDORO.

ALIENVM *seruum sine voluntate domini, qui sciens vendiderit, seu donauerit, vel alio modo alienauerit: nihil domino diminuere potest. Et si contrectet, vel apud se detinuerit, etiam furtum facit. PP.* Kalend. *Maij. Iuliano* II. *&* *Crispino Coss.* L.6. C. eod.

TRaditum etiam sup. ad d. l. 3. de rei vindic. sine facto nostro rei nostræ dominium ad alium peruenire non posse, quod repetitur hac l. Imo qui eam vendidit, si sit mobilis, furti nomine tenetur condictione furtiua, & actione furti pœnali: & is etiam qui emit, si furti sit cōscius: quam in rem videtur proposita fuisse actio furti concepti, quæ competijt contra eum penes quem res furtiua inuenta esset, vt institutiones docent: quanquam & illa quoque forte data fuit contra innoxium possessorem, cui propterea dabatur actio furti oblati contra eum, qui sibi ignoranti rem furtiuam tradidisset: alioquin furti conscio possessori non daretur vlla actio, quia ex proprio delicto nemo actionem consequitur *l. 12. itaque. §. 1. ff. hoc tit.* Sed abrogata actione furti concepti & oblati, contra possessorem extraneum furti exsortem sufficit actio in rem domino, quod non minus locum habet in mancipio abducto, quam in alia re imo etiam is qui seruo alieno aut ancillæ persuaserit, vt fugeret, eumque inuito & sciente domino celauit, & in vinculis habuit, aut sciens emerit, etiam lege Fauia de plagiarijs tenetur. *l. pen. ff. ad l. fau. de plag. l. 8. præses. l. 18. si quis. C. eod.*

Actio furti concepti & oblati cur proposita.

Qui celauit seruū alienū sciens tenetur lege Fauia de plagiarijs.

IDEM A. DATO.

L.7.C.eod. *SI is, cui te pecuniam ad matrem tuam perferendam dedisse proponis, parua quantitate numerata, reliquam in vsus suos conuertit: furtum fecit. PP. Id. Iun. Modesto & Probo Coss.*

Depositarius qui depositum inficiatur fur est.

Procurator qui pecuniam sibi pro domino solutam retinet furtum committit.

NOn tantum qui rem alienam aufert fur est, sed & qui cum ex iusta causa rem à domino teneret, eam eo inuito retinet. Sic qui depositam rem apud se non restituit, fur est si inficietur depositum, & intercipiendi causa occultet, eam-ve contrectet. *l.1. §. pen. l. 67. inficiando. ff. de furtis.* Et in hac quoque specie procurator qui pecuniam à domino accepit, quasi eius creditori eam redditurus, & sibi retinuit partem-ve ex ea aliquam, furti tenetur: quo casu mandati actio etiam propter fidem ruptam concurret, vt & sup. in l. 4. definitum est ex l.22. si mandauero. §. si tibi. ff. mandati. Cui autem competat actio: an ipsi qui dedit; an creditori vel creditrici cui debuit restitui, palam Imp. non definit. Verius est ei competere, qui dedit perferendam. *l.43. falsus. §.1. ff. hoc tit.* quod si procurator fuit ipsius creditoris, verius est prorsus liberari debitorem. *l. 12. si vero. ff. de solut.* Igitur ipsi creditori contra procuratorem suum actio competit.

IDEM A. VALENTINO.

L.8.C.eod. *ETIAM furti nomine & tributorum exactor tenetur, si te non cessante in tributaria exactione, sciens quod nihil debetur ancillam tui iuris abduxit aut vendidit. Quæ res facit, vt nec emptor vsucapiat, vindicatióque tibi ipsius competat. PP. X. Kalend. Mart. Pompeiano & Peligno Coss.*

MAnifesta est huius legis sententia: eum qui tributis exigendis præest, si muneris leges egressus, sciens nihil deberi à

prouinciali collatore, mancipium eius vendiderit furti teneri, vt nec res possit ab emptore vsucapi, quasi in causam furtiuam ceciderit. Nihil interest quinam color quæratur iniustæ amotioni, si re ipsa furtum fiat, & illicita sit contrectatio. Quod autem Imp. ait etiam furti nomine teneri exactorem, docet eum etiam alia actione teneri posse, quæ forte erit in duplum mixta, vt in publicanos qui aliquid extorserunt vltra solitum vectigal. *l. 1. ff. de publicanis.* quod & dicitur in l. vn. C. de superexact. lib. 10. quę est intelligenda de duplo, cui simplum inest: & hac actione si actor egerit exactor infamis non fit: nec enim omnis pœnalis actio, aut in duplum cōdemnatio famosa est, nisi ex causa furti, vi bonorum raptorū, aut peculatus. l. 2. C. de causis ex qu. inf. irr. quam huic legi opponit Accurs. Sed non negat ea lex dari posse furti actionem contra exactorem, qui plus exegit quam debebat: sed hoc tantum dicit, non propterea infamem esse, quod in duplum condemnatus sit; nisi etiam ipsa actio famosa fuerit. Igitur in illa specie furti actum non fuit, sed alia: quamuis potuerit etiam actio furti competere, vt in hac lege. *Exactor tributorum qui quid illicite exegit furti tenetur.*

IMP. ALEXANDER A. MICINIO.

NEC *patronis pro operis mercedem accipere licet: quamuis si indictæ operæ præstitæ non sint, ad pecuniæ exactionem obsequij non præstiti æstimatio conuertatur. Qui autem duos filios in potestate, vel diuersis temporibus habuit: lege Iulia de maritandis ordinibus obligatione operarum liberatur. Dat. XII. Kal. Iun. Iuliano II. & Crispino Coss.* Lex 6. C. de operis libert.

QVinque rescripta Imp. Alexandri hoc tit. proponuntur, quæ pertinent ad causam operarum, quas libertis imponere & indicere solent patroni. Hoc & duo quæ sequuntur sunt maxime de causis propter quas extinguitur obligatio operarum. Et quidem in l. 6. definit primum imp. pro operis patrono mercedem accipere non licere, quod verum est ad hoc, vt remaneat integrum ius patronatus, & successionum iura integra: nam patronus qui munera & operas sibi tempore manumissionis promissas à liberto exegit, bonorum possessionem non habet contra tabulas, etiam si libertus *Patronus qui operas exigit aut mercedem pro illis ius patronatus amittit.*

eum prætererit. *l.2. C. de bon.poss.contra tab.lib.* & multo minus si eas vendiderit, aut mercedem acceperit. *l.4. hoc tit. l. fin. Dig. qui & à qu. man.* Non si operas imposuerit ius patronatus amittit, sed si exegerit, aut eas vendiderit. Itaque adhuc pendet electio. *l. sicut. Dig. de iu. patr. d. l. fin. qu. & à qu. manum.* Certè sola venditio, & si nondum pretium acceperit patronus, libertum iure patronatus soluit. *d. l. 4. hoc tit.* nisi forte illud à principio actum sit, vt pro operis aliquid præstetur, quod tamen non liceat patrono exigere, nisi si quo casu accidat, vt ad inopiam sit redactus. *l.1. C. hoc tit.* Nihil superioribus obstat lex 33. si filius. Dig. de fideicom. libert. ex qua defuncti patroni filius potest operas imponere liberto, quem per fideicommissum manumisit, & contra tabul. bon. possessionem habere: Nam sic illud est accipiendum, vt eligat vtrum malit, non vt vtrumque consequatur, quia nec qui operarum obligatione dimissus est, id est qui eas redemit à patrono vel pretio vel mercede constituta, alimentorum nomine amplius à patrono côueniri potest, & si ab obsequiis non sit immunis. *l. 41. libertus. Dig. hoc tit.* Sed vtcumque saluo iure patronatus non possit pro operis merces constitui: tamen si operis tempore manumissionis impositis, indictæ à patrono sunt nec præstitæ fuerint à liberto, tum pecunia æstimari poterunt, vt definit Imp. hac l.6. Etiamsi autem ab initio liberto impositæ sint, tamen eas non debet, nisi ipsas indixerit patronus, quia ex commodo eius edendæ sunt: & certè, cum operarum editio nihil sit aliud quam officii præstatio, consequens est illas arbitrio patroni indici, quo tempore eas voluerit præstari sibi. *l.13. si quis. paragr. iudicium. l.22. cum patron. Dig. hoc tit.* quod obtinet secus in fabrilibus quas debet is qui non est libertus, illæ enim ex die stipulationis statim debentur. *l. 24. Dig. eod.* & hæ quidem sunt exigendæ & imponendæ, quas ætas, valetudo, vitæ propositum, quod instituit libertus, patiuntur. *l.16. parag. fin. cum l. seq. Dig. eod.* Causam autem vnam proponit Imp. in fine huius l.6. ex qua libertus obligatione operarum, etiamsi eas non præstiterit liberatur: si videlicet duos filios in potestate eodem vel diuerso tempore habuerit, quod lege Iulia de maritandis ordinibus constitutum fuit, & id ita verum est, vt etiam amissi prosint, & non modo futurarum, sed etiam præteritarum liberatio contingat, nisi condemnatio intercesserit, & ea lege si ipsi liberi artem ludicram non fecerint, aut operas suas non locauerint, vt cum bestiis pugnarent. *l.17. qui libertinæ in pr. paragr. 1. & seqq. Dig. hoc tit.*

Diluitur argum. contrarium ex l. 33. ff. de fideicom. lib.

Operas non præstat libertus licet impositæ sunt nisi eas patronus indixerit.

Operæ fabriles debentur ex die stipulationis.

Libertus soluitur obligatione operarum si filios habuerit in potestate.

IDEM IMP. AVGVSTINO.

SI *tuis nummis emptus es ab eo à quo manumiſſus es: Nec operas ei debes, nec puniri ab eo vt ingratus potes: Patronum tamen tuum eſſe eum negari non oportet. Dat. III. Id. Septemb. Iuliano II. & Criſpino Coſſ.* Lex 7. Cod. eod.

IN hac lege nō proponitur ſpecies, qua libertus operarum obligatione liberatur, ſed qua omnino non debentur: Cum videlicet emptor ſeruum manumiſit, quem non ſuis, ſed ipſius ſerui nummis comparauerat; quo caſu ipſe emptor, vtcumque patronus, nec operarum iudicium habet, vt definitur hac lege, nec liberto ſuccedit petita bon. poſſeſſione contra tabulas. l. 1. tit. ſeq. qui eſt de bonis libert. Dubitari poteſt de illo; quî fieri poſſit, vt ſeruus proprios nummos habeat, cum quæ habet omnia, ad dominum pertineant? Sed poteſt in hoc ei donata eſſe pecunia, qua ſe per extraneum emptorem à domino redimeret, quo caſu iniquum fuerit eam pecuniam à domino contra voluntatem donantis acquiriri, niſi cauſa ſequatur, propter quam ſeruo donata eſt. *arg. l. 9. ſed ſi. §. 1. ff. ad S.C. Macedon.* Quinetiam ſi ex demenſo ſuo comparſerit ventre fraudato, poteſt videri ex frugalitate ſua peculium acquirere, quod & ſupra notatum ad l. 3. an ſeruus pro ſuo fa. poſt manum. ten. Ratio autem in hac ſpecie, cur patronus non habeat ius imponendarum liberto operarum eſt, quia non tam ipſe manumiſit, quam miniſterium præbuit manumiſſioni: Nam & poteſt ipſe ſeruus eiuſmodi emptorem cogere vt ſe manumittat. *l. 67. qui ſe. ff. de iudic.* Quantum ad cauſam operarum: ei comparandus eſt qui hac lege emit vt manumitteret, quamuis ius habeat bonorum poſſeſſionis contra tab. vt dictum ſup. ad l. 1. ſi mancip. ita fu. al. vt manum. vel contra. cuiuſmodi eſt etiam ille cui bona addicta ſunt libertatum conſeruandarum cauſa, qui nec imponere operas poteſt. *l. 13. §. 1. ff. hoc tit.* vt nec ille qui ex cauſa fideicommiſſi manumiſit, licet quantum ad alia patronus ſit. *l. 7. §. 4. reſcriptum. l. 13. ſi quis §. 1. l. 29. qui ex cauſa. ff. de bo. lib.* qui enim inuito fideicommiſſario poteſt extorquere libertatem, is non magnum ab eo beneficium conſecutus videtur. *l. 84. ſi ſeruo. ff. de hæred. inſt.* quod ita verum vt licet cauerit teſtator vt ſeruus hæredi ex cauſa fideicommiſſi manumiſſuro operas promittat, nihilominus non teneatur, niſi volēs promiſerit. *l. 42. cerdonem.*

Qui ſeruum emit nummis ipſius ſerui & manumiſit operas imponere non poteſt nec habet iura patroni.

Quomodo ſeruus poſſit habere nummos ſuos.

Qui hac lege emit vt manumitteret operas non imponit.

Idem de eo cui bona addicta ſunt libertatum conſeruandarum gratiâ.

Idem quoque de illo qui ex cauſa fideicommiſſi manumiſit.

Duo casus excipiuntur à superiori definitione.

l.47. Campanus. ff. hoc tit. à qua definitione excipiendi duo casus: Si ante diem fideicommissæ libertatis cedentem libertas præstita sit: Tunc enim eius temporis ratione, quod ex liberalitate fideicommissarius seruo remisit, possũt operæ indici. *l.5. hoc tit.* aut si filio pater seruum legauerit, & eum manumittere rogauerit: Plenum enim ius filio dedisse censetur *d.l.29. qui ex causa.§.fin.l.33.si filius.ff.in pr.ff.de fideicom.libert.* Certè licet pater emancipando filium manumittat, stipulari tamen ab eo operas & ei imponere non potest. *l.4. ff.si quis à par.manum.sit.* quia scilicet liberi parentibus pietatem non operas debent. *l.pen.ff.de obs.parent.& patr.præst.*

Filius emancipatus patri operas non debet.

IDEM A. LICTORIO.

L.8.C.eod. LIBERTÆ *tuæ ducendo eam vxorem dignitatem auxisti: Et ideo non est cogenda operas tibi præstare; cum possis legis beneficio contentus esse, quod inuito te alij non possit iuste nubere.* Dat. X. Kal. Mart. *Fusco & Dextro Coss.*

Liberta patrono nupta vel alteri operas non debet.

ET in hac lege etiam proponitur casus, quo operarum iudicium non datur, scilicet cum liberta patrono nupsit: Tunc enim matrimonij honos aliqua ratiõe dignitatem eius auxit, vt iam non quatenus liberta, sed quatenus vxor patroni habeatur, si quidem consortium humani & diuini iuris, quod nuptiis contrahitur in amicabilem societatem & communionem quandam dignitatis & ingenuitatis vxorem ipsam allegit, maculâ pristinæ seruitutis quodammodo abolitâ propter summum matrimonij affectum, quem iam marito debet vxor: Idque eo magis, cum etiam liberta alij nupta desinat operas patrono debere, cum iam in officio mariti esse debeat. *l.11. quod si liberto hoc tit. l.48. sicut. ff. eod.* quamquam si desierit esse nupta, aut si nuptiæ non valeant, tunc non impediatur patronus indicium operarum dictare ipsi. *l.14. planed. l.48.§.1. ff. hoc tit.* aut etiam matrimonio remanente non vetetur præteritarum operarũ nomine contra eam agere. *l.30. si libertus.§.fin.ff.eod.* Sed ita demum nuptiæ liberant libertam ab operis, si ei nubenti consenserit patronus. *d.l.11. hoc tit.* ita vt si patronus sit impubes tutor eius debeat voluntatem suam accommodare. *l.13. si quis.§.fin. ff.eod.* quod eo tamen non pertinebit, vt sequi patroni voluntatem ipsa debeat,

Si liberta desierit esse nupta operas debet.

Liberta nubendo liberatur ab operis si nuptiis consenserit patronus.

ſi eam nubere nolit: Nam & prorſus iure & honore patroni excidit, qui libertam iureiurando adegit ne nubat, aut libertum ne vxorem ducat. *l.8.§.fin.ff.de in ius voc.l.3.§.5.ſiquis.ff. de ſuis & legit.hær.* Non quicumque alicuius conſenſum expectare tenetur, & eiuſdem quoque voluntati acquieſcere neceſſe habet. *l.5.ita autem.alias l.6.quidam.§.Papinianus.ff. de admin.& peric.tut.* Quod autem dictum patronum, qui nuptiis libertæ conſenſit, ab ea operas exigere non poſſe, non idem in patrona, filia, nepte, aut pronepte patroni, quibus non indecore operas ſexui ſuo conuenientes liberta præſtare tenebitur etiam nuptiis alligata. *d.l.48.ſicut.§.fin.ff.de oper. libert.* cuiuſmodi exemplum poteſt poni in operis textotiis, vel ſi liberta quæ nupſit ipſa ſit obſtetrix, vt poſſit adeſſe patronæ ſuæ vterum geſtanti, vel parienti, vel poſt partum decumbenti. Pluribus denique artium generibus perita eſſe liberta poteſt, vt in his illæſo pudere induſtria ſua iuuare patronam poſſit. Ait Imp. in fine eius legis patronum cui liberta nupſit, contentum eſſe debere legis beneficio, ex quo inuito eo non poteſt alij nubere, id eſt ab eo diuertere, qua de re & fuit lex 1.ſup.de inceſt.& inutil. nupt.

Ius ſuum patronus amittit qui nuptias liberti vel liberta impedit.

Liberta qua nupſit poteſt præſtare operas patrona vel patroni filia aut nepti.

IDEM A. HERCVLIANO.

TITIVS *ſi cum teſtamentum faceret ſeruo ſuo Caio libertatem cum conditione hac dedit*, Caium ſeruum meum à die mortis meę annis tribus peractis manumitti volo, ita vt præſtet hæredibus meis, ſicut me viuo præſtabat, *& cum idem ſeruus teſtatori diurnum quiddam præſtaret & poſt mortem eius vſque ad diem præſtandæ libertatis etiam hæredibus præſtiterit: Manifeſtum eſt, quod adeptus libertatem, ad eandem præſtationem compelli non poßit. D.VII.Id.Aug. Fuſco & Dextro Coſſ.*

L.9.C.eod. tit.

SPeciem legis ipſa reſcripti verba ſatis perſpicuam faciunt. Dubitandi vero ratio in eo erat, quod videretur hæc conditio, *ita vt hæredibus &c.* ad omne tempus pertinere; vt etiam Caius poſt manumiſſionem eadem hæredibus præſtaret, quæ ipſi patrono præſtabat, dum in viuis ageret, quandoquidem illa verba nullam tem-

poris habent finitionem. Ratio decidendi est, quod cum seruo sit imposita hæc conditio, censetur eo vsque præstationem durare, donec seruus erit, id est donec tres anni fuerint elapsi, vt tempus dandæ libertati præstitutum, censeatur quoque in onere præstationis repetitum, arg. l. 95. legatum. & l. 107. libertis. ff. de cond. & dem. maximè cum alioqui videretur onerata libertas: Eorum autem nomine, quæ ex hac causa imponuntur, nulla actio dari solet. *l. 4. hoc tit. l. 1. paragr. quæ onerandæ. ff. quarum rer. act. non de.*

Quæ onerandæ libertatis gratia libertis imponuntur non possunt peti.

IDEM A. CÆCILIO.

L. 10. C. eod. LIBERTI *libertæque defunctorum operas neque extraneis hæredibus, neque maritis patronarum debent. PP. Kal. Nouembr. Alexandro A. Cos.*

HÆc lex in Codice Haloandri est 6. huius tit. sed in aliis 10. constituitur. Definitur illud in hac lege: Libertum libertamque defuncti patroni hæredibus extraneis, aut etiam marito patronæ operas non debere: Cui primum videri possit contrarium quod proponitur in l. 15. libertus. ff. hoc tit. Sed quod illic dicitur, ad hæredes transire obligationem operarum, id intelligendum de liberis, qui sunt hæredes patri non de hæredibus extraneis, cum præterea illud sit speciale, quod operarum obligatio ad patroni liberos transeat pro portionibus virilibus, non pro hæreditariis, quia ipsis debentur vt patronis non vt hæredibus. *l. 7. §. 6. ff. hoc tit.* Et attinuit dixisse operarum obligationem transmitti ad liberos, qui sunt patri hæredes, quia exhæredatis non datur contra paternum libertum iudicium operarum, sicut nec illis, qui per interpositam personam paternam hæreditatem nacti sunt. *l. 22. cum patronus. §. 1. ff. hoc tit.* cui non obstat lex 29. operarum. ff. eod. nam quod ibi dicitur operarum obligationem ad filium transmitti etsi patri non extat hæres; id est, etiam si non immiscuerit se: Sufficit autem vel re vera extitisse hæredem patri, vel in ea causa fuisse vt patris iudicio iura succedendi non amiserit: & ita dicta verba, *& si non extat*, Cuiacius accipit tr. 2. ad Afric. ad l. si mater. §. fin. ff. de vulg. & pup. subst. Quod autem dicitur in hac lege libertum non debere operas defuncti patroni sui hæredibus extraneis, id sub hac exceptione est accipiendum, nisi iam indictæ fuerint à patrono dum viueret, nec ei fuerint præstitæ: Nam si eas indixerit patronus & decesserit, etiam hæredi extraneo

Sententia legis proposita.

Obligatio operarum transit ad liberos non alios hæredes.

Obligatio operarum transit ad liberos patroni proportionibus virilibus non hæreditariis.

Ad liberos à patre exhæredatos non transit iudicium operarum.

Iudicium operarum transit ad hæredes extraneos si sint iam indicta à defuncto.

extraneo translatio iudicij danda est. d. l. 29. ex qua rectè Cuiac. negationem detrahit lib. 17. obs. cap. 14. & lib. 22. quæst. Papin. ad l. 55. ff. ad Trebell. Sed vltra quod obsequia ab operis distant, quod operæ patrono non debeantur, nisi promissæ stipulatione aut iureiurando: Obsequia vero etiamsi nihil horum intercesserit: Et in eo quoque differunt, quod iura obsequiorum ad hæredes extraneos transeant, contra quod de operis hîc definitum, seruata tamen distinctione, de qua supra actum fuit ad l. 1. de in ius voc. quæ satis aperte docet, quod hîc traditur in marito patronæ, vt ei libertus operas non debeat, idem nō obtinere, si in ius vocandus sit: Tunc enim libertus vxoris veniam impetrare debebit, quandoquidem illa lex arguit libertum mariti vxori eius hoc obsequium, honorem, & reuerentiam debere, vt aduersus eam actionem dictare non possit sine permissu prætoris. *Operæ ab obsequiis quid differant.*

IMP. ALEXANDER A. ZOTICO.

CONTRA *patronum tuum famosam actionem instituere non potes. PP. II. Id. Maij. Maximo II. & Æliano* Coss. Lex 1. C. de obseq. patr. præstandis.

Idem A. Leontogono.

L*iberta, quæ voluntate patroni aut iure nuptæ sunt, non coguntur officium patronis suis præstare. Dat.* XIIII. Kal. *Aug. Maximo II. & Æliano* Coss. L. 2. C. eod.

Idem A. Xanto.

E*Tiam qui pactione data à dominis manumittuntur mero iure omne eis obsequium debent.* L. 3. C. eod.

Idem A. Victorino.

SI *manumissori tuo vim & audaciam obiecisti, ei qui te beneficio suo ex seruitute liberando, vt aduersarium ha-* L. 4. C. eod.

beret, fecit: Præses prouinciæ quatenus coërcere eiusmodi temerariam licentiam debeat, æstimabit. Nam si qua tibi pecunia debebatur, siue de rebus aduersus patronum disceptatio fuerat: Non protinus ad litigandum currere debueras. Vt maxime autem id facere auderes: Sine atrocitate certè verborum æquitatem petitionis tuæ commendare iudici potuisti, omni honore patrono debito reseruato. PP. II. Kal. Octob. Iuliano II. & Crispino Coss.

SVperiores constitutiones fuerunt de operis: Illæ sunt de obsequiis, quæ debentur semper à libertis, licet ab his non semper operæ debeantur. Operæ cum incommodo rei familiaris præstantur; obsequia citra vllum patrimonij sumptum & detrimentum præbentur; vt potius sint commodo eius qui ea exhibet, quam illius cui præstantur, ex generali illa definitione Aristotelis lib. 1. eth. cap. 5. τιμὴ μᾶλλον ἐν τοῖς τιμῶσι, ἢ ἐν τῷ τιμωμένῳ cui etiam simile illud Plutarchi ἐν πολιτικοῖς παραγγέλμασι. Τοῦ τιμᾶσθαι τὸ τιμᾶν πολλάκις ἐνδοξότερον. Obsequij autem nomine disignatur honos & reuerentia, quam libertus propter beneficium datæ libertatis patrono præstat, quam præbere parentibus etiam liberi debent, licet operarum præstatione sint liberi vt constitit sup. Pleraque veniunt obsequij nomine: Illud maximè, ne sine venia patronum in ius vocent liberti, quod notat Imp. in l. 4. his verbis, *non protinus &c.* non impetrata scilicet venia à prætore. Sed illud etiam continetur, ne famosam actionem aduersus eundem instituant. l. 1. hoc tit. quam coniungi cum l. 1. si tutor vel cur. non gess. etiam sup. ad eam l. constitit. Igitur siue dolum patronus admiserit, siue liberto furtum fecerit, ciuilibus tantum verbis agendum est cum eo, & circumscribenda doli & furti aut bonorum raptorum, vis, & audaciæ mentio, agendumque actione in factum detractà verborum amaritudine, ita vt lenitas actionis tristitiam & acerbitatem rei mitiget: Alioquin, vt rectè Imp. in l. 4. vix est vt sit honestum libertum patroni beneficio ex seruitute in libertatem ereptum, & iure ciuitatis romanæ cohonestatum, statim aduersus dominum districtiore iudicio agere: Cuiusmodi iactatum illud ex Pacuuio in Cæsaris percussores, qui quondam ipsius clementià à morte fuerant liberati:

Men' me seruasse, vt essent qui me perderent.

Superioribus illud est consequens, vt nec patronos accusare possint liberti. *l. 8. §. fin. ff. de accus. & inscr. l. fin. C. qui accus. poss.* Imo

Honos magis est ex parte eius qui praestat quam cui praestatur.

Obsequij nomine quid contineatur

Libertus contra patronum agere non potest actione famosa vel eum vocare in ius venia non impetrata.

Sueton. in Cæsare cap. 48.

Liberti patronos suos accusare aut

nec contra patronum testimonium ferre possunt volentes aut coacti. *l.11.libertos.C.de test.lib.*& si mãdatores causæ extiterĩt aduersus patronum puniũtur. *l.2.§.fin.ff.de iu.fisci.* quæ omnia in liberis quoque locum habere satis constat, & iuris loci sunt vulgati. Sed incidunt causæ quædam, vbi etiam & accusare patronum, & aduersus eum famosam actionem instituere possunt, veluti in causa maiestatis. *l. pen. C. qui acc. non poss.* vel cum adulterium patronus commisit cum vxore liberti. *l.38.si adulterium.§.liberto.ff.de adult.* ad quod pertinet illud Senecæ lib.1. contr.7. *magnis sceleribus iura naturæ intereunt*; & illud Domitij oratoris apud D.Hieronymum epistola ad Nepotianum. *Cur ego te habeam vt principem cum tu me non habeas vt senatorem*; quod tamen Crasso ad Philippum Consulem tribuunt Quintilianus lib.8.& Valer. Max. lib.6. *non es mihi Philippe consul, quia nec ego tibi senator sum.* & simile quoque illud Ciceronis contra Antonium Philipp.2. *non tractabo illum, vt consulem: Ne ille me quidem vt consularem.* His & illud est consequens, vt si atrocem iniuriam patronus liberto intulerit, possit iniuriarum famosa actione contra eum agere. *l.10.§.pen.ff.de in ius voc.l.7.paragr.præterea.ff.de iniur.* sicuti potest interdicto de vi armata contra eum agere, quod famosum est. *l.1.paragr.44.hoc interdictum.ff. de vi & vi arm.* & quod dicitur in l.2. paragr.fin. & l.7. paragr.1.ff. hoc tit. interdicto vnde vi contra parentes vel patronos non agi: Hoc est accipiendum de vi quotidiana, quam sine armis liberto patronus intulit, quæ rei atrocitatem non continet, & propterea in patronum non competit, quia vis mentio famam eius læderet: Quamquam generaliter modestius fecerint liberi vel liberti, qui de facto potius parentum vel patronorum queruntur, quam qui ad accusationem prorumpunt: Sicuti non potest filius matrem ream ex l. Cornelia facere, licet de facto eius queri possit, si dicat suppositum ab ea partum fuisse, quo magis cohæredem haberet, vel de falso contra eam ciuiliter tantum aget. *l.11.hi tamen.paragr.1.ff.de accus.& inscr.l.5.falsi.C.ad l.Corn.de falsis quæ est Imp. Alexandri.* Hæc pertinent ad l.1.& 4. Quantum ad l.2. & 3. nullæ magis perspicuæ. Prior docet libertam quæ ex voluntate patroni nupsit, ei officium non debere: vbi gl. rectè officij nomine intelligit operas, quas ab ea non deberi supra constitit. Obsequium debet quia remanet ius patronatus. Cuiacius autem iampridem ad l.7.paragr. quod fere. ff. de pactis docuit in l.3. hoc tit. pactionis nomen significare, id quod pactionis nomine datum est. Pactio illa quænam sit constare potest ex his quæ tractata sup. ad l.3. an seruus ex suo fa. post manum. ten. Ait vero quamquam dominus aliquid acceperit à seruo, vt ipsum manumitteret, nec gratuitam prorsus libertatem dederit, obsequium tamen ei deberi, vt & omnia alia commoda iuris patronatus. *l. 1. C. de bo. lib.* verum est

aduersus eos testimonium dicere non possunt.

Casus quo liberti possunt accusare patronos suos vel famosa actione aduersus eos agere.

Modestius faciunt liberi vel liberti, qui de facto patronorum vel parentum queruntur quam qui accusant.

enim beneficium libertatis fuisse voluntatium, licet aliquid accepetit: quod secus obtinet in extraneo, qui setuum alienum nummis ipsius setui à domino suo redemit, quamuis & ipse vt patronus iura obsequij sit habiturus, quia & patronus est, vt docuit lex septima tit. superiori: quemadmodum & is qui operas & pretium accepit, licet quantum ad alia ius patronatus amittat, obsequia tamen retinet, vt constitutum sup. ad l. 6. de oper. libert. ex l. 41. libertus. ff. eod.

IMP. ALEXANDER A. VITALI.

Lex 1. C. de bon. poss. secundum tab.

PENDENTE *appellatione à sententia, qua falsum testamentum pronuntiatum est, incerto adhuc, an defunctus intestatus decesserit, proximitatis nomine bonorum possessioni locus non est. D. III. Kal. Maii. Maximo II. & Æliano Coss.*

Sententia legis

Species.

HOc rescripto breuiter definit Imp. quæstione testamenti falsi perlata, interim ea pendente, non esse successioni locum ab intestato. Species hæc est. Post mortem Mæuij testamentum eius proferebatur signatum septem testium signis, quo Titius erat institutus, qui quidem petiit bonorum possessionem secundum tabulas: nam etiam statim in bonorum possessionem mitti potuit ex edicto D. Hadriani. Contradicebatur ei, quasi testamentum esset falsum. Sed hoc nihil impedit peti bon. possessionem secundum tabulas, vt nec missionem in possessionem ex superiori edicto l. 1. inf. de ed. D. Hadr. toll. vix est enim vt potuerit fieri missio in possessionem, ante agnitam hæreditatem vel petitam bonorum possessionem. Postmodum quæstio falsi perlata est, & pronuntiatum est contra testamentum: appellauit hæres à sententia. Quærebatur an tum hæres proximior qui ab intestato rem habiturus est possit petere bonorum possessionem vnde legitimi vel vnde cognati: Negat Imp. peti eam bonorum possessionem posse: Mouebat, quod testamentum falsum pronuntiatum erat. Sed nihil hoc præiudicat scripto hæredi, qui appellauit, cum prouocatio iudicatum euertat: quamdiu autem speratur successio testamentaria, tamdiu cessat legitima, ea-ve quæ ab intestato proximitatis nomine defertur. Quid si pendente appellatione moriatur hæres legitimus: Deinde iniusta appellatio pronuntiata sit? An æquum erit ei auferri aut hæredibus

eius commodum bonorum possessionis. Mouet quod hæreditas & bonorum possessio non transmittitur. *l. vn. §. in nouissimo. C. de cad. toll.* Sed cum defuncto nihil imputari possit, æquum est eius hæredi succurri ex edicto prętoris, vt perinde ac si agnita sit bonorum possessio, ad hæredem eius transmittatur: & id itaque videntur Iulianus & Papinianus admisisse in l. 5. ff. de bon. poss. contra tab. l. 12. si scriptus. ff. de Carbon. edicto l. 42. filius. §. fin. ff. de bo. lib. quod obtinet etiam in aliis casibus, veluti cum propter S. C. Sillanianum dilata aditione hæres interim moritur: nam & illo casu vtiles actiones ad hæredes eius transmittuntur. *l. 3. §. 30. eleganter. ff. ad S. C. Sillan.* sicuti multo magis in eo, qui cum reipub. causa abesset, mortuus est antequam sciret delatam sibi fuisse hereditatem in ciuitate. *l. 30. cum quidam. l. 76. Pannonius. ff. de acq. hæred.* Sed & generaliter est definitum in liberis, vt parentum suorum hæreditatem non aditam transmittant ad hæredes suos. *l. vn. C. de his qui ante tab. apertas hæred. transm.* quod demum ad hæredes extraneos est porrectum, vt qui intra tempora deliberandi decederet sciens sibi delatam esse hæreditatem, eandem deliberandi & hæreditatis adeundæ facultatem ad quoslibet successores transferret. *l. 19. cum antiquioribus. Cod. de iu. delib.*

Interdum hæreditas non adita transmittitur.

IMP. ALEXANDER A. RVGO.

LIBERTI *contra tabulas parentum bonorum possessione admissa, solis parentibus & liberis legata præstare secundum edictum debent.* PP. IIII. Id. *Octobr. Maximo* II. *& Æliano Coss.*

Lex 1. C. de bon. poss. contra tab.

DVo rescripta quæ sub hoc tit. concluduntur vtraque sunt Imp. Alexandri. Huius hæc est species. Mæuius filio emancipato præterito extraneos scripserat hæredes vel liberos suos qui erant in potestate. Legata reliquerat extraneis, reliquerat etiam parentibus quibusdam & liberis, forte nepotibus ex filia qui ex iure antiquo auo materno non solebant succedere. *§. item vetustas. de hæred. quæ ab int. def. apud Iustin.* Filius emancipatus petit bon. poss. contra tab. Quæritur de iure testamenti. Et quidem quantum ad hæredis institutionem, irrita est. Quantum vero ad legata, ea tantum debentur quæ relicta sunt coniunctis personis, id est liberis & parentibus vt loquitur Imp. Mouebat quod nemo decedit pro parte testatus pro parte intestatus. Sed non potuit prætor penitus

Species legis propositæ.

Petita bon possessione contra tab.

enim beneficium libertatis fuisse voluntarium, licet aliquid acceperit: quod secus obtinet in extraneo, qui seruum alienum nummis ipsius serui à domino suo redemit, quamuis & ipse vt patronus iura obsequij sit habiturus, quia & patronus est, vt docuit lex septima tit. superiori: quemadmodum & is qui operas & pretium accepit, licet quantum ad alia ius patronatus amittat, obsequia tamen retinet, vt constitutum sup. ad l. 6. de oper. libert. ex l. 41. libertus. ff. eod.

IMP. ALEXANDER A. VITALI.

Lex 1. C. de bon. poss. secundum tab.

PENDENTE *appellatione à sententia, qua falsum testamentum pronuntiatum est, incerto adhuc, an defunctus intestatus decesserit, proximitatis nomine bonorum possessioni locus non est. D. III. Kal. Maii. Maximo II. & Æliano Coss.*

Sententia legis

Species.

HOc rescripto breuiter definit Imp. quæstione testamenti falsi perlata, interim ea pendente, non esse successioni locum ab intestato. Species hæc est. Post mortem Mæuij testamentum eius proferebatur signatum septem testium signis, quo Titius erat institutus, qui quidem petiit bonorum possessionem secundum tabulas: nam etiam statim in bonorum possessionem mitti potuit ex edicto D. Hadriani. Contradicebatur ei, quasi testamentum esset falsum. Sed hoc nihil impedit peti bon. possessionem secundum tabulas, vt nec missionem in possessionem ex superiori edicto l. 1. inf. de ed. D. Hadr. toll. vix est enim vt potuerit fieri missio in possessionem, ante agnitam hæreditatem vel petitam bonorum possessionem. Postmodum quæstio falsi perlata est, & pronuntiatum est contra testamentum: appellauit hæres à sententia. Quærebatur an tum hæres proximior qui ab intestato rem habiturus est possit petere bonorum possessionem vnde legitimi vel vnde cognati: Negat Imp. peti eam bonorum possessionem posse: Mouebat, quod testamentum falsum pronuntiatum erat. Sed nihil hoc præiudicat scripto hæredi, qui appellauit, cum prouocatio iudicatum euertat: quamdiu autem speratur successio testamentaria, tamdiu cessat legitima, ea-ve quæ ab intestato proximitatis nomine defertur. Quid si pendente appellatione moriatur hæres legitimus: Deinde iniusta appellatio pronuntiata sit? An æquum erit ei auferri aut hæredibus

eius commodum bonorum possessionis. Mouet quod hæreditas & bonorum possessio non transmittitur. *l. vn. §. in nouissimo. C. de cad. toll.* Sed cum defuncto nihil imputari possit, æquum est eius hæredi succurri ex edicto prætoris, vt perinde ac si agnita sit bonorum possessio, ad hæredem eius transmittatur: & id itaque videntur Iulianus & Papinianus admisisse in l. 5. ff. de bon. poss. contra tab. l. 12. si scriptus. ff. de Carbon. edicto l. 42. filius. §. fin. ff. de bo. lib. quod obtinet etiam in aliis casibus, veluti cum propter S. C. Sillanianum dilata aditione hæres interim moritur: nam & illo casu vtiles actiones ad hæredes eius transmittuntur. *l. 3. §. 30. eleganter. ff. ad S. C. Sillan.* sicuti multo magis in eo, qui cum reipub. causa abesset, mortuus est antequam sciret delatam sibi fuisse hereditatem in ciuitate. *l. 30. cum quidam. l. 76. Pannonius. ff. de acq. hæred.* Sed & generaliter est definitum in liberis, vt parentum suorum hæreditatem non aditam transmittant ad hæredes suos. *l. vn. C. de his qui ante tab. apertas hæred. transm.* quod demum ad hæredes extraneos est porrectum, vt qui intra tempora deliberandi decederet sciens sibi delatam esse hæreditatem, eandem deliberandi & hæreditatis adeundæ facultatem ad quoslibet successores transferret. *l. 19. cum antiquioribus. Cod. de iu. delib.*

Interdum hæreditas non adita transmittitur.

IMP. ALEXANDER A. RVGO.

LIBERTI *contra tabulas parentum bonorum possessione admissa, solis parentibus & liberis legata præstare secundum edictum debent.* PP. IIII. Id. *Octobr. Maximo* II. *& Æliano Coss.*

Lex I. C. de bon. poss. contra tab.

DVo rescripta quæ sub hoc tit. concluduntur vtraque sunt Imp. Alexandri. Huius hæc est species. Mæuius filio emancipato præterito extraneos scripserat hæredes vel liberos suos qui erant in potestate. Legata reliquerat extraneis, reliquerat etiam parentibus quibusdam & liberis, forte nepotibus ex filia qui ex iure antiquo auo materno non solebant succedere. *§. item vetustas. de hæred. quæ ab int. def. apud Iustin.* Filius emancipatus petit bon. poss. contra tab. Quæritur de iure testamenti. Et quidem quantum ad hæredis institutionem, irrita est. Quantum vero ad legata, ea tantum debentur quæ relicta sunt coniunctis personis, id est liberis & parentibus vt loquitur Imp. Mouebat quod nemo decedit pro parte testatus pro parte intestatus. Sed non potuit prætor penitus

Species legis propositæ.

Petita bon possessione contra tab.

legata vel portione hæreditatis parentibus & liberis debentur.

euertere testamentum, quod secundum ius ciuile valet: quo nomine differt hæc bonorum possessio à querela inofficiosi testamenti, vt notauimus ad parat. ffrum Cuiacij hoc tit. Quod dictum de legatis relictis personis exceptis: Idem dicendum, si illis relicta fuerit portio aliqua hæreditatis: Nam & hanc institutionem tuetur prætor ex constitutione D. Pij *l.5.§.6. sed & si. ff. de leg. præst.* dummodo in hæreditate aut legato amplius nõ sit, quam pars ea est, quæ ad singulos liberos petita ab his bonorũ possessione peruenit: alioquin rediguntur ad virilem. *l.6.§. fin. cum ll. seqq. ff. eod. tit.* qua tamen in re dotis causa excepta est, vt siue nurui siue vxori relicta sit, mulier non redigatur ad virilem, etiam si plus in ea sit quam liberi sunt habituri, quia scilicet ad suum redeunt, non beneficium & liberalitatem consequuntur. Sed quòd ait Imp. hoc loco solis parentibus & liberis legata deberi, hoc ita verum si ex testamento principali petantur: nam si ex pupillaribus tabulis à substituto petãtur (quia certum est, petita bonorum possessione contra tabulas paternas, remanere vires integras pupillaris substitutionis quam in eo testamento pater fecit pupillo filio suo) possunt ab vniuersis peti saluâ falcidiâ tamen. *l.39. §. fin. ff. de vulg. & pup. subst.*

Qui tamen rediguntur ad virilē si plus habeant in legato aut hæreditate quam ad liberos est peruenturum.

IDEM A. CLARA.

Lex 2. Cod. eod.

POSTHVMO *nato, qui neque hæres institutus à patre, neque nominatim exhæredatus est, testamentum rumpitur. Et si contra tabulas bonorum possessio infantis nomine à tutore petita est: secundum tabulas possessio locum habere non potest.* D. Kal. Mart. Iuliano II. & Crispino Coss.

Sententia duplex legis proposita.

DVæ proponuntur hoc rescripto definitiones. Prima posthumi agnatione qui neque institutus neque nominatim exhæredatus est testamentum rumpi. Secunda, petita bon. poss. contra tab. à tutore nomine infantis scriptum hæredem beneficium bonorum possessionis secundum tabulas non habere: qua in re primum pugnare videtur lex 2. inf. de ed. D. Hadr. toll. in qua dicitur mitti scriptum hæredem in bonorum possessionem licet defuncti filius præteritum se alleget. Quid dicemus? neque Cuiacius, neque glossa hoc vel illo loco, nec cæteri tractatores hanc pugnam ad-

Obijcitur l. 2. inf. de ed. D. Hadr. toll.

uertunt: Nec dici poteſt diuerſa diuerſis Impp. placuiſse, quia vtraque eſt Imp. Alexandri. Certè miſſio in bonorum poſseſſionem fieri non potuit non petita bon. poſs. contra tab. aut non adita hæreditate, cum eam tribui dicat Imp. etiamſi inofficioſum teſtamentum arguatur, quod fieri non potuit ante aditam hæreditatem.

Diluitur argumentum.

Dicendum in d. l. 2. non deſideratam fuiſse bon. poſseſſionem contra tabulas à filio præterito, ſed tantum querelam inſtitui irriti, vel inofficioſi teſtamenti, iam occupata bonorum poſseſſione ſecundum tabulas ab hærede ſcripto. Alioquin ex præſcripto hujus legis, & generali definitione: vt primum promittit præter bon. poſſeſſionem contra tab. liberis præteritis: Ita ſi eam petant, impediunt ſcriptum hæredem quominus habeat ſecundum tabulas. Sed rurſus: quid opus eſt in hac lege, vt petatur bon. poſseſſio nomine infantis præteriti, cum ipſo iure teſtamentum nullum ſit præteritione ſui hæredis? cui quæſtioni reſponderi par eſt, in hoc eam dari ſuo præterito, vt impediat ſcriptum hæredem quominus accipiat bonorum poſseſſionem ſecundum tabulas. Itaque hæc bonorum poſseſſio duplici modo conſideratur.

Quid interſit utrum emancipatis præteritis detur bon. poſſeſ. contra tabulas an ſuis.

Præteritis emancipatis filiis vel nepotibus datur, vt rem obtineant, id eſt vt ſuccedant reſciſsa capitis diminutione, qui alias iure ciuili non vocarentur; & hoc caſu prætor emendat aut ſupplet ius ciuile, eis bonorum poſſeſſionis beneficium concedendo, & propterea ipſis apprime eſt neceſsaria. Suis vero ad hoc tantum datur, vt ſcriptum hæredem ſtatim repellant, ne petat ſecundum tabulas, non vt rem habeant, quam per querelam iniuſti & irriti teſtamenti ſepoſito prætoris beneficio erāt habituri. Eis itaque ad ſucceſſionis commodum nō eſt neceſſaria, ſed tantum vt ſcriptum hæredem repellant, qui alioquin ex teſtamento ſignato ſeptem teſtium ſignis facile obtineret bonorum poſſeſſionem ſecundum tabulas. Hinc fit vt, cum ſui præteriti contra tabulas petunt, non ſit locus edicto, de quo in lege ſuperiori, id eſt tanquam ex iniuſto penitus teſtamento ne quidem parentibus & liberis legata debeantur. *l. 15. is qui. ff. de leg. præſt.* Sed recurrendum ad primam huius legis definitionem, à qua fere ſtilus cœpit aberrare. Notanda eſt primum poſthumorum differentia:

Quot ſint ſpecies poſthumorum.

Eſt enim multiplex eius rei definitio. Cuiac. in prioribus notis ad libros inſtitutionum tit. de exhæred. lib. has facit eorum ſpecies, quas non explicat tamen: Ait enim alios eſſe poſthumos ſuos, alios Aquilianos, alios Velleianos, alios Iulianos; quibus etiam adiungendi illi, qui paſſim dicuntur Corneliani. Non incongruens fuerit definire qui nam illi ſint omnes, quandoquidem id non explicat.

Poſthumus ſuus quis dicatur.

Poſthumus ſuus ille eſt, qui ſi natus eſſet tempore teſtamenti proximior hæres naſceretur, cuiuſmodi eſt filius, qui eſt in ventre vxoris & in eum caſum inſtituitur quo poſt mortem

patris nascetur, aut nepos qui est in ventre nurus filio iam mortuo tempore testamenti, cum in eum casum instituitur, quo mortuo auo nascetur. De posthumo filio vel nepote qui nascerentur viuo testatore, nihil antiquis erat cautum, quia ijs natis viuo testatore visum est ipsum aliud testamentum facere posse, quo natos posset instituere. Posthumus Aquilianus est nepos, quem viuo adhuc patre tempore testamenti auus ex consilio Galli Aquilij (vnde nomen habet) instituit in eum casum quo viuo se filius moreretur, & ipse nepos post filij mortem & ipsius aui nasceretur. Sunt quidam qui suos & Aquilianos posthumos confundunt, errore tamen manifesto, nam proprie formula Galli, de qua in vexata l. 29. Gallus. ff. de lib. & posth. est tantũ de nepote posthumo instituẽdo in casum qui supra relatus est, cũ posthumus suus tam de filio quã de nepote posthumo dicatur. Nec mouet, quod dicit Duarenus, quod dicunt & alij, illum nepotem institui in eum casum quo suus erit auo: Nam regula Catoniana mortem testatoris semper refert ad tempus testamenti quo certum est natum nepotem auo suum non futurum, filio primum gradum obtinente: Vt propterea viuo auo, eodem filio mortuo, in periculum rumpendi testamentum deduceretur, quasi non rectè nepos institutus esset in eum casum, quo suus nondum poterat esse: Quod ne fieret, illam formulam Aquilius composuit; cum tamen certum esset institutioni filij posthumi regulam Catonis non obstaturam quippe quod gradu proximior foret natus tempore testamenti. Et vero in re dubia, in qua qui falluntur maximè, maximis tamen rationibus nituntur, non facile à disciplina Cuiacij est recedendum; *Nam*, vt rectè Quintilianus, *videtur error honestus magnos duces sequentibus*. Posthumus Velleianus ille est, qui post testamentum natus viuo testatore suus ipsi testatori agnascitur, & in illum casum instituitur, qui primo capite legis Velleæ continetur. Posset forte illud non insubtiliter tentari, primum caput legis Velleæ pertinere tantum ad posthumos nepotes nascituros post testamentum viuo auo, vt in eum casum instituerentur quo ipsi mortuo filio post testamẽtũ patris ipsi agnascerentur auo, & sui tempore natiuitatis fierent, ad quem casum frequentissime porriguntur verba & sententia legis Velleæ: nam quantum ad filium nasciturum post testamentum viuo adhuc patre: vix est vt etiam ante legem Velleam eum instituere non licuerit. Nec refert quod interdum filius natus post testamentum patre adhuc viuo posthumus Velleianus dicatur: nam dicendum id fieri cum quadam improprietatis nota ad comparationem & differentiam posthumi filij, qui nascitur post mortem patris qui propriè & simpliciter posthumus dicitur. Sed illud me non prçterit posse illud commode constitui iure antiquo ex l. 12. tab. institui tantum potuisse posthu-

Posthumus Aquilianus quis sit.

Posthumus Velleianus quis dicatur.

posthumos, qui nascerentur post mortem testatoris, quia aliquo antea nato, potuit aliud condi testamentum, quo institueretur vel exhæredaretur; lege vero Vellea illud inductum etiã, vt institueretur filius nepos-ve qui viuo adhuc testatore ipsi agnasceretur, quod multa possint incidere, quæ efficiãt quo minus possit mutari testamentum, si postea hæres suus vel filius vel nepos viuo testatori agnascantur. At lugubre maximè fuit apud veteres intestatum decedere, & ea demum ratio est, cur Gallus Aquilius satis habuerit formulam edere instituendi nepotis qui nasceretur post mortem patris & aui, quia scilicet existimauit nato eodem nepote post mortem patris viuo adhuc auo, posse tum ab ipso auo fieri aliud testamentum; quod erat tamen periculosum, quia poterat etiam fieri vt statim post filij mortem, & ipse quoque auus moreretur nullo alio facto testamento, dum sperat nixum nurus & nepotis sui natiuitatem, aut etiam quia eo nato fors ferret vt negotiis aliquibus distringeretur, quo minus testari iterum posset, vt eo modo prius testamẽtum ad causam irriti deduceretur, quo tempore aliud commodè confici non posset. Quare siue legem Velleam referamus ad filium natum post testamentum viuo testatore, vt certe verius est ex eius verbis, siue ad nepotem tantum, qui filio post testamentum mortuo viuo adhuc testatore suus nascitur: Illud est inductum ea lege generaliter, vt in casum superiorem institutio valeret, quia prospexit Iulius Velleus eius legis autor multa posse incidere quæ impediant, quo minus, nato filio vel nepote viuo se, possit ipse testator aliud facere testamentum, quo ipsos institueret. Posthumus Iulianus, est nepos, qui ex consilio Iuliani commixtis duobus capitibus legis Velleę in eum casum instituitur ab auo, quo viuo filio natus eodem postea moriente ipsi auo agnascatur. *l. 29. Gallus. §. ille casus in difficili. ff. de lib. & posth.* Prudens scilicet Iuliani consilium, quo prospexit vtrumque caput legis Velleæ omnino ad eam speciem non aduertisse, in qua nepos viuo auo & patre nasceretur, deinde post mortem patris auo superstiti suus fieret: cum enim primum caput pertineat ad posthumum nepotem qui, mortuo iam filio, auo agnascitur, hic autem viuis vtrisque nascatur: secundum etiam caput pertineat ad nepotes iam natos tempore testamenti, qui postea filio mortuo gradum suorum nanciscuntur, & in eum casum etiam instituuntur, hic nascatur post testamentum, visum est proponi formulam instituendi vel exhæredandi nepotis in eum casum, quem lex omiserat, vt aliquando illo casu existente testamentum non rumperetur. Hæ sunt definitiones posthumorum, quos notauit Cuiacius dicto loco, qui vel sui sunt cum instituuntur, vel in eum casum instituuntur, quo viuo testatore vel mortuo sui futuri sunt. Illis adijciendus est Posthumus Cornelianus, qui viuo

Posthumus Iulianus.

Posthumus Cornelianus quis sit.

quidem testatore nascitur, sed tamen fictione legis Corneliæ post mortem testatoris natus fingitur, quia nascitur post patris vel aui captiuitatem, qui ab hostibus non rediit. Sed magis est vt is posthumus referatur ad ius antiquum si filius institutus sit: ad formulam Galli Aquilij si nepos, cuius pater vixerit dum auus in ciuitate supremum iudicium ordinabat. Sed sunt & alij posthumi agnati vel cognati, sicuti illi, qui in vētre gloris vel sororis, & nati post mortem patris sunt ipsi successuri alicui agnato vel cognato, cui forent proximiores, si in rerum natura essent. Alij etiam prorsus alieni. Verum ad eos nihil hic tractatus pertinet, quia in ea causa non sunt vt proximiori agnato vel cognato, quibus successuri sunt, aut extraneo testatori, qui eos instituerit, sui sint, aut possint esse sui. Species autem in hac lege proposita propriè ad posthumū suum pertinet, qui scilicet patri post mortem vel post testamētum suus agnascitur, qui quidem præteritus rumpit testamentum si nascatur. Ait Imp. *qui neq; institutus neque nominatim exhæredatus est*, quæ verba notāt antiquā differentiā inter posthumū&posthumā, quia solus posthumus masculus debuit nominatim exhæredari, posthuma vero inter cæteros ab hæreditate paterna repelli potuit, si modo ei aliquod legatum relictum esset, ne alias potius per obliuionem præterita, quam consulto consilio exhæredata videretur: quæ differentia à Iustiniano sublata est, qui vtriusque sexus posthumos eodē modo id est nominatim exhæredari voluit. §. *sed fœminini.* §. *ad hæc vetustas de exhæred. lib. apud Iustin. l. fin.* §. *fin. C. de lib. præter.* Quinimo iure nouo ex N. 115. posthumorum nullam fieri posse exhæredationem constat: quia scilicet exhæredatio non fit sine elogio, quod nullum in posthumū cadere potest; quæ tamen constitutio de posthumo filio tantum accipienda videtur: nam quantum ad posthumum nepotē posset dici exhæredari eū posse, siue ex filio ingrato siue ex filia natus sit, aut ea vxore eo-ve marito, quorum matrimonium patri displicuerit, vt non tam nepotis innocentia, quam filij filiæ-ve delictum expendatur. *l. 3. §. 5. si emancipatus. ff. de bon. poss. contra tab.* Sed tam inuidiosæ exhæredationi possint illa Canaces apud Ouidium obijci:

Differentia posthumi & posthumæ.

Posthumi iure nouo exhæredari non possunt.

Quid puer admisit tam paucis editus horis?
Quo læsit facto vix bene natus auum?

Et in hanc sententiam vti benigniorem acquieuerunt decreta Senatus Parisiensis, ex quibus filio, qui patrem offenderat, mortuô, non rectè exhæredatos nepotes constitit, vt docet Annæus Robertus lib. 2. rerū iudic. cap. 9. & Chanutius in quæst. ill. qu. 38. Repeto illud etiam postulātibus summæ eruditionis & doctrinæ viris Augusto Gallando & Petro Mauguino (cùm institutò filio auus aut auia exhæredasset nepotes, qui ex matrimonio citra suum consensū

Nepotes ex filio ingrato non possunt exhæredari.

contracto à filio editi erant, datusque esset filio substitutus si illis tantum hęredibus decederet, quos ex illo matrimonio procreasset) eidem senatui placuisse, gradum illum substitutionis esse irritum, nepotesque illos ad successionem parētum suorum vocatos, quod iniquum esset odio filij, quem testator ipse tamen instituisset, nepotes illos innocentes & innoxios prægrauari. Quod autem ait Imperator posthumo nato testamentum rumpi: hoc est accipiendum, si viuus nascatur post mortem testatoris, & ad nullū declinet monstrum, vt nec restituatur, si statim postea decedat. *l. pen. Cod. de posth. hær. inst.* ad quam speciem referenda lex 2. C. eod. alioquin si viuo testatore natus & ante testatorem quoque mortuus sit: tunc ex edicto D. Hadriani vires testamenti cuius maximè causa ex morte testatoris pendet, restituuntur. *l. 12. ff. de iniusto rupt. & irr. fa. test.* quod in filio præterito qui viuo patre decessit non cōstituitur, quia à principio testamentum non constitit. *paragr. 1. inst. de exhær. lib. l. 7. filius. ff. de liberis & posth.* Cui tamen distinctioni obstat lex 8. si primo. ff. eod. ex qua si posthumus, qui exhæredatus est à primo gradu, præteritus vero à secundo, viuo patre natus decesserit, nihilominus substitutionis gradus irritus est, qui deberet tamen restitui. Verum Cuiac. tam in prioribus notis instit. ad tit. de exhær. lib. quam tract. 4. ad Africanum ad l. 14. ff. de lib. & post. eo loco vbi legitur, *viuo patre*, legi debere ait, *viuo primo*; vt non proponatur viuo patre natus posthumus, sed post mortem testatoris viuo primo, id est illo hærede a quo exhæredatus erat posthumus; vt nihil mirum sit irritum gradum esse factum substitutionis: quamquam, integra remanente lectione veteri, potest dici viuo quidem patre natum posthumum, cæterum post mortem patris decessisse, nam & id verba legis possunt pati. Sed Cuiacij sententiam esse veram prior species, quę in ea lege proposita est, & verborum tenor euincit. Obstat etiam lex 15. qui vxorem. ff. de iniusto rup. & irr. fa. test. Sed ibi ex legis Corneliæ beneficio nepos natus & mortuus viuo adhuc patre apud hostes censetur post mortem patris natus, quia post captiuitatem eius, qui non rediit: & censetur mortuus ab eo tempore quo captus est, vt propterea non sit mirū testamētum eius qui apud hostes est ruptum videri, perinde ac si re vera natus esset posthumus post mortem testatoris: quamquam alia est sententia Duareni ad tit. de iniusto rupt. & irr. fa. test. qui generaliter definit iure quidem ciuili in ea lege & cæteris similibus ad scriptum hæredem non peruenturam hæreditatem, sed iure prætorio dari posse bonorum possessionem secundū tab. si mortuus sit posthumus, siue ante siue post mortem testatoris natus decesserit. Obstat eidem distinctioni lex 17. filio. ff. eod. tit. Verum, quamuis in eiusmodi specie filius, qui natus erat testamēti tempore, præteritus sit, vt per hoc secundū

Natiuitate posthumi rumpitur testamētū etiā. Si statim moriatur nisi id patre viuo contingat.

Differentia posthumi præteriti & filij iam nati.

Obijcitur & diluitur l. 8. ff. de lib. & posth.

Obijcitur & diluitur lex 15. ff. de iniusto rupt. & irr. fa. test.

Obijcitur & diluitur lex 17. ff. eod.

superiorem definitionem omnino testamētum valere non debeat: tamen quia is ipse filius, cuius principaliter interest, abstinet se ab hæreditate, ex æquo & bono libertates & legata debebuntur, sicuti in specie l.16. si duo. ff. de leg. præst. debentur à filio emancipato instituto, licet alter filius, qui in potestate erat, eodem testamento præteritus esset. Et generaliter quoties iniustum vel irritum testamentum est: tamen, si non querente filio, is scriptus sit, qui ab intestato rem erat habiturus, prætor ex benignitate data bon. possessione secundum tab. voluntatem testatoris tuebitur. *l. 2. l. 12. vers. idem circa. ff. de iniusto rupt. & irr. test.* quamuis verius sit, si fratres eius, qui præteritus est, existant ex minima parte instituti, extraneô in residuum vocatô, non posse præteritum abstinendo ius fratrum impedire quibus commissum est edictum. *l. 10. si post mortem. §. fin. ff. de bon. poss. contra tabul.* Nec ob aliam rationem in d. l. 16. de leg. præst. filius emancipatus agnoscit onera legatorum omnium, licet in eo testamento alter filius qui in potestate erat sit præteritus, quam quia nullus extraneus cohæres adiectus erat. Adijciendum vero superioribus & illud; non semper & indistinctè præteritione filij vel posthumi rumpi testamentum patris vel aui, sed ita demum si sint in potestate vel futuri sint sui & proximiores hæredes tempore quo testator moritur. Itaque non pertinebit huius legis definitio ad matrem vel auum maternum, quorum præteritio habetur pro exhæredatione. *§. fin. de exhær. lib. apud Instin.* Mater etiam posthumū Velleianum habere potest & posthumū etiam secūdum ius antiquum id est qui post mortem eius nascitur, quando ei mortuæ exsecto vtero viuus infans educitur: Sed vtroque casu querela ei qui natus est necessaria est, si hæredes instituerit extraneos, vel filio cui nihil præter fatum maternum potest imputari portio virilis cum aliis liberis quos mater instituit, attribuetur; quod expeditius in ea procedit, quæ in puerperio decessit, nec mutare testamentum morte præuenta potuit, vt tum repentini casus iniquitas coniectura maternæ pietatis emendanda sit *l. 3. C. de inoff. test. l. 6. §. 1. ff. eod.* quod fit & alio casu quando mater falso rumore perlato, quasi filius decessisset alios instituit: hæreditatē enim filius reuersus auferet integra causa libertatum & legatorum eo testamēto relictorū. *l. 27. si instituta. §. fin. cum l. seq. ff. eod. tit.* quod idem fit in l. fin. ff. de hær. inst. si patruus, qui neptem ex fratre mortuam audiuerat, scripserit extraneos hæredes. Possit hæc disputatio in longius protendi; sed illa ad mentem Imperatoris sufficiunt.

Posthumus ita rumpit si suus sit futurus.

Mater habere potest posthumū Velleianum sed non rumpit.

IMP. ALEXANDER A. VLPIO.

CONSOBRINORVM *tuorum inteſtatorum bona, ſi ad prioris neceßitudinis neminem iure pertinuerint, tuque eorum poſſeßionem agnouiſti: Perſequi non prohiberis. D. III. Id. Aug. Iuliano II. & Criſpino Coſſ.* Lex 1. C. vnde legit. & vnde cognati.

Sententia huius reſcripti tam manifeſta eſt quam quæ manifeſtiſſima. Reſcribit imperator Vlpio, ipſum perſequi bona conſobrinorum poſſe, qui ab inteſtato diem functi ſunt. Hæc ſubinde ratio poterat dubium mouere, quod Vlpius defuncti conſobrini agnatus non eſſet: At lex 12. tab. ſuos dumtaxat vel agnatos ad ſucceſſionem vocabat. Sed in vicem legitimæ ſucceſſionis ceſſit prætoria iuriſdictio, qua iure ſuccedendi latius ampliato remedio bonorum poſſeſſionis prætor, quos hæredes facere non potuit, effecit bonorum poſſeſſores, qui ab hæredibus ſolo ferè vocis ſono differunt: Vt propterea ei, qui bonorum poſſeſſionem eſt amplexus, actio in rem generalis, ſiue vtilis petitio hæreditatis poſſeſſoria accommodetur. *l. 1. & fin. ff. de poſſeſſ. hær. pet.* perinde ac ei, qui iure ciuili hæres eſt, ex teſtamento vel ab inteſtato directa hæreditatis petitio datur. Notanda vero illa duo quæ requirit Imp. vt ad defuncti conſobrini bona Vlpius admittatur: Scilicet, vt ad neminem prioris neceſſitudinis bona pertinuerint: Nam tum ius ſuccedendi omne conſumptum eſt, ſicuti obtinet adita ab inſtituto hæreditate vulgarem ſubſtitutionem expirare. *l. poſt aditam. C. de impub. & al. ſubſt.* ita vt, eo qui prior bon. poſſeſſionem acceperit poſtea ſe abſtinente, ius ſuccedendi ſequentibus priori agnitione ablatum non reſtituatur, ſed bona tamquam vacantia ad fiſcum pertineant. *l. fin. ff. de ſucceſſ. edicto.* quamquam plures iuris loci definitioni tam abſciſſæ obſtare videantur, quos Cuiac. diluit lib. 6. reſp. Papin. ad d. l. fin. & ad l. 7. §. ſed quod ff. de minor. Alterum quod requiri ait Imp. hoc eſt, vt is, qui bona inteſtati conſobrini perſequitur, bonorum poſſeſſionem agnouerit, quia illum à prætore petere neceſſarium fuit, idque verbis ſolennibus, & ſine eius auxilio vindicari bona defuncti non potuerunt. *l. 2. hoc tit. l. 1. & 2. C. comm. de ſucceſſ.* quod in liberis quoque emancipatis obtinuit. *l. 4. C. qui ad bon. poſſ. adm. poſſ. l. 1. C. de in. delib.* quamquam poſtea obtinuit quocumque iudicio poſſe eam admitti. §. fin. de bon. poſſ. apud Iuſtin. Ea de re etiam Cuiac. lib. 17. obſ. cap. 19.

Sententia & ſpecies legis proposita.

Bonorum poſſeſſio & hæreditas quid differant.

Quoties proximior hæres petit bonorum poſſeſſionem cæteri repelluntur.

Bonorum poſſeſſio olim ſolenniter à prætore peti debuit.

IMP. ALEXANDER A. IVLIANO.

Lex 1. C. de succefs. ed.

SI mater tua propter furorem suum patrui sui bonorum possessionem non accepit: Tu filius eius ad eorumdem bonorum patrui magni possessionem ex edicto, quo prioribus non petentibus sequentibus permittitur, admissus es. PP. III. Id. Decemb. Maximo II. & Æliano Coss.

IN danda bonorum possessione ab intestato alium ordinem prætor fecit graduum intestati, alium graduum cognationis, quibus verbis quid significetur expositum est ad parat. fru Cuiacij ad tit. quis ordo in bon. poss. seru. & forte ad vtrumque ordinem pertinet successorium edictum, id est vt siue liberi omiserint vel repudiauerint, admittantur agnati, & his similiter non petentibus cognati, & illis etiam tempore vel repudiatione exclusis, ius bonorum possessionis deuoluatur ad virum aut vxorem, siue etiam non petentibus in vno quoque graduum intestati proximioribus; sequentes, qui eodem iure sunt liberorum, agnatorum, aut cognatorum similiter, ad successionem vocentur: Nam & in hac specie nepte defuncti non admissa, quæ patrui sui agnata erat eiusdem filius qui defuncti cognatus est bon. poss. accepit. Species illa fit. Mæuius decesserat, nullos agnatos masculos reliquerat: Nam his existentibus vtcumque remotioribus, pro eo iure, quod temporibus Alexandri obtinebat, fœmina agnata, quæ defuncti soror consanguinea non est admitti non potuit, licet aliud Iustiniano sederit. §. 3. *cæterum. de legit. agnat. success. apud Iustin.* Sola vero extitit Titia ex fratre neptis, quæ propterea quod furore correpta esset, bonorum possessionem non accepit vnde cognati. Sic fingendum: Nam vtcumque agnata sit, bonorum possessionem vnde legitimi non habuit, quod tamen falso ponit Cuiacius in recit. ad hunc tit. Et illa ratio est, quia lege voconia fœminis agnatis, quæ sorores defuncti consanguineæ non essent, reciso iure succedendi; non illas prætor vt agnatas edicto vnde legitimi vocabat, sed vt cognatas proximiores per edictum vnde cognati. §. *media eod. tit. apud Iustin.* Titia vero cum in furore decessisset non admissa bonorum possessione vnde cognati: Desiderabat Iulianus Titiæ filius venire ad bonorum possessionem patrui magni (hoc notandum, eundem esse patruum

Species legis proposita.

magnum filio qui patruus matris fuit, licet qui agnatus erat nepti ex fratre, eius filio sit tantum cognatus.) Quærebatur an Iulianus foret admittendus ad bonorum possessionem: Rescribit Imp. admitti. Mouebat quod proximum agnatum vel cognatum prætor vocet, cuiusmodi ille non est quem mater dum viueret præcessit. Sed iure prætorio obtinuit proximum eum tantum vocari, qui bonorum possessionem amplectitur. Itaque priores qui omiserunt vel repudiarunt proximi non censentur; ac propterea sequentibus ius succedendi datur, quod edicto successorio maxime continetur: Alioquin antea proximus agnatus si repudiasset sequens non admittebatur: Imo nec iure prætorio sequens admittitur, vt agnatus, sed vt cognatus tantum, quamuis tandem Iustinianus successionem in hæreditatibus agnatorum introduxerit. §. *placebat. vers. sed nos. de legit. agn. success. in inst.* Dubitari etiam potest in hac lege, cur dicatur propter furorem bonorum possessionem nō accepisse, cum id possit per curatorem. *l. 1. ff. de bon. poss. fur. inf. ca. fur. comp.* Sed hoc ita, quia petita bon. possessio per curatorem furiosi, non propterea sequentis gradus agnatum vel cognatum repellit, nisi & ipse Furiosus mentis compos factus bonorum possessionem suo nomine petitam ratam habuerit, vt propterea nihil ad suos hæredes furiosus ex his bonis transmittat. *l. fin. §. tali. vers. sin autem. C. de curat. fur.* est enim decretalis, non edictalis illa bonorum possessio. *l. 2. §. 11. si quis. vers. igitur. ff. ad S.C. Tertyll.* qua in re longe differt pupilli tutor à curatore furiosi: Nam si tutor infanti vel pupillo bon. possessionem petierit, statim bona pupillo quæruntur, ita vt decedens, antequam vel loqui cœperit vel suæ ætatis factus sit, eiusmodi bona transmittat. *l. 3. C. qui ad bon. poss. & intra quæ temp. d. l. 2. §. sed si infanti. ff. ad S.C. Tertyll.* Ratio differentiæ forte illa, quod tutor personæ datur principaliter ergo pupillum referre censetur. Imo etiam ea quæ iuris sunt & facti supplet; curator non item.

Data furioso bonorum possessio per curatorem sequentis gradus cognatos non repellit.

Secus in bonorum possessione petita infantis nomine à tutore.

IMP. ALEXANDER A. DEVTERIÆ.

Lex 1. C. de collationibus.

EMANCIPATOS *liberos testamento hæredes scriptos, & ex eo successionem obtinentes, à patre donata fratribus conferre non oportere: Si pater vt hoc fiat, supremis iudiciis non cauit: Manifesti iuris est. PP. III. Id. Iul. Iuliano II. & Crispino Coss.*

Sententia legis propositæ.

AD quæstionem de collationibus pertinuit iam supra lex 4. famil. hercisc. Hoc tit. adduntur tres aliæ. Prioris cuius verba proposita sunt sententia est perspicua: Filium emancipatum, qui ad patris hæreditatem admittitur ex testamento, collationis munere

Filius emancipatus vel filia qui ex testamento succedunt patri non conferunt.

non fungi. Ratio rescripti illa, quod ad patris hæreditatem admittatur vt scriptus vel extraneus hæres, non vt filius: Quo iure fit, vt etiam filia ipsa hæres scripta dotem non conferat, si cum fratribus patri succedat. *l.*35. *Pomponius. ff. fam. hercisc.* nisi pater id nominatim cauerit vt conferret. *l.*7. *hoc tit.* nam etiam solebat fieri, vt sub illa conditione pater filiam institueret, si dotem cōferret, vt in l. 8. pater. ff. de coll. dot. idque etiam Imp. in hac l. 1. exeepit, vt testamento hæres scriptus filius emancipatus non conferat, nisi pater caue-

Proponuntur argumenta contraria & diluuntur.

rit. Verum huic legi obstare videtur lex 1. §. 14. is quoque. ff. hoc tit. & lex 2. ff. de collat. do. vbi nepos qui est in aliena familia, vel filia quæ dotem accepit, instituti conferunt. Sed hoc ita, quia commisso edicto per aliquem ex filiis emācipatis præteritis recesserunt à portione sibi testamento adscripta, & bonorum possessionem amplexi sunt, vt iam non tam ex testamento, quod improbauêre, quam ab intestato succedere censeantur, quemadmodum generaliter non minus confert qui contra tab. bon. possessionem petiit, quam

Iure nouo fit collatio inter liberos qui veniunt ex testamento.

qui ab intestato venit. *l.* 4. *hoc tit.* iure autem nouo ex auth. huic legi primæ subiecta, quæ sumpta est ex N. 18. etiam si ex testamento res agatur, & liberi ab intestato succedant: Tamen generaliter collationi locus est, nisi testator id vetuerit. Cæterum, cum ab intestato res ageretur atque item petita esset bonorum possessio contra tabulas, certum est emancipatum non aliter admitti, quam si bona omnia, exceptis dumtaxat castrensibus, fratribus conferat: Cum enim rescissa capitis diminutione eos prætor perinde ac suos ad

Ratio cur emancipati fratribus conferant cum res agitur ab intestato.

bona paterna vocet, æquum quoque est, vt ea in medium conferant, quæ non erant habituri sibi, si in potestate mansissent. *l.* 1. *ff. hoc tit.* quod eo magis admittendum, quod participes facti bonorum paternorum partem ferant earum rerum quas sui quæsierunt patri. Sed & alia etiam ratio occurrit, quæ collationem suadeat, & ea aliquanto æquior; æqualitas scilicet ipsa, quæ quam maximè fieri po-

Æqualitas tuenda inter fratres.

test inter fratres ad paternam successionem venientes seruari debet, vt qui ex æquo sortem nascendi à parentibus acceperunt, ex æquo similiter ipsius vitæ præsidium, id est bona ab ipsis nanciscantur. Hinc illud D. Ambrosij in lib. de Ioseph Patriarcha. *Iungat liberos æqualis gratia, quos æqualis iunxit natura. Lucrum pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est.* In eandem sententiam est illud D. Basilij in comm. in Esaiam quod est in eius appendice orat. 24. quæ est περὶ τιμῶν γονέων. δίκαιον ὥσπερ οἱ γονεῖς ἐξ ἴσου τοῖς παισὶν μεταδεδώκασι τοῦ εἶναι, οὕτω καὶ τὰς πρὸς τὸ ζῆν ἀφορμὰς ἴσως αὐτοῖς καὶ ὁμοτίμως παρέχειν. Sed

illa

illa ratio in testamentis iure ciuili negligitur, quo licet parentibus ex maiori parte vnum ex liberis vel aliquos instituere, vt dictum sup. ad l. 8. ff. de inoff. testam. Toties vero emancipatus conferre fratribus tenetur, cum ipsorum partem minuit: Cæterum, si nihil auferat, nec confert etiam; sicuti fit, cùm filiô suô exhæredatô vel minima ex parte institutô, ex residuo vel toto asse institutus est extraneus: Tum enim, si alter filius emancipatus præteritus sit, qui petita bonorum possessione contra tabulas extraneum hæredem repellat, ac fratrem in dimidium assem vel in ampliorem partem, quam ex testamento erat consecutus admittat, conferre non tenetur: Tantum enim abest, vt quicquam ei auferat frater emancipatus; quin potius effecit commisso edicto, vt suus qui exhæreditatione semotus foret, vel ex institutione modicam partem esset habiturus, meliori conditione ad patris hæreditatem vocetur. *l. 20. filium. §. videamus. ff. de bon. poss. contra tab.* & fratre quoque emancipato ex asse à patre instituto, si soror exhæredata per querelam partem abstulerit: collatio tamen cessabit, tum quia venit ad semissem vt institutus, tum quia nihil aufert sed ei potius aufertur. *l. 6. & 7. ff. hoc tit.* ex quo fit in contrarium, vt si institutus sit suus ex dodrante, extraneus ex residuo quadrante, ac præteritus emancipatus petita bon. poss. contra tab. præter quadrantem, quem extraneo aufert, fratri quoque abstulerit alium quadrantem, ratione tantum illius quadrantis admittatur collatio tertiæ partis bonorum ipsius emancipati, quia eius interuentu portio filij sui tertia tantum parte minuitur. *l. 1. §. 3. hoc tit.* vbi idem probari dicitur in tit. de coniungendis cum emancipato liberis eius: Quia enim ex eo edicto filius emancipatus liberorum suorum id est nepotum defuncti qui soli auo erant iure ciuili successuri partem minuit, non aliorum fratrum; ideo etiam ijs solis confert dimidiam partem bonorum suorum, quemadmodum eis aufert dimidiam partem eius portionis, quam exhęreditate aui poterant sperare patre suo defuncti filio non interueniente: Et ita quoque accipienda lex 1. §. 14. nunc videamus. ff. de coniung. cum emancip. lib. eorum. Superioribus illud est consequens, vt emancipati inter se non conferant, quia æquo iure censentur, nec sibi quicquam auferunt. *l. 9. emancipati hoc tit.* l. 2. §. si tres. ff. eod. cui definitioni obstat lex 1. §. 16. si sic filius ff. de coniung. cum emancip. lib. eor. Sed ex sententia Cuiacij lib. 3. obs. cap. 29. ita legi debet in d. §. 16. *ex defuncto alio emancipato duo in potestate:* Cui proculdubio est acquiescendum, vt non nepoti emancipato & suo conferat patruus emancipatus, sed vtrique nepoti in potestate aui constituto. Certè iure nouo indistinctè liberi inuicem conferunt dotem, vel donationem propter nuptias à patre acceptam, siue sint sui siue emancipati. *l. 17. §. vt liberis. C. hoc tit.* Hac

Illo tantum casu emancipatus fratribus confert cum quid ipsis aufert.

Emancipati sibi inuicem non conferunt.

vero etiam lege emancipatus confert, si frater suus viuat, aut post acceptam ab emancipato bonorum possessionem decedat. Cæterum si ante, hæredi eius non conferet emancipatus. *l.1.§.8. ibidem. ff. hoc tit.* Deinde confert tantum emancipatus ea, quæ tempore mortis patris habuit, quæque dolo habere desiit, non etiam ea, in quibus acquirendi occasionem omisit, aut quæ postea acquisiuit. *l.1.§.23. confertur. ff. hoc tit. l.6. hoc tit.* vt propterea quod sibi à patre codicillis relictum est non conferat. *l.6. filiam. hoc tit.* quia quod ita reliquit pater censetur voluisse à filio præcipuum haberi: Deinde quia id in bonis non habuit eo tempore, quo pater moritur: Et ob eandem rationem non confert quoque emancipatus legatum sibi relictum sub conditione, quæ nondum extitit tempore mortis patris, quia nondum in bonis eius esse cœpit, quod in debito conditionali secus est. *l.12.§.3. & 4. ff. hoc tit.* quia scilicet legatum conditionale cedit tantum à die existentis conditionis, stipulatio vero vel obligatio conditionalis quælibet à tempore contractus. *l. 42. is cui. ff. de obl. & act. l.77. si filiusfam. ff. de verb. obl.* quamquam aliter obtinet in stipulatione, qua post mortẽ patris sibi aliquid dari stipulatus est: nam conniuentibus oculis & quadam benignitatis ratione quasi post mortem patris quæsitum filius id non conferet, etiam si ante mortem patris, quod fuit ei promissum, sit eidem repræsentatum. *l. pen. ff. hoc tit.* modo si nihil dolo factum probetur. *l. fin. §. fin. ff. de stipul. seru.* Si autem filio legatum relictum sit, *cum moreretur pater*; id conferetur, quia scilicet tempus mortis apud Iurisconsultos computatur vitæ, & iam viuo patre illud quæsiisse censetur; quod obtinebit secus in fideicommisso relicto sub eodem die incerto, quia tum hæc verba cum morietur eadem sunt, cum illis post mortem. *l.1.§.18. si emancipato cum seq. ff. hoc tit. adiunctis illis quæ tradit Cuiac. lib.3. obs. cap.34.* Superiori tamen definitioni obstare videtur lex 1.§.22. si is qui bona. ff. hoc tit. ex quo si emancipatus peculium castrense filij sui, qui testatus vel intestatus mortuus est post mortem aui sui, consecutus sit; illud fratribus confert, quamuis post mortem patris sibi quæsitum. Sed respondendum quodammodo viuo auo ad emancipatum pertinuisse videri: Licet enim filiusfam. de peculio testari possit ex constitutionibus: Tamen vbi de eo nihil in supremis ordinauit, vel ab hærede testamentario non sunt bona occupata ipsius filijfam. iam antea eius bona retro ad patrem pertinuisse censentur. *l.44. seruum filij. ff. de leg.1.* eademque fere ratione, si filius emancipatus tempore mortis patris in hostium potestate fuerit, ac propterea tum nulla bona habuisse censeatur: Tamen reuersus si contra tab. bonorum possessionem petat vel vnde liberi, & ad patris bona redire desideret; ea bona conferet, quæ foret habiturus, si captus non esset; vt quemadmodum iure postliminij ius suc-

Emancipatus confert tantum ea quæ habet tempore mortis patris.

Conditionale legatum non confertur si nondum conditio extiterit cum pater moritur secus in stipulatione.

Proponitur & diluitur argumentum contrarium.

cedendi recipit: Sic eodem iure collatione fungatur eorum bonorum ratione, quæ in ciuitate constitutus habuisset, dum pater moritur. *l.1.§.17. qui ab hostibus. ff. eod.* nec dissimiliter nepos ex emancipato præmortuo post mortem aui natus & ad bonorum possessionem admissus cum patruis, qui in aui potestate manserunt, bona conferet, quæ si natus esset, quo tempore auus moritur, foret habiturus. *l.2. in pr. ff. eod.* cui non obstat illa iuris constitutio posthumum tum demum pro nato haberi, quando de eius commodo agitur, non cum de incommodo. *l.7. qui in vtero. ff. de statu hom.* nam & in illa specie de commodo successionis agitur, vt perinde ac natus ad bonorum possessionem aui admittatur, quam sequitur collationis onus ei impositum. Porro ex bonis quæ emancipatus confert dotem vxoris suæ deducit, quam & sui præcipiunt cum inter se paternam hæreditatem diuidunt. *l. 1. §. 20. emancipatus. l. 3. §. emancipati. ff. hoc tit.* vtcumque enim constante matrimonio dos ad maritum pertineret, tamen proprie ea esse in bonis potius vxoris, quam mariti esse censetur. *l.30. in rebus. C. de iu. dot.* & similiter filius emancipatus non tenetur conferre dotem, quam filiæ suæ dedit. *l. 4. ff. hoc tit.* quia scilicet extra patrimonium eius censetur. *l.71. pater. ff. de euict.* imo nec actionem iniuriarum confert, quam dum pater moritur habuit, quia magis vindictam reposcere, quam pecuniæ nomine agere censetur. *l.2. §.4. emancipatus. ff. hoc tit.* quod in actionibus etiam popularibus, quæ proprie & principaliter rei persecutionem non continent, obtinere debere Accursius & Cuiacius ibidem docent.

Ex bonis quæ confert emancipatus dotem vxoris suæ deducit nec eam confert quam filiæ suæ dedit.

IDEM A. PRIMO.

SI *pater intestatus decessit, relictis duobus filiis & filia, cuius nomine dotem promiserat: Portiones hæreditatis æquæ sunt: & dos nihilominus ita conferenda est, vt pro portionibus fratres eius à necessitate præstandæ eius liberentur. D. III. Id. Septemb. Iuliano II. & Crispino Coss.* Lex 2. Cod. eod.

Idem A. Alexandro.

PACTVM *dotali instrumento comprehensum, vt contenta dote, quæ in matrimonio collocabatur, nullum ad* L.3. C. eod.

bona paterna regressum haberet: Iuris autoritate improbatur, nec intestato patri succedere filia ea ratione prohibetur. Dotem sane quam accepit, fratribus, qui in potestate manserunt, conferre debet. D. XIIII. Kal. Iul. Agricola & Clementino Coss.

Filiafam. dotem fratribus confert & filio emancipato comparatur.

FIliafam. quæ dotem accepit emancipato comparatur. Itaque, vt ille, non aliter ad successionem ab intestato, vel bonorum possessionem contra tabulas commisso edicto per fratrem emancipatum admittitur, quam si dotem conferat fratribus, qui in potestate manserunt, quod docet Imp. hac l.3. in fi. & quidem dotem vel profectitiam, quam à patre accepit vel aduentitiam quam ab extraneo. l.4. hoc tit. in qua rectè Cuiac. in recit. ad l.1. §.1. ff. de collat. do. legi debere ait dotem à patre vel extraneo datam, vt nomen dotis profectitiæ ad patrem referatur, aduentitiæ ad extraneum, fratri autem emancipato filiafam. dotem tantum profectitiam, non etiam aduentitiam confert hac eleganti ratione, quam & Cuiac. in parat. & recit. ad hunc tit. tradit, quia scilicet iniquum esset duplici incommodo eam affici ab emancipato; scilicet eius concursu, & dotis aduentitiæ collatione; quod æquè dici non potest in profectitia, quia nihil tam æquum est quam vt quod à patre accepit illud in commune conferat: Nec superioribus obest lex 9. ff. de collat. do. nam ibi filia non confert dotem, quia nec patri succedit ab intestato aut per contta tabulas, sed paterna hæreditate se abstinet dote contenta, quod & iure communi obtinet, quamuis iure quodam speciali moribus Andium etiam liberi abstinentes à successione paterna debeant, quæ à parentibus acceperunt, conferre; quod ius etiam S. C. est approbatum. Non obstat etiam lex 5. ff. eod. tit. In ea enim specie cum esset filia à patre instituta errore quodam ex edicto vnde liberi tanquam ab intestato bon. possessionem cum fratre emancipato accepit, ideoque pro eo iure, quod olim obtinuit, tanquam ex testamento conferre dotem non debuit, sicuti nec confert, cum exhæredata est, & querelâ agit contra fratrem emancipatum institutum, quia illa venit ab intestato, frater ex testamento. *l. 6. cum seq. ff. eod. tit.* nec debet esse locus collationi inter eos qui diuerso iure nituntur. Confert autem dotem filia; non quidem quia illam à marito repetit, nec enim matrimonio constante dotis actio est, nisi certis casibus vt dictum est sup. ad l. 1. de repud. sed quia eo minus ex parentum successione consequitur. *l.5. hoc tit.* quamquam si minus idoneus sit maritus & ipsa minor sit 25. annis non integram dotem in acceptum hæredita-

Diluitur argumentum contrarium.

Vid. notas ad Dn. Louet litt. D. num. 56.

Diluitur aliud argumentum.

Cum maritus est non soluendo & minor est mulier, confert fratribus tantū actionis de dote incertū emolumētum.

ti paternæ ferat, sed tantum cohæredibus ipsius actionis incertum in commune redigat, vt non minus ex hæreditariis bonis ad eam perueniat, quod à patre dotem acceperit. N.97. *vnde sumpta est auth. quod locum. hoc tit.* cui tamen distinctioni non acquieuit senatus Parisiensis, qui sororem, etiam minorem annis, dotem integram conferre debere sanxit, vt periculum inopiæ mariti ipsam potius quæ nupta est, quam eius cohæredes spectet. Quod si dos à patre sit tantum promissa genero, non soluta: tunc occurrit, vt quia dotis actio marito contra omnes defuncti hæredes dari potest, cauere tantum debeat soror, defensum iri fratres aduersus maritum, vt iam de suo dotem à patre promissam marito det. *l.1. §.pen. ff. de collat.do.* & ad hanc quoque sententiam pertinet, quod Imp. Alexander constituit in l.2. Iam superest quæstio, quæ proponitur in pr. l.3. de pacto, quod dotis instrumēto adiectum est, vt dote contenta ad paterna bona non rediret, cuiusmodi pactum filiæ nihil obesse, quo minus patri ab intestato succedat, palam definit Imperator, & definiuerat iam ante Papinianus in l.fin. ff. de suis & legit. hær. hac scilicet ratione, quod ius succedendi à lege veniat, & propterea auferri non potest, nisi illis modis quos leges ipsæ introduxerunt, qualis est abdicatio, aut exhæredatio solennis, quæ testamento legitimo fiat: Deinde etiam quia viuentis nulla est hæreditas, vt propterea qui superstitis repudiauit hæreditatem, nihil sibi noceat quominus postea eam possit adire. *l.94. qui superstitis. ff. de acqu. hær.* Ex contrario; fieri quoque illud pactione non potest, vt quis obligetur ad aliquem hæredem instituendum, neque eo nomine facta stipulatio valet, qua de re Cuiacius ad l.26. ff. de verb. obl. & Contius in tract. de pactis futuræ successionis longiores ducunt lineas. Generaliter pactum omne, quod interponitur de futura alicuius successione, nullius momenti est; vt ptopterea qui viui & ignorantis cognati, cuius proximior hæres erat aut bonorum possessor, donauit hæreditatem, quasi indignus emolumētum successionis amittat. *l.2. §. fin. ff. de his quib. vt ind.* quasi aduersus bonos mores & ius gentium festinauerit. *l.29. donari al. l.30. quidam. ff. de donat.* Eiusmodi pactiones omnes inducunt votum captandæ mortis, ac propterea non admittendæ: improbus enim ille est, qui de viui hæreditate est sollicitus. *l.2. §. interdum. ff. de vulg. & pup. subst.* quod illa tamen distinctione admittitur, nisi is, de cuius successione alij paciscuntur, ipse consensum præbuerit. *l. fin. C. de pactis.* quo non fit, vt propterea desinat habere testamenti factionem, sed vt ita valeat, si non mutauerit voluntatem, secundum quod etiam decreto senatus constitutum. Possint tamen superioribus plura obijci; ac primum lex 3. §. de illo. ff. pro socio, vbi valet societas ita contracta, vt alterutri ex sociis obueniens hæreditas communis fit. Sed hæc species non

Contra tamen obtines ex senatusconsultis.

V. Dn. Loüet in litt. R. num. 54.

Pactum quo filia dote accepta remittit ius succedendi patri ipso iure non valet.

Ratio superioris conclusionis.

Pactum quod de futura alicuius successione interponitur nō valet.

V. Dn. Loüet in litt. H. num. 6.

Proponitur & diluitur contrariū argumētum.

Bbbb iij

probe priorem definitionem euertit, quandoquidem non ad certi hominis successionem conuentio relata est. Magis obstare videntur lex 23. si quis seruum. ff. de act. empti & l. 24. si constante. §. si vir. ff. sol. matr. vbi qui seruum alienum manumisit cauere debet, quod ex hæreditate liberti consecutus erit, id se restituturum. Sed ibi non sponte conuentio inita est, quia aliter non poterat satisfieri ei, ad quem seruus pertinebat. Quod ad l. 7. §. pen. ff. de pact. Ibi Cuiacius palam docet, pactum filij exonerasse patrem, qui cum creditoribus paternis pactus est, vt aliquid remitterent; ideoque, licet præmature pactus sit nondum hæres factus, non improbatur conuentio, cum quasi negotia patris gerens pactus videatur potius, quam anticipato iure potiundæ hæreditatis id fecerit: nec aliter respondendum ad legem 4. nec nos. C. de capt. & postlim. rer. nam cum viuentis adhuc matris filius hæreditatem adiit; vt fuerat ab hostibus capta, ita ignoratione facti ductus quasi mortuæ bona adeptum se credidit, vt propterea non oporteat ei fraudi esse, quod præpropere in his bonis ius dominationis interposuerit. Ad l. pen. §. pater. ff. de castr. pecul. in qua pater proponitur seruum peculij castrensis ad filiumfam. pertinētis, antequam morte filij eius factus esset, manumisisse; procliue est, vt respondeatur, aliqua ratione ex iure antiquo, etiam viuente filio, patrem esse dominum rerum castrensium, ex constitutionibus vero iūs eius esse in suspenso, si filius de his non sit testatus; vt nullo testamento facto à filiofam. retro ad patrem seruus castrensis, vt & res aliæ, pleno iure pertinuisse censeatur. In lege captatorias. 70. ff. de hæred. inst. nulla est pactio de futura successione, sed tantum mutua institutio, qua duo pluresf-ve grato propensæ beneuolentiæ obsequio affectionis & amicitiæ commercium quoddam inter se exercent; sicuti N. Valentiniani de testamentis, vir & vxor possunt se mutuo in eadem charta scribere hæredes. Superest lex 1. & 16. cum proponas. C. de pact. & lex 11. de fideicommisso. C. de transact. ex quibus duo fratres recte inuicem sibi remiserunt fideicōmissariam hæreditatem, quam vicissim sibi restituere rogati erant: sed ibi nullum pactum est de futura successione, quia non agitur de bonis paciscentium, sed eius qui mortuus est iampridem. Idque quo magis inter fratres concordia retineretur reuocato captandæ mortis alterius voto: quamquam ex disciplina prudentum spes eiusmodi fideicommissi remitti vix possit, quod fiat contra voluntatem testatoris: & ita accipiendum quod Paulus tradit lib. 4. sent. tit. 1. vt & ibidem docet Cuiac. & in recit. ad d. l. 1. C. de pact. Sed illud dici potest, Pauli locum esse accipiendum de extraneis qui sibi mutuum debent fideicommissum, vt illud inuicem sibi non possint remittere, possint vero fratres ex superioribus legibus. Est illud adnotandum, huius

Alia argumenta proponuntur & diluuntur.

Duo eodem testamento se inuicem possūt instituere.

Qui sibi inuicem sunt substitute remittere sibi possunt spem hæreditatis fideicommissaria.

legis decisionem iure canonico cap.2.de pactis in 6. & iure etiam Francico non seruari, cum id perpetuo obtineat, vt filia, quæ cauit instrumento dotali se dote contentam nullam ad bona paterna vel materna regressum habituram, conuentioni stare necesse habeat, etiamsi minor sit tempore contracti matrimonij, vt nec eius liberi eâ mortuâ possint ad aui successionem iure suo venire, nisi testamento eiusdem aui ad successionem rursus vocati sint.

Iure canonico & Francico pactum valet quo filia dote accepta cauet se parentibus non successuram.

Vid. Robertus lib. 2. rerũ iudic. cap. 4. & Dn. Louet litt. R. num. 9. & 19.

IMP. ALEXANDER A. IVNIO.

SI Rufinus vir clarißimus tribunus lati claui maior annis lege definitis faciens testamentum te manumisit: iustam tibi libertatem competiisse, scire debes. Quod si minor annis ex lege constitutis fuerit, cum faceret testamentum: lege impediente nullam libertatem adeptus es, quæ in hac parte nec militibus remissa est. Quod si idem testator caussam manumittendi te habuit, quæ probabilis viuo manumittente concilio futura esset: quia per fideicommissum data libertas à quolibet minore annis, ei cuius causa probari potuit, præstari debet: ex testamento militis eiusmodi seruus iustam libertatem competere, consequens est. D. XVI. Kalend. Decemb. Alexandro A. Coss.

Lex 4. C. de testamento militari.

HÆc lex pertinet ad caput illud legis Æliæ Sentiæ, ex quo minor 20. annis non poterat manumittere seruos suos, nisi causa probata apud consilium, ne propter infirmum ætatis iudicium minores paterent dolis & fraudibus seruorum, à quibus calliditate aliqua & delinimentis, vt est ingenium eorum fallax, decipi poterant, vt à dominis suis libertatem extorquerent. Sed illa lex seuera fuit plus æquo, quod ne quidem testamento ipsis minoribus 20. annis concesserit dare libertatem seruis suis cum tamen nullum damnum sensuri essent libertate tum demum competente, cum mortuus esset ipse minor: vt propterea Iustiniano visum fuerit absurdum, ei qui quartum decimum annum impleuisset licuisse de omnibus bonis suis testari, vni vero seruulo non potuisse libertatem dare. Itaque in hoc primum fuit à Iustiniano recisa, quod in-

Minor viginti annis ex lege Ælia Sentia seruos suos manumittere non potest.

Aliter iure nouo obtinet.

duxerit vt qui impleuisset 17.annum & 18.attigisset,possit manumittere,vt constat ex tit.quibus manumitt.li.vel non,apud Iustin. Deinde quod ex N.119. eadem ætate, qua licet facere testamentum,illa etiam constituerit minorem seruos suos posse manumittere,id est post impletum 14.annum. Sed hac constitutione docet Imp. Alexander legis Æliæ Sentiæ potestatem in testamento etiam militari locum habere,vt seruus manumissus à milite, qui minor est 20.annis,non consequatur libertatem,nisi in ea causa sit seruus, vt etiam ab eo, dum viueret, potuerit manumitti probatâ causâ idoneâ apud consilium:tunc enim etiam testamento militis iustam id est directam libertatem consequetur: sic hoc loco iustæ libertatis vocabulum est accipiendum comparatione facta ad paganum, qui fideicommissariam tantum dare potest illo casu,vt saltem in eo priuilegium vnum militaris testamenti sit. Quod autem Imp. in pr. Rufinum vocat tribunum lati claui, ex eo etiam apparet quosdam fuisse angusti claui. Latus clauus erat ornamenti genus, quod etiã commune fuit senatoribus,qua de re Cuiac.lib.12.obs.cap.39.

IDEM A. SOZOMENO.

L.5.C.cod.

EX testamento militis, siue adhuc in militia, siue intra annum missus honestè decessit: hæreditas & legata omnibus, quibus relicta sunt, debentur: quia inter cætera, quæ militibus concessa sunt, liberum arbitrium quibus velint relinquendis summis concessum est: nisi lex specialiter eos prohibuerit. D. *XVII.* Kal. *Feb. Iuliano* II. *& Crispino Coss.*

Lex falcidia non habet locum in testamento militis.

LEx Ælia Sentia principaliter fuit ad commodum ipsorum minorum propter infirmum ætatis consilium, vt dictum est sup. ideoque ne militibus quidem potuit remitti: Lex autem falcidia est principaliter commodo ipsorum hæredum, ac propterea eam insuper habere miles potest in suo testamento, quod docet hoc Alexandri rescriptum. Sed hoc ita demum, si testamentum fecerit in militia, & intra annum quo honeste missus est decesserit: Nam eorum qui ignominiæ causa mittuntur testamentum statim valere definit iure militari *l.26.testamenta.ff.hoc tit.* vbi autem definit miles vti priuilegio militaris testamenti, vel vbi annus post missionem lapsus

lapsus est, statim lex falcidia in eius voluntate locum habet, & propterea fit interdum vt in legatis testamento relictis non sit locus legi falcidiæ, si iure militari valeat, & nihilominus in his, quæ codicillis relicta sunt, detrahi possit si post militiam licet intra annum missionis facti sint. *l. 17. si certarum. §. fin. ff. hoc tit. l. 92. si miles & l. fin. ff. ad leg. falcid.* Nihil obstat huic legi lex 40. ad veterani. ff. ad leg. falcid. vbi dicitur ad veterani militis hæreditatem siue paterfam. siue filiusfam. decedat legem falcidiam pertinere, licet intra annum decedat: Nam id ita verum si intra annum missionis testatus sit; si vero in militia illud fecerit, vt in specie huius legis, secus obtinebit. Non obstat etiam lex 1. §. quod autem. vers. in filij. ff. ad S. C. Trebell. quod enim ibi dicitur in filijfam. militis testamento locum habere Trebellianum; ad hoc tantum pertinet, vt transferantur actiones, non vt quarta deducatur. Duarenus autem tit. de vulg. & pup. substit. cap. 23. ait ex N. 1. Iustiniani, quæ est de hæred. & falcidia, in militis testamento iure nouo legem falcidiam locum habere, idque definiri constituit cap. fin. §. fin. eiusdem N. quod vix admittendum, cum eo capite nihil de falcidia & militibus caueatur, sed tantum de implenda voluntate testatoris: Et tantum abest, vt Iustinianus extendat legis falcidiæ rationem ad testamentum militis contra definitionem iuris veteris, vt potius eam minuat hac N. & ipsis etiam paganis permittat ei palam derogare.

Diluitur argumentum contrarium.

Diluitur aliud argumentum.

IDEM A. VALENTINO.

IN testamento quidem eius, qui non miles fuit, si duobus heredibus institutus; altero cui potuit vsque ad tempus pubertatis parens facere testamentum; altero, cui posteaquam hæres extitit substituere non potuit, inuicem substitutio ijsdem verbis facta est: In eum solum casum eam locum habere sententiis prudentium virorum & constitutionibus diuorum parentum meorum placet, quo vtrique pari ratione potuit substitui. Sed cum ex testamento militis controuersiam esse proponas, defuncta paruula eius filia, postea quam hæres extitit patri cum qua simul æquis partibus hæres institutus eras, substitutione inuicem facta: Et mater quidem intestatæ

Lex 6. C. eod. tit.

filiæ sibi successionem defendat, tu autem ex substitutione ad te pertinere contendas: Iuris quidem ratio manifesta est, licere militibus proprio priuilegio etiam hæredibus extraneis, posteaquam hæredes extiterint, mortuis substituere: Sed tibi probandum est, an ita frater tuus senserit. PP. XI. Kal. Maij. Fusco II. & Dextro Coss.

Sententia legis. PErtinet hoc rescriptum ad illam definitionem: Substitutione facta personis imparibus, quarum vni vel aliquibus in primum dumtaxat casum substitui potuit, alij in vtrumque; vnam tantum speciem substitutionis comprehendi, nisi intercedat fauor & priuilegium militaris testamenti, & appareat defunctum eo vti voluisse. Species proposita quæstionem omnem manifestius explanabit, si illud primum constituamus, substitutionem filio impuberi factam in vnum casum, id est, si hæres non erit vel si impubes decesserit, factam quoque videri in vtrumque. *l.4. ff. de vulg. & pup. subst.* Deinde priuilegio militaris testamenti militem posse directo filio suo puberi vel extraneo substituere, quocumque tempore post aditam hæreditatem decesserit. *l.5. ff. hoc tit.* quod obtinet secus in pagano, qui vltra annos pubertatis ne quidem filio puberi, quem in potestate habet, in casum aditæ hæreditatis substituere potest. *§. fin. de pup. subst. apud Iustin.* Hæc præmissa speciem & sententiam huius legis faciunt perspicuam. *Species legis proposita.* Titius, cum in castris degeret, testamentum condidit, in eoque testamento fratrem suum Valentinum, & filiam impuberem, quam in potestate habebat, coniuncta scriptura instituit hæredes, & vtrumque id est fratrem & pupillam *Reciproca siue breuiloqua substitutio quæ dicatur & quid à cōpendiosa differat.* inuicem substituit, quæ substitutio dicitur reciproca, in d. l.4. ff. de vulg. & pup. subst. & passim à doctoribus dicitur breuiloqua, quod breuitate verborum duo plures-ve hæredes mutuo sibi inuicem substituantur, & à compendiosa siue militari differt, de qua in l. precibus C. de impub. & al. subst. quod hæc respiciat plures substitutionum species verborum compendio comprehensas, quæ vni eidemque personæ fiunt; cum miles filio impuberi aliquem substituit in hæc verba, *quocumque tempore filius meus decedat Manius hæres esto*, quo verborū complexu cōtinetur vulgaris substitutio, si filius ante aditā hæreditatē decesserit; pupillaris, si adita hæreditate intra annos pubertatis, fideicommissaria, si post pubertatem siue liberis idem filius decedat. Accidit autem in specie proposita, vt cum & defuncti frater & filia ex testamento hæredes extitissent, postea defuncti filia intra pubertatem decesserit. Hinc oritur quæstio inter

defunctæ matrem, & Valentinum defuncti fratrem pupillæ patruum, eiusdemque cohæredem. Illa quasi intestatæ filiæ successionem ex Tertylliano sibi defendit: Ille iure substitutionis hæredem se neptis asserit. Consultus Imp. respondet, in pagani quidem testamento substitutionem reciprocam factam personis imparibus: quarum vni vulgariter tantum, alteri in vtrumque casum potuit substitui per illa verba, eosdem substituo, ad primum dumtaxat casum pertinere, *si hæredes non fuerint*, ac per hoc ex tacita substitutione pupillari Valentino post aditam à pupilla hæreditatem locum non esse: Cæterum dubiam magis fieri quæstionem in eo, quod à milite substitutio facta proponatur, qui potuit non minus Valentino substituere in eum casum quo hæres factus decederet, ac filiæ suæ potuit: Vt propterea impar substitutionis causa in vtrisque cohæredibus non videatur intercedere, quod vtrisque iure militari potuerit substituere in vtrumque casum, quo hæredes facti decederent: Qua in re verti potius facti quæstionem, quam iuris: Vt incertum sit an miles defunctus iure suo vti voluerit, cuius facti fidem ab ipso Valentino fieri debere imperator constituit. In prima rescripti conclusione dubitandi hæc ratio erat, quod substitutio facta filio vel filiæ in potestate constitutis in vnum casum, in alium quoque facta videatur, secundum quod supra positum: Ex quo consequens erat, illa verba, *eosque inuicem substituo*, quæ respectu filij vel filiæ idem valent ac illa, *si hæres non erit*, efficere vt substitutus indistinctè in vtrumque casum admitteretur. Ratio decidendi hæc est, quod ita demum substitutio facta filio vel filiæ impuberi continet secundum casum, si ipsi separatim & seorsim facta sit per hæc verba, *si hæres non erit*, vel si duo filij impuberes in potestate constituti sibi inuicem substituantur, quibus potuit simul pupillariter substitui. Cum vero vnus ex institutis eius conditionis est, vt ei non possit substitui pupillariter; veluti quia extraneus est, aut pubes, aut emancipatus, aut filius naturalis; ex adiuncta persona cohęredis, cui tantum vulgariter potuit substitui, in persona etiam filij impuberis in potestate constituti locũ habet tantum vulgaris. *l. 2. C. de impub. & al. subst. l. 45. Lucius ff. de vulg. & pup. subst.* quia scilicet incongruens esset illa verba, *eosque inuicem substituo*, vel similia in vno ex hæredibus duplicem substitutionem, in alio vel aliis solam tantum vulgarem continere, *d. l. 4. §. sed si alter. ff. de vulg. & pup. subst.* cum sit illud proprium reciprocæ substitutionis, vt æqua conditione vocet cohæredes sibi inuicem substitutos. In secunda legis parte ratio etiam dubitandi illa erat, quod cum priuilegio militari reciproca substitutio facta à testatore fratri & pupillæ per hæc verba, *eosque inuicem substituo*, possit ita accipi, vt etiam fratri substituisse videatur, si hęres non erit, *vel quocumque tempore post aditam hæreditatem*

decesserit; videbatur ex opposito in persona pupillæ, duplici quoque substitutioni locum esse, vt Valentinus vocatus videretur tam in casum, quo hæres non esset, quam in illum, quo hæres facta decederet vel intra pupillarem ætatem vel postea. Ratio decidendi illa est, quod de voluntate defuncti non appareat, qui non censetur recessisse à iure communi, ac per hoc quemadmodum non constat, nec verba testamenti id palam faciunt, voluisse testatorem filiam admitti ex substitutione ad partem Valentini, si ipse post aditam hæreditatem decessisset: Ita nec debet ille in eum casum ad hæreditatem ipsius filiæ admitti, si adita hæreditate decesserit: Vnde consequens est, vt mater defunctæ pupillæ ei intestatæ ex Tertylliano succedat.

IDEM A. FORTVNATO.

Lex 7. C.

EX *his verbis*, fortunato liberto meo do lego, *vindicare tibi libertatem non potes, si pagani testamentum proponatur. At enim cum testatorem militem fuisse proponas: Si non errore ductus libertum te crediderit, sed dandæ libertatis animum habuerit: Libertatem equidem directam competere tibi, sed & legati vindicationem habere te, prærogatiua militaris priuilegij, præstat. Dat.* XII. *Kal. Ianuar. Alexandro A II. & Marcello Coss.*

Legatum seruo proprio relictum sub appellatione liberti non valet, eiusdem institutio valet.

SI paganus seruo proprio quid leget sub appellatione liberti, non valet legatum, quia nec libertas ei data censetur: Si vero eundem seruum hæredem instituat sub eadem appellatione, valet institutio & liber & hæres erit. *l. 1. C. de necess. seru. hæred. inst.* Rationem differentiæ hanc Cuiacius refert lib. 18. obs. cap. 4. quod pleniore honore hæreditates tribuantur, quam legata. Verius dici illud potest; in hæredis institutione versari commodum defuncti maximè, qui aliter hæredem non habiturus foret, nisi eiusmodi scriptura pro recta institutione cederet, quæ ratio in legato non intercedit: Et hæc etiam causa est, cur etiam nouo iure seruus qui hæres institutus est, liber quoque iussus esse censeatur; quod non idem si ei legatum adscriptum sit sine libertate: Nam interquiescente stricti iuris ratione legatum quidem seruus consequetur, libertatem non obtinebit. *l. fin. §. illo. C. eod. tit.* quamquam iure anti-

quo omnino legatum non constitit seruo proprio relictum sine libertate excepta causa alimentorum *l. seruus. ff. de alim. & cib. leg.* Ad id etiam pertinet quod proponit Imp. in hac lege; nisi quod à generali definitione quam initio posuimus excipit causam militaris testamenti in quo si miles sub appellatione liberti seruo legauerit seruus liber fit & legatum consequitur; nisi errans miles vt liberto ei legauerit qui seruus erat: tum enim animum dandæ libertatis habuisse non videtur. *Seruo proprio legatum relictum sine libertate non valuit olim excepta causa alimentorum.*

IMP. ALEXANDER A. EXPEDITO.

PVBLICATI *semel testamenti fides: Quamuis ipsa materia, in qua primum à testatore scriptum relictum fuit, casu, qui probatur, intercidit: Nihilominus valet. PP. Kal. Iun. Fusco II. & Dextro Coss.* Lex 2. C. de testam. & quemadm. test. infirm.

POst mortem testatoris publicari actus interuenientibus testamenta solent, ea forma eo- ve ordine, qui infra proponitur ad l. 1. testam. quemadm. aper. quo quidem casu in archium redigitur, & vnicuique eorum quorum interest fit potestas inspiciendi describendi. *l. 1. ff. eod. tit.* Paulus lib. 4. sent. tit. de vicesima; vt si quando exemplum perierit, sit vnde fides peti possit, quod ratio iuris nostri approbauit. Sed & ab ipso testatore publicari potest, & actis insinuari, quo quidem casu eius tantum fit descriptio in actis publicis, non vero authenticum ipsum in archium redigitur. & illo tamen casu; si ipsum authenticum perierit fides rei gestæ petitur ab exemplo quod actis insinuatum est, ad quam posteriorem speciem pertinet hoc Alexandri rescriptum: Et hæc testamentorum insinuatio fiebat apud magistrum census. l. testamenta. l. consulta. hoc tit.

IDEM A. ANTIGONO.

EX *imperfecto testamento nec imperatorem hæreditatem vindicare sæpe constitutum est: licet enim lex imperij solẽnibus iuris imperatorẽ soluerit: nihil tamẽ tam pro-* L. 3. C. eod.

prium imperii est, quam legibus viuere. P P. X I. Kal. Ianuar. Lupo & Maximo Coss.

PRinceps legibus solutus est; secundum leges tamen viuere debet, vt pluribus supra constitutum in axiomatibus politicis. Igitur quemadmodum priuatorum nullus ex testamento imperfecto, rupto, irrito, potest legatum vllum consequi; nec debebit etiã ipse princeps, sicuti Imp. Pertinax non admittebat hæreditatẽ eorum, qui litis causâ ipsum instituissent. §. *fin. inst. qu. mo. testam. infirm.* & palam Imp. Alexander in l. 4. inf. ad l. Falcid. docet legis falcidiæ potestatem habere vim suam in legatis ipsi principi relictis, adeo honestum est ipsos legum conditores præbere se legibus, vt non tantum æquitate edictorum, sed etiam sui exemplo quod rectum est commendent. Denique vt hic ait Imp. nihil tam proprium imperij est, quam legibus viuere.

IMP. ALEXANDER A. VITALI MILITI.

Lex 3. C. de hæred. inst. & quæ pers. instit. non possunt.

CVM *perponas Alexandrum equitem testamento primo loco Iulianum vt libertum suum instituisse, eique substituisse his verbis,* quod si ex aliqua causa primus hæreditatem meam adire noluerit, vel non potuerit: tunc in locum secundum hæredem substituo Vitalem: *Post mortem autem testatoris Iulianum seruum communem fuisse defuncti militis, & Zoili fratris eius apparuerit: an tu ex substitutione admittaris, voluntatis est quæstio: nam si credens eum proprium & suum libertum hæredem instituit, nec per eum ad alium quemquam hæreditatem pertinere voluit: extitit conditio substitutionis, tibique hæreditas delata est. Quod si verba substitutionis subscripta ad ius retulit, vt si nec per semetipsũ aliũ fecisset hæredem (potuit enim, quamuis iubente domino, nolle adire)*

ita demum substitutus vocaretur: si tamen paruit domino, & adiit: substitutioni locus non est. PP. VI. Kalend. Maii. Maximo II. & Æliano Coss.

SI seruus institutus sit tanquam liber, & ei substitutus datus sit, *si hæres non erit*: voluntatis quæstio est, & pro-vt de mente testatoris constiterit, vel substitutus vel serui dominus admittitur. Species est perspicua. Alexander eques Romanus (iure communi aut militari nihil interest) condidit testamentum, hæredemque instituit Iulianum seruum, (quem habebat communem cum Zoilo fratre suo) idque sub appellatione liberti, eique substituit Vitalem in hæc verba, *quod si, &c.* Hic quæritur, vtrum Zoilus defuncti frater hæreditatem acquirat per seruum ex institutione; an Vitalis sibi ex substitutione: Sed debuerat primum illud quæri, an sciens testator Iulianum esse seruum communem eum instituerit animo dandæ libertatis, quo casu dubium non esset, quin priuilegio iuris militaris etiam secundum ius antiquum liber & hæres sit: Nam si miles seruo communi dedisset libertatem sciens, socius partē suam cedere tenebatur pretio accepto, quod multo magis iure nouo obtinet. *l. 1. Cod. de comm. seruo man.* Sed hanc quæstionem Imp. omisit, quod nihil de ea quæreretur, quia certum erat Alexandrum existimasse Iulianum quem instituerat libertum suum esse proprium, vt palam ipse Imp. proponit. Igitur controuersia omnis eò pertinet, vtrū, cum crediderit suum libertū esse, noluerit etiā alij per ipsum acquiri hæreditatem. Quod si constiterit, proculdubio admittetur substitutus. Sin eo animo fuisse probetur, vt sibi Iulianus acquireret si liber esset, vel domino si seruus: id est si verba substitutionis ad ius retulisse testatorem certum sit, vt ita demum substitutus admittatur, si neque sibi neque alij per se acquireret hæreditatem: tunc si iubente domino seruus adierit hæreditatem substitutus repellitur: si non adierit, quia potest & nolle adire, substitutioni locum faciet. In adeunda hæreditate seruo delata, factum eius requiritur, vt domino acquiratur: & potest quidem compelli vt adeat. *l. 1. §. 1. ff. si quis om. causa test.* Sed potest etiam coactus non parere; vt nominatim definit Imp. hoc loco. Nec obstat lex pen. C. de iu. delib. nam in ea specie cum seruus erat institutus mentio facta fuerat domini, veluti *Stichum Titij seruum hæredem instituo*; vt propterea magis dominus, quam seruus institutus videretur. Deinde quod ibi dicitur seruum per iudicem compelli, vt adeat; non propterea sequitur, non posse eum non adire, quia potest & iudici non parere, quamuis alias velle seruus non dicatur aut filiusfam. qui obsequun-

Sententia legis proposita.

Species eiusdem.

Seruus communis potuit olim à milite institui.

Cum seruus institutus est in a-ditione hæreditatis factum eius versatur nec cogi potest ad adeūdū

Diluitur argumentum contraria.

tur imperio patris vel domini. *l.4. ff. de reg. iu.* Non obstat etiam lex 65. seruo. ff. ad S.C. Trebell. debet enim constitui differentia, quando seruus hæres institutus est, aut quando hæres institutus rogatus est ei restituere hæreditatem: priore enim casu, quia aditio est iuris, per ipsum debet expediri: Secũdo, quandoquidem restitutio fideicommissi magis est facti, nec solemnitatem iuris requirit; operâ serui non est opus, ac propterea eô inuitô, qui iussus est ipsi seruo restituere hæreditatem, domino eius potest restituere. Aduertendum in hac lege Imperatorem de facto respõdisse, si hoc vel illo casu certum sit quid voluerit testator. Est vero & casus tertius, quem Imp. non definit: scilicet, quando incertum omnino est, quid senserit testator, & certum tamen est seruum quasi liberum institutum, & substitutum ei datum, *si hæres non esset.* Is definitur in §. fin. de vulg. subst. apud Iustin. & in l. 40. si paterfam. cum seq. ff. hoc tit. vt scilicet quasi in incerto & ambiguo diuidatur hæreditas inter dominum instituti & substitutum. Itaque illi loci cum hac l. non pugnant, & diuersi sunt, non contrarij: quod & gl. hoc loco & Cuiac. lib. 17. cap. 21. tradunt. Non solent quidem Iurisconsulti diuisionem probare eius rei, quæ in controuersia est, an ad hunc vel illum pertineat. *l. Nesennius. ff. de neg. gest.* & propterea Accurs. hanc iuris reddendi & litis dirimendæ rationem ibidem vocat, iudicium imperitorum. Sed hoc tamen fieri in specie proposita incerti iuris ratio compulit.

IMP. ALEXANDER A. ÆMYLIANO.

Lex 4. C. de instit. & subst. seu restit. sub condit. factis.

SI pater filium, quem in potestate habebat, sub conditione quæ in ipsius potestate non erat, hæredem scripsit, nec in defectum eius exhæredauit: iure testatus non videtur. Cum autem trans mare & longe te agentem, sub hac conditione hæredem scriptum esse dicas, si in patriam, quæ in prouincia Mauritaniæ erat, regressus fuisses, nec exhæredatum te esse alleges, si in eum locum non redisses: manifestum est, multis casibus non voluntariis, sed fortuitis euenire potuisse, vt eam implere non posses. Et ideo adire hæreditatem non prohiberis. PP. VI. *Kal. April.* Iuliano II. & *Crispino Coss.*

Certissimum

Certissimũ illud est in iure, valere institutionẽ quæ facta est sub cõditione: adeo vt deficiẽte conditione institutionis substitutioni locus sit, vel successioni ab intestato. Pendẽte autẽ cõditione res est in incerto; nec propterea dicendũ præscribi illi regulæ, qua dicitur neminẽ pro parte testatũ pro parte intestatũ decedere posse: nã vel in totũ testatus est defunctus, si cõditio extiterit, vel in totum intestatus si defecerit; non dissimili argumento, quod proponitur in l. 56. potest. ff. de hæred. inst. Et si quidem conditioni diem adiecerit testator intra quem impleri debeat, is expectabitur. Si nõ sit adiectus, & cõditio pẽdeat ex facto hæredis; prætor ei decernit tempus intra quod conditioni pareat, & adeatur hæreditas: Sin casualis erit, ne actiões creditorum protelentur, constituit quoque prætor certum tempus, intra quod nisi obtigerit conditio hæreditasque adita fuerit, creditores in bon. possessionem missurum se pollicetur debiti seruandi causa, vt interim per procuratores bona distrahantur, & æs alienum, quod ex pœna possit crescere, vel incrementum vsurarum habet, dissoluatur. *l. 23. si quis. §. 1. & 2. ff. de hæred. inst. l. 1. ff. de cur. bo. dando.* Eo amplius, interim dum euentus conditionis expectatur; prætor scripto hæredi dat bon. possessionem secundum tabulas, quæ sine re constituitur deficiente conditione. *l. 2. §. 1. l. 5. & 6. ff. de bon. poss.* quod nec tamen aliter admittitur, quam si cautionem det idoneam vel substituto vel hæredibus successuris ab intestato, restitutum iri hæreditatem. *l. 8. Paulus. ff. de prætor. stipul.* & hæc ita obtinent, nisi aut conditio adscripta testamento sit contra bonos mores, aut omnino impleri non possit per rerum naturam: Nam hæ quasi pro non scriptis habitæ remittuntur, vel circumscribuntur, nec aditionem morantur. *l. 1. 9. & 14. ff. de cond. inst.* Imo purum legatum vel institutio hæredis censetur, quæ sub eiusmodi conditionibus facta est. *l. 5. §. 1. ff. qu. di. leg. vel fid. cedit.* quo nomine differunt suprema iudicia à contractibus vel obligationibus in quibus conditio impossibilis irritum facit contractum. *§. impossibilis de inutilibus stipul. apud Iustin. l. 7. ff. de verb. obl.* hac diuersitatis ratione, quod obligationes ex duorum voluntate pendeant, qui videntur inuicem lusoriè egisse, dum eam adhibuerunt conditionem, cuius implemento rerum natura obstabat. *l. 31. non solum. ff. de obl. & act.* At testamenta, alij-ve actus ad supremam voluntatem pertinentes, ex vnius dumtaxat pendent arbitrio, cui conditio impossibilis vt mendum excidisse censetur. *l. 1. ff. de cond. inst.* quasi non videantur expendenda momenta verborum, quæ forte seminecis & balbutiens lingua testatoris profudit. *l. 15. quoniam. C. de testam.* cum nec quisquam videatur id genus testandi elegisse, per quod intestatus decederet. *l. 3. ff. de inil. testam.* nec quod de obligationibus dictum est, elidi potest opposita l. 3. C. de ædil. act. nam cum vendi-

Valet institutio conditionalis.

Diluitur argumentum contrarium.

Conditionali hæredis institutione existente, quid pendente conditione fieri debeat.

Conditiones turpes aut contra naturam remittuntur si adiectæ sint in testamentis.

Secus in contractibus.

Ratio differentiæ.

Obijcitur & diluitur lex 3 C. de ædil. act.

tor emptori cauit seruum, quem vendebat, vitiosũ postea non fore, non plane rẽ impossibilẽ promisisse cẽsetur, quia potest euenire humanitus, vt ad prauos mores serui animus non detorqueatur, & propterea id præstare debet. Quod itaq; hæc repromissio impossibilis vocatur, id ἀκύρως non ἁπλῶς & indistinctè ab imperatore dicitur.

Diluitur arg. ex l.8.C. de cond. ob caus. dat.

Similiter ad id quod in l.8. C. de cond.ob.caus.dat. dicitur, lege dicta donationi, quæ impossibilem causam contineat, datum non repeti, attente separanda est conditio à modo, & donatio à stipulatione, aut alio contractu: Nam qui donat & modum adijcit, vt quid fiat impossibile à donatario, non videtur repetendi animum habuisse: At qui promisit tantum sub conditione impossibili, minus ciuiliter conuenitur ab eo, qui palam fatetur se conditioni non paruisse. Igitur in pari causa facilius accommodabitur exceptio ei qui conuenitur, quam repetitio ei, cui potest obijci, cur temere dederit sub illo modo, cui implendo natura repugnabat: Quod idem erit; si lex impediat, nisi si ignoret personæ conditionẽm ille, qui exempli causa aliquid ignorans militi dedit vt negotia gereret, cum lex vetet negotia aliena à milite procurari. *l.5. C. eod. tit.* qua de re etiam quædam notata sup. ad l.7. de procurat. Sit igitur illud certa ratione constitutum, conditiones impossibiles vel turpes contractibus adiectas nocere, vltimis voluntatibus adhibitas pro non scriptis esse, & insuper haberi posse ab his, quibus impositæ sunt.

Conditiones iurisiurandi remittuntur quasi turpes.

Eiusmodi sunt conditiones iurisiurandi, si quis fuerit hæres institutus vel legatum meruerit, si iuraret se quid facturum vel daturum: Quandoquidem enim poterat accidere, vt vel plerique contemptu religionis iurare parati sint, vel alij metu diuini numinis ad superstitionem vsque iureiurando abstinerent: ne vel illis prodesset sua improbitas, vel aliis sua pietas & religionis cultus obesset, prætori visum est has conditiones remitti.

Ratio superioris conclusionis.

l. 8. Digest. de cond. inst. tum quia etiam vt dictum est ad l.2. sup. de reb. cred. & iureiur. nulla necessitas in eo casu requirit vt iuretur, cum cõmodius pareatur voluntati testatoris, si fiat id quod fieri desiderauit;

Simplex conditio iurisiurandi non remittitur.

quæ ratio facit vt ibi iusiurandum non remittatur, vbi simplex conditio iurandi imposita est, cui nulla applicita est datio vel factum quod potuerit impleri; veluti cum quis institutus est aut legatum alicui ascriptum est si iuret. *l.62. Antistius. ff. de acqu. hær. l.97. à municipibus. ff. de cond. & dem.* nam cum ibi nulla alia ratione possit perueniri ad legatum vel hęreditatem; conditio iurisiurandi impleri debet:

Obijcitur & diluitur lex 12. ff. de manum. testam.

Nec superioribus obstat l. 12. ff. de manum. testam. nam hoc speciale in seruo, cui data est libertas, sub conditione si iuret se quid facturum aut daturum, vt & iurare teneatur, nec tamen teneatur implere quod iurauit. *l.26. seruum. ff. eod. tit. l.13. si quis ita. §. qui ita. ff. de statulib.* quod forte illa ratione obtinet, quia seruus non tene-

tur ex eo, quod in seruitute contraxit, illis casibus exceptis de quibus sup. in l.3. an seruus pro suo fa. post manum. ten. Conditioni iurisiurandi similis erat illa, qua cœlibatus vel viduitas imponebatur: Illa enim ex lege Iulia & Papia remittebatur, quia videbatur impedire liberorum procreationem, cui maxime lex illa prospiciebat, vt constat ex l.63. cum ita & l. seq ff. de cond. & demonstr. iuncta earum inscript. Eiusmodi illæ etiam per quas hæres iubetur testatoris reliquias in mare proijcere. *l. pen. ff. de condit. instit.* vel vestes & alia superuacua in funus impendere, qua de re ad l.5. inf. de his qu. vt ind. Similes per quas in aliquo loco morati quis iubetur, nisi forte lex ea libertis imponatur, vt à monumento patroni non recedant, sed in eo solennia mortis peragant. *l.71. Titio. §.2. ff. de cond. & dem. l.44. Mænia. ff. de manum. testam.* vel nisi vniuersâ prouinciâ quis vetitus sit excedere, & legatum sit multiplex non vnum, vt eius tantum temporis compendium amittatur, quo legatarius ex prouincia aut ciuitate excesserit: Nec enim eo multum libertas astringitur. *l.17. Iulianus. §. fin. ex qu. cau. mai.* quæ distinctio etiam ex S. C. est comprobata, cum annuum alicui legatum esset vt à certa regione vrbis parisiensis non recederet. Superiori definitioni ex qua conditio impossibilis in testamentis habetur pro non adiecta, nec legatum aut institutionem irritam constituit, obstare videtur lex 16. si Titius. ff. de condit. inst. Verum illa verba, *si Titius hæres erit Seius hæres esto: Si Seius hæres erit, Titius hæres esto*, non tam continent conditionem impossibilem, quam perplexam: Si enim illa verba separatim accipiantur, nihil erit impossibile; ac propterea quia mutuo concursu alter alium impedit, quia exitum voluntas habere non potest, institutio nullius momenti est. Obstat etiam lex 4. cum hæres. §.1. ff. de statulib. Sed illa conditio libertati testamento relictæ adiecta, *si seruus decem millia det cum morietur liber esto*, est quidem difficilis, sed ei tamen rerum natura non repugnat; ideoque irrita est eiusmodi datio libertatis, nec conditio habetur pro non scripta. Cum impossibilem conditionem dicimus, eam intelligimus vt & supra constitit, cui nullus parere potest iuris aut naturæ potestate: Cæterum difficultas præstationis inutile negotium non constituit. *l.2. §.2. in fi. l.137. continuus. §.4. illud. ff. de verb. obl.* neque alia ratione ab implemento conditionis difficilis liberatur hæres in l.63. facta. §.6. si sub conditione. ff. ad S. C. Trebell. quam quia sibi hæreditatem non admittit, ex necessitate ei pariturus, si ipsam sui compendij facere vellet. Obstat quoque lex 55. Mæuius. ff. de condit. & dem. ad quam potest ita responderi primum differre has duas conditiones hanc de qua in ea l.55. *si pecunia in mare projciatur* & illam de qua in d. l. pen. de condit. inst. *si hæres reliquias testatoris in mare projciat*: Nam pecuniæ leuis iactura plerisque est; vt & sana mente & corpore

Remittitur etiam conditio cœlibatus.

Conditio morandi in certo loco remittitur, nisi imponatur libertis.

Obijcitur & diluitur lex 16. ff. de condit. instit.

Obijcitur & diluitur lex 4. par. 1. ff de statulib.

Difficultas præstationis inutile negotium non constituit.

Obijcitur & diluitur lex 55. Mæuius. ff. de cond. & demonstr.

fertur Crates Philosophus immensum auri pondus in pelagus effudisse, quod diceret malle se pecuniam mergere, quam ab ea mergi: At memoriâ conditionis humanæ mortuorum corpora & reliquias sepulturæ mandari & conditoriis expedit. Deinde palam non definit I.C. eum, qui sub conditione proijciendorum nummorum in mare legatum accepit, ei parere compellendum: Et id proponit potius inquirendo, quam disponendo, vt & ibi Bartolus docet.

Obijcitur & diluitur lex 54. turpia. ff. de leg. 1.

Obstare etiam videtur lex 54. turpia. ff. de leg. 1. Sed ibi turpia legata non sunt, quæ sub turpi conditione relicta sunt: Nam ea proculdubio pro non scripta haberetur remanente causa legati integra; sed ea quæ dantur cum conuitio ipsius legatarij, quæ omnino odio testatoris pro non scriptis habentur, quod in institutione hæredis

Filius potest institui cum maledicto non extraneus hæres.

idem obtinet. *l. 9. §. si quis nomen. ff. de hæred. instit.* exceptâ filij causâ, quem etiam cum maledicto à patre institui posse certum est propter ius & autoritatem potestatis, qua licet patri aduersus filij mores improbos sæuire. *l. 48. his verbis. §. 1. ff. eod. tit.* quæ differentia circa filij vel extranei institutionem monet, vt & aliæ proponantur:

Filij institutio sub conditione turpi irritum facit testamentum.

Hæc vero est notatu digna, quod filij institutio facta sub conditione turpi irritum faciat testamentum. *l. 15. ff. de condit. instit.* cum tamen in alio hærede pro non scripta habeatur. Alia etiam in hac lege proponitur: Quamuis enim supra indefinitè positum sit, institutionem sub conditione factam valere: Tamen hoc in persona fi-

Filiusfam. non potest institui à patre sub conditione qualibet sed sub potestatiua tantum.

lijfam. qui à patre instituitur distinctionem recipit: Is enim rectè sub conditione casuali vel mixta institui non potest, sed purè tantum & simpliciter, vel sub ea conditione, quæ in ipsius potestate sit, & quam commodè possit explere. *l. 4. ff. de hæred. instit. l. 10. institutio. ff. de condit. instit. l. 1. §. 8. ff. de suis & legit. hæred.* Sin minus vt valeat institutio filijfam. à patre facta sub conditione qualibet, in euentum non existentis conditionis debet exhæredari. *l. 86. iam dubitari. ff. de hæred. instit. l. 20. libertus. §. 4. ff. de bo. libert.* Ratio huius distinctionis illa est, quod certo iudicio filijfam. debeant ad hæreditatem patris vocari vel ab ea repelli l. 18. sed sub. ff. de bon. poss. contr. tab. At qui institutus est sub conditione casuali, & in casum quo defecerit exhæredatus non est; nec palam vocatus est ad successionem, quia potest conditio non existere; nec palam remotus est, quia nominatim non est exhæredatus: Consequens igitur est, vt

Filius emancipatus institutus à patre sub conditione casuali vel mixta habet interim bonorum possessionem secundum tabulas.

successioni ab intestato locus sit; quod & obtinet in hac lege, cuius extrema verba debent accipi de aditione, quam facit ipse filius ab intestato, quod Accursius probat, probant & alij. Etiam filius emancipatus, qui ipse fere pro extraneo hærede est patri, tamen illo casu cum à patre institutus est sub conditione casuali vel mixta, ea pendente petit bonorum possessionem secundum tabulas, quæ si defecerit conuertitur in bonorum possessionem contra tabulas.

l.3.§.12.sed si sub.cum seq.ff.de bon.poss.contra tab.l.5.ff.de bon.poss.sec.tab.
Sed species legis propositæ ita commodè fingi potest. Titius, cum Æmilianum filium haberet Romæ commorantem, fecit ipse in Mauritania testamentum, & in eo filium ipsum, quem in potestate habebat hæredem instituit, si in Mauritaniam esset regressus. (Hæc verba sunt accipienda, si esset regressus tempore mortis, aut fingendum, quod & Cuiacius probat, aditioni certum diem, & eum recisiorem esse præstitutum) nihil vero præterea pater adijecit, id est in casum, quo non rediisset, filium non exhæredauit. Æmilianus non redit in patriam, dum pater moritur, vel post eius mortem intra illum diem non venit, quem præstituerat pater. Quæritur an sit hæres? Rescribit Imp. adire eum hæreditatem posse, idque ab intestato, vt dictum est. Ratio dubitandi hæc, quod vbi legato vel institutioni quælibet conditio adiecta est, nec est voluntati testatoris obtemperatum, aut casus impedierit, quominus impleretur; toties legatarius vel hæres à legato, vel hæreditate repellitur, cum debeat ille exceptione doli mali remoueri, qui contra testatoris voluntatem quid petit l.4.§.10.præterea. ff. de do. ma. & met. exc. Ratio vero decidendi est, quod in specie proposita, multa possint incidisse, propter quæ filius non potuit venire intra tempus, quo voluit pater; ideoque quasi nec rectè institutus sit filius sub ea cōditione, quæ in eius potestate non est, nec rectè exhæredatus, successioni ab intestato locus esse debet. Quinetiam quamuis in hac specie filius non proponatur in casum non existentis conditionis exhæredatus: Tamen nullo adiecto cohærede vel substituto qui testamentum sustineat, deficiente conditione casuali vel mixta ab intestato quoque succedet, quia iniquum esset testamentum quod ad alia omnia irritum est ad solam exhæredationis notam valere *l.20.filium.§.1.ff.de bon.poss.contra tab. l.12. si patronus.§. 5. ex testamento. ff. de bo.lib.* Sed erit tamen hæc conditio si in patriam redierit, facti potius quam iuris: æstimabit enim iudex an fuerit commodum filio eam petere an non, sicuti in illa si Alexandriam filius peruenerit definit I. C. in l.4. §. puto. ff. de hæred. instit. & l.fin.ff.de cond.instit. Sunt autem plura quæ huic legi simul & superiori distinctioni possint obijci; ac primum quod dicitur in l.83. Lucius Titius. ff. de cond. & dem. filium à patre hæredem institutum sub hac conditione si filium se probauerit, non rectè institutum videri, ac propterea testamentum nullius esse momenti. Sed hoc verum est, quia nec censetur eiusmodi conditio in potestate filij, cum sola mater eius rei sit conscia, sicuti apud Homerum Telemachus dicit audisse se à matre, quod filius Vlyssis esset, se vero liquidò id non scire.

Μήτηρ μὲν τ' ἐμέ φησι τοῦ ἔμμεναι αὐτὰρ, ἔγωγε

Species legis propositæ.

Vbi non est adita hæreditas ex testamento filij exhæredatio in eo posita nullius momenti est.

Obijcitur & diluitur lex 83. ff. de cond. & dem.

Οὐκ οἶδ' ἐγὼ πῶς τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

Quamquam illud verius est etiam admitti probationem, vtrum sit aliquis filius an non. *l.14.§.fin.ff.de lib.& posth.l.si vicinis.C.de nupt.* vt & admittitur cum de gente aut genere alicuius controuersia est. *L.1.ff.de probat.* quod manifestius constat iure canonico *cap.3.& 12. extr.qui fil.sint legit.* Sed d. lex 83. est de probatione certa, quæ fieri à filio non potest: loci vero superiores sunt de probatione qualibet, quæ manat ex fama & opinione hominum, quam admitti necessarium est, quando certam derogat res ipsa fidem. Obstare etiam videntur lex 20. sub conditione. ff. de lib. & posth. lex 46. si maritus. ff. famil. hercisc. lex 31. si maritus. §. cum patri. ff. sol. matr. Sed quod illis locis filio instituto sub conditione ipsam pendere proponitur; non inde rectè concluditur conditionem casualem vel mixtam institutioni filij adscriptam, quia non minus interdum potestatiua potest pendere quam aliæ. Obijci potest etiam lex 28. filius. ff. de posth. hær. inst. Verum in ea specie licet institutus filius sub conditione casuali in casum eius deficientis exhæredatus sit, quemadmodum Imp. Alexander hac lege desiderat: tamen quia filius decessit pendente conditione tam institutionis quam exhæredationis, testamentum inutile est, quamuis filio cohæredes dati sint aut substitutum habeat: nam verum est, dum vixit filius, neque eum ex testamento hæredem, neque exhæredatum fuisse. Obstat quoque lex 21. cum posthumus. ff. eod. in qua dum proponitur posthumus institutus sub conditione, conditionem accipere debemus casualem non potestatiuam, quæ nulla fingi potest posthumo imposita. Sed procliue est quod respondeatur in ea specie conditionem iam extitisse, quo tempore posthumus natus est, atque ita tempore natiuitatis, quò potissimum ius posthumi inspicitur, pura eius institutio inuenitur: At in filio iam nato cuius certum est ius, & suus iam est tempore testamenti, statim ipsum testamentum est iniustum & irritum, si sit institutus sub conditione casuali vel mixta. Igitur posthumus ita demum rumpit, si nascatur antequam conditio casualis extiterit. *l.24. posthuma. Dig. eod.* nam quod ibi de posthuma, idem multo magis de posthumo intelligendum est, licet alias sit aliqua differentia vtrum mortuo patre an viuo posthumus nascatur antequam conditio extiterit, vt docet Cuiac. lib. 21. obs. cap. 27.

Probatio admitti potest vtrum quis sit filius an non.

Alia obijciuntur & diluuntur legum capita.

Obijcitur & diluitur lex 28. de lib. & post.

Obijcitur & diluitur lex 21. cum posthum. ff. eod.

Superioribus illud est adiiciendum: Illud in liberis masculis primi gradus, id est filiis esse speciale, vt non possunt institui, nisi pure aut sub conditione potestatiua: nam alij liberi veluti filia vel nepotes ex filio possunt institui sub conditione qualibet. *l.4. ff. de hæred. instit. l.1.§.8. sciendum. vers. idem erit. ff. de suis & legit. hæred.* nam & hi poterant inter cæteros exhæredari ante Iustinianum, & præteriti non rumpebant, sed iure accrescendi in certam portionem, id est viri-

Filia vel nepotes ex filio possunt institui sub conditione qualibet.

lem cum fratribus aut patruis, in dimidiā cum extraneis veniebant. *Vlp. in fragm. tit. 22. §. 16. l. fin. C. de lib. præter. §. 1. inst. de exhæred. lib.* Et forte verius erit, etiam iure nouo filiam aut nepotes ex filio non posse institui sub conditione qualibet: licet enim nihil de ea re Iustinianus cauerit: tamen qui filiam & nepotes voluit nominatim institui & præteritos iniustum facere testamentum, quemadmodum in filio suo requiritur, idem dubio procul voluit etiam eosdem in hoc æquare filio, vt eodem modo institui debeant. Cuiacius contendit adhuc illam remanere differentiam in recit. ad tit. C. de lib. præt. Sed qui in aliis eos filio æquauit, & maximè vt nominatim deberent exhæredari, vetuit etiam sub conditione casuali instituere: quid enim aliud est sub conditione casuali hæredem instituere, quam tacite in eum casum, quo defecerit, exhæredare? Certe iure prætorio, quod omnes liberos exæquat, nominatim institui vel exhæredari illi liberi debuerunt; alioquin habuère etiam bonorum possessionem contra tabulas: nam Vlpianus in fragm. tit. 22. §. 23. ait liberis præteritis emancipatis, quo nomine veniunt & nepotes & filiæ dari bonorum possessionem: ergo multo magis filiæ vel nepotibus sub conditione casuali institutis dat. bon. bonorum possessionem secundum tabulas pendente conditione, vel contra tabulas si defecerit, & de nepote suo accipienda est lex 3. §. 14. sed & si nepos. ff. de bon. poss. contra tab.

Iure tamen nouo videntur illi filiis masculis & liberis primi gradus exæquari.

Contraria est sententia Cuiacij quæ refellitur.

Nepotes ex filio vt ipsa filia si instituantur sub cōditione casuali habent bon. poss. sec. tabulas.

IMP. ALEXANDER A. ACHILLÆ.

HÆRES *instituta matris testamento, si successionem ex testamento omisisti, & ab intestato bonorum possessionis ius habere voluisti substituto locum quin feceris, in dubium non venit. Proinde si substitutus hæreditatem amplexus est, actionibus, quæ tibi aduersus matrem competebant, ipsum conuenire non successionem ab intestato potes vindicare. PP. XI. Kal. Sept. Maximo II. & Æliano Coss.*

Lex 3. C. de impub. & al. subst.

SEntentia legis illa est: eum qui hæres institutus est in testamento & substitutum habet, si adierit ab intestato cum esset hæres legitimus locum facere substitutioni. Species illa est. Mæuia Achillam filiam, quam vnicam habebat, hæredem instituit, & ei Titium

Sententia legis proposita.

Species.

substituit. Achilla matre mortua, tanquam ipsa testamentum non fecisset, ex S.C. Orficiano hæreditatem adiit. Titius iure substitutionis hæreditatem & ipse amplexus est, atque etiam possessionem nactus est rerum hæreditarium. Quærebatur vtri ius succedendi competeret. Rescribit Imp. Achillam substituto locum fecisse, & ipsam contra eum habere tantum actionem, si quid à defuncta matre sibi debeatur. Dubitandi illa ratio occurrebat, quod potior sit causa semper hæredis instituti, quam substituti. *l.3. ff. de acq. vel om. hær.* & hæc altera, quod post aditionem hæreditatis vulgaris substitutio expiret. *l.5. post aditam. hoc tit.* Sed hæc ita vera sunt, si ex defuncti voluntate adierit hæres primo loco institutus, id est si ex testamento hæreditatem obtinuerit, quemadmodum voluit defunctus: At in illa specie Achilla superbè spreuit defunctæ matris voluntatem; ideoque substitutus admittitur, maximè cum successio testamentaria eam præcedat, quæ ab intestato defertur, vt & definitum sup. ad l.3. de testam. tut. Igitur illa verba, *si Achilla hæres non erit Titius hæres esto*, sic accipiuntur, *si non erit hæres ex testamento*, & omnino eorum verborũ varia & multiplex interpretatio est: nam & seruorum vel filiorumfam. institutioni adiecta id significant, si neque seruus hæres erit vel filiusfam. vel dominum aut patrem hæredem non fecerint eorum iussu adeundo: si vero filiofam. impuberi pater ita substituerit, *si hæres non erit*, eadem verba ita accipiuntur, *siue hæres non erit, siue hæres factus intra pupillarem ætatem decesserit*: & sic de aliis, qua de re multa Duarenus tit. de vulg. & pupil. subst. cap.10. Sed remotâ substitutionis causâ si is qui institutus erat adierit hæreditatẽ ab intestato, cum ius legitimi hæredis in eo concurreret: idque fecerit in necem legatariorum, fideicommissariorum, eorum-ve qui libertatem acceperunt: nihilominus perinde ac si ex testamento hæreditatem adiisset, tenetur ex edicto prætoris, *si quis om. causa testam. &c.* Quod autem in hac lege traditur: eam, quæ cum instituta esset ex testamento, adiit hæreditatem ab intestata eiusdem hæreditatis dispendium pati: hoc ita verum si sciuerit esse testamentum: alioquin si id fecerit ignorans, nequaquam id ei oberit. *arg. l.19. mater. ff. de inoff. testam. l.97. Clodianus. ff. de acqu. vel am. hær.* Sed quod adijcit Imp. filiam ab hæreditate exclusam nihilominus contra substitutum actionem habituram, si quid ipsi à defuncta matre deberetur; hanc potuit habere dubitationem, quod semel adita hæreditate videatur debitum confusione extinctum: Sed cum hæres Achilla non maneat, æquum est ei restitui actiones, vt restituuntur hæredi, cui euicta est hæreditas ex causa inofficiosi testamenti, vel qui hæreditatem ex fideicommisso restituit. *l.22. si maritus. C. de inoff. test. l.59. debitor. ff. ad S.C. Trebellian.* quarum nec huius l. sententiam euertunt, quæ proponuntur in l.8.

Multiplex interpretatio horum verborum proponitur, si hæres non erit.

Actiones aditione hæreditatis cõfusa rescissa aditione restituuntur.

indigno

indigno & l.17.hæredem.ff.de his qu.vt ind.& in l.24.eius qui.ff.de iu. fisci. Nam illa specialia sunt odio eorum, qui adita hæreditate defuncti mortem scientes prudentesque vlti non sunt, vel falsum eius testamentum dixerunt: Illis enim, si quid debeat defunctus, confusæ semel aditione actiones non restituuntur. *Excipitur ille qui adita hæreditate postea indignus pronuntiatus est.*

IDEM A. FIRMIANO.

QVAMVIS *placuerit substitutionem impuberi, qui in potestate testatoris fuerit, à parente factam ita, si* hæres non erit, *porrigi ad eum casum, quo posteaquam hæres extitit, impubes decessit, si modo non contrariam defuncti voluntatem extitisse probetur: Cum tamen proponas ita substitutionem factam esse,* si mihi Firmianus filius & Ælia vxor mea (quod abominor) hæredes non erunt, in locum eorum Publius Firmianus hæres esto: *Manifestum est in eum casum factam substitutionem, quo vtrique hæredum substitui potuit. PP. II. Kal. Iul. Fusco II. & Dextro Coss.* Lex 4. Cod. eod. tit.

QVod supra positum ad l.6. de militari testamento, substitutionem reciprocam factam duobus pluribus ve hæredibus institutis & inuicem substitutis, qui sunt disparis conditionis, ad eum dumtaxat casum pertinere, qui in persona omnium locum habere potuit: Idem Imp. docet obtinere, cum aliquis duobus substitutus est, quorum vni nonnisi in casum vulgaris substitutionis substitutus dari potuit, vt in alio quoque non possit nisi vulgaris locum habere. Species ex ipsis rescripti verbis satis plana est. Mæuius cum suprema ordinaret, filium impuberem nomine Firmianum, & Æliam vxorem hæredes instituit ex paribus vel disparibus partibus, nihil interest, eisque in eum modum substituit Pub. Firmianum ex fratre nepotem, *si mihi Firmianus &c.* Firmianus filius testatoris & eiusdem defuncti vxor Ælia hæreditatem adierunt: Mox Firmianus filius intra pupillarem ætatem decessit. Pub. Firmianus ex substitutione hæreditatem pupilli vindicat. Ælia eiusdem pupilli mater bona illius ab intestato ex S. C. Tertyliano sibi allerit. *Species legis proposita.*

Quæritur quid iuris. Rescribit Imp. aditione hæreditatis facta à filio defuncti impuberis substitutionem expirasse; ideoque potiorem esse matrem, quasi ab intestato bona filij persequentem. Ratio dubitandi, eaque non leuis erat, quod ex rescripto DD. Fratrum Marci & Veri, de quo in l.4.ff.de vulg.& pup. subst. & l.2.hoc tit. substitutio facta filio impuberi in vnum casum, puta, *si hæres erit*, porrigitur quoque ad alium, *si intra pubertatem hæres factus decesserit*; & è contra. Igitur illa verba, *si mihi Firmianus &c.* in persona impuberis admittere videbantur substitutum, eo post aditam hæreditatem decedente intra 14. annum, in vim tacitæ pupillaris substitutionis. Ratio decidendi est quod cum eodem verborum tenore & formula, filio simul & vxori substituerit testator, & in persona vxoris non potuerit locum habere substitutio, quæ fit in casum aditæ & acquisitæ hæreditatis; consequens quoque est, vt propter adiunctam vxoris personam censeatur testator in eum duntaxat casum filio substituisse, quo potuit vtrique. Ex hac lege igitur præscribitur rescripto DD. Fratrum, sicut & casibus pluribus aliis: Nam primum certum est in singulas causas separatim substitutione facta & diuerso dato substituto, casum vnum non porrigi ad alium; quod fit, cum in casum quo pupillus hæres non esset, vnus substitutus datus est, & in alterum, quo hæres factus intra pupillarem ætatem decederet, alius ad hæreditatem vocatus est. *l.39. cum ex filio. §.1.ff.de vulg. & pup. subst.* Et hoc quidem facit expressa voluntas testatoris, ne expressa vulgaris contineat tacitam pupillarem, aut expressa pupillaris tacitam vulgarem. Fortius obijci possit eidem rescripto quod dicitur in l.10. commodissimè ff.de lib. & posth. Sed in illa specie non porrigitur casus vnus ad alium, quia deficit constitutio: nec vero iuris autores potuissent ipsi sine superiori rescripto per interpretationem efficere, vt casus expressus vnius substitutionis ad alium porrigeretur: Quare etiam in specie proposita in d. l.10. oportuit tandem Iustiniani constitutionem intercedere, quæ induxerit, vt institutio posthumi facta in casum, quo nasceretur viuo testatore traheretur ad alium, quo nasceretur eo mortuo & è contra. *l.fin.C.de post.hær.inst.vel exhær.* Non etiam rescripto DD. Fratrum locus est in specie proposita in l.fin.tit.super.& l.precibus hoc tit. cum scilicet parer filio substituit in hæc verba *si hæres non erit*, & idem filius adita hæreditate intra pupillarem ætatem decedit: Nam placuit aduersus matrem expressam vulgarem non porrigi ad pupillarem, quia verisimile non est, patrem in eum casum, quo filius moreretur, iam quæsita hæreditate, matri præripere voluisse luctuosam filij successionem: Quamquam sunt quidam qui id non admittunt indistinctè inter quos etiam Duarenus tit. de vulg.& pup. subst. cap.14. in fi. Sed refelluntur manifestimâ sen-

Non semper vna species substitutionis pupillo facta trahitur ad aliam.

Obijcitur & diluitur lex 10. ff. de lib. & posth.

Obijciuntur & diluuntur alia legum capita.

tentiâ d.l.precibus. Poterant moueri huius legis definitione simul & l.2.hoc tit.& legis 6.sup.de mil.testam. nam in illis legibus hoc est perpetuum, vt mater intercedat & tacita pupillaris eam non excludat, sed non illa ratione, quod mater sit; sed tantum quia substitutio facta filio vel filiæ impuberi & aliis propter personam cohæredum, æqualitatis tuendæ causâ, in vulgarem casum facta censetur: Cuius argumenti momentum Cuiacius non expendit, nec aduertunt alij, tantum abest vt respondeant. Sed ne circumscribamur: Dicendum est, in specie illarum legum duplicem rationem substitutum excludere: Vnam proximam ductam ex cohæredum persona, quibus in casum aditæ hæreditatis substitui non potuit: Aliam remotam, matris scilicet interuentum, proximiori autem ratione contentos imperatores remotiorem omisisse. Sed magis etiam illud probabile est, ex dictis legibus matrem quidem potuisse excludi, vt & aduersus eam expressa vulgaris contineret tacitam pupillarem, verum ab eo iure quadam æquitatis ratione postea recessum fuisse ex d. l.precib.

IMP. ALEXANDER A. HERACLIDÆ.

SI auus tuus qui patrem tuum, & nouercam æquis portionibus hæredes instituit, cum te quoque haberet in potestate, testamento nominatim non exhæredauit, mortuo patre tuo viuo auo sine impedimento legis Velleæ succedendo in patris tui locum, rupisti aui testamentum, & ad te hæreditas eius tota pertinuit. PP. VI. Id. April. Fusco II. & Dextro Coss. L.2.C. de liberis præter. vel exhæred.

PErtinet hoc rescriptum ad secundum caput legis Velleæ. Species hæc est. Sempronius habebat Titium filium, & ex eo Heraclidem nepotem, vtrumque in sua potestate. Testamentum fecit, & in eo Titium filium & vxorem secundam, quam filio suo superinduxerat nouercam, ex æquis portionibus instituit. Viuo adhuc Sempronio Titius filius moritur: Deinde & Sempronius postmodum. Cum defuncti vxor testamento, quo instituta erat, niteretur, & ex eo hæreditatem adire vellet; obstitit Heraclides defuncti nepos, ipse ab intestato aui sui successionem adserens sibi. Quærebatur an posset. Rescribit Imp. totam hæreditatem ad nepotem de- *Species legis proposita.*

functi pertinere. Occurrebat hæc dubitatio, quod testamenti causa semper præcedat causam intestatæ successionis, & nihil sit, quod magis debeatur, quam vt supremæ voluntatis liber sit stilus. *l. 1. C. de sacr. eccl.* Occurrebant verba legis 12. tab. *Paterfam. vti sua rei legassit ita ius esto.* Ratio decidendi illa est quod in hac facti specie, mortuô filiô, nepos præteritus quasi agnoscens in locum filij succedendo testamentum ruperit, ac per hoc ex eo adiri hæreditas non potest. Ait Imp. *sine impedimento legis Velleæ*, quia scilicet secundum caput legis Velleæ vetat tantum testamentum rumpi nepotis aut pronepotis successione in locum sui, quando ipse nepos aut pronepos institutus vel exhæredatus est. *l. 29. Gallus. §. 9. sequenti parte. ff. de lib. & posth. §. posthumorum de exhæred. lib. apud Iustin.* Igitur, cum in hac lege, neque sit nepos præteritus neque exhæredatus; consequens est, vt lex Vellea non obstet, quo minus testamentum sit ruptum. Atquin; obtinuit, vt nepotes ex filio præteriti ad exemplum filiæ non rumperent, sed iure accrescendi auo succederent? quemadmodum constitit sup. ad l. 4. de instit. & substitut. sub. cond. fa. Sic vero res distingui debet. Vel tempore testamenti filius erat in rebus humanis, & solus institutus est, non liberi ex eo: Et tunc, si moriatur viuo auo ex l. Vellea nepotes loco sunt posthumorum & rumpunt præteriti: Vel iam tum, cum testabatur auus, nepotes ipsi erant sui hæredes, filiô antea mortuô vel emancipatô: Et tum verum est, ad eorum præteritionem legem Velleam non pertinere, sed veniunt tantum ad portionem hæreditatis cum hæredibus scriptis, siue liberi sint, siue extranei: Et hoc forte desiderabat defuncti vxor in hac lege, quod docent hæc vltima verba, *tota hæreditas &c.* quasi illa desideraret concurrere cum nepote præterito, quod fieri non potuit illo casu ruptô testamentô. Non sunt qui palam hæc ita distinguant: Sed hæc distinctio tamen tam vera est, quam quæ verissima. Ratio distinctionis illa sit, quod cum tempore testamenti nepotes non suos auus præterit; id animo eos semouendi à successione sua fecisse non censetur, sed quod propter commune parentum & naturæ votum filium sibi successurum sperauerit; atque ideo si is moriatur, nepotes rumpunt in eius locum succedentes, nisi sint instituti, vel nominatim exhæredati. At cum iam sui erant tempore testamenti; videtur consulto consilio eos præteriisse, ac propterea sufficiebat eis ius accrescendi, quod tamen abrogatum l. fin. hoc tit. & nepotes in totum exæquati sunt filiis. Caput autem secundum legis Velleæ pertinet ad eam successionem, quæ fit in locum sui viuente testatore: Nam si fiat post eius mortem, dum filius exhæredatus ante aditionem hæreditatis moritur: Testamentum non rumpit nepos; aliter atque si in hostium potestate filius esset mortis tempore & postea decessis-

Distinctio commoda de nepotibus suis quando rumpant testamentum præteriti, vel non.

Ratio superioris distinctionis.

Secundum caput legis Velleæ.

sec. l. 9. si quis posthumos. §. si filium. ff. de lib. & posth. Sed priore casu querela inofficiosi testamenti ex persona defuncti filij nepoti dabitur etiam non præparata. *l. 34. si quis filium. C. de inoff. testam.*

IMP. ALEXANDER A. FLORENTINO MILITI.

CVM *debitum paternum te exsoluisse allegas: Pro portione hæreditaria agnouisse te hæreditatem defuncti, non ambigitur PP.* VI. *Id. Feb. Maximo II. & Æliano Coss.* Lex 2. C. de iure deliber. & ad. vel acq. hæred.

DE ea lege actum est sup. ad l. 8. de inoff. testam.

IMP. ALEXANDER A. PROCVLÆ.

VT *testamentum, quod dicis factum, proferatur, & publicè recitetur: Competens iudex iubebit. PP. II. Kal. April. Maximo* II. *& Æliano Coss.* Lex 1. C. quemadm. testam. aper. describ. & insp.

QVia, mortuo testatore, tum solet quæri an sit vllum testamentum defuncti; ideo solent hi quorum interest desiderare vt testamentum proferatur, & recitetur; quod & fit hoc ordine, vt primum testes, qui testamento subscripserunt & illud signarunt, in iudicium veniant signa sua agnituri, quod & facere coguntur; & his demum præsentibus aut maiore parte eorum tabulæ resignantur, & recitantur. *l. 4. cum seqq. ff. hoc tit.* deinde etiam vnicuique illas describendi copia permittitur, sicuti plenius docet Paulus lib. 4. sent. tit. de vicesima, vbi plura Cuiacius & tr. 8. ad Afric. ad l. pen. ff. de reb. cred. & in parat. & recit. ad hunc tit. Iubet autem prætor vel competens iudex aperiri tabulas, petentibus his quorum interest, id est legatariis, fideicommissariis, aut etiam seruis, quibus libertas relicta est dum hæres moratur aperturam tabularum sui compendij causa, aut & alia aliqua ratione: nam si *Quis ordo seruetur in aperiendis tabulis.*

neget tabulas esse apud se; datur contra eum interdictum de tabulis exhibendis, vt adnotaui ad parat. ffrum Cuiacij tit. de edendo, vbi docui quid hic tit. differat à d. tit. de edendo, tit. ad exhibendum, & tit. de tabulis exhibendis.

IMP. ALEXANDER A. EVTACTO.

L. 1. Cod. de edicto Diui Hadr. toll. &c.

QVAMVIS *quis se filium defuncti preteritum esse alleget, aut falsum vel inofficiosum testamentum, seu alio vitio subiectum, vel seruus defunctus esse dicatur; tamen scriptus hæres in possessionem mitti solet.* PP. VI. *Kal. Nouemb. Maximo* II. *&* *Æliano Coss.*

INsuper habemus de edicto D. Hadriani loqui, quia Cuiacius id disertè explicat in parat. Nec verò arbitramur è re quicquam esse de titulorum significatione scrupulosius inquirere, quia huic rei nemo dilucidius sufficere potest, quam ipse Cuiacius in ipsis parat. C. aut ffrum satisfacit. Igitur proponere speciem huius legis satis erit, de qua etiam anteuertimus quædam adnotare ad l. 2. sup. de bon. poss. contra tab. & ad l. 4. de furtis in fi. Titius Mæuij hæres ex testamento adierat hæreditatem, ac propterea mitti se in bon. possessionem petiit, quod fieri necesse erat, vt fisco repræsentaretur vicesima hæreditatis, quam debebat extraneus hæres institutus vel legatarius, vt ex Cuiacio & Lipsio adnotauimus ad parat. ffrum. Cuiacij tit. quemadm. test. aper. Extitit defuncti filius, qui diceret testamento se præteritum & propterea nullum esse; vel idem filius aut ex legitimis hæredibus aliquis falsum esse testamentum, aut inofficiosum allegabat, aut de conditione testatoris cōtrouersia erat, quod negaretur habuisse testamenti factionem, quasi seruus foret. Quærebatur an propterea hæres scriptus in bonorum possessionem mitti posset. Rescribit Imp. id rectè desiderari; imo & fieri solere. Ratio dubitandi est, quod ex testamento nullo non possit peti aut vindicari hæreditas. Ratio decidendi est, quod missio in bon. poss. ius plenum hæredi non tribuat, ideoque si in prima figura testamentum sit sine vituperatione, vt dicitur in l. 3. hoc tit. id est, si septem testium signaculis appareat obsignatū, vindiciæ dantur secundum hæredem scriptum quo fit vt rectè hoc loco notet Accursius, non esse indulgendam hæredi hanc missionem in bonorum possessionem, si is qui ex aduerso consistit probationes habeat

Species legis proposita.

in expedito. Idem etiam notat recte,in hac lege quæstionem falsi criminalem non impedire,quo minus missio fiat,quia vertitur tantum causa possessionis,cuius plerumque momentaneum est commodum: alioqui si verteretur causa proprietatis, vix esset, vt non falsi quæstio causam principalem sisteret. Quod ait Imp. hoc loco, *vel seruus, &c.* eo pertinet, vt appareat non valere testamentum à seruo factum, ita vt ne quidem detur bon. possessio secundum tab. quamuis liber factus decesserit. *l.19. si filiusfam. ff. qui testam. fac. poss.* Quamquam conniuentibus oculis interdum serui consensu domini testentur vt ex Plinio docet Cuiac. tract. 2. ad Afric. ad l.107. §. fin. ff. de leg. 1. Sed quæ à priuatis priuatim fiunt iuri publico non derogant. *Serui testamentum nullum est etiamsi postea manumittatur.*

IMP. ALEXANDER A. SEVERÆ.

CIVILI *disceptationi crimen adiungitur, si testator non sua sponte testamentum fecit, sed compulsus ab eo, qui hæres institutus, vel à quolibet alio, quos noluerit, scripsit hæredes. S. XV. Kal. Ianuar. Alexandro A. & Coss.* Lex 1. Cod. quis aliquē test. prohib. vel coëg.

Breuis & enucleata sententia huius rescripti: eos hæredes, quos inuitus testator scripsit, emolumentum successionis non habere, seu ipsi vim intulerint vt scriberentur, seu alius. Neque illud erit distinguendum an citra conscientiam eius, qui scriptus est, aliquis testatorem coëgerit, an non: vtrobique enim institutio irrita est, quia hæres defuncti voluntatem non habet. Consequens est igitur vt hæreditas hæredi scripto ablata, fisco post modum applicetur ex constitutione D. Hadriani *l.1. hoc tit.* nec enim fere eius delicti pœna alia legitima est: quamuis is qui inuitum testatorem coëgit, vt testaretur, & alios hæredes, quam quos vellet, instituere compulit, teneri debeat hæredibus legitimis, vel his quos facere hæredes testator destinauerat, eo argumento, quo ex l. Aquilia tenetur is, qui lucrum hæreditatis nobis delatæ intercepit, cum seruum nostrum ab alio institutum occidit. §.10. *illud. de leg. Aquil. apud Iustin.* Sed forte poterit idem etiam teneri iudicio publico de vi publica vel priuata ex legibus Iuliis: nam & hæc verba id dictare videntur, quæ sunt in principio huius legis, dum ait Imp. ciuili disceptationi crimen adiungi.

IMP. ALEXANDER A. ANTIOCHIANO.

Lex 3. C. de his quæst. vt iud. hær. vel leg. aufer.

SI ea quæstio infertur filiis eius, quam consobrinam tuam dicis, quod tabulæ testamenti patris eorum, qui à familia interfectus dicebatur, priusquam quæstio de seruis haberetur, apertæ & recitatæ tabulæ sunt: propter amplissimi ordinis consultum hæreditas à fisco vindicatur: & ideo agi causa apud procuratorem meum debet; quia non eo tempore pupilli fuerunt. PP. II. Non. April. Alexandro A. Coss.

Quid definitum fuerit S.C. Sillaniano & aliis ad illud pertinentibus.

HVius rescripti sententia pertinet ad S.C. Sillanianum, quo primum institutum est, vt dominô à familia interemptô supplicium sumeretur de omnibus seruis, qui in domo erant tum temporis, cum dominus occideretur: Deinde etiam productum ad seruos testamento manumissos ex S.C. Claudiano, atque etiam postea ex edicto D. Traiani ad libertos, quos testator viuus manumisisset: qua de re Cuiac. lib. 10. obs. cap. 33. Quamquam postmodū Hadrianus constituerit, vt non de omni familia quæstio haberetur, sed de conscia tantum, quæ domino opitulari potuisset, quemadmodum ex Spartiano notat doctissimus Sauaro ad Sidonium Apollinarem ep. 11. lib. 8. Sed ex eodem etiam S.C. Sillaniano & edicto prætoris, quod circa illud factum est, vetitus est hæres ne hæreditatem adeat, aut tabulæ aperiantur vel recitentur, antequam quæstio habita sit de seruis noxiis: alioquin hæredi vt indigno aufertur hæreditas, quod & hac lege docet Imp. Alexander; quod secus obtinet, si ab alio, quam à familia dominus occisus dicatur: tunc enim hæres non prohibetur hæreditatem adire: nec aliter ei eripi hæreditas potest, quam si postea vlcisci mortem defuncti vel detrectet vel negligat, sicuti rectè idem Cuiac. docet lib. 18. obs. cap. 6. A superiori autem definitione excipi pupillos hæc lex docet, quibus adiungendi generaliter minores omnes 25. annis, vt ex l. 6. constabit. Sed quod dicitur agi causam inultæ cædis apud procuratorem Cæsaris: Obstat manifestissimè lex 1. C. vbi cau. status, vbi non defensæ siue inultæ mortis quæstio apud Procuratorem Cæsaris tractari non potest.

Domino à familia interempto nō potest adire hæreditatē hæres priusquam quæratur de seruis noxiis.

An possit causa inultæ cædis tractari coram procuratore Cæsaris.

Dicendum

Dicendum in hac l. Procuratorem Cæſaris vice Præſidis in prouincia fungi, vt ſolet interdum, ac propterea potuiſſe de crimine aliquid ſtatuere, qua de re etiam Cuiac. lib. 19. obſ. cap. 13. Sed poteſt etiam non inſubtiliter dici, cauſam inultæ cædis non poſſe apud Procuratorem Cæſaris in prouincia tractari: ſed apud Præſidem forte vel Proconſulem; illa autem finita ad Procuratorem Cæſaris pertinere cauſam bonorum iam fiſco quæſitorum, vbi de crimine ingrati hæredis conſtitit; quam diſtinctionem etiam d. l. 1. videtur admittere.

IDEM A. PHILOMVSO.

HÆREDITAS *in teſtamento data, per epiſtolam vel codicillos adimi (verbis directis) non potuit. Quia* L. 4. C. eod. *tamen teſtatrix voluntatem ſuam non mereri vnum ex hæredibus ſuis declarauerat: merito eius portio non iure ad alium tranſlata, fiſco vindicata eſt. Libertates autem in eadem epiſtola datæ peti poterunt. PP. II. Kal. Decemb. Maximo II. & Æliano Coſſ.*

SI teſtator hæredi, quem teſtamento inſtituit, per epiſtolam aut codicillos hæreditatem ademerit; non conſtat ademptio; *Sententia legis propoſita.* Quamquam hæredi, qui ſupremam voluntatem non habet, fiſcus vt indigno hæreditatem auferat, integrâ causâ libertatum, quæ relictæ fuerunt: Hæc eſt huius reſcripti ſententia. Species illa eſt. *Species eiuſdem.* Mæuia teſtamento facto plures hæredes inſtituit, Philomuſum, Titium, & alios. Cum forte Titio poſtmodum fuiſſet infenſa, codicillos fecit aut epiſtolam emiſit: plerumque epiſtola loco codicillorum eſt. *Epiſtola pro codicillis.* *l. fin. ff. de leg.* 2. vel interdum eſt ſupplementum codicillorum. *l.* 41. *§. codicillis. ff. de leg.* 3. vt etiam Theoph. codicillum eſſe ait, *ἀναπλήρωσιν τῆς διαθήκης.* Hac epiſtola vel codicillis Mæuia declarauit, Titium forte non mereri voluntatem ſuam; nec tamen portionem eius ad alium tranſtulit. Itaque poſt Mæuiæ mortem quærebatur de illa portione, quam Titio ademerat teſtatrix. Hanc Philomuſus & cohæredes iure accreſcendi ad ſe pertinere contendebant; eandem quoque quaſi caducam & ereptitiam fiſcus vindicabat. Aditus Imp. Alexander reſcribit portionem illam ad fiſcum pertinere. Non leuis ratio fiſcum excludere videbatur, quod por-

tio vacans ſoleat aliis cohæredibus pro portionibus hæreditariis accreſcere, ne pro parte teſtatus pro patte inteſtatus deceſſiſſe defunctus videatur. §. *videamus de hæred. inſtit. apud Iuſtin. l.* 13. §. 2. *ff. eod.* Ratio decidendi illa eſt, quod quæ indignis adimuntur fiſco applicentur, cum delictum & pœna vnius alteri ſocio vel cohæredi lucrum non debeat adferre. *l.* 15. *ſi ſequens. ff. ad S. C. Sillan.* quod diuerſum eſt, vbi à principio pars aliqua hæreditatis vacat: Nam illa iure accreſcendi ad cohæredes pertinet. Quinetiam ſi vacet morte cohæredis, viuo teſtatore vel mortuo; ſublatis iam caducis à Iuſtiniano, & his qui ſunt in cauſa caduci, cohæredibus ſimiliter accreſcit. *l. vn.* §. *his ita definitis. C. de cad. toll.* Verum huius legis definitioni multa obſtare videntur; & primum lex 36. militis. §. veteranus. ff. de mil. teſtam. & lex 22. de parte. ff. de adim. & transf. leg. ex quibus, ſi facto teſtamento quis poſtea inteſtatum ſe mori velle dixerit, aut cum inimicitiis grauiſſimis vnum exhæredibus perſecutus aliud teſtamentum facere deſtinaſſet, nec facere potuiſſet, hæredibus ſucceſſio non aufertur, ſed prælegata tantum ipſis hætedibus relicta adempta cenſentur. Sed illud ita verum, quia palam edixit teſtator, hæredes ſuos voluntatem ſuam non mereri: & vt ſola voluntate teſtamentum non fit; ita nec factum deſinit ex ſola voluntate valete, niſi quantum ad cauſam legatorum & prælegatorum vel fideicommiſſorum, quæ nuda voluntate adimuntur. *l.* 9. *ſi inimicitiæ. ff. hoc tit.* Cæterum hæreditas nequaquam aufertur; idemque dicendum in hac ſpecie. §. pen. qu. mo. teſt. inf. apud Iuſtin. & l. 21. hac conſultiſſima. §. pen. C. de teſtam. in quibus locis ſecundo teſtamento imperfecto prius non rumpitur, nec ſucceſſio prioribus aufertur, niſi hi ſcripti ſint ſecundo teſtamento, qui ab inteſtato ſuccedere poterant, aut iure militari ſecundum teſtamentum valere poſſit: & hoc etiam caſu fiſco locus non eſt, ſed qui ſecundo teſtamẽto ſcripti ſunt hæreditatem obtinent. *l.* 2. *ff. de iniuſto rupt. & irr. fa. teſtam.* cuius definitionis ratio illa eſt, quod qui aliud teſtamentum facit, ita demum à priori teſtamento recedere præſumendus ſit, ſi poſterius ſit valiturum. *l.* 18. *ſi iure. ff. de leg.* 3. Superiorem diſtinctionem non euertit lex 19. ſi ſcriptus. ff. hoc tit. quia licet teſtator aliud teſtamentum facere voluerit nec fecerit: Tamen non illud contigit quia non potuerit, ſed quod hæredes ſcripti priori teſtamento eum impedierint, ac propterea quaſi aliud factum ſit, diſpendium hæreditatis ſentiunt, licet codicillis vel alia ſcriptura teſtator non declarauerit ipſos non mereri voluntatem ſuam. Non euertitur etiam eadem diſtinctio per l. 12. cum quidam. ff. eod. quia in illa ſpecie ſecundum teſtamentum ſuis omnibus numeris fuit abſolutum, ſed ex eo tantum non potuit adiri hæreditas, quod hæres in eo ſcriptus eſſet incapax: quate cum ſecundum teſtamentũ perfectum

Obijciũtur & diluuntur plura legum capita.

Legata ſola voluntate adimuntur hæreditas non item.

Prius teſtamentũ ſola volũtate non deſinit valere.

Reſpondetur ad argumenta contraria.

Qui prohibuit teſtatorem ne aliud teſtamentum faceret hæreditatẽ amittit.

sit, & ex causa extrinseca, non quæ pendeat ex forma & solennitate iuris, irritum sit; hæredibus scriptis in primo testamento an fertur, sicuti eriperetur si inductum esset nomen hæredis: nam & in ea specie certum esset iudicium testatoris palam declarãtis hæredem non mereri suam voluntatem. *l. pen. ff. de his quæ in testam. del. l. 16. cum tabulis. §. fin. hoc tit.* si modo scilicet non incautè id testator fecit & inconsulto quæ adhuc legi possunt. *l. 1. ff. de his quæ in test. del.* Magis autem huic legi 4. obstat lex 1. §. pen. ff. si nullæ testam. tab. ext. ex qua incisis à testatore tabulis aut ductis in decussem lineis, veniunt hæredes ab intestato non fiscus: Sed hoc ita verum, quia apparebat eum intestatũ decedere voluisse, quod & semper probare possunt hæredes ab intestato. *l. fin. ff. de his quæ in test. del.* Obstant quoque lex 4. & 7. C. de hęred. inst. Sed in illis legibus hæredes non sunt indigni, sed tanquam, si filius aut frater defuncti essent, instituti sunt, cum non essent verè: ideoque fiscus non aufert hæreditatem.

Obijcitur & diluitur lex 1. parag. pen. ff. si nulla testam. tab.

Obijciuntur & diluuntur lex 4. & 7. C. de her. inst.

Obstat quoque lex 7. sup. de don. inter vir. & vx. Sed iam in eius explicatione traditum est hoc dari pupillæ simplicitati & ignorantiæ, vt repetat ipsa quod donauit marito indigno, filio scilicet tutoris cui iuris ignara nupsit. Obstat etiam lex 10. si ab hostibus. §. fin. ff. sol. matr. Sed ibi non tam iudicio vxoris, quam iure communi dos pertinere potuit ad maritum, ideoque si is vxorem occiderit, dotem fiscus non lucrabitur, sed hæredibus mulieris restituetur; quod secus obtinet, quando ab alio interfectam maritus postea non est vltus: nam tum dos ad fiscum pertinet. *l. 2. ei cui. ff. hoc tit. l. 27. cum mortem. ff. de iu. fisci.* Rationẽ differẽtię nullam Cuiacius assignat: Illã vero fingit Duarenus ad d. §. fin. quasi non oporteat fisco indulgeri: Verior hæc, quod in d. §. fin. censetur maritus ex voluntate vxoris commodum dotis amitttere, ac propterea magis est, vt hæredibus defunctæ reddatur: in aliis potestate iuris potius, quam voluntate defunctæ priuatur. Sunt etiã casus alij, in quibus quod indignis aufertur fisco non datur. Primus est, quando quid legatũ est ei quem filio suo tutorem dedit pater: nam is, si se excuset, quia legato indignus est, illud amittit, sed attribuitur ipsi pupillo cuius, negotia deserta sunt. *l. 5. §. 2. amittere. ff. hoc tit. l. 3. ff. de iu. patr. l. pen. C. de leg.* idque etiam si non à tota tutela, sed tantum à certa parte bonorum se excusauerit. *l. 111. etiam. ff. de leg. 1.* Imo non tantum à legatis sibi relictis repellitur, sed ab his etiam quæ filiis relicta sunt, si modo filij non affectione propria sed in honorem patris legata meruerunt. *l. 28. qui tutelam. ff. de testam. tut.* Idem tamen non obtineret, si non iure ipso, sed volũtate testatoris, qui legati onus detrectet, eius quoque commodum amittat: nec enim illo casu ei proficiet, cuius vtilitati prospicere testator voluit, sed irritum erit legatum; quod fit in eo, cui quid relictum est, vt aliquem adoptaret: nec enim adoptione

Obijcitur & diluitur lex 7. C. de donat. int. vir. & vxor.

Obijcitur & diluitur lex 10. parag. fin. ff. sol. matr.

Casus plures proponuntur in quibus fisco non datur quod indignis aufertur.

Tutor qui se excusat a tutela filiorum testatoris legatum amittit sibi à patre eorũ relictum.

non secuta legatum, quod auferri legatario testator voluit, ad eum qui adoptari debuit transmittetur. *l.41.vxorem.§.eius.ff.de leg.3.* Alius casus, quo emolumentum alienæ liberalitatis indigno ablatum fisco non datur, propositus est in d.l.pen.C.de legatis. quando legatarius ipse forte defuncti hæres legitimus ab intestato celauit tabulas testamenti: quia enim testamentariũ hæredem hæreditate fraudare voluit, legati commodum, quod ipsi legatario aufertur, penes ipsum hæredem remanet, nec fisco applicatur. Tertius casus est, cum quis rogatus est hæreditatem restituere, suspectam eam dixit, & per prætorem restituere eam coactus est: commodum enim falcidiæ, quod erat ipse hæres retẽturus & ei vt indigno aufertur, quia destituit testamentum, ad fideicommissarium non ad fiscum transit, quia scilicet eius periculo aditur hæreditas, vt lucrum debeat ille sentire, qui onus si quod emergat est agniturus. *l.55.si patroni.§.qui fideicommissum. ff.ad S.C.Trebell.* Quin & ex N.1. Iustiniani hæres, qui voluntatem defuncti non impleuit, commodo quidem hæreditatis decidit, sed ea statim ad fiscum non pertinet, sed ad substitutos vel legatarios ius adeundæ hæreditatis transit, vt non prius ad fiscum perueniat, quam si nullus eorum, quorum testamento facta mentio est, eam admittat. Sed & adiungi possit is, qui cum non indignus sed incapax esset, seipsum detulit, quod hæres scriptus tacitam fidem accommodauerit de restituenda ei hæreditate, aut hæreditatis portione: namque non ei solidũ aufert fiscus, sed ex edicto D.Traiani mediam partem legati vel hæreditatis, quam restituere cauerat hæres tacito chirographo, lucratur. *l.13. ex edicto.& l. pen. ff. de iu.fisci.* Attinuit autem dixisse incapaci non indigno: nam indignus se deferendo nihil consequitur. d.l.13.§.fin.& l.5.§.fin.ff.hoc tit. Adnotandum illud esse suspectissimum, quod initio huius legis dicitur hæreditatem testamẽto datam per codicillos vel epistolam adimi non posse verbis; directis vt propterea dicendum sit illa verba *verbis directis*, quæ & inclusa sunt parenthesi, abesse debere, vt & absunt à quibusdam libris: vnde inanis est Accursij sententia distinguentis & dicentis adimi posse hæreditatem per fideicommissum, quod est falsum: nam adimi omnino non potest, nisi contrariis verbis directis, & eodem testamento, vel alio posteriori; vt in solenni formula institutionis apud Vlpianum tit.22.in fragm. §. pen. *Titius hæres esto, cernitoque in diebus proximis centum, quibus scieris poterisque. Nisi ita creueris, exhæres esto.* Nec probè Accurs. vtitur §. fin.de Codicillis apud Iustin. neque enim illic dicitur adimi hæreditatem posse Codicillis per fideicommissum, sed relinqui tantum, ita scilicet, vt hæres institutus eam restituat, falcidiæ commodô sibi retẽtô, quod manifestius docet lex 37.cum quidam.§.Seiam.ff.de leg.3. vbi cum vni ex hæredibus testamento scriptis testator codicillis hæreditatẽ

Legatarius qui celauit testamentum legatum amittit.

Hæres fideicommisso grauatus si adire cogatur falcidiam amittit.

Hæres qui defuncti voluntatẽ non implet hæreditatem amittit.

Incapax qui se defert mediũ relicti sibi legati vel hæreditatis lucratur.

Indignus qui se defert nihil consequitur.

Hæreditas non potest adimi codicillis.

ademisset, eamque ad alium transtulisset, nihilominus I.C. ait fideicommissum tantum abhærede peti posse, cui adempta erat hæreditas: quod idem est, ac si dixisset hæreditatem non iure ademptam fuisse, sed hæredem deducta parte quarta ex fideicommisso posse conueniri. Directa verba, hoc loco sunt ciuilia ad differentiam eorum quæ precaria vocari solent. De his videndus Cuiacius lib. 11. obs. cap. 25. & ad Paulum lib. 4. sent. tit. 1. & ad Papinianum quoque lib. 19. quæst. ad l. 67. paragr. fin. ff. de leg. 2.

IDEM A. TYRANNO.

NON *oportet vt indignis hæredibus successiones auferri prætextu, quod in sepultura supremis defunctorum iudiciis vel voluntatibus obtemperatum non fuisset. PP. VII. Id. Mart. Iuliano II. & Crispino Coss.* L. 5. C. eod.

COnstitit ex his, quæ supra sunt adnotata, indigno auferri vel hæreditatem vel legatum, eaque à fisco vindicari, nisi illi casus intercedant, ex quibus aliis illud applicatur pro-vt supra definitum. Ex pluribus autem causis potest quis esse indignus, vel quia læsit testatorē dū viueret, nec habet eius vltimā voluntatē; vel quia habet quidem, sed tamen ea frui non debet, quod forte societatem criminis cum eo habuerit; veluti, si mœchus adulteræ quid legauerit eam-ve hæredem instituerit, aut è contra: Cum scilicet delicta fuere nexus amicitiæ: Ne enim deliquisse prosit, eiusmodi impia lucra sunt extorquenda. *l. 13. Claudius cum seq. ff. hoc tit.* quod idem est cum quis tacitam fidem accommodauit de restituenda hæreditate incapaci: Quia enim leges circumueniri occultarum pactionum commentitiis fraudibus non oportet, fisco ex his causis locus est. *l. 11. hæres. l. 18. cum qui. ff. hoc tit.* & aliis eiusmodi casibus quorum exempla hoc tit. C. & ffrum, & in tit. de iure fisci occurrunt. Sed ex hac potissimum causa quis indignus est, si iustum defuncti iudicium hæres aut legatarius impugnauerit, vel testamentum tanquam falsum, aut inofficiosum arguerit, aut aliter defuncti testatoris voluntati obstiterit; quo etiam pertinet illa regula iuris canonici, ex eo quis non posse lucrum consequi, quod nisus est impugnare. *cap. ex eo. de reg. iu. in 6.* vt parum probè videatur aliquis ex testamento vel codicillis aliquod emolumentum desiderare, quos euertere voluit. *l. 6. C. ad l. Corn. de fals.* & ex ea quoque causa fisco

Quibus ex causis sit aliquis indignus.

Indignus est quicumque testamentum impugnat.

Qui impugnauit testamentum non amittit legatum si ad sententiam vsque peruentum non sit.

quod aufertur applicatur.*l.8.§.meminisse.ff.de inoff.test.l.13.edicto.§.pen. ff. de iu.fisci. l.2. C. hoc tit.* Sed circa eam tamen definitionem variæ possint admitti distinctiones. Nam ecce primum arguisse & impugnasse non sufficit defuncti voluntatem, si id ad sententiam vsque peruentum non sit, quia non videtur falsum dixisse, aut inofficiosum testamentum, de quo nihil est pronuntiatum. *l. aliam hoc tit.*

Idem est si contra absentem sententia lata sit.

Imo si causa acta non est, sed quod abfuerit is, qui illud arguebat ex eremodicio secundum testamentum lata sit sententia, ei non officiet quasi nec testamentum impugnauerit. d.§.meminisse. vers. sed ei demum. adeo vt etiam post sententiam appellatione interposita possit ad pœnam euitandam prodesse, si causam appellationis non perferat, & sententiæ quam potuit impugnare acquiescat. *arg. l.14. qui cum maior.§.8.accusasse.ff.de bo.lib.* vt propterea d.l. aliam in pr. debeat accipi de sententia quæ transiit in causam rei iudicatæ, non de ea quæ remedio appellationis potuit attentari. Nec illis obstat

Diluuntur argumenta contraria.

lex 6.§. fin. ff. de pet. hær. nam non destiterat qui falsum testamentum dicebat, & adhuc pendebat quæstio falsi; ideoque nec ad legatum interim erit admittendus. Non obstant etiam lex 7. furtim §. etiam. ff. arb. furtim cæs. l. qui ea mente. ff. de furtis. l. pen. ff. vi. bon. rapt. l.17. quis sit fugitiuus. ff. de ædil. ed. nam illis locis cum seruus qui fugerat redit, vel fur aut raptor rem restituere paratus est, aut quis arborem cæcidit, licet non totam: Tamen delictum consummauit, ideoque pœnitentia non aboletur, quod ita non est cum quis cœpit testamentum accusare, nec perstitit vsque ad sententiam, aut à sententia appellationem à se interpositam non peregit. Non obstat etiam lex pen. C. qui acc. non poss. nam illud est odio seruorum, qui dominos accusant, vt sola delatio puniatur licet non habeat effectum. Non obstat quoque lex 10. cum. §. fin. ff. de iu. patr. nam dum ei qui accusare cœperit ius impetrandæ abolitionis conceditur satis; docet I.C. impune accusationem cœptam posse

Qui impugnauit testamentum legatum non amittit.

dimitti, nisi per calumniam instituta accusatio proponatur. Secunda autem exceptio, qua is qui impugnauit testamentum legati commodo non decidit, illa est, cum id quod sibi relictum est, is qui falsum vel inofficiosum testamentum dixit alij restituere rogatus est: Ne enim in damnum innocentis fideicommissarij punitus videatur, legatum ei non auferetur, quia nec ei per legatum honos habitus est *d.l.8.§.meminisse. vers. ea autem solo. ff. de inoff. test.* quo fit vt etiam cum incapaci aliquid relictum est, vel ei qui solidi capacitatem non habet, propter personam fideicommissarij, cui restitui debet, legati substantia consistat. *l.27. legatarius. ff. de excus. tut. l.42. cum ei. ff. de leg.2. l.16. cogi. §. hi qui solidum. ff. ad S.C. Trebell.* Tertia exceptio

Tutor qui nomine pupilli inofficiosum testamentum dixit vel falsum legatum non amittit.

ponenda est in tutore, qui cum testamento defuncti legatum accepisset, ipse pupilli nomine qui à patre suo exhæredatus erat, quere-

lam instituit, vel falsum dixit testamentum: Cum enim id fecerit officij necessitate, nihil ei oberit volũtatem testatoris impugnasse, quo minus legatum capiat. §. *sed ex contrario. de inoff. test. apud Instin. l. 22. tutorem. ff. hoc tit.* quod idem est in procuratore fisci qui intentionẽ delatoris exsequi necesse habuit. *l. 5. §. aduocatũ. ff hoc tit.* quod ita verũ, quia munera eiusmodi sũt necessaria. In aduocato aut procuratore, cuius munus esset voluntariũ, aliter obtinet, qui proculdubio legatũ perdit, si filio querelã instituenti aduersus testamentum patrocinium præbuerit. l. fin. in pr. ff. de inoff. test. qua de re etiam quædam tradita sup. ad l. 8. de inoff. test. quamquam illa distinctio videtur ex eo improbari, quod testes, qui in causa falsi vel inofficiosi testamenti testimonium tulerunt, licet eorum officium videatur necessarium, & inuiti id fecerunt, nihilominus legati commodo vel fideicommissi decidant, si secundum testamentum pronuntiatum sit, quod & idem in præside, qui sententia sua testamentum rescidit, cum appellatione interposita male ab eo iudicatum constitit. *l. 5. §. 7. his vero cum seq. & §. 11. an libertas. ff. hoc tit.* cui dubio responderi ita potest ex eo quod testamentum iustum & verum ex post facto apparuit, videri testes quodammodo falsum testimonium dixisse, & sponte sua impugnasse testamentum, quod in præside idem dicendum: Cui & hæc ratio potest obijci, quod potuerit se excusare, & recusare, causamque ad legatum suum remittere, quasi & in eo peccauerit, quod in causa testamenti ius dixerit, in quo sibi aliquid erat relictum. Hæc etiam ratio possit adferri, quod I. C. palam non constituat præsidem esse indignum, qui testamentum pronuntiauit, sed referat tantum eorum opinionem, qui ipsum indignum existimabant quam nec probat nec improbat. Certè ad l. 24. Æthales. ff. ad leg. Corn. de fals. ex qua seruus, cui relicta erat libertas per fideicommissum, professus erat se probaturum quemadmodum falsum testamentum factum fuisset: Nec tamen libertatem aut fideicommissum amittit, rectè Cuiacius respondet in recit. ad d. l. 5. §. 7. in ea lege seruum tantum professum esse se probaturum, nihil vero probasse, id est testimonium non dixisse. Quarta exceptio ponenda est in legatario, qui in eius iura successit, qui inchoauerat querelam falsi vel irriti testamenti: is enim, si causam peregerit nec obtinuerit; emolumento tamen legati non decidit, quasi non ipse, sed alius eius voluntati obstiterit, à quo quid accepit. *l. 22. filius. §. multo. ff. de inoff. testam. l. 5. §. si filiusfam. ff. hoc tit.* Idemque constitutum in arrogatore, qui nomine filij cœptam ab eo contra testamentum patris naturalis querelam peregit: nec enim propterea eidem arrogatori honos à defuncto per legatum collatus auferetur. *d. l. 22. filius. paragr. fin. ff. de inoff. test.* alias si pater nomine filij egerit; legatum aut fideicõmissum amittit, quasi

Diuersum in aduocato.

Diuersum quoque in testibus qui legatum amittunt si contra testamentum testimonium præbuerint.

Diluitur arg. leg. 24. ff. ad l. Corn. de fals.

Legatarius legatum non perdit licet causam inofficiosi testamenti nomine hæreditario peregerit.

Idem in arrogatore qui causam à filio cœptam peregit.

Pater tamen qui agit nomine filij legatum sibi relictum amittit.

ipse impugnasse defuncti iudicium videatur: & vice versa si pater vel dominus nomine suo egerint; quod ipsis per filiumfam. vel seruum acquiri debuit amittunt, quasi vna eademque sit persona patris & filiifam. domini & serui, nisi si filiusfam. inuito patre testamentum accusauerit: nec enim ea res oberit patri cui quid fuerit eo testamento relictum. *d.l.5.paragr. si pater & seqq. ff. hoc tit.* Quinta exceptio proponi potest de eo, qui, cum sibi testamento alicuius esset relictum, codicillos eius falsos esse contendit: licet enim iudicium defuncti impugnauerit: tamen quia nihil ex codicillis petit, nō aufertur ei, quod ipsi testamento relictum fuit. *l.15. hæredi. ff. hoc tit.* quemadmodum etiam, qui falsum vel inofficiosum testamentum dicit, nihil perdit eorum, quæ citra causam testamenti habiturus foret, quale est quod sibi mortis causa donatum erat. *l.5. §. pen. ff. eod.* ad quam sententiam pertinet l.11. etiam. ff. de inoff. test. quamuis aliter Cuiacius sentiat lib.3. resp. Modestini. Sed idē recte docet ad d. §. pen. quemadmodum respondendum sit ad l. si sub conditione. ff. de bon. poss. contra tab. Superiori similis est sexta exceptio, si vnū ex hæredibus quasi falso adscriptum contenderit, cui ab alio hærede aliquid relictum erat: hic enim ab eo hærede, quem non inquietauit, emolumentum sibi relicti legati consequetur. *l. 4. ff. hoc tit.* Possit videri etiam ab eo testamentarium commodum consecuturum, quem inquietauit ex l. pen. paragr. 4. Sempronia. ff. de leg. 2. Sed in ea specie de iure testamenti non quærebatur, nec iudicium defuncti legatarius impugnauit, sed tantum de dolo egit aduersus hæredem, quasi callide & fraudibus commentitiis effecisset ne ipse legatarius institueretur. Septima exceptio illa proponi potest; non repelli legatarium à legato, aut hæredem à portione hæreditatis, qui non iure factum testamentum dixit, quod positum sup. ad l. 8. de inoff. test. Quantum autem ad l. pen. in pr. ff. de except. rei iud. ex qua possit contrarium probari, recte Cuiac. respondet. *lib. 14. quæst. Pauli, vnde illa lex pen. sumpta est & lib. 18. quæst. Papin. ad l. 87. ff. de leg. 1.* non excludi hæredem, quod iniustum testamentum dixerit, sed quod cum institutus esset ex sextante, & mediam partem hæreditatis tanquam ab intestato petiisset, mediam quoque partem sui sextantis vindicasse censeretur, id est vnciam; ac propterea in illa, rei iudicatæ exceptione repelli. Octaua illa exceptio est, cum aliquis iusta motus ratione à iudicio defuncti recessit: nam si filius institutus à patre prælegatum quoque meruerit, & patris hæreditatem non admiserit, non ideo à legato excludetur, quasi non tam iudicium parentis impugnet, quam sibi prospiciat, ne hæreditatem adeundo molestiis hæreditariis implicetur. *d.l.87. filio. ff. de leg. 1.* ad quam etiam plura notat Cuiac. d.l.18. quæst. Papiniani. Superioribus tandem adijcienda & causa illa, si minus legitimæ testatoris voluntati

Qui codicillos falsos dixit nō amittit quod sibi testamento relictū est.

Qui vnum ex hæredibus inquietauit non perdit quod sibi ab alio testator reliquit.

Legatarius qui arguit testamentū quasi non iure factum legatum non amittet.

Qui se abstinet ab hæreditate legatū sibi relictū non amittit.

Qui minus legitima defuncti

voluntati non paruerit hæres: nec enim propterea iure successionis vel legati decidet, sicuti sup. constituimus ad l.4. de instit. & subst. sub.cond.factis, conditiones testamentis ascriptas, quas vel natura vel probi mores impugnant, pro non adiectis haberi: is enim tantum indignus est, qui iustum iudicium impugnat, non qui mentis parum syncerae ludibria & veluti insomnia negligit, cuiusmodi illud quod in hac l.5. proponit Imp. si hæredes non paruerint ineptis morientium votis, qui multa impendia circa funus suum, vltra quam par est, fieri desiderauerint: non enim propterea ipsis, tanquam indignis auferetur hæreditas. Hæc fuit consuetudo veteribus Gallis, vt quæ in viuis chara habuissent, eodem igne comburerentur, quo cadauer ipsum defuncti, ac per hoc plerumque serui & clientes illius, qui in fata concessisset, in ignem se immittebant, vt refert Cæsar lib.6. comment. Quin & sepulchro ornamentũ condi interdum fas fuit vt docet Quintil. decl. 372. Id ipsum manifestius docet Virgil. lib.11. æn. quo loco funus Pallantis euandrij describit, nec alterius rei frequentior mentio apud auctores. At cum lex 12. tab. omnem inanem impensam sustulerit, quæ nec ipsa mortuis prodest, & multa viuis profutura demit; consequẽs fuit, vt in specie huius legis nihil debuerit hæredibus imputari, qui minus iuri conuenientem voluntatẽ insuper habuerunt: nam & Marcianus I.C. in l.113. servo. §. fin. ff. de leg.1. rectè docet non valere ineptas defunctorum voluntates circa sepulturam, veluti vt vestes vel quædam alia superuacua in funus impendantur.

voluntati non paret nec hæreditatem nec legatum amittit.

IDEM A. VENVSTO ET CLEMENTINO.

MINORIBVS *viginti quinque annis hæredibus non obesse crimen inultæ mortis placuit. Cum vos autem etiam accusationem pertulisse, & quosdam ex reis punitos proponatis: licet is, qui mandasse cædem dicitur, prouocauerit: vereri non debetis, ne quam hæreditatis paternæ à fisco meo quæstionem patiamini: conuenit enim pietati vestræ respondere & causam appellationis reddenti. Quod si maioris ætatis fuissetis: etiam ex necessitate prouocationis, certamen implere deberetis, vt possetis adire hæreditatem.*

L.6. C. eod.

PP. XV. Kalend. Iul. Alexandro A. III. & Dione Coss.

Idem A. Vitaliæ.

L.7.C.eod. tit.

SI ideo vltio necis testatoris non fuit desiderata, quia cædis autores reperiri non potuerint: obesse hæredibus ex quo eorum culpa nulla detegitur, non oportet. PP. Idib. Mart. Lupo & Maximo Coss.

VT sunt causæ plures, propter quas hæredibus, vt indignis eripitur à fisco hæreditas: Ita vna illa est & ordinaria, si defuncto occiso, aut alia qualibet ratione interempto, hæres eius necem vltus non est: Vnde etiam crimen ingrati contrahere dicitur. *l.22. Gaius Seius. ff. ad S.C.Sillan.* nec distinguitur, sit ne hæres testamentarius, an legitimus ab intestato veniens ad defuncti hæreditatem: Et est illud ita verum, vt ne quidem in hac re rusticitati parcatur, si forte ruri degentes homines propter iuris ignorantiam non vlti sint parentis interempti vel cognati necem, quod vtique etiam S.C.tis curiæ Parisiensis constat. Sed si facti ignoratione hæredes peccauerint, id est si cædis autores non potuerint reperiri; verius est, vt emolumentum hæreditatis ipsis non auferatur, vt hîc docet Imp. in l.7. Nihilominus, vt culpa vacent hæredes; debent inquirere genus mortis: Nec enim excusabuntur, si eo colore se defendant, quod nesciuerint hæredem morte arcessita & violenta periisse: Et ita quoque Cuiac. lib.13. quæst. Papin. accipit legem 17. hæredem. ff. hoc tit. quæ ex eo libro sumpta est. Non modo autem tenetur hæres mortem defuncti vlcisci: Sed nec possunt adire hæreditatem antequam eius necem vlti sint, quod ita est intelligendum, si à familia necatus sit, aut ab aliis palam & vi aperta: Nam si veneno & clandestinis insidiis, adiri potest: modo postea hæres necem defuncti vlciscatur l.9. hoc tit. & hoc etiam ita distinguit Cuiac. lib. 18. obs. cap. 6. Cæterum crimen inultæ cædis minoribus non obesse iam ante docuit Imp. l.1. in qu. caus. in int. rest. non est necess. nec sunt repetenda quæ ibi tradita sunt. Species autem huius legis hæc constituenda est. Mæuius aliquo mandante à sicariis quibusdam necatus est. Venustus & Clementinus defuncti liberi cum essent minores 25. annis adierunt hæreditatem, cum nondum vlti essent parentis necem, aut certe cum, iis agentibus & criminis quæstionem inferentibus, quidam ex reis supplicio affecti fuissent, is qui mandasse cædem dicebatur prouocauerat. Verebantur tamen

Rusticis non parcitur si parentis necem vlti non sint.

Ignoratio facti hæredes excusat si modo quos sperês mortis genus.

Species legis proposita.

illi ne, præpropere adita parentis defuncti hæreditate, eius quæstionem à fisco paterentur, ac propterea rem ad Imperatorem detulerunt quasi veniam neglectæ vltionis petituri. Rescribit Imp. minoribus non obesse crimen inultæ cædis, ac propterea ipsos inanem timorem gerere; & conuenire tamen pietati eorum, vt aduersus mandatorem cædis, qui appellauerat, certamen prouocationis implerent. Ratio dubitandi & decidendi prope eadem, quæ in d. l. 1. Sed vlterius etiam progredi licuerit, vt ne quidem maioribus videatur posse objici, quod defuncti mortem vlti non sint, quandoquidem verecunda cogitatio eius non est vituperanda, qui lites execratur. *l. 4. §. fin. ff. de alien. iud. mut. causa.* Deinde hæc est iuris ciuilis regula: neminem inuitum agere vel accusare compellendum. *l. vn. C. vt nemo inu. ag. vel accus.* Sed hæc ita vera sunt, cum quis ius sibi competens remittit, quod cuique licet, ne inhumanum sit veniæ nullam esse rationem. *l. 6. furti. paragr. pactusque. ff. de his qui not. infam.* Alioqui exemplo perniciosum esset, si illi ipsi qui in bona succedunt alicuius, eiusdem iniuriam non vindicarent, fieretque sæpissime, vt qui sperant alienam hęreditatem, eiusdem cui successuri sunt fata properarent fiduciâ impunitatis. Cum autem in quibusdam casibus regula, quæ proponitur in d. l. vn. cuiusdam æquitatis occasione circumscribatur, vt ibi docet Accurs. & Cuiac. in parat. C. & in hac quoque specie obtinet, illam locum non habere, vt suadente quadam iuris naturalis ratione tam grauem & atrocem iniuriam defuncto factam hæres quasi suam vlciscatur; eoque magis quod mortuorum iniuria in patrocinio viuorum esse debeat, cum sibi superesse non possint. Etiam eos, quos fatum consumpsit, subit aliquod leuamentum, si intelligant illos, qui sunt superstites in rebus humanis, curam sui aliquam gerere. Et vt constet priori regulæ semper locum non esse, etiam tutor contutorem suum suspectum facere & postulare tenetur vtilitate quadam pupillorum id suadente. *l. 2. C. de diuid. tut. l. 5. ff. de susp. tut.* At etiam alia occurrit ratio, quæ debeat hæredem sistere, quominus quæstionem propter defunctum interemptum inferat, quod nemini ius vltionis & vindictę sit permissum, vt propterea Deus vocari se velit Deum vltionum, quasi solius Dei sit scelerum vindictam repetere, qua de re est illud elegans D. Chrysostomi in epist. D. Pauli ad Romanos: (Ὅταν ἑαυτὸν ἐκδικῶμεν ὁ Θεὸς ἡμῶν οὐκ ἀμυνεῖ, ὅταν δ᾽ αὐτῷ παραχωρῶμεν, πλείων ἡ προσδοκωμένη γίνεται). Sed hæc sententiam propositam non euertunt, quando vltio iniuriæ ea tantum improbatur, quam quis per se & propria autoritate repetit: Cæterum per magistratum pœnas à reis exposcere omnis ratio permittit. Imo etiam, vt recte Imp. in l. 13. nullus. C. de Iudæis. Ideo iudiciorum vigor, & iuris publici tutela in medio est constituta, ne quis sibi permittere valeat vltionem. Alioqui

Nemo inuitus agit vel accusat.

Exceptione superioris regula.

etiam publicè intereſt ſcelera vindicari, ne crimina impunita coaleſcant, qua de re ſup. in axiomat. polit. cap. 26. Animaduertendum ex hac lege 6. illud conſtare id quod dicitur in §. illud. de mandato apud Iuſtin. rei turpis & flagitioſæ mandatũ non eſſe obligatoriũ; ita intelligi, vt is qui mandatum exſecutus eſt, & in pœnam incidit, nullam habeat contra mandantem actionem; non vt etiam ipſe rei flagitioſæ mandator à pœna ſit ſecurus, quando & is quaſi ſicarius puniri debet, ſi delictũ aduerſus eum probetur: Et ita Vlpian⁹ in l. 15. §. 1. ff. ad l. Corn. de ſicar. ὁ ἐντειλάμενός τινι φονεῦσαι ὡς φονεὺς κολάζεται, quãuis hęc definitio in aliquibus codicibus deſit, & maximè à Florentinis abſit. Sed non minus vera eſt: Nam illud idem nominatim Paulũs conſtituit lib. 5. ſent. tit. 23. & in aliis fere iuris articulis verum eſt rei turpis mandarorem, quaſi ipſe deliquerit teneri. *l. 5. C. de accuſat. & inſcr. l. 11. §. 3. ff. de iniur.* Quod vltimæ parti legis 6. objicitur lex 21. propter §. fin. ff. ad S. C. Sillan. vera eſt ſententia Bartoli, quæ & gloſſæ Accurſij adijcitur, ſi reus cædis condemnatus appellet, tum hæredem maiorem 25. annis iudicium appellationis peragere debere, antequam adeat. Sin abſolutus ſit, ipſi hæredi noxiæ non eſſe, qui non defunctoriè accuſationem inſtiruerat, ſi non prouocet, & de iniquitate ſententiæ non queratur, quaſi id tantum ab eo exigatur vt reum ad ſententiam vſque peragat.

Mandator cædis punitur vt is qui occidit.

Objicitur & diluitur lex 21. par. fin. ff. ad S.C. Sillan.

IMP. ALEXANDER A. MOCINO ET ALIIS.

Lex 1. C. de codicillis.

RVPTO *quidem teſtamento poſthumi agnatione, codicillos quoque ad teſtamentum pertinentes non valere in dubium non venit. Sed cum poſt ruptum teſtamentum patrem pupillorum veſtrorum litteras emiſiſſe proponatis, quibus præcedens iudicium confirmauit: Prætor nihil contra ius fecit, ſi nouiſſimam eius voluntatem ſecutus, relictum teſtamento reipub. fideicommiſſum, vt ex codicillis relictum, præſtandum eſſe pronunciauit. PP.* III. *Kal. Iul. Maximo III. & Paterno Coſſ.*

SVpra poſitum ad l. 2. de bon. poſſ. contra tab. quot ſint poſthumorum ſpecies. Hæc lex pertinet ad Velleianos, id eſt eos qui

viuo patre post testamentum nati sunt. Satis autem fuerit summatim sententiam & speciem legis proponere: vtraque est perspicua. Sententia hæc est: Rupto testamento posthumi agnatione codicillos quoque ad testamentum pertinentes rumpi, nisi ruptum testamentum noua voluntate pater pupillorum confirmauerit, vt iam ex posteriori voluntate vicem codicillorum obtineat, atque ex eo tanquam ex codicillis fideicommissa deberi possint. Species hæc est. Titius fecit testamentum cum forte vxorem non duxisset, aut ex ea quam duxerat nullos liberos speraret. Mox liberos suscepit, quorum agnatione cum sciuisset testamentum suum esse ruptum, litteras emisit, quibus testamentum vires suas obtinere voluit. Post mortem testatoris respub. siue ciuitas, in qua morabatur testator fideicommissum petebat. Pupillorum tutores Mocinus & alij solutionem detrectabant, & dubij tamen precibus imperatori oblatis & illis enarrata fide veri eum consuluerunt. Rescribit Imp. rupto quidem testamento, in ea quoque causa esse codicillos, vt non valeant; sed in specie proposita nouam defuncti voluntatem facere, vt ex testamento rupto quasi ex codicillis fideicommissum reipub. debeatur. Occurrebat hæc dubitatio, quod rupto semel testamento ex eo nihil peti possit l.1.C.de posth.hær. inst.vel exhær. Ratio decidendi hæc est, quod posterior voluntas testatoris ruptum testamentum ad vicem codicillorum redegit, vt iam non quasi ex testamento debeatur fideicommissum, sed tantum velut ex codicillis ab intestato factis. Igitur vt clausula codicillaris, qua testamento cauet testator, se velle vt quo casu testamentum non valeat iure testamenti, valeat iure codicillorum, vel qua fideicommissa vel legata testamento relicta ab intestato repetuntur præstanda ab omni hærede aut bonorum possessore, efficit vt eo rupto vel irrito constituto, nihilominus legata vel fideicōmissa debeantur. *l. ex ea. §. fin. ff. qui testam. fac. poss. l. pen. §. fin. ff. de leg. 2. l. ex testamento. C. de fideicomm.* ita vbi ruptum est semel, potest ex post facto cauere testator, vt ad vicem codicillorum redigatur, quod hæc lex satis manifestè docet. Quare definitio d. l.1. C. de lib. & posth. ita accipienda est si testamento non sit adiecta clausula codicillaris, aut post ruptum viuo testatore testamentum, ipse noua voluntate prius iudicium non confirmauerit: Quamquam sunt præterea casus multi, in quibus ex testamento rupto aut irrito fideicommissa peti possunt, de quibus Accursius in l. eam quam. in verbo traduntur C. de fideicom. & Cuiac. ad d. l. ex ea. Rectè etiam idem Accursius hoc loco ita rumpi codicillos admittit, si testamentum subsit, quia tunc vt ex testamento vires eius constant: Ita eo rupto rumpuntur etiam; qui fiunt ab intestato non item, quia ad omnem successorem porrecti videntur. Eam differentiam hoc loco facit ipse

Sententia legis proposita.

Species eiusdem.

Clausula codicillaris quasit.

Posthumi agnatione rumpuntur tantum codicilli qui ex testamento valent non illi, qui facti sunt ab intestato.

Imp. dum non simpliciter rumpi codicillos tradit, sed illos, qui ad testamentum pertineant. Sane qui vxorem prægnantem habere se nesciens codicillos ad filium quem habebat scripsit, posthumô posteanatô; licet non rumpuntur, vt testamentum rumperetur: Tamen pro parte tantum legata debebuntur: Ea vero quæ pro parte præstari non poterunt, omnino non debebuntur, nisi forte libertates excipi debeant, quod magis est. *l. pen. ff. hoc tit.* cui definitioni pugnantia legum capita Cuiacius soluit, & explicat lib. 19. quæst. Papin. ad l. 11. qui graui hoc tit.

IMP. ALEXANDER A. ANTIOCHO.

Lex 9. C. de legatis.

SI in fraudem eorum, quæ testamento relicta sunt, admissus est accusator, qui testamentum falsum diceret: Præses prouinciæ secundum iurisdictionis formam solui legata iubebit, interposita cautione, si euicta fuerit hæreditas, ea restituturum: Quamuis alias cautioni tunc locus sit, cum sine controuersia legata soluuntur. PP. VII. Id. Februar. Maximo II. & Æliano Coss.

CViacius lib. 9. obs. cap. 25. & lib. 18. cap. 9. non vult nouissima verba huius legis, *quamuis &c.* pertinere ad cautionem, *si cui plus quam per legem falcidiam licuerit restitutum iri*, sed ad cautionem, *euicta hæreditate legata reddi*, de qua initium legis erat: Secundum quæ hæc quoque huius legis erit sententia: Motâ controuersiâ de hæreditate hæredem legata exoluere debere præstita cautione, euicta hæreditate legata reddi, sicuti eadem præstaretur, si legata peterentur, cum in ea causa esset hæreditas, vt moueri controuersia posset. Species illa est. Cum Titius fecisset testamentum, & quibusdam legata reliquisset; extitit qui testamentum falsum diceret, vt per hoc fraus fieret legatariis, quia scilicet ab hærede testamentario subiectus erat, qui ab intestato quoque poterat succedere, & quærebat rationem, qua onere legatorum liberaretur. Legata interim petebantur, & incertum erat an iure id desideraretur, & qua conditione id admittendum foret. Rescripsit Imp. præsidis prouinciæ officio illud incumbere, vt iubeat legata solui interposita cautione, si hæreditas euicta fuerit ea restitutu iri: Sic enim legi debere Cuiacius docet lib. 18. obs. cap. 9. Mouebat quod ea cautio soleat

Sententia legis proposita.

Species eiusdem.

tantum interponi, cùm non est controuersia mota, sed in ea tantum causa est hæreditas vt moueri debeat, aut possit. Ratio decidendi est, quod quæ interponitur cautio nondum motâ controuersiâ: Multo magis debeat præstari lite iam inchoata, cùm maior metus possit hæredem percellere, ne ab eo euincatur hæreditas, ac propterea interdum legatum non præstatur, quamuis cautio offeratur. *l. 6. ff. de pet. hæred.* In hac tamen specie alia legati exigendi sine cautione ratio erat, quod summissus & subiectus esser accusator, qui per speciem falsum testamentum diceret. Sed potuit illud non constare: Ideoque quasi in re dubia & incerta exigi cautio debuit.

IDEM A. INGENVÆ.

CVM *alienam rem quis reliquerit, si quidem sciens; tam ex legato quam ex fideicommisso ab eo, qui legatum seu fideicommissum meruit, peti potest. Quòd si suam esse putauit: non aliter valet relictum, nisi proximæ personæ, vel vxori vel alij tali personæ datum sit, cui legaturus esset, etsi scisset rem alienam esse. P P. V. Kal. Feb. Alieno & Maximo Coss.* L. 10. C. eod. tit.

VEl ex ipsis iuris ciuilis elementis, §. *non solum. de legatis.* manifesta est distinctio hoc loco proposita; rei alienæ legatum vel fideicommissum ita demum constare, si eam alienam esse testator sciuit: hac scilicet ratione, quia videtur hic animo fuisse, vt vel rem emptam legatariô vel fideicommissario præstet hæres, vel si iniustum aut immensum pretium dominus exigeret, aut omnino eam vænisse nollet, æstimatio legatario præstaretur arbitrio boni viri. *l. 14. non dubium. §. fin. ff. de leg. 3.* Sin quasi suam testator existimauerit legatum non valet; illa ratione, quod non censetur testator in dubio voluisse, vt hæres rem ipsam emeret & præstaret, quia plerique in legădis suis rebus quam alienis sunt faciliores. *l. 67. vnum. §. si rem. ff. de leg. 2.* Excipit Imp. nisi is qui credebat rem suam esse eam legauerit coniunctæ personæ: nam illo casu etiam legatum constat quod propter necessitudinem testator videatur aliam rem legaturus eiusdem pretij, vel eam ipsam rem si cognouisset ad se non pertinere, quod & definitur in l. 6. inf. de fideicomm. Sed sunt & casus *Rei alienæ legatum valet si eius conditionem testator sciuit.*

& alij in quibus rei alienæ legatum factum ab ignorante constat, qua de re Accursius hoc loco & Cuiac. in recit. ad hunc tit. & lib. 14. obs. cap. 36. Incidunt vero etiam & casus alij quos illi non animaduertêre, in quibus rei alienæ legatum quam suam esse nesciuit testator, vel à principio non valet, vel quod valuerat desinit valere. Prima inspectio est circa rem legatam, quæ est publica, sancta, religiosa, vel sacra: nam res illa non debetur, quia in commercio non est; nec æstimatio, quia non possunt videri eiusmodi res æstimationem vllam accipere, quæ nec vendi solent aut possunt, & omnino sunt impretiabiles. *l. 39. cum seruus. alias l. 40. apud Iulianum. §. fin. ff. de leg. 1.* neque obstat lex 112. si quis inquilinos. in pr. ff. eod. nam licet verum sit seruos ascriptitios siue inquilinos agricolas aut censitos, qui glebæ dicuntur ascripti, vendi non posse, sine prædiis quibus adhærent. *l. 2. & 7. de agric. & censit. lib. 11. C.* tamen sui natura in commercio hominum sunt, & ideo potest eorum æstimatio deberi si legati sunt, quod multo magis obtinet, si res sui natura sit in commercio, licet hæres eius commercium non habeat. *l. 49. mortuo bone. §. 2. Labeo. ff. de leg. 2.* nam è contra si sit in commercio hæredis, non legatarij, nec res nec æstimatio debebitur, qua de re plura Cuiac. in prior. not. ad libros instit. tit. de legatis & ad l. 54. multum. ff. de verb. obl. Desinit autem valere legatum rei alienæ in specie legis 52. si alienæ. ff. ad S.C. Trebell. cum dominus rei alienæ legatæ ipsi legatario succedit: nam quia semel ad eum casum res deducta est, à qua incipere non potuit; inutile legatum constituitur, licet eam alienam sciuerit testator, & legatum à principio constiterit: quod idem fiet, si ante mortem rem ipsam sibi legatam legatarius ex causa lucratiua à domino vel alio sit consecutus: ne enim præiudicium fiat illi regulæ, qua circa eandem personam eandemque rem non admittitur cõcursus duarum causarum lucratiuarum, legatum prius fit inutile. *§. 6. si aliena de leg. apud Iustin. l. 17. & 19. ff. de obl. & act.* quæ regula habet locum in legatis corporibus: nam in quantitate legata non modo ex diuersis testamentis, sed etiam in eodem testamento potest bis ter-ve eadem summa deberi & præstari, si summam duplicari voluisse testatorem appareat. *l. 34. planc. §. 1. cum seq. ff. de leg. 1. l. 12. quinquaginta. ff. de probat.* & hinc est cur in l. 87. Titia. ff. de leg. 2. ex duobus testamentis quis possit tesseram frumentariam consequi, quia tale legatum in quantitate magis quam in corpore consistit.

Cum ex parte rei legatum non debetur quia nõ est in cõmercio, æstimatio etiam non debetur.

Obijcitur lex 112. ff. de leg. 1. & diluitur.

Casus quo rei alienæ legatum valet à principio & postea desinit valere.

Si rem alienam sibi legatam quis ex causa lucratiua consecutus sit extinguitur legatum.

IDEM

IDEM A. ALBINIANO.

FILIA *legatorum non habet actionem, si ea quæ ei testamento reliquit viuus postea pater in dotem dedit.* PP. V. *Non. Mart. Pompeiano & Peligno Coss.* L. II. C. eod. tit.

DVplex ratio filiæ desiderium impugnabat. Prima est, quod videretur pater præstitisse legatum in antecessum, vt plerumque testator dicitur futuro hæredi prospicere circa falcidiam. *l. 56. cum quo. paragr. fin. ff. ad leg. falcid.* Secunda, quod non debeat admitti concursus duarum causarum lucratiuarum in vnam eandemque personam & rem eandem, quod fieret, si res legatas iam ex causa dotis consecuta, easdem aut earum æstimationem rursus peteret: quod vt dici possit, constituendum est, in hac specie legatum corporibus non quantitate constitisse: alioquin voluntatis admittetur quæstio, an duplicari quantitatem pater voluerit, quod facilius dici potest, quam vt corpora semel ex lucratiua causa præstita rursus peti possint. *l. pen. paragr. impuberem. 7. ff. de leg. 2.* Quamquam potest etiam illud dici filiam à patre res dotales non habere ex causa lucratiua: nam vt paternum officium est dotem filię date l. fin. C. de do. prom. & nu. pollici. ita magis censetur pater debitam fidem exoluere, dum filiam assignata dote nuptui collocat, quam lucrum aut beneficium in eam conferre, quo fit etiam vt causa dotis à lucratiuorum descriptione liberetur. *l. vn. in fi. de impon. lucratiuis descript. lib. 10. C.* Ab extraneo pro muliere data potest videri donatio esse, vt hoc quoque nomine olim insinuatione indigeret, licet ex mariti parte causam onerosam omni casu continere dicatur propter onera matrimonij *l. fin. C. de iu. dot.* à patte vero data vix causam lucratiuam continet: ideoque cessante secunda ratione quam posuimus remanet prior quæ filiam excludit. Verum quia & hoc loco & ad legem superiorem mentionem fecimus regulæ, quæ impedit concursum duarum causarum lucratiuarum: de ea subijciendæ comprehensiones quædam breues. Hæc prima est, illam definitionem sic accipi, si is cui ex duobus testamentis legata res est eadem, rem ipsam prius consecutus est: nam si æstimationem tantum, ex alio testamento rem poterit rursus consequi. *paragr. 6. si aliena. de leg. apud Iustin.* cuius distinctionis hæc ratio est, quod mens vtriusque qui legauit hæc fuerit, vt legatarius rem consequeretur; ideoque si æstimationem dumtaxat acceperit, quasi nondum voluntas plenum ef-

Patris officium est dotem filia dare.

Dotis causa non est lucratiua nisi ex parte mulieris pro qua eam extraneus cōstituit.

Vbi res eadem eidem duobus testamentis relicta est, extinguitur causa secundi legati si legatarius ex primo testamento rē habeat, non si æstimationem tantū

fectum habuerit, ex alio testamento res peti potest: At vbi res primum præstita est, quasi prima intentio vtriusque testatoris exitum habuerit, qui voluerunt ex causa lucratiua dominium rei illius legatario contingere, causa posterioris legati in totum perimitur: qua tamen in re pugnat lex 34. plane. paragr. 1. Digest. de leg. 1. vbi dicitur, si duorum testamentis res eadem legata sit bis, eam peti posse, vt ex altero rem consequatur legatarius, ex altero æstimationem: Sed dicendum verborum ibi translationem esse, & ita accipi locum illum, *vt ex altero testamento æstimationem consequatur, ex altero rem*: nec aliter explicandus Papiniani locus in l. 66. Mæuius in pr. ff. de leg. 2. quem Cuiacius neglexit lib. 17. quæst. Papiniani: nam ex eo quod ibi dicitur constitutionem D. Pij de qua in d. l. plane. parag. 2. ad vnum testamentum pertinere si eidem sæpe idem corpus legatum sit, vt non etiam oneretur hæres amplius quam semel illud præstare, non propterea sequitur eandem rem ex duobus testamentis vni legatam, ex vtroque deberi, nisi cum distinctione superius allata, si ex priori testamento æstimationem, ex posteriorem consequatur: & quod in d. l. Mæuius. paragr. 3. dicitur vbi æstimationem consecutus est legatarius, rem non consecuturum, id ad speciem eo loco propositam restringendum est, qua vnus idemque testator ab vno ex hæredibus rem testamento legasset vni, & eidem codicillis eandem ab omnibus hæredibus reliquisset: legatarius, qui primum ex testamento æstimationem nactus est, non potest postea rem ex codicillis consequi, quia ad vnam tantum præstationem voluntas testatoris se retulit: ex quo apparet, si in duorum testamentis hoc inciderit, & ex primo legatarius æstimationem nactus sit, ex altero rem posse petere. Nec obstat lex 84. eiusmodi. paragr. 1. ff. de leg. 1. Nam cum rem à se alicui legatam post biennium eidem hæres præsenti die legat; magis videtur obsequi voluntati testatoris, quam ipse suo nomine legatario aliquid dare: & ideo si ipsius hæredis hæres pretium rei legatario præstiterit, ex posteriori testamento adueniente die prioris legati non compelletur rem præstare, quæ recte peteretur, nisi appareret hæredem suo testamento non rem ex sua liberalitate ad legatarium pertinere voluisse, sed tantum commodum repræsentationis, cum prius legatum iam dominij effectum præbuisset. Sed præter superiora notandum est; illi regulæ locum non esse, cum duo hęredes vnam eandemque rem in solidum eodem testamento dare damnati sunt: nam vnusquisque solidum ex eo testamento præstabit, id est vnus rem, alter æstimationem. *l. 53. quid ergo. paragr. 1. ff. de leg. 3.* nec superioribus obstat, quod ibidem dicitur idem esse si duobus testamentis legatum esset, quasi indistinctè concursus duarum causarum lucratiuarum in vna eademque re debeat admitti: namque quod ibi dicitur, id ita acci-

Proponitur & diluitur argumentum contrarium.

Proponitur & diluitur aliud argumentum.

Diluitur argumentum ex l. 84. parag. 1. ff. de leg. 1.

Admittitur concursus duarum causarum lucratiuarum in re qua legata est in eodem testamēto à duobus hæredibus.

piendum si posteriori testamento cauerit testator, vt velit legatarium ex sua liberalitate rem vel æstimationem consequi, licet iam rem illam ex alterius testamento consecutus sit: nam propter hanc voluntatem expressam circumscribitur haud dubiè regula superior, quæ impedit concursum duarum causarum lucratiuarum; sicuti circumducitur in vnius testamento, cum euidens est voluntas testatoris desiderãtis vltra rem ipsam ex causa lucratiua acquisitam legatario, eidẽ præstari æstimationem. *l. nutu.21.§.1.ff.de leg.3.l.42.si duobus.* *aly.ff.de vsufr.* Præscribi etiam ei regulæ dicendum est in ea specie, qua testator duobus rem eandem legauerit; deinde hæres vni his rem eandem reliquerit: nam pro parte valet secundum legatum, quasi videatur hæres cogitasse de altera parte, quæ ad socium peruenerat, vt in ea legatum secundũ consistat, non in parte illa quam legatarius ex priori testamento consecutus est titulo lucratiuo; sicuti si duorum testamentis pars fundi sit legata; solutio prior non perimit alteram actionem, quasi vno testamento pars alia, altero etiam altera relicta censeatur. *d.l.66.Mæuius in pr. & §.1.ff.de leg.2.* quod idem est si ex duobus testamentis Stichus aut Pamphilus legati sint: nam licet vtroque testamento sit eadem forma legandi: tamen si Stichus ex primo sit præstitus, poterit Pamphilus ex secundo peti. *l.82.non quocumque.§.fin.l.84.huiusmodi.§.Si Titio.ff.de leg.1.* Vltima illa conclusio est; eum cui ex causa lucratiua res obtigit, si eandem rem alteri restituere rogatus sit, vel aliqua conditione existente ab eo abscessura sit, aut pro ea aliquid inferre, vel eius pars aliqua interueniente lege falcidia ei ablata sit, ex posteriori testamento rursus illam nancisci posse, vt saltem ex eo consequatur, quantominus plenum ius legatũ aut acquisitio fuit minus lucrosa. *l.34.plane.§.4.sed si rem.d.l.82.non quocumque in pr.l.108.si seruus.§.Stichum.ff.de leg.1.l.83.inter.§.9.si rem.ff.de verb.oblig.*

Cum res eadem duobus legata est & præstita & rursus vni ex his legata est valet legatum in parte qua socij est.

Cum duobus testamentis Stichus & Pamphilus relicti sunt potest ex vno testamẽto Stichus peti ex altero Pamphilus

Si is, qui ex causa lucratiua rẽ nactus est, non eam integram sit consecutus, ex alio testamento potest consequi, quod sibi abest.

IMP. ALEXANDER A. VICTORINO.

VOLUNTAS *patris prohibentis liberos fundos extra familiam vendere, vel pignori dare, fratrem sorori donare prohibuisse non videtur. P.P.V.Kal. Maximo II. & Æliano Coss.*

Lex 4. Cod. de fideicom. missis.

FAmiliæ nomen in hac lege non hæreditatem significat, vt in tit. familiæ herciscundæ; non cœtum seruorum, vt in tit. si fami-

Familia multiplex significatio.

lia furtum fecisse dicatur; non pro personis vnius potestati subiectis, vt cum dicitur filiusfam. paterfam. qua significatione nomen familiæ comprehenditur. *l.195. pronuntiatio. §.1. & seqq. ff. de verb. signif.* sed pro his qui sunt ex eadem cognatione aut agnatione, quo fit vt etiam filij emancipati, qui alias extra familiam esse dicuntur, familiæ appellatione veniant, quia remanent post capitis diminutionem cognati. *l. 69. peto. §. fin. ff. de leg. 2.* Quineriam si familiæ fideicommissum relictum sit, nurus vel gener familiæ appellatione continetur, & illis deficientibus liberti quoque defuncti. *l. fin. C. de verb. signif.* Frequens autem illa lex testamenrorum, ne res legatæ extra nomen, vel extra familiam defuncti alienentur, & illa quidem verba, *ne fundus alienetur*, interdum nudum præceptum continent, sicuti dictum fuit ad l. 7. sup. de admin. tut. quod si vetuerit testator alienari, donari, pignorari, quo ad hæres vixerit; ipse hæres in eo liberam habet testandi facultatem *l. 38. pater. paragr. fundum. ff. de leg. 3.* Verum illa verba, quibus cauet testator, ne fundus extra familiam alienetur, aut, ne de familia exeat, inducunt fideicommissum, vt is cui fundus datus est necesse habeat illum vni ex familia cum morietur relinquere, aut certè nemine electo aut fundo alienato extra familiam proximus quisque ad fideicommissum admittetur. *l. 69. peto. §. fin. ff. de leg. 2.* vt inde ad sequentes gradus possit peruenire. *l. vnum 67. paragr. 4. sed & si. vers. & ideo. ff. eod.* quo casu tamen illi tantum admittentur, qui tempore mortis in familia, aut ex nomine defuncti erant; nisi specialiter ad vlteriores, qui post se & in perpetuum nascerentur voluntatem suam extendi testator voluerit. *l. 32. omnia. §. fin. ff. eod. tit.* quod fiet perspicuum, si alienationem fieri vetet *εἰς ἅπαντα χρόνον*, vt dicitur in l. pen. paragr. instituto. ff. de leg. 2. Sed iure nostro aliter obtinet: Nam substitutio omnis directa vel fideicommissaria intra quartum gradum subsistit, & ei libera alienandi facultas permittitur, qui ad bona substitutioni obnoxia quarto demum gradu peruenit non connumerato eo, qui institutus est, aut cui legatum vel fideicommissum fundi alicuius est relictum: Idque ita obtinet ex constitutione Caroli 9. Pertinet autem sententia huius legis ad fideicommissum familiæ relictum, cum fundos quosdam vetat testator extra familiam à liberis vendi, quo efficitur vt videatur voluisse vt post mortem eius cui dati aut legati sunt fundi restituantur alicui ex familia, vt dictum est; & nemine electo, & extraneo hærede instituto, statim perueniant ad eos qui in familia defuncti proximum gradum tenent. Constituit autem Imp. in hac lege, nihil videri factum contra voluntatem testatoris, dum frater sorori donat fundos, quos extra familiam vendi aut pignori dari prohibuit. Pignorationis mentio debuit adijci vt in d. l. pen. paragr. instituto. quia alienatione tantum prohibita,

Filij emancipati familiæ nomine continentur.

Verba illa, ne fundus extra familiam alienetur inducunt fideicommissum.

Substitutio quælibet iure francico non egreditur quartum gradum.

Sententia legis propositæ.

potuit commento pignorationis eludi voluntas testatoris; quo fit vt in plerisque iuris locis alienatione prohibita, adijciatur etiam prohibitio pignorationis vt in tit. de fundo dot. & tit. de reb. min. sine decr. non alien. vel supp. ac propterea cum Constantinus Imp. minores, qui ætatis veniam impetrassent, vetuisset prædia sua alienare sine decreto, antequam fierent ætatis legitimæ: Iustinianus alia constitutione prohibuit hypothecam. *l. 2. & 3. C. de his qui ven. æt. imp.* Sed alienationi adiecit præterea idem Iustinianus vsumfructum, seruitutem, emphyteusim, in his rebus constitui non posse, quarum lege, pactione, vel testamento, alienatio prohibita est. *l. fin. C. de reb. al. non al.* Quænam autem ratio dubitandi in hac specie occurrat, non est commodum palam definire, nisi dicamus hactenus visum vt quemadmodum in multis iuris articulis deterior est conditio fœminarum quam masculorum. *l. 9. in multis. ff. de statu hom.* ita familiæ appellatione fœminas non contineri, vt inde etiam filia dicatur familiæ suæ caput & finis. *l. 195. pronuntiatio paragr. fin. ff. de verb. signif.* & eam patris esse *κτῆμα ἀλλότριον* Solon dixerit, quod à nomine familiæ paternæ transitura esset in familiam mariti. Sed familiæ nomen non tam stricte sumi supra constitutum est; ideoque illo etiam fœminæ continentur, sed & nati ex illis, quia cognatio naturalis spectatur, non ciuilis tantum. Non est verum, quod Accursius hoc loco & Ioannes Faber tradunt, sororem cui frater vendidit fundos, iam habere ius illos vendendi extraneis: Et est inanis illa ratio distinguentium, an is ad quem secundo loco res peruenit eam habeat ex voluntate eius, qui fideicommisso grauatus est, an cum extra familiam alienasset, iure tantum prioris testamenti venerit: Neque valet argumentum ductum ex l. 38. pater. paragr. 5. quindecim. ff. de leg. 3. nam non tantum effectus est eorum verborum, cum vetitus est legatarius alteri vendere, quam collegatariis, ac eorum, cum quis vetatur extra familiam vendere: Nam hæc verba sunt *παραγγελτικώτερα*, vt non tantum vetetur alienare legatarius sed post eius mortem etiam is, qui vel electus erit, vel exsequenti gradu ad fideicommissum verbis testamenti vocabitur, quod apparet ex d. l. peto. paragr. fin. ff. de leg. 2. Non est etiam illud verum, & in eo ab Accursio dissentit Io. Faber, cum quis rogatus est vni ex familia fundum sibi legatum relinquere, illum qui electus est, vel citra electionem ad fideicommissum venit, non posse alienare: Nam eiusmodi verba nullum inducunt fideicommissum familiæ in perpetuum relictum: Et placet etiam Cuiacio differentiam esse inter illa duo, *peto vt vni fundum restituas*, & illa *peto ne fundus è familia exeat*, vt docet lib. 15. obs. cap. 2. & lib. 19. quæst. Papin. ad l. vnum ex familia paragr. sed & si. ff. de leg. 2.

Prohibita rei alienatione prohibetur quoque pignoratio.

Sed & in ea re prohibetur imponi vsusfructus seruitus emphyteusis.

Familiæ appellatione filiæ continentur & nati ex illis.

IDEM A. REGINÆ.

L.5.C. eod. *SI frater tuus postea, quam hæres patri extitit, pubes iam sine liberis decessit: Ex pupillari substitutione tibi hæreditas eius delata non est. Sed si verbis fideicommissi aliqua parte testamenti confirmata est: Fideicommissum ab hæredibus petere non prohiberis. PP.XV.Kal. Febr. Iuliano II. & Crispino Coss.*

Pater non potest filio substituere directò vltra annos pubertatis.

CErtum est patrem impuberi filio, quem in potestate habet, non posse substituere directò vltra tempus pubertatis, vt nec potest etiam omnino impuberi extraneo, vel filio impuberi emancipato substituere, si intra aliquod tempus decesserit. *paragr. fin. de pupill. subst. apud* Iustinianum *l.7. verbis. ff. de vulg. & pup. subst.* & propterea, si longius tempus in pupillari substitutione comprehensum sit, tamen pubertate finitur substitutio. *l.14. in pupillari. ff. eod.* Excipienda est semper causa miliris, qui hoc habet ex priuilegio, vt dato liberis impuberibus substituto, *quandocumque decesserint*, vel certa demonstrata ætate, post pubertatem moriente filio substitutio directis verbis facta in fideicommissum flectatur. *l.15. centurio. ff. eod. tit. l. precibus. C. de impub. & al. subst.* Quidam etiam existimauêre in pagani testamento illud idem obtinere, vt substitutio directa egrediens annos pupillares, post pubertatem valeat iure fideicommissi: Quæ sententia pugnat manifestissimè cum d.l.14. ff. de vulg. & pup. subst. & tamen est approbata iure canonicō. *cap. Raynutius. extr. de testam. & cap.1. eod. tit. in 6.* quod ex errore quorumdam interpretum iuris ciuilis fluxit, qui legem Scæuola. ff. ad Trebell. & alios iuris locos in hanc sententiam contorserant, vt fusius docet magnus antecessor in recitat. ad d.l. precibus & lib.6. resp. Papin. ad d.l.7. verbis. Sed & ad sententiam eius euincendam huius legis 5. species pertinet maximè. Filio impuberi, quem ex parte vel ex asse hæredem instituerat, pater qui non militabat, Reginam filiam suam ipsius impuberis sororem substituerat verbis ciuilibus, in eum forte casum, quo decederet intra certum tempus, quod annos pubertatis egrediebatur, vel quandocumque decederet. Male Accursius ait hæc verba esse precaria vel fideicommissaria: Nam sunt directa, si testator dixerit, *quandocumque filius meus decesserit Regina filij mei*

Diuersum in milite.

Iure canonico substitutio facta à pagano vltra pubertatem flectitur in fideicommissum.

Species legis propositæ.

hæres esto; fideicommissaria vero, si ita testator dixerit *rogo te fili vt quandocumque decesseris hæreditatem meam restituas Reginæ.* Igitur directa à patre vltra annos pubertatis, vel certa definita ætate, vel compendio verborum, quandocumque decessisset facta substitutione, contigit, vt filius pubes factus sine liberis facto testamento decesserit: Nam hæredes hîc testamentarij sunt, alioqui mater succederet ab intestato & soror. *§. frater de S.C. Tertyll. apud Iustin.* Regina hæreditatem fratris, aut certè bona paterna, quæ ad eum peruenerant, iure substitutionis vindicabat. Contradicebant defuncti hæredes testamentarij. Preces ipsa obtulit imperatori: Rescribit ille; ex pupillari substitutione fratri facta à patre delatam ipsi Reginæ successionem non esse, nisi verbis fideicommissi aliqua parte testamenti ipsa pupillaris substitutio, quæ vltra pubertatem facta esset, confirmata foret. Occurrebat ratio potestatis patriæ, qua moribus est receptum vt filio impuberi pater posset substituere, quem hæredem voluerit *l. 2. ff. de vulg. & pup. subst. §. 1. de pup. subst. apud Iustin.* Ratio decidendi illa est, quod illud demum patri liceat liberis impuberibus hæredes per pupillarem substitutionem dare vsque ad 14. annum in masculis vsque ad 12. in fœminis, quia vsque ad illud tempus impuberes non possunt sibi facere testamentarios hæredes: Quamuis possit etiam esse illa ratio, quod vix est vt ante illam ætatem spes vlla ipsis impuberibus sit liberorum suscipiendorum, cum nec ante eam ætatem iustæ nuptiæ possint consistere: Alioqui si daretur, vt contigit interdum impuberem vxore ducta, & liberis superstitibus ante impletum 14. annum decessisse, aut puellam ante 12. annum ex matrimonio legitimo liberos edidisse: Dubium non est quin liberi substituto præferrentur *arg. l. 43. ex facto. ff. de vulg. & pup. l. 102. cum auus. ff. de cond. & dem.* Illa verba, *sed si verbis &c.* Quæ in hac lege subiiciuntur satis aperte docent directa verba substitutionis pupillaris, quæ annos pubertatis excedit, sua vi non flecti in fideicommissum in pagani testamento, de quo hæc lex est accipienda. Et potuit Cuiacius in suam sententiam ex hac lege ducere validissimum argumentum.

Substitutio pupillaris non egreditur annos pubertatis.

IDEM A. NILIO.

PRÆDIA *obligata per legatum vel fideicommissum relicta hæres luere debet: Maximè, cum testator conditionem eorum non ignorauit: Aut si scisset, legaturus aliud*

Lex 6. Cod. eod. tit.

tibi, quod non minus esset, fuisset. Sin vero à creditore distracta sunt: Precium exsoluere hæres cogetur, nisi contraria voluntas defuncti ab hærede ostendatur. P P. XVI. Kal. Mart. Iuliano II. & Crispino Coss.

Rem pignoratam si legata sit luere debet hæres si id sciuerit testator, sin minus ipse legatarius.

QVod constituit Imp. sup. in l. 10. de legatis. de re aliena legata vel per fideicommissum relicta; idem obtinere tradit in hac lege, de re quam ipse testator pignori dederat, & postea legauit, vt si id fecerit sciens hæres ipsam luere debeat, & eam vinculo pignoris liberatam tradat legatario aut fideicommissario. Sin minus, ad onus ipsius legatarij pertineat debitum inferre, in cuius fidem pignori tradita erat, nisi ea sit legatarij conditio, ea-ve testatoris in illum affectio fuerit, vt si sciffet obligatam, vel eam ipsam rem vel aliam non minoris pretij legaturus foret, vt & docet Vlpianus in l. 57. si res. ff. de leg. 1. quæ quidem inspectio in æstimatione iudicis erit: Nec enim probè exceptionem illam ad solos fratres aut cognatos vxorem-ve defuncti referemus: Posset enim etiam cum extraneo tam arcta necessitudo amicitiæ & familiaritatis intercessisse, vt non minus quam frater aut propinquus ad affectionem defuncti pertineat: Nam vt Pub. Mimus.

Coniunctio animi maxima est cognatio.

Vt propterea dicatur sub persona fratris posse eum, qui frater non est, institui, si fraterna charitate diligatur. *l. 59. nemo. §. fin. ff. de hæred. inst.* Possit de illo dubitari; quî fieri queat, vt rem non suam aut à se obligatam quis ignorans leget? In re aliena legata id facile incidit, quia plerumque res alienas bona fide eminus, quas perinde ac nostras legamus, quæ possit postea à domino peri; & illo casu legatum non valebit, nec hæres de euictione tenebitur, nisi legatarius sit is, cui propter summum affectionis nexum aliam rem legaturus foret: Nec huic definitioni obstat lex 71. si domus. §. 1. ff. de leg. 1. & lex 29. qui concubinæ. §. 3. si hæres. ff. de leg. 3. quæ generaliter definiunt hæredem de euictione rei legatæ teneri, vt etiam à principio dum res traditur, eo nomine cauere legatario debeat. Respondendum illos locos non esse accipiendos de re certa legata siue legato speciei, sed de legata re aliqua in genere, quo quidem casu, cum ad certum corpus se testator non retulerit, sed indefinitè hominem, equum, vel eiusmodi rem aliquam legatario tradi voluerit, non distinguitur vtrum testator sciuerit an ignorauerit, sed hæres tenetur dominum facere legatarium, & cauere de euictione, & ipsa etiam secuta aliam rem eius generis vel æstimationem dare. Cæterum vbi certam speciem testator legauit, liberatur hæres si talem

Si res legata euincatur euictionem non præstat hæres.

Diluuntur argumenta contraria.

Cum certa species legata est talis danda qualis est apud defunctum.

talem præſtet qualem eam eſſe in hæreditate iuuenit. *l.45. ſi à ſubſtituto §. fin. l.56. ſi legati. ff. de leg.1.* In re noſtra, quam pignori obligauimus & legamus, non tam facile eſt fingere ignorantiam dati pignoris, niſi ſi hæredes ſimus ei qui ipſe obligauerat res ſuas, aut etiam noſtras: Nam aditione hæreditatis confirmabitur pignus rei noſtræ à defuncto contractum ex ſententia Modeſtini in l. ſi Titio. 23. ff. de pignor. in quibus caſibus ignorare poterit obligationem hæres, qui ſi poſtea eam rem leget, videbitur luendi onus legatario iniungere, quaſi ad generalem definitionem debeat recurri, qua in dubio alleuandi ſunt hæredes. Sed non illud dicemus, ſi quis bona ſua omnia obligauerit; deinde rem aliquam legauerit: Licet enim legando debitor non poſſit minuere pignoris perſecutionem, quam creditor habet ex generali obligatione, vel ſpeciali. *l. qui ſolidum 78. §. fin. ff. de leg. 2. & l.1. C. deb. vend. pign.* Imp. *non poſſe:* Tamen ſi ſequatur rem legatam; erit illud æquitati proximius, vt hæres pignus luere debeat, quamuis teſtator ignorauerit generalem obligationem, qua res legata cum aliis ſuis bonis erat pignorata. Sed ei, quod dicitur in fi. huius legis, prædiis à creditore diſtractis, quæ pignori data erant, hæredem pretium exſoluere cogendum, niſi contraria voluntas oſtendatur, obſtare videtur. §. & verius cum ſeq. de leg. apud Iuſtin. & lex 21. verius. ff. de probat. Reſpondendum id eſſe ſingulare in ſpecie propoſita hoc loco, vbi vendito pignore nulla eſt omnino hyperocha, in qua poſſit legatum conſiſtere; ac propterea etiamſi re vera defunctus neſcierit obligatam tamen hæres precium reſtituere cogitur legatario, ſi redimi non poſſet: Et in hanc quoque ſententiam videtur Accurſius concedere.

IDEM A. SEPTIMO.

VOLVNTATIS *defuncti quæſtio in æſtimatione iudicis eſt.* PP. XV. *Kalend. Mart. Fuſco* II. *&* *Dextro Coſſ.* L.7.C.eod. tit.

HÆc lex propriè pertinet ad fideicommiſſa: nam vt ante Iuſtinianum plures erant differentiæ inter legata & fideicommiſſa, de quibus Caius lib.2. inſtit. tit.7. & Cuiacius in parat. ffrum. tit. de leg.1. Ita illa vel maxima, quod legata ſtricte concluderentur: In fideicommiſſis vero latior interpretatio voluntatis admitteretur. *§.3. ſed non vſque. de leg. apud* Iuſtin. Ait autem Imp. voluntatis quæ- *In fideicommiſſis latior admittitur interpretatio voluntatis.*

stionem in æstimatione iudicis esse, qui videlicet ex personis causisque despiciet, quid senserit testator: sunt enim verba plerumque obscura & ita ambigua, vt recte illud dicat Iustinianus N. 107. *μαντέων μᾶλλον ἢ ἑρμηνέων προσδεῖται*, id est, ariolis magis, quam interpretibus indigere. Sed quam fieri potest, ducentur coniecturæ ex more & consuetudine patrisfam. & regionis, ex legatarij dignitate, charitate, necessitudine. *l. 50. si seruus. §. fin. ff. de leg. 1. & l. 12. Stichus. ff. de leg. 3. l. 17. ex facto. §. 2. ff. ad S. C. Trebell.* Ducitur etiam ex vicina scriptura, vt per eam vel sequens, vel quæ præcedit interpretationem accipiat. *l. 20. hæredes palam. §. sed & si. ff. qui test. fac. poss.* Sed & ex vna voluntate ducitur alia. *l. 39. ex parte. §. 1. ff. fam. hercisc.* quemadmodum dicitur desideria morientium ex arbitrio viuentium æstimari. *l. 4. quoniam. C. de natur. lib.* Certiores illæ, quæ ex pietate & naturæ affectibus ducuntur. *l. 43. ex facto. ff. de vulg. & pupil. subst. l. cum auus. 102. ff. de cond. & dem.* quæ omnia existimator intelligens, id est rerum negotiorumque peritus iudex pro religione sua perinde, vt afficietur, disquisitione diligenti perpendet, vt omnino voluntatis potius quam verborum ratio habeatur. *l. 3. paragr. conditio. ff. de adim. leg.* secundum quæ etiam ad generalem Modestini definitionem erit recurrendum, quam circa cuiusdem rescripti interpretationem refert in l. *εἰ δύναι χρή. §. ἐπειδὴ δέ.* ff. de excusat. tut. *εἰ καὶ τὰ μάλιστα τὸ ῥητὸν τοῦ νόμου ταύτην ἀποτελεῖ τὴν διάνοιαν, ὅμως γνώμη τοῦ νομοθέτου ἄλλο βούλεται.*

Circa interpretandam testatoris voluntatē varia ducuntur cōiectura.

Voluntatis potius quam verborum ratio haberi debet.

IDEM A. MASCVLO.

L. 8. C. eod.

QVI *fideicommissariam libertatem meruit, legata seu fideicommissa à defuncto sibi data suo iure persequitur.* PP. XV. *Kal. Iun. Fusco* II. *&* *Dextro* *Coss.*

NOn alia ratio dubitandi commodior in ea l. occurrit, quam ea quæ ab Accursio proponitur, quia scilicet libertas ab adita hæreditate cedit, & legatum quoque libertati coniunctum; ex quo videbatur inutiliter diem legati cessisse, cum is, cui libertas per fideicommissum erat relicta, nondum sit liber tempore aditæ hæreditatis: quippe factum hæredis interuenire debeat; quando fideicommissaria libertas ab hærede præstari debet, non vero ipso iure competat, vt directa. Ratio decidendi illa; id quod de die cedentis libertatis constitutum est, pertinere ad directam libertatem, & ma-

Libertas seruo relicta cedit ab adita hæreditate vt & legatum ei datum.

gis esse, vt quæ debetur per fideicommissum simul & legatum ei adiunctum, cedat tantum à die quo præstatur, ac per hoc vtrumque eodem momento cedere: nisi dicatur, perinde vt directam libertatem, ita & fideicommissariam cedere ab adita hæreditate, vt illa competat hæc præstari debeat, & fideicommissum ab eodem quoque tempore debeatur, & vtiliter cedat, ita vt propter moram incrementum quoque fructum vel vsurarum accedat, quæ sententia est l. 84. si quis seruo. ff. de leg. 2.

IMP. ALEXANDER A. FAVSTINÆ.

ETIAMSI *veritas debiti non subest: Falsa demonstratio non perimit legatum, sed ex testamento eius quoque nomine competit actio.* PP. V II. *Id. Nouemb. Alexandro A. Coss.* L. 2. Cod. de falsa causa adie. leg. vel fideicom.

VVlgata est sententia huius rescripti etiam ex aliis iuris locis: *Sententia legis* Falsam demonstrationem legatum non corrumpere. Species *proposita.* est in expedito. Titius legauit centum aureos Mæuio applicata hac demonstratione, *quæ ei debeo*, cum tamen nullum chirographum *Species.* ipsius testatoris proferretur, nihilque ab eo deberi Mæuio constaret. Dubitabatur an Mæuio hæredes Titij soluere tenerentur illos centum aureos. Rescripsit Imp. dari ipsi actionem ex testamento. Mouebat quod demonstratio falsa legato adiecta esset: Sed rescribendi hanc rationem Imp. habuit quod qui centum legat, quasi illa debeat, videtur remota debiti causa liberalitatem in eum exercere voluisse, vt & Scæuola ait in l. 88. Lucius. §. 10. quisquis. ff. de leg. 2. qua comparatione obtinuit, vt si certam pecuniæ quantitatem, vel rem aliquam quasi dotis nomine acceptam vxori leget maritus, possit illa pecuniam vel rem sibi legatam petere, licet nihil in dotem dederit. §. 15. *sed si vxori. de legatis apud Iustin.* Obijci *Obijcitur & di-* potest lex 27. qui testamento. ff. de probat. vbi is, cui sub titulo de- *luitur lex 27. ff.* biti aliquid legatum est; id probare tenetur: Sed hoc facit legata- *de probat.* rij persona, & fraudis idonea suspicio, cum ei qui capax non est, aut solidi capacitatem non habet, falso debitæ quantitatis commento in fraudem legis testator legasse dicitur. Obstat etiam l. 15. is qui. §. *Obijcitur & di-* pen. ff. de leg. præst. vbi si maritus vel socer vxori vel nurui certam *luitur lex 15. pa-* quantitatem dotis acceptæ nomine legauerit, petita à filio eman- *ragr. pen. ff. de* cipato præterito bon. possessione contra tabulas, non aliter præ- *leg. præst.*

ſtatur legatum dotis, quam ſi datam conſtiterit: Sed hoc ita verum in ea ſpecie, quia ex edicto de præſtãdis legatis contr. tab. bon. poſſeſſione petita, ſeruantur tantum legata relicta parentibus aut liberis, & illud quo dos vxori vel nurui relegatur; vnde re vera dotem datam eſſe oportet, vt ex teſtamento agatur: alioqui quaſi legatum ſimplex aut extraneo relictum non debetur; quo fit, vt ceſſante cauſa bonorum poſſeſſionis legatum eiuſmodi ſit vtile, vt dictum eſt. Obſtat etiam lex 108. ſi ſeruus. §. qui quinque. ff. de leg. 1. & lex 1. §. adeo. ff. de do. præleg. Verum procliue eſt quod reſpondeatur, cum teſtator legauit decem quæ in arca ſunt, vel ſub eiuſmodi demonſtratione quis ſtipulatus eſt, magis legatum aut ſtipulationem corpore conſtare, quam quantitate; & ideo eatenus debetur, quatenus repertum eſt in arca; vt vel inutile ſit legatum aut ſtipulatio, ſi nihil inuentum fuerit: quo nomine legatum & ſtipulatio differunt ab emptione & venditione, in qua ſi fundo vendito dictum ſit dolia centum acceſſura, quæ in fundo ſunt; totidem veniunt iudicio empti venditi præſtanda, licet ibi nullum fuerit. *l. 26. ff. de act. empti.* hac ratione ſcilicet, quia venditionis cauſa eſt oneroſa, vt non debeat emptor decipi, qui eo nomine maius pretium adnumerauit, cum è contra legati & ſtipulationis cauſa lucrum ſoleat continere: nam quod ad l. 120. ſi ita ſtipulatus. ff. de verb. obl. vbi qui nummis palam ob oculos conſtitutis ita ſtipulatus eſt, *hanc ſummam centum aureorũ dare ſpondes*, nihil egiſſe cenſetur, ſi non ſint tot nummi quot in ſtipulatione comprehenſi ſunt: Cuiacius eo loci lib. 37. quæſt. Papin. id ita obtinere ait in illa ſpecie, quia qui ſtipulatus eſt ſpecialiter ſe retulit ad numerum nummorum, qui propterea integer eſſe debet, vt aliquid actum cenſeatur: At in d. §. qui quinque. locus eſt demonſtratus, quem ſufficit non eſſe inanem, vt in eo quod inuentum fuerit legatum aut ſtipulatio conſtet. Obſtat etiam lex 75. ſi ſic. §. 1. ff. de leg. 1. & lex 25. legaui. ff. de liberat. legata. vbi obiter notandum ita legi debere, *ſed non poterit illud dici*, vt Cuiacius notauit tr. 5. ad Afric. ad d. §. qui quinque. Sed eſt etiam quod commodè reſpõdeatur: nam ſiue legata ſint centum Mæuio quæ ipſe Mæuius debet, vel quæ debet extraneus: ideo legatum non conſiſtet, ſi defuncto nihil debeatur, quia in primo caſu magis de leganda liberatione teſtator cogitaſſe cenſetur, quam vt hæredem adſtringeret ad illam ſummam repræſentandam: & in ſecundo, ſimiliter magis legatario legaſſe nomen quam pecuniæ quantitatem, vt eiuſmodi legatum ſub conditione factũ cenſeatur, ſi quid teſtatori deberetur: nec in dubio hæres eſt onerandus. At cum teſtator ita legauit *centum Mæuio do lego quæ ei debeo*, de pecuniæ repræſentatione & numeratione facienda, & ex verbis & ex volũtate cogitaſſe cenſetur: neque hæc diſtinctio euertitur per legem 76. cum filius. §. 3. hæres.

Obijcitur lex 108. paragr. qui quinque. ff. de leg. 1. & lex 1. parag. adeo. ff. de do. praleg.

Obijcitur & diluitur lex 75. paragr. 1. ff. de leg. 1. & lex 25. ff. de liber. leg.

ff. de leg. 2. nam licet nomen legauerit testator, id scilicet quod sibi ex testamento deberetur cum nihil amplius debeatur, causâ legati per nouationem in aliud genus obligationis translatâ: tamen quia origo debiti ex testamento manabat, valet legatum, quia non videtur falsum quod primordio veritatis iuuatur. Obstat etiam lex 37. si quis fundum. ff. de cōtr. empt. Verum facillimum est se expedire: quod enim ibi dicitur fundo ita vendito vt esset emptus quanti venditor emisset nullam esse venditionem si venditori donatus esset; eò non pertinet quasi falsa demonstratio irritum contractum constituerit, sed quod sine pretio venditio facta intelligatur: quia se retulerunt contrahentes ad æstimationem fundi faciendam eo precio, de quo constare non potest. *Obijcitur & diluitur lex 37. ff. de contr. empt.*

IDEM A. VERINÆ.

SI non designata certa quantitate dotem tibi legauit maritus, sed quodcumque ad eum dotis nomine peruenisset, peruenturum-ve esset, & id ex testamento petis: Necessaria probatio est numeratæ pecuniæ. Quod si quantitatem expresserit; debetur (etsi in dotem datum non est) quasi aliud legatum, non eo iure, quo dos fungitur. PP. Non. Maij. Maximo II. & Æliano Coss. L. 3. C. eod. tit.

SVperiori etiam rescripto potest opponi hæc constitutio, quando ex ea non aliter dos mulieri legata præstari debet, quam si ipsa probauerit se numerasse, sed rem planam facit distinctio ab ipso imperatore proposita. Siquidem nullam quantitatem aut corpus in legando expressit maritus; sed simpliciter dotem, quam accepisse se dicit, vxori legat; quia quid liberalitatis nomine in vxorem contulerit non apparet, & exitum habere eius voluntas non potest: Tunc ex eiusmodi scriptura mulier petere nihil poterit: Sin legauerit vxori centum quæ accepit, aut fundum vel quam aliam rem quasi sibi dotis nomine datam: quamquam dotem ab vxore non acceperit: Tamen legatum valebit ex superiori rescripto, quia remotâ causâ restituendæ dotis, illa verba fideicommissum circa quantitatem adscriptam vel corpus demonstratum inducunt. Possit tamen obijci huic distinctioni lex 3. C. de dot. prom. de qua *Si dos legata sit adscripta quantitate vel corpore debetur legatum licet in dotem nihil datum sit.* *Obijcitur & diluitur lex 3. C. de dot. promiss.*

etiam sup. quædam notata sunt ad l.1.eod.tit. Sed aliud in promissione dotis generaliter facta ab aliquo pro muliere quæ nubit, nulla nec demonstrata quantitate nec corpore; quia tunc, ne mulier sit indotata, ad arbitrium boni viri reducenda est generalis promissio ex d.l.3. quod diuersè obtinet in legato dotis, vbi cum nullus intercedat fauor matrimonij, quod morte mariti solutum est, nihil debetur si nihil datum est nec in legando quantitas aut corpus demonstrata sunt.

IMP. ALEXANDER A. LICINIÆ.

Lex 4. C. de cond. insertis tã in leg. quam fideicom. & libert.

LEGATVM *siue fideicommissum à patruo tuo relictum tibi sub conditione si filio eius nupsisses; cum filio mortuo prius, quam matrimonium cum eo contraheres, conditio defecerit: nulla ratione deberi tibi existimas. P P. Kalend. Decembr. Alexandro A. II. & Marcello Coss.*

Valuit olim matrimonium inter fratrum vel sororum liberos.

DVæ in modum cuiusdam præuiæ cognitionis conclusiones præmittendæ sunt. Prima est illa; valuisse iure antiquo & constitisse nuptias inter duorum fratrum vel sororum liberos, nec eas incestas fuisse, quod non modo ex hac lege sed ex aliis iuris locis satis constat veluti ex l.3.& l.67.§.filiam.1.ff. de ritu nupt. l.2. C. de instit.& substit. sub cond.fa. qui mos etiam ipsâ iurisprudentiâ vetustior fuit: nam & Spurius Ligustinus apud Liuium lib.42. quasi de re à nemine improbata, imo & consueta: *Pater*, inquit, *mihi vxorem fratris sui filiam dedit:* Atque ideo ad ius aliquanto antiquius pertinet, quod scribit Plutharchus in quæst. Rom. aut minus ex fide histotiæ est, quod ait Romanos ὀψὲ συγχωρῆσαι ἀνεψιαῖς συνοικεῖν. Et similis lapsus apud Tacitum lib.18. annal. qui ait ignorata diu fuisse sobrinarum coniugia. Cœpere postmodum sub Imperatoribus Christianis hæc connubia improbari, vt nonnisi solerent ex principis rescripto concedi, & postea etiam sanctionibus pontificum penitus fuerunt improbata, qua de re solent plura notare interpretes ad §.duorum. de nupt. apud Iustin. Secunda conclusio illa est: vtilem esse conditionem, quæ certæ personæ nuptias iniungit, nisi ea sit infamis, aut vitæ propudiosæ, vt cum illa honestè matrimonij societas suscipi non possit. *l.63. cum ita. §. videamus. ff. de cond. & dem.* licet enim dicatur matrimonia debere esse libera, & immunia à

Valet conditio legato adscripta qua certa persona nuptias iniungit.

vinculo pœnarum.*l.134.Titia.ff.de verb.obl.*tamen vt rectè ait Papinianus, aliud est pœnæ metu libertatem matrimonij auferre, & aliud ad testamentum id est ad promerendum legatum testamento relictum certa lege inuitari, cum legato adiecta hæc conditio est, si certam vxorem ducat legatarius, aut puella alicui ex voluntate testatoris nubat. *l.71. Titio.§.1.ff. de cond.& dem.* His ita positis facile est sententiam & speciem huius legis tenere. Sententia hæc est deficiente nuptiarum conditione per fatum mortem-ve eius personæ, cum qua contrahi debuerunt legatum quoque deficere. Species hæc est. Mæuius legauit centum Liciniæ nepti, quam ex fratre habebat, ea lege tamen & conditione, si nuberet filio ipsius testatoris. Hic erat frater patruelis: Nam qui ex duobus fratribus progeniti sunt fratres patrueles dicuntur.§.4.*instit. de grad. cogn.* vt qui ex duobus sororibus fratres matrueles vel qui ex fratre & sorore amitini. Sic Aiax apud Ouidium lib.13. Metamorph. de Achille filio Pelei patrui sui.

Sententia legis proposita.

Species eiusdem.

Fratres patrueles qui dicantur.

Frater erat, fraterna peto:

Frater patruelis scilicet. Male qui in l.1.ff. ad leg. Pomp. de parric. patruelem & matruelem accipiunt pro consanguineo fratre aut vterino. Nam hæc vocabula non enarrant præcedentia verba, quæ fuerant de fratre & sorore, sed designant liberos ex sororibus vel fratribus procreatos. Igitur cum Liciniæ patruus quid legasset sub conditione proposita, ipse, cum quo ex conditionis lege & patrui voluntate nuptias debebat contrahere, decessit. Quærebatur an nihilominus legatum ei deberetur. Rescribit Imp. non deberi. Liciniam hęc ratio tuebatur, quod diceret per se non stetisse, quominus conditioni pareret, sed per fatum. Sed potior hæc ratio euicit, quod contemplatione matrimonij eiusmodi legatum factum sit, quod cum impleri non potuerit, consequens est, vt deficiente conditione, legatum quoque deficiat: Idque etiam ex S. C. Parisiensi obtinuit. Sed hæc ita intelligenda, nisi proponatur eum, cum quo matrimonium contrahi debuit, noluisse: Nam ne facto alieno à commodo testamenti hæres institutus vel legatarius decidat, conditio pro impleta habetur.*l.1.C.de inst.& subst.sub cond.fa.l.14. Titius l.31.in testamento.ff.de cond.& dem.* quemadmodum si conditio aliquid faciendi pluribus proponatur, quam vnusquisque possit explere, veluti illa; *si monumentum fecerint*, ex humaniori sententia obtinet pro-vt vnusquisque hæredum paruerit, ita ad commodum hæreditatis vel legati admitti.*l.29.hoc articulo.ff. de hæred.inst.l.si plures.C.hoc tit.*quando neque ex alieno facto hæreditati alligari, aut exhæredari queat.*l.44.paterfam.ff. de hæred.inst.* Sunt tamen plura quæ solent huic legi opponi, nec vlla est fere, circa quam magis se extulerit diligentia interpretum: Et maximè ipsius Cuiacij non modo in recit.

V.Dn.Louët in litt.M.num.8.

Conditio nuptiarum deficiens per defectum voluntatis eius cum quo debet cötrahi habetur pro impleta.

Obijcitur lex fin. C. hoc tit. & diluitur quoque. ad hunc tit. sed etiam lib. 17. obse. cap. 22. & tr. 2. ad Afric. ad d. l. 31. ff. de cond. & dem. duo itaque tantum notabuntur. Obstare primum videtur huic legi quod est in l. fin. hoc tit. Sed in ea specie licet fatum obstiterit quominus conditioni dandi paruerit seruus cui libertas data erat testamento: tamen cum & fauor libertatis intercedat & cum pecuniam hæredi esset daturus ea casu perierit, satisfecisse conditioni seruus censetur. *Obijcitur & diluitur lex annua. ff. de ann. leg.* Obstat etiam lex annua. ff. de ann. leg. ex qua legato alimentorum alicui relicto, si cum matre testatoris moretur; ea mortua nihilominus legatum debetur. Sed dici potest, & vero dicendum est; in ea specie iam paruisse legatarium conditioni, id est etiam post mortem testatoris cum matre ipsius moratũ esse; vt iam iniquum sit, vbi semel vtile legatum cõstitutum est, morte postmodum eius, cum qua moratus est legatarius, extingui sequentium annorum ratione; quod & proponitur in l. 1. C. de legatis & l. 13. Gaio. §. 1. & l. 20. Stichus. §. fin. ff. de alim. & cib. leg. quamuis etiam commodius distingui debeat, quisnam fuerit animus legantis; vt si principaliter intuitus sit personam legatarij: Tunc etiam legatum morte eorum non extinguatur, cum quibus morari iussus est: Sin minus, & appareat defunctum eiusmodi conditionem legato adiecisse, quo magis essent, qui ad vitæ subsidium matrem vel liberos suos comitarentur; tunc quasi causa finali deficiente, in persona legatariorum legatum annuum extinguatur morte eius eorum-ve, cum quibus morari iussi erant. *l. 84. illis libertis. ff. de cond. & dem.* eaque distinctio manifestius probatur in l. 10. Seio. ff. de ann. leg. ex qua si qui tres liberos habebat alicui legauerit annuam quantitatem, *si legatarius negotiis filiorum testatoris interuenerit:* Duobus mortuis pro parte tantum hæreditaria filiæ superstitis legatum durat, quasi tam labor, quam pecunia diuisionem recipiat, id est legatum datum contemplatione liberorum; pro-vt ipsi decesserint; minuetur quoque præstatio. Inutilis otij fuerit cætera persequi, quæ melius & plenius ex commentariis interpretum constiterint.

IMP. ALEXANDER A. PATERNO.

Lex 3. C. de vsur. vel fruct. leg. vel fid.

SI homines certi per fideicommissum tibi relicti fuerint: Post moram periculo debitoris fideicommissi fuerunt. Propos. XII. Kal. April. Iuliano II. & Crispino Coss.

Ad

AD eam legem ſufficiunt, quæ tractata ſunt ſup. ad l. 1. C. de his quæ vi metuſ-ve cauſa fiunt.

IMP. ALEXANDER A. HERMAGORÆ.

ETIAMSI *tacitum fideicommiſſum hæredem adminiſtraſſe apparuerit: Legata tamen ſeu fideicommiſſa, quæ teſtamento relicta ſunt, præſtanda eſſe, ambigi non oportet: Ad eum videlicet modum, quem lex falcidia patitur: Cum quartam, quæ aufertur hæredi, qui contra legem fidem ſuam obtulit, legatariis proficere non placuit. PP. Idib. Octob. Alexandro A. Coſ.* Lex 3. C. ad legem falcidiam.

SVnt quidam in iure ciuili qui dicuntur incapaces: Illi ſcilicet, qui nihil capiunt, id eſt, ſi quid eis relinquatur, ſiue hæredes inſtituantur, ſiue quid eis legetur, ſiue fideicommiſſum datum ſit; id pro non ſcripto habetur, & ab hærede palam relictum apud ipſum hæredem remanet ſine onere; qua de re attigimus quædam in notis ad Cuiacium in parat. ffrum tit. de his quæ pro non ſcriptis hab. *Quinam incapaces dicantur.* Inter incapaces poteſt & mulier contineri, quæ intra annum luctus nubit intempeſtiue: Illa enim vltra quam lucra omnia nuptialia, quæ ex priori matrimonio ſiue iure ſponſaliorum ſiue iudicio defuncti coniugis eſt conſecuta, amittit: Hoc etiam incommodo afficitur, vt quaſi infamis ex cuiuſquam teſtamento legatum fideicommiſſum, aut hæreditatem capere non poſſit: Imo nec mortis cauſa donationem accipere. *l. 1. & 2. C. de ſec. nupt.* *Mulier intra annum luctus nubens fit infamis.* Sunt autem qui incapaces ſunt habita ratione certarum perſonarum, licet ex aliorum teſtamento capere poſſint, aut certè intra certum modum capiunt à certis perſonis, licet ab aliis ſolidi capacitatem habeant. *Duo genera incapacium.* Eiuſmodi eſt vir & vxor, qui à ſe inuicem nihil præter decimam bonorum ſuorum capere poſſunt exceptis caſibus certis, vt docet Vlpianus in fragm. tit. 15. & 16. ab aliis vero accipere quidlibet poſſunt: Sic & filius naturalis exiſtentibus liberis legitimis à patre amplius, quam in vncias duas ſuccedere non poſſunt. N. 89. περὶ νόθων cap. 12. ab aliis vero ſolidum accipere non vetantur. E contra deportati, cœlibes, liberti latini, vxor quæ nubit intra annum luctus, à nemine inſtitui poſſunt cum effectu: Quamuis cœlebs & latinus poſſint relicta conſequi, ſi intra centum dies à morte teſtatoris; ille *Cœlibes quatenus ſint incapaces.*

nuptias contraxerit, hic ius quiritium sit consecutus. *Vlpianus in fragm.tit.17.* Orbi etiam id est qui nuptias contraxerant, nec tamen liberos reipub. ediderant, solidi capacitatem non habebant, qua de re Cuiac. in parat. C. ad tit. de infirm. pœnis cœlib. & Duarenus lib. 1. disput. cap. 40. Attinuit autem supra dixisse incapacibus relicta palam ab hærede pro non scriptis haberi, & apud ipsum remanere, quia scilicet si tacitam fidem in fraudem legum ipse hæres accommodauerit, de restituendo legato, fideicommisso, vel hæreditate; quod fit cum nec testamento nec codicillis, sed cautione domestica aut chirographo paciscitur cum defuncto, se incapaci restituturum, quod testator velit, *l.103. in tacitis. ff. de leg.1. l.3. ff. de iu. fisci.* tunc fisco locus fit, quia nec capit relictum qui capere legibus prohibetur, nec hæres id lucratur, quia leges impugnare tentauit; quod hoc temperamento admittitur, vt filiofam. hæredi patris vel seruo domini sui successori condonetur, si eis tacitam fidem accommodauerint de restituendo incapaci, id est vt tacitum fideicommissum ipsis non auferatur, quia parere imperanti patri vel domino necesse habuerunt. *l.13. si tacitum. ff. ad leg. falcid. l.18. cum qui. §. pen. ff. de his qu. vt ind.* & similiter vt incapax hæreditatis vel legati semissem capiat ex edicto D. Traiani, si seipsum detulerit, vt & iam supra constitit ad l.4. de his qu. vt ind. quod & habet locum in hærede, qui seipsum defert, & vltro fatetur fidem se præbuisse contra leges, quamuis ei tertia detur tantum, non etiam media; quod & rectè Accursius hic docet ex l.1. C. de his qui se def. ad quam etiam notanda, quæ Cuiac. ad eam legem scripsit. Pertinet autem ad quæstionem de tacito fideicommisso hoc Alexandri rescriptum: Cuius illa sententia est: Hæredi qui fidem tacitam accommodauit ablata hæreditate, legata nihilominus ab eo relicta deberi, & falcidiæ commodum, quo ille vti potuit, fisco applicari nec legatariis proficere, quod eam hæres non habet; quod & S. C. Planciano & rescripto D. Pij fuerat constitutum. l.59. beneficio. ff. hoc tit. Occurrebat hæc dubitandi ratio: Ablata hæreditate scripto hæredi, videri legata tanquam ex testamento irrito deficere, aut si illa debeantur, prodesse debere legatariis, quod falcidia hæres non vteretur. Sed æquius aliquanto Imp. arbitratus est, vt hæredis delictum nec noceret legatariis nec prodesset: Maximè cum soleant illa quæ fiscus aufert cum suo onere ad eum transire; quod manifestius obtinet in libertatibus, quæ directò vel per fideicommissum datæ sunt ab hærede, cui velut indigno hæreditas aufertur. *l.12. imperator. §. fin. ff. de fideicom. libert.* ac ereptitia non minus quam caduca cum suo onere transeant. *l.96. quidam. §. quotiens. ff. de leg.1. l.3. §. cum ex causa. & l.14. dicitur. ff. de iu. fisci.* Accipienda est autem hæc lex de eo hærede, qui fidem administrauit de tota hæreditate resti-

Cum hæres fide tacita promittit se restituturum incapaci, fisco locus est.

Excipitur tamen filiusfam. vel seruus cum à patre vel domino rogati sunt vt restituant incapaci.

Sententia legis proposita.

Ereptitia & caduca cum onere ad fiscum transeunt.

tuenda; Nam si partem tantum hæreditatis restituere tacito chirographo promiserit, aut fideicommisso singulari grauari se passus sit; in ea tantum parte aut reipsi denegabitur falcidiæ beneficium, in qua legibus fraudē facere nisus est: In aliis vero legatis aut fideicommissis suo iure vtetur. *l. 11. hæres. ff. de his qu. vt ind.* Nec aliter dicendum cum hæres id egit, vt fideicommissum intercideret, aut subtraxit res hæreditarias: Nam in illis falcidiam non exercet. *d. l. 59. ff. hoc tit. l. 6. ff. de his qu. vt ind.* Iure autem nouo hæres, qui inuentarium non facit, falcidiam omnino non retinet, quasi videatur hæreditatem suppilasse, vt obrenderet falcidiæ beneficium. *l. fin. §. pen. C. de iu. de lib.* Cæterum hæres qui iusto ductus errore rem aliquam hæreditariam esse negauit suam asserens proprietatis iure, exercere etiam in ea falcidiam non prohibetur. *l. 68. computationi. §. fin. ff. hoc tit.*

In rebus subtractis ab harede ipse non exercet falcidiam.

Hæres inuentarium non faciens non habet falcidiam.

IDEM A. PHILETIANO.

ET *in legatis principi datis legem falcidiam locum habere, merito D. Hadriano placuit. PP. V. Kal. Ianuar. Alexandro, A. Cos.* Lex 4. Cod. eod. tit.

Idem A. Damasatæ.

SI *mortis causa immodicas donationes in sororem tuam matrem contulisse probare potes: Legis falcidiæ ratione secundum constitutionem Diui Seueri aui mei vti merito potes. PP. XV. Kal. Nouembr. Maximo II. & Æliano Coss.* L. 5. C. eod.

AD legem quartam nihil est, quod vltra notetur, quando eius sententia exposita est ad l. 3. sup. de testam. Ad legem quintam illud venit animaduertendum; ad legata tantum pertinuisse legem falcidiam, sed postea variè eam productam, primum ex S.C. Pegasiano ad fideicommissa singularia vel vniuersalia testamento relicta: mox etiā ad fideicōmissa relicta ab intestato ex constitutione D. Pij, & demum ad donationes causa mortis ex constitutione D. Seueri de qua hæc lex est accipienda. Et notandum ex ipsa consti-

Falcidia ad legata tantum pertinuit: deinde porrecta est ad fideicommissa ex testamento vel ab intestato relicta. Porrecta quoque est ad donationes causa mortis.

tutione tantum esse porrectā ad eas mortis causa donationes quæ factæ erant cū testamentū subesset;ac propterea postmodum constitutione Imp. Gordiani opus fuit, qua porrigeretur ad donationes causa mortis,quę factæ essent cū res ab intestato ageretur. *l.2.C. de mortis causa donat.* nec tamen habet locum in mortis causa capione *l.1.§. item si ita & l.93.acceptis .ff. hoc tit.* quia vt inquit Cuiacius in parat. ffrum hoc tit. nulla lex id definiuit:nec vero nunc habet locum in eo capiendi modo, nisi in casu legis pen. hoc tit. quo in fraudem legis falcidiæ institutus erat hæres sub conditione dandæ illius summæ, quæ egrediebatur modum dodrantis. Attinuit autem imperatorem loqui de donationibus causa mortis, quia ad donationes inter viuos falcidia non pertinet, quæ nulla ratione comparantur legatis, ac propterea quolibet remedio deficiente hæredibus liberis, si inter viuos donatio vel in extraneum vel aliquem ex liberis collata eos debito bonorum subsidio fraudet, datur querela inofficiosæ donationis, vt constitit suprà in quodam rescripto Imp. Alexandri quod ex libris Pauli desumptum explicuimus post leges quæ de inofficioso testamento fuerunt.

Lex falcidia locum non habet in mortis causa capione.

IDEM A. SECVNDINÆ.

Lex 6. C. eod.

IN imponenda ratione legis falcidiæ, omne æs alienum deducitur, etiam quod ipsi hæredi mortis tempore debitum fuerit, quamuis aditione confusæ sint actiones. Omnia autem legata, quamuis in operibus publicis conficiendis, statuisque ponendis data sint, ad contributionem dodrantis pro rata suæ cuiusque quantitatis reuocantur: Nec si quid vltra solidum hæres præstiterit aut perseuerit, legitimæ computationi præiudicatur. S.V. Kal. *Ianuar. Maximo II. & Æliano* Coss.

Idem A. Primo & Pomponio.

L.7. C. eod.

IN testamento quidem militis ius legis Falcidiæ cessat. Sed si ea, quæ ad vos pertinent, defunctus tenuit: bonorum eius.

videri minime possunt. Et ideo rectè rationem eorum, vt æris alieni, haberi desiderabitis. PP. Kal. *Maii. Alexandro* II. *& Marcello* Coss.

Idem A. Aurelio.

IRritũ quidẽ propterea testamẽtũ fratris tui esse nõ potest, quod ex causa fideicommissi obligatus fuit, vt si sine liberis prior decederet, paternam tibi hæreditatem redderet. Sed licet te hæredem scripserit: in imponenda tamen legatorum ratione, quibus te oneratum esse suggeris, fideicommissum debitum æris alieni loco deduci oportet: insuperque in residuo legis Falcidiæ beneficium vindicabis. P P. Idib. Septembr. Maximo II. & Paterno Coss. Lex 8. Cod. eod.

TRes sunt legis 6. partes. In priori docet Imp. hæredem legatis grauatum, qui idem etiam est defuncti creditor, primum æris alieni loco deducere, quod sibi defunctus debuit. Secundo docet ex omnibus legatis deduci falcidiam debere, etiam si ad opera publica facienda pertineant. Tertio, nihil hæredi officere quominus falcidiam sibi seruet, si quædam legata vltro in solidum soluerit: potest enim videri cum Cuiacio ad N. 1. vt hic legatur, *vltro*, non, *vltra*. Non contemnendæ quæstionis sunt hæ tres definitiones, quarum prima pertinet ad quæstionem illam de confusione obligationis, cum debitor creditori, vel creditor debitori succedit, quã rectè Cuiacius tr. 7. ad Afric. ad l. 20. ff. de hæred. vend. definit esse debiti & crediti concursum in eandem personam, qui plerumque contingit aditione hæreditatis. Aditione hæreditatis actio confunditur, aut certè aditio pro solutione cedit. *l. 95. Stichum. §. aditio. ff. de solut.* nam qui adit hæreditatem debitoris, secum pensasse censetur, quod sibi debebatur *l. 33. qui dotis. ff. sol. matrim.* quod ita verum si hæres sit in solidum: nam si pro parte; confusio tantum debiti fiet pro parte hæreditaria, residuum à cohæredibus petetur, nisi proponatur testator debitorem suum ea lege instituisse, vt cum debito portionem hæreditatis compensaret. *l. pen. C. de hæred. act. l. si compensandi. C. de hæred. inst. l. 85. creditorem. ff. de leg. 2.* Sed & ita demum obligatio confunditur, si hæreditas in eodem statu remaneat: nam si hæredi euincatur inofficiosi querelâ, vel alia actione, con-

Confusio quid sit.

Aditio hæreditatis pro solutione cedit.

Empta hæreditate vel vendita confusæ actiones restituuntur.

fusæ obligationes sicuti erant tempore aditionis restituuntur. *l. 21. cum qui. §. fin. ff. de inoff. test. l. 22. si maritus. C. eod.* quod fit similiter vendita hæreditate ab hærede: nam perinde est ac si à principio venditor hæres fuisset. *l. 2. §. 18. cum quis. l. 20. cum hæreditatem. ff. de act. vel hæred. vend.* quamquam excipitur is, cui quasi ab indigno euincitur hæreditas, vt notatum est sup. ad l. 3. de impub. & al. subst. Eadem prope ratio in seruitutibus rusticorum prædiorum vel vrbanorum, quæ aditione hæreditatis confusæ restituuntur, vt eadem conditio fundi sit, quæ fuerat penes defunctum. *l. 18. in omnibus. ff. de seruitut. l. legatum. 116. §. fin. ff. de leg. 1.* nec dispar est ratio in pr. huius legis 6. nam licet stricto iure confusæ sint actiones: tamen in subducenda ratione legis falcidię deducitur primum ratio æris alieni, atque hæres ipse reputabit legatariis, & ex hæreditate ipsa præcipiet, quod sibi debitum est ab ipsa hæreditate: nec modo si quid hæredi debuit defunctus, illud ipse hæres præcipiet; sed etiam si quid ad hæredem pertinens tenuerit quasi bonorum eius minimè fuerint, vt constituit noster Imp. in l. 7. hoc loco. Imo fiet etiam, vt quæ sibi debebantur naturaliter tantum, nec à defuncto peti poterant, retineat beneficio deductionis aut compensationis *d. l. Stichum. 95. §. aditio. ff. de solut.* Quamquam is apud quem intercessit mulier non sit illud æs imputaturus, non alia ratione scilicet, quam quia mulier ex causa intercessionis ne quidē naturaliter obligata censetur. *l. 8. §. si mulieris. ff. ad S.C. Vell.* Ad hanc quæstionem pertinet etiam lex 8. hoc tit. cuius verba superius sunt adscripta, cuius definitio hæc; hæredem qui grauatus est legatis vel fideicommissis id fideicommissariis imputare posse, quod sibi defunctus ex causa fideicommissariæ hæreditatis sibi debuerit. Species eius legis est eiusmodi. Titius instituerat filios Mæuium & Aurelium forte ex partibus æqualibus. Mæuium rogauit, vt si sine liberis prior decederet hæreditatem suam partem-ve hæreditatis Aurelio fratri restitueret. Decessit Mæuius relicto hærede fratre Aurelio, à quo legata vel fideicommissa pluribus reliquit. Aurelius detrectabat horum legatorum solutionem illo colore, quod accederet ad fraternam hæreditatem quasi debitam sibi à fratre, non datam: Imo contendebat nec faciendi testamenti ius fratrem habuisse, quasi moriens nihil relinqueret, de quo testari potuisset, aut quod non ipsi Aurelio deberetur, cui ex priori fideicommisso restituere paternam hæreditatem tenebatur. Sed rectè Imp. constituit ea non impedire, quo minus rectè Mæuius testatus sit: nam potuit habere bona aliunde quæsita, quam à patre, de quibus testari potuit. Et vt illud concedatur, nulla eum bona alia habere quam à patre: tamen in quarta portione hæreditatis, quam aut iure falcidiæ habere potuit tanquam hæres, aut iure portionis legitimæ tanquam filius, plenum ius dominij habuit, nec in

Cum hæres ponit rationem falcidiæ deducit ex bonis quod sibi debetur.

Exceptio prioris regula.

Sententia legis 8. hoc tit.

Species eiusdem.

ea grauari potuit, vt de ea rectè testatus possit videri: adeo vt nec fructus hæreditatis, quos percepit, in tempus mortis ei non imputentur in quartam iure nouo, quia defuncti filius est, qui hæreditatem restituere est rogatus. *l. iubemus in pr. C. ad S. C. Trebell.* qui imputarentur tamen iure illo, quod temporibus Alexandri imperatoris obtinuit. Itaque nihil aliud consequi potest frater à fratre institutus, quam vt æris alieni loco fideicommissum sibi ex testamento paterno à fratre defuncto debitum deducat: Idest dodrantem bonorum paternorum, quæ ad ipsum Titium peruenerunt, & in eo quod residuum erit iure suo falcidiam exerceat; quæ ita obtinebunt, nisi defunctus cauerit, ne frater ex testamento paterno fideicommissum petat: Nam tunc quod falcidiæ nomine ex fratris bonis consequetur, id cum debito fideicõmisso compensabit. *l. 77. cum pater. §. Titio. ff. de leg. 2. l. 15. quod bonis. §. cum fideicommissum. ff. ad leg. falcid.* quod in quolibet creditore dicendum, à quo hærede instituto petiit testator idemque debitor, ne creditum suum legatariis vel fideicommissariis reputet. *l. 12. si debitor. ff. hoc tit.* qua ratione fit, quod & rectè Accursius docet hoc loco, vt falcidiam tacitè prohibeatur hæres exercere, quæ tamen expressim iure digestorum non poterat prohiberi. *l. 27. Seius. ff. hoc tit.* cuius definitionis illa forter ratio est, quod cum aditione hæreditatis stricto iure extinctum sit debitum, atque adeo confusæ sint actiones, vt ait Imp. in l. 6. hoc tit. videtur testator qui iubet compensationem induci eius quod debetur cum eo quod falcidiæ nomine ex bonis ipsius hæres retenturus est, vti magis iure communi, quo aditio pro solutione est, quam falcidiam prohibere: Nec dissimilis ratio eius, quod proponitur in l. 13. dotale. §. fin. ff. de fundo dot. vxore hærede instituta, si maritus fundum dotalem extraneo legauerit, valere legatum si deductis aliis legatis mulier quantitatem dotis habitura est, quem locum Accursius non intellexit; & referendus est ad edictum de alterutro, quo ante Iustinianum vxor, cui legatum dabatur vel quæ hæres erat instituta, legato electo vel hæreditate dotis petitionem non habuit. *l. vn. §. primum. C. de rei vx. act.* vt propterea vxor instituta à marito non potuerit æris alieni loco dotem deducere, & vti beneficio legis 6. hoc tit. Et errauit Accursius manifestè, qui ita d. §. vltimum interpretatus est, quasi in eius specie mulier præter pretium fundi dotalis quartam partem hæreditatis beneficio falcidiæ habeat. Cæterum superioribus casibus exceptis; quemadmodum hæres creditor ex hæreditate debitum sibi retinet æris alieni loco: Ita si debitorem suum instituerit creditor, nemo dubitauerit hæredem hæreditati compensare debere, quod ipse defuncto debuerat, cum eo locupletiorem hæreditatem percipere videatur, quod debito exoneratur. *l. 1. §. 18 si debitor. hoc tit.* Hæc ad primam partem

Liberis in quartam falcidiam vel trebellianicã non imputantur fructus percepti ante tempus restitutionis.

Qui instituit creditorem suum hæredem potest cauere, vt creditum suum legatariis non reputet.

Proponitur verus intellectus l. 13. paragr. fin. ff. de fundo dot.

Edictum de alterutro quodnam fuerit.

legis 6. pertinent, nisi si forte etiam verbosa nimis fuit disquisitio. Secundam autem partem constitit ad id pertinere, vt ex omnibus legatis falcidia deducatur. Legatorum nomine fideicommissa singularia vel vniuersalia quin contineantur, frustra est vt dicatur. Sed non est illud tamen per omnia verum vbique & indistinctè ex legatis vel fideicommissis falcidiam detrahi: nam primum in legatis à milite relictis ipse Imp. Alexander tum in l. 7. hoc tit. tum etiam in l. 5. sup. de milit. testam. docet ipsam legem falcidiam locum non habere, quod verum est siue sit filiusfam. siue paterfam. Sed ex ipsa parte rerum legatarum vel personarum quibus legatur frequentius intercedit, vt non sit falcidiæ locus; in libertate maximè illud obtinet, vt non minuatur per falcidiam: Et illud tentari non insubtiliter potest: Si seruis constet omne defuncti patrimonium, atque illis libertatem reliquerit testator, hæredem extraneum quartam non habirurum; filium vero ab intestato rem habitutum citra pœnam edicti, quod proponirur contra eos qui omissa causa testamenti in necem legatorum & libertatum hæreditatem adeunt ab intestato. *l. 8. §. 6. quarta. ff. de inoff. test.* Hinc sequitur, vt nec legatarius, cui seruus legatus est, vt eum manumitteret, falcidiam patiatur, ne præiudicium fiat libertati. *l. 33. si seruus. ff. hoc tit.* quod idem dici debet, si alicui pecunia legata sit, vt seruus alienus redimatur: Tunc enim si minus emi non possit, quam legatum est, nihil detrahetur. *l. decem 6. ff. de fideicom. lib.* & quod dicitur in l. 34. testatoris. ff. hoc tit. in illa specie falcidiam detrahi; hoc ita accipiendum, si admissâ falcidiâ tantumdem remaneat, quanti seruus emi potuit. Ad id quoque pertinet vulgaris definitio circa imponendam falcidiam, patrimonij rationem iniri deducto primum ære alieno, & pretiis seruorum manumissorum, quibus adijcit Paulus deorum dona lib. 4. sent. tit. 3. licet à seipso dissentire videatur in l. 1. §. 2. hoc tit. Sed Cuiacius in notis prioribus ad libros instit. hoc tit. & ad Paulum d. loco. rectè d. §. 2. emendat hoc modo: *Ad municipum quoque legata, non etiam ea quæ deo relinquuntur, lex falcidia pertinet.* Certè iure nouo falcidiam in legatis relictis venerabilibus locis, vel ad redemptionem captiuorum non detrahi plusquam est manifestum. *l. 48. si quis ad declinandam. §. 2. C. de episc. & cler. &* N. 131. *cap. 12.* Sed neque falcidiæ locus est in his rebus, quæ vxoris causa emptæ paratæ-ve sunt, atque ipsi à marito legatæ; quod ipsa lege falcidia nominatim expressum erat vt extra modum legis forent. *l. 81. sed vsusfructus. §. fin. ff. hoc tit.* id forte Liuia vxore Augusti satagente fauore mulierum: Nam eius temporibus legem ipsam siue plebiscitum factum satis constat. Idem dicemus in specie eleganti, quam tractat Papinianus in l. 67. vnum. in pr. & §. 1. ff. de leg. 2. scilicet cum is qui familiæ obstrictus erat de fundo per fideicommissum reddendo

Lex falcidia locum non habet in testamento militis.

Libertatem falcidia non minuit nec aufert.

In deorum donis non habet locum falcidia.

Idem in piis legatis vel illis quæ relicta sunt ad redemptionem captiuorum.

Idem est in ornamentis vxori legatis.

Non est etiam locus Falcidia cum quis fundum legat certa persona quem vni ex familia restituere tenebatur.

dendo vni ex familia hunc fundum legat & præterea ſubſtantiam ſuam legatis onerat: certum eſt enim hæredem ius falcidiæ non habiturum contra eum, qui electus eſt ex familia prioris teſtatoris; quandoquidem ipſe hunc fundum accipit vt æs alienum; & quamuis à fideicommiſſario emolumentum aliquod perceperit legatarius, quod ab eo electus ſit, cum poſſet alteri ex familia eũdem fundum relinquere: tamen facultas neceſſariæ electionis nullum propriæ liberalitatis beneficium continere cenſetur. Et eſt etiam ſpecies alia elegans in l.11. cum filiusfam. ff. de leg.1. in qua idem Papinianus docet falcidiam non habere locum; ſcilicet cum filiofamil. inſtituto hærede rogatus eſt pater, ad quem lucrum hereditatis peruenturum eſt, vt ipſe filio ſuo hæreditatem reſtitueret cum forte emancipatus eſſet: tunc enim quia non vt hæres rogatus eſt, ſed vt pater; falcidiæ commodum non habebit, licet extraneo reſtituere rogatus aduerſus eum poſſet falcidiã inducere. Neque obſtat lex 1. §. ſi filio. ff. ad S.C. Trebell. nam vt rectè Cuiacius lib.9. quæſt. Papiniani ad d.l.11. ex Trebelliano quidem reſtituitur hæreditas à patre filio hæredi inſtituto, ſed non propterea falcidiam pater detrahit: quantum enim ad legem iubemus verſic. idemque Cod. eod. tit. reſtituit filio pater vt hæres, quia ipſe ſuo nomine inſtitutus eſt, & rogatus eſt filio reſtituere, & ideo falcidiam deducit. Sed & in ſpecie legis 52. ex aſſe. ff. hoc tit. perſpicuum eſt patronum liberti hæredem non deducere falcidiam ex legato relicto filio ipſius teſtatoris, quia integrum habet ſemiſſem, qui ei ex lege Papia debetur etiam cum hæres eſt inſtitutus & grauatus legatis l.1. §. pen. ff. ſi cui plus quam per leg. falcid. namque in d.l.52. extraneo legatum non dat, ſed illud in falcidiam ſibi imputat, & ita ex ducentis, quos habebat libertus centum eius filio præſtitis centum retinet ipſe patronus hæres. Satis eſt autem eius legis 52. obſcura σύνταξις, nec plane his verbis quibus palam edita eſt poteſt conſtare: quare ſententiæ Cuiacij ſtandum eſt qui eam reſtituit lib.25. obſ. cap.24. nec aliorum in eam lucubrationes rem expediunt ſatis. Interdum princeps quartam donat, cum inſtitutus eſt. *l.30. ſi legatus. §. fin. ff. ad S.C. Trebell.* quamquam Cuiacius ad N.1. eum. §. accipiat de quolibet hęrede inſtituto, quem vetat princeps quartam retinere, quod vix forte admittendum, cum non ſoleat ipſe princeps in alterius iniuriam cuiquam beneficium indulgere. Illud autem in expedito eſt, non induci falcidiam aduerſus creditorem, cui legauit debitor quod debebat. *l.28. ſi creditori. §.1. ff. de leg.1.* quod verum eſt ſi debitum erat præſens, & creditor illud tantum conſequitur, vt pro actione perſonali ex ſtipulatu dominium nanciſcatur, & vindicationem habeat, vel pro actione honoraria ciuilem ex teſtamento conſequatur, quod lucrum quam minimum eſt; ideoque falcidiam non ad-

Si filiofam. inſtituto pater eius rogatus ſit ei reſtituere hæreditatem non eſt locus legi falcidiæ.

Diluuntur argumenta contraria.

Cur falcidiæ non ſit locus in l.52. ff. hoc tit.

Interdum falcidiam donat princeps cum eſt inſtitutus.

Non retinetur falcidia contra creditorem cui creditum ſuum legatum eſt.

mittit, vt nec fideicommisso grauari potest, quia vix est cui nihil dederis eum oneres. *l.3.§. si rem & l.8.§. fin. ff. de leg.3. l.1. al. l.2. si socer.*

Nisi emolumentum repræsentationis contineat aut exceptionem remiserit testator.

§.7. ibidem. ff. de do. prælег. l.31. quidam. C. de fideicom. alioquin si emolumentum repræsentationis contineat hoc legatum, cum forte debitum esset in diem vel sub conditione; poterit falcidiam pati. *l. 1. §. si quis creditori. l.5. verbis. ff. ad leg. falcid.* quod fortius dicitur, si exceptio sit remissa, quam defunctus nactus erat: nam & hic fideicommisso grauari potest. *l.7. paragr.1. ff. de leg.3.* nec recte opponetur lex

Diluitur contrarium argumentū.

57. cum dotem. & lex 81. sed vsusfructus. paragr.1. ff. ad hoc tit. quæ in dote legata falcidiam locum non habere constituunt: nam hoc ita accipiendum, si hoc legatum nullam repræsentationem contineat, quod potest contingere, cum res immobilis data est, & dos est prælegata: nam si emolumētum aliquod repræsentationis huic legato sit adiunctum, falcidiam patietur. *l.1. paragr.6. idem quæritur. ff. de do. prælег.* qua de re plura Cuiacius in recitationibus ad d. paragr.

Hæres falcidiam non habet quādo eius culpa factū est vt ei locus esset.

6. & lib.18. quæst. Papin. ad l.7. ff. eod. tit. Potest & hæc species hæredi auferre falcidiam, si culpa eius esset factum, vt ei esset locus, dum fundum alienum legatum pluris redimit, quam constabat. *l. 61. alienus. ff. hoc tit.* Iure antiquo licuit testatori cauere in testamēto

Potest testator cauere ne ex vno legato falcidia detrahatur.

ne falcidiam hæres detraheret ex vno, aut altero legato. *l.64. si in testamento. ff. ad l. falcid. l.6. decem in fi. ff. de fideicom. libert.* Sed hoc hæredi nihil obera, qui tanto plus ab aliis falcidiæ nomine retenturus erat, quod ab vno aut duobus legatariis falcidiam non conse-

Diluitur argumentum contrarium.

queretur: quare constituendum in l.15. quod bonis. paragr.1. ff. hoc tit. vnum esse tantum legatarium siue donatarium mortis causa, cui dodrante amplius testator ex bonis suis dederat; alioquin dicēdum foret aduersus eum non induci falcidiā, si habeat hæres quo ex aliis bonis hęreditariis quartam bonorum possit nancisci: abscisse enim

Iure nouo potest falcidia prohiberi à testatore.

falcidiam prohibere testator non potuit, vt dictum est sup. ex l.27. ff. hoc tit. Iure nouo potest indistinctè ex l. fin. C. ad S.C. Trebell. & N.1. quæ est de hæreditatibus & falcidia. Est autem illud adnotandum non alium quam hæredem testamentarium directo iure insti-

Legatarius vel hæres fideicōmissarius non habent falcidiam si grauentur.

tutum vel legitimum aut prætorium successorem ab intestato fideicommissis grauatum falcidiam exercere posse: nam si legatarius forte partiarius partem hæreditatis, quæ sibi legata est, sit iussus restituere, nec quarta retinebitur, nec ex S.C. restitutio fiet. *l. mulier. paragr. fin. ff. ad S.C. Trebell.* cui non obstat quod est in l.43. Plautius.

Illi tamen eam imputant quam passi sunt ab hærede.

paragr. fin. ff. de cond. & dem. l.32. pœnales. paragr. si Titio. ff. ad l. falcid. l.63. paragr.10. si Titius. ff. ad S.C. Trebell. nam illis locis is, cui restituta est hæreditas, vel legatarius, non tam falcidiam deducunt ex fideicōmisso quo grauati sunt, quam illam imputant quam passi sunt: alias si nihil ipsis abstulisset hæres, & integram rem vel portionem rogati essent restituere, fideicōmisso parere cogerētur.

l.70.imperator.paragr.1.ff.de leg.2.l.47.lex falcidia.paragr.fin.ff.hoc tit.l.1.paragr.10.denique cum seq.l.55.si patroni.paragr.qui fideicommis.ff.ad S.C. Trebel. Sanè id summo alimentorum fauore obtinet,vt legatarius, à quo alimenta relicta sunt, non possit imputare alimentariis falcidiam, quam ipse passus est ab hærede in re aut fundo sibi relicto. *l.177.cum pater.paragr.1.ff.de leg.2.l.21.liberto.paragr.1.ff.de ann.leg.l.25.maritum.paragr.fin.Dig.hoc tit.* quamquam alias in alimentis ab ipso hærede relictis falcidiæ locus fit. *l.68.cõputationi & l.89.diu..Dig.eod.* Non obstat etiam l.3.Marcellus.& lex 63. facta.paragr.9.si cum suspectam. ff. ad S.C.Trebell. nam ibi is, ad quem ex fideicommisso peruenit hæreditas, non vtitur falcidia ex sua persona aduersus eos, quibus aliquid dare iussus est, sed ex persona hæredis quem coëgit ad adeundum aduersus eos, quibus legata vel fideicommissa ab ipso hærede data sunt, vt æquum sit vti iure hæredis directo instituti, qui ipse periculum omne aditæ hæreditatis in se transtulit, quod etiam commodius dicetur illo casu, quo hæres sponte adiit & restituit non deductâ quartâ, vt liberalitatem suam exerceret in ipsum fideicommissarium. *d.l.1.paragr.denique eod.tit.* Diximus in tertia parte legis 6. hoc tit. illud constitui hæredem, qui vltro quædam legata in solidum soluit, nihil sibi officere quominus sibi falcidiam seruet: quod verum est ab aliis legatariis quibus nondum legata exoluit: nam ab eis, quibus iam legata exoluit, falcidiam repetere nõ potest, nisi forte legata annua sint vel plures res legatæ vni, quarũ iam partem præstiterit non inductâ falcidiâ: nam in exsolutione residuæ quantitatis plenam falcidiam retinere poterit etiam pro ea quæ iam data est. *l.15.quod bonis.paragr.2.non idcirco.& l.16.si pluribus. Dig.hoc tit.* Ratio vero cur exsoluto legato integro non possit falcidia induci ea est, primum quia retentio fuit legis falcidiæ non vindicatio, vt pluribus docet Cuiacius.lib.8.obs.cap.2.& lib.10.cap.28. Deinde quia scienti non datur indebiti condictio, nec plus videtur soluisse hæres, sed pleniorem fidem defuncto exhibuisse. *l.1.hoc tit.* quod facilius obtinet in hærede, qui ius ignorans id est nesciens hoc ei à iure licere, vt quartam habeat, illibata legata soluit. *l. error. hoc tit.* & cum falcidia fauore hæredis sit introducta: consequens est vt ei possit renuntiare. *l.71.potest. ff.hoc tit.* quod verum est post mortem testatoris adita iam hæreditate cum eius retinendæ facultatem habere potuit: nam à testatore elicita pactio, qua cauit hæres beneficio falcidiæ se non vsurum, eum non adstringit. *d.l. quod bonis. paragr. 1. Dig. eod.* Cæterum si hæres ignorans modum bonorum legatum integrum soluerit, datur ei condictio incerti ad reuocandam possessionem rei legatæ & præstitæ, vt ex ea in possessione constitutus falcidiam seruet. *l.5.si sponsus.§.15.si quis.ff.de don. inter vir.& vx.l.21.hæres.Dig.ad S.C.Trebell.* quam in rem etiam comparata erat

Excipitur causa alimentorum qua præstare legatarius iussus est ex re sibi legata.

Hæres fideicõmissarius potest deducere falcidiam ex persona hæredis quem coegit vt adiret.

Vbi legatum exsolutũ est non potest detrahi falcidia nisi sit legatũ annuũ vel ex rebus pluribus vna tantum legatario soluta sit.

Ratio superioris conclusionis.

Hæredi, qui modũ bonorum ignorãs integrum legatũ soluit, datur condictio incerti.

stipulatio siue cautio falcidiæ, de qua in tit. si cui plus quã per leg. falc.& si vltro iurauerit legatarius falcidiæ locum non esse,& solidum legatum hæres præstiterit, cum patrimonij modus id non pateretur, actione de dolo conuenitur. *l.23. si legatarius. Dig. de dolo.* Aduertendum autem huic tertię parti legis 6. fuisse derogatum ex N.1. de hęred. & falcid. ex qua qui aliquibus legata integra soluit, tenetur & aliis solida prestare quod vtique verũ est si id fecerit sciens: nam si in facto hæres errauerit dubium non est quin nec sibi obfuerit contra eos quibus soluit. Iure antiquo ita demum non deducebat si expressim cauisset se testatoris voluntatem secuturum. *l.46. qui quod. Dig. hoc tit. l. fin. hoc tit.* Dictum est quænam sit sit sententia Imp. Alexandri in tertia parte legis 6. Sed & potest & illud constitui, eius etiam hanc mentem esse, vt quod aliquibus legatariis integra legata soluta sunt, non propterea cæteros oneret, quasi ab his eo plus possit deducere quod ab aliis nihil detraxisset, qui color non est idoneus, ne hæredis negligentia legatariis noceat. *l.1. Cod. de contr. iud. tut. l.3. Dig. de transact.* aut ex alieno donasse censeatur & debitorem beneficij inde sibi acquisiuisse, quod nulla iuris ratio permittit. *l.54. si pignore. paragr.1. Dig. de furtis.*

Hæres qui quibusdam soluit integra legata ab aliis falcidiã detrahere non potest.

IMP. ALEXANDER A. MAXIMO.

L. pen. C. qu. dies leg. vel fideicomm. cedat.

EX *his verbis* do lego Æliæ Seuerinæ filiæ & Secundæ decem, quæ legati nomine accipere debebit, cum ad legitimũ statum peruenerit *Non conditio fideicommisso vel legato inserta, sed petitio in tempus legitimæ ætatis dilata videtur. Et ideo si Ælia Seuerina filia testatoris cui legatum relictum est, die legati cedente vitã functa est: ad hæredem suum actionem transmisit, scilicet vt eo tempore solutio fiat, quo Seuerina, si rebus humanis subtracta non fuisset, vicesimum quintum ætatis annum ætatis implesset: non cæptum enim annum, sed impletum (si de emolumento relicti fideicommissi tractatur) exspectandum esse prudentibus placuit.* P P. XIII. K*al. Ianuar. Alexandro A.* II. *&* *Marcello* C*oss.*

QVod hîc definit Imp. hanc sententiam continet: Legatum vel fideicommissum alicui relictum ita vt post certum tempus præstetur purum esse, & præstationem tantum differri vsque dum tempus preteritum sit. Speciem ipsa legis verba demonstrant. Titius facto testamento ita legauerat, *Do lego Æliæ Seuerinæ, &c.* Ælia decessit antequam ad legitimum statum peruenisset; illa est ætas 25. annorum, quam & firmatam ætatem vocat Virgilius illo versu

Sententia legis proposita.

Species eiusdem.

Legitimus status est ætas 25. annorum.

Hinc vbi iam firmata virum te fecerit ætas.

Ea est etiam quæ iusta ætas dicitur in l. 50. cum filiosfam. §. fin. ff. de leg. 3. decessit itaque Ælia Seuerina ante 25. ætatis suæ annum, sed post mortem testatoris: Imo etiam post apertas tabulas: Alioquin ex legibus caducariis vel legatum foret caducum, vel in causa caduci. *l. vn. §. & cum triplici C. de cad. toll.* Quærebatur an illud legatum deberetur hæredibus Seuerinæ an vero caducum esset: Nam fiebant etiam legata caduca, cum post mortem testatoris legatarius decessisset antequam conditio extitisset, vt constat ex l. 59. intercedit. ff. de cond. & dem. quod & probat Cuiac. in recitat. & parat. C. ad tit. de cad. toll. hodie vero sublatis caducis eiusmodi legata penes hæredem remanent. Consultus de illa quæstione Imp. respondit decem, quæ Seuerinæ relicta essent, hæredibus eius deberi. Mouebat quod, cum alicui legatum datum est cum erit annorum 14. causa legati deficiat, si legatarius nondum ad illam ætatem peruenerit, & ante decesserit. *l. 22. si Titio. ff. hoc tit. l. 49. si cui. ff. de leg. 1.* Sed cum in hac specie non legato conditio inserta sit, sed petitio tantum vel præstatio legati puri in tempus legitimæ ætatis dilata sit, ac propterea cesserit vtiliter viuâ Seuerinâ tempore apertarum tabularum, si secundum ius inter medium loquamur; aut morte testatoris, si ad ius antiquum & nouum speciē referamus; consequens est vt legatum Seuerinæ ab eo tempore acquisitum ad eius hæredes pertineat: Nec aliter constituendum in specie legis 46. Seius. ff. ad S. C. Trebell. & legis Firmio 26. ff. hoc tit. At, cum in tempus certæ ætatis fideicommissum relictum est, substantia ipsa legati vel fideicommissi in diem incertum confertur, qui cum non extiterit viuo legatario; consequens est legatum quasi conditione deficiente esse inutile: Quod ita verum siue relictum sit in certum tempus ætatis ipsius legatarij vel alterius: Nam eo mortuo in cuius ætatem conditio vel dies incertus, qui plerumque pro conditione est, conferebatur; extincta est etiam causa legati: Nisi si fauor libertatis intercedat, propter quem si seruus liber esse iussus est, ac simul legatum ei datum est, si filius testatoris ad certam ætatem peruenerit; eô ante eam ætatem moriente, libertas quidem valebit non legatum. *l. 16. si ita scriptum. ff. de man. test. l. 23. fideicommissaria. §. pen. ff. de fid. lib. l. 10. C. eod. l. 19. si seruus. ff. de statulib.*

Siue legatum relictum sit in tempus ætatis legatarij vel alterius ante illam ætatem est conditionale.

Secus tamen fauore libertatis.

Excipitur etiam species proposita in l. 12. C. de vsufr.

Cæterum in l.12. ambiguitatem C. de vsufr. cum proponitur vsusfructus alicui relictus, vsque dum filius forte vel alius ad certam ætatem veniret, non conditio imposita legato censetur, sed tantum præstitutum tempus intra quod vsusfructus duraret, & ideo si interim decesserit is, in cuius ætatem collatus erat vsusfructus; nihilominus eo tantum tempore finietur quo finiretur si is de cuius ætate mentio facta est viueret. Aduertendum autem est illud, vbi fideicommissum est conditionale, & in certam ætatem legatarij dilatum est, sufficere si ad eam ætatem peruenerit fideicommissarius vt ad hæredes illud transmittat, licet nondum exegerit. *l.3. hoc tit.* quod obtineret secus, si in tempus nuptiarum aliquid relictum esset: Nec enim sufficeret ad eam ætatem venisse, qua fieri & celebrari possunt, sed oportet nuptias esse contractas. *l. 24. sancimus. C. de nupt. l. 8. cum testator. C. de testam. man.* & argumento non dissimili is, cui in tempus legitimæ ætatis relictum quid est; non perueniet ad legatum, si ætatis beneficium impetrauerit, quia illa verba naturalem ætatem spectant. *l. fin. C. de his qui ven. æt. imp.* Huic autem Imp. Alexandri rescripto obijci potest lex 40. quibus. §. quidam. ff. de cond. & dem. vbi si quis pure legauerit Titio centum, deinde ea dari cauerit, *si mater sua moreretur*; nihilominus mortuo ante matrem testatoris legatario, id est ante diem præstationis, nihil ad hæredes eius transmittitur. Sed respondendum in ea specie non tam præstationi quam ipsi legato iniectam conditionem, quod dandi verbum ostendit, vt videatur testator legatum, quod antea purè dederat, postmodum & ex interuallo conditionale effecisse, aut potius sub conditione illud ademisse, si mortua nondum mater eius esset. At in hac specie, palam & ex continenti solutionem tantum siue præstationem legati testator distulit, non legatum ipsum; vnde consequens est cum vtiliter cesserit ipsum hæredem Seuerinæ illud debere consequi: sed illo tamen tempore, quo ipsi Seuerinæ si viueret præstaretur, ne plus tribuatur hæredi quam ipsi legatario, cuius vtilitatem in legando maxime testator spectauit: idque palam etiam testator hac lege definit, & probant etiam lex 18. libertis. §. ab hæredibus. ff. de alim. & cib. leg. l. 36. Publius. §. 1. ff. de cond. & dem. Neque huic definitioni obstat lex 62. à filia. §. fin. ff. ad S.C. Trebell. nam in illa specie nulla erat dies præstituta solutioni fideicommissi, sed tantum vsuris eius præstandis legatario minori 25. annis, donec ad suam ætatem veniret, quod credidisset testator sortem pecuniæ legatæ tuto ei antea solui non posse: quæ ratio cum cesset in persona eorum ad quos morte legatarij peruenire legatum pecuniæ debet, eis repræsentāda est ante diem quo defuncto exsoluta fuisset. Præterea adiicit Imp. non nisi peracto anno 25. ipsum fideicommissum peti posse ab ipsa Seuerina si viueret, aut ab eius hæ-

Cum quid in tempus nuptiarum relictum est tit. oportet nuptias esse contractas vt legatum debeatur.

Obijcitur & diluitur lex 40. paragr. quidam. ff. de cond. & dem.

Non prius hæredi legatarij legatum præstatur quam defuncto præstari debuit.

Diluitur argumentum contrarium.

In fideicommissis ad certum annum præstandis annus cœptus non habetur pro completo.

redibus, vt scilicet illo casu annus cœptus non habeatur pro completo, quod & obtinet quando non tantum legati præstationi, sed & ipsi legato vel fideicommisso certa ætas præfinita est. *l.48. non putabam. ff. de cond. & dem.* cui non obstat lex 74. qui filium. §. fin. ff. ad S.C. Trebell. nam in illa specie dicendum est æquitatis certissimam rationem intercedere, quæ omnino eadem est, quæ in l. 102. cum auus. ff. de cond. & dem. & in l. 43. ex facto. ff. de vulg. & pup. subst. vt dici debuerit, etiamsi ne quidem præscriptam ætatem attigisset is cui debebat restitui hæreditas, cum ad annum vicesimum ætatis peruenisset: nihilominus susceptis ante eam ætatem liberis ex coniectura paternæ pietatis, qui de filij sui liberis nihil cogitauit, vtiliter cessisse diem fideicommissi, vt filiæ eius debeatur fideicommissum, quasi deficiente conditione fideicommissariæ substitutionis ei filio factæ: Nec est cur duas has leges, nimirum d. l. 48. & 74. §. fin. Cuiacius pugnantes fecerit ad l. 5. ff. qui test. fac. poss. cum in d. §. fin. legis 74. manifesta occurrat æquitas, quæ in d. l. 48. non occurrit. Cæterum & in d. paragr. fin. & in l. 8. ad rempub. ff. de mun. & hon. palam id constituitur interdum in honoribus municipalibus & illis maximè qui administrationem publicæ pecuniæ non continent, annum cœptum haberi pro completo, quod & fit fauore libertatis l. 41. si ita fuerit. ff. de manum. testam. quod verum erit, si duodecimo anno seruus iussus sit esse liber: Nam aliter constituetur si in annos decem aut duodecim, vel post annos decem aut duodecim: Tunc enim requiritur, vt integer decimus vel duodecimus annus sit elapsus. *l. 49. si in annos. ff. de condit. & dem.* quia scilicet illis verbis plenitudo temporis videtur significari, ne id vocabulum (annos) diuersam in nouem vel vndecim prioribus significationem, in posteriori aliam accipiat. Vlterius etiam in legato relicto in annos singulos sufficit, vnumquemque annum cœptum esse: Licet enim primi tantum anni legatum sit purum, sequentium vero sit conditionale, *si viuat legatarius l. 4. ff. de anno leg. l. 10. cum in annos cum seq. ff. hoc tit.* tamen initio cuiusque anni potest exigi. *l. 1. hoc tit. l. 5. à vobis. ff. de ann. leg. l. 12. nec semel. ff. hoc tit.*

Diluitur argumentum contrarium.

In quibusdam honoribus annus cœptus habetur pro completo.

Idem est fauore libertatis.

In legatis annuis annus cœptus habetur pro completo.

IMP. ALEXANDER A. PAVLINÆ.

L. 5. C. vt in poss. leg. vel fid. seru. causa mitt. & qu. satisd. deb.

QVI *legati siue fideicommissi causa in possessionem mittuntur, non proprietatem nanciscuntur sed ius pignoris. Vt autem, & post acceptum pignus satisfiat de-*

functi voluntati: Competens iudex, te adeunte, prouidebit. PP. III. Id. Aug. Iuliano *II. &* Crispino Coss.

Idem A. Donato.

L. 6. C. eod. *CErta est forma iurisdictionis, qua fideicommissi seruandi causa in possessionem rerum, quæ in causa hæreditaria sunt, aut dolo malo esse desierint, is cui legati vel fideicommissi nomine satis non datur, mittitur, vel in proprias res hæredis: Si fideicommisso satis non fit post sex menses, quam peti cœperit secundum Diui Antonini patris mei constitutionem. PP. VI.* Id. *Ianuar. Fusco II. &* Dextro Coss.

Idem A. Proculiano.

L. 7. C. eod. *SCire debetis fideicommissi & legati satisdationem remitti posse, Diuum Marcum & Diuum Commodum constituisse. Vt autem boni viri arbitratu is cui vsusfructus relictus est vtatur fruatur: Minimè satisdationem remitti in testamento posse. PP. X.* Kal. *Mart. Fusco* II. *&* Dex*tro* Coss.

Quo ordine legatorum nomine cautio petatur vel missio fiat in bon. possessionem.

HÆ tres leges sunt de prætorio pignore, quod contrahitur missione in possessionem, cum hæredes legatis vel fideicommissis in diem vel sub conditione relictis onerati eo nomine cauere detrectant. Res vero sic procedit. Desiderante fideicommissario vel legatario prætor iubet hæredem cauere legati vel fideicommissi nomine; cui edicto nisi pareat hæres; prætor legatariũ. vel fideicommissarium mittit in possessionem rerum hæreditariarum; & propterea in pandectis post titulum, *vt legatorum nom. cau.* sequitur titulus, *vt in possessionem legatorum seruandorum causa esse liceat.* Igitur legatarij sunt in possessione, quod eis nullum dominium præstat, sed ius pignoris, vt docet Imp. in l. 5. in qua possit hæc ratio dubitandi proponi, quod is, qui missus est in bonorum possessionem ex causa damni infecti, iubetur postmodum possidere, & dominus vitiosarum

tiosarum ædium à prætore constituitur ex secundo decreto, nisi cautio præbeatur. *l. 15. si finita. §. Iulianus. l. 18. damni. §. fin. ff. de damno inf.* Sed hoc iniquum in hac causa & prætori visum est & imperatori, dominum constitui eum, qui missus est, cum ei non cauetur, quia mittitur in res omnes hæreditarias, quarum dominium nancisci legatarium, forte ob leue legatum non oportet: cum è contra in missione quæ fit ex causa damni infecti mittatur tantum is, cui non cauetur, in possessionem ædificij ruinosi partis-ve eius, quæ ruinam minatur. Alio modo etiam consultum est legatariis aut fideicommissariis: Nam si post missionem in possessionem rerum hæreditariarum, earum-ve quæ dolo hæredis hæreditariæ esse desierunt, non caueatur aut fideicommissum non præstetur: tunc post sex menses etiam missio fiat in bona res-ve proprias hæredis, quod ex constitutione Antonini obtinere docet Imp. in hac l. 6. quæ etiam refertur in l. 5. §. imperator. ff. vt in possess. legat. vel fideicomm. Antoninum intelligit imperator Seueri filium, qui cognomento Caracalla & Bassianus etiam dictus est, qui plerumque intelligitur, vbi nihil præterea adijcitur: Nam alius est Antoninus Pius Hadriani Imp. successor, & Marcus Antoninus Pij filius, & Antoninus Commodus Marci filius & ipse Antoninus Heliogabalus, cui successit Imp. Alexander: quamquam sup. in h. fin. de edendo. idem Imp. Alexander Antonini appellatione intellexerit Antoninum Pium, vt docet lex prima eod. tit. de quo forte etiam dici potest hîc mentionem fieri: Nam & ipse Vlpianus, dum Antoninum Bassianum intelligit, solet hac nota illum demonstrare, *Imp. noster*, quod non facit tamen, vbi de hac constitutione mentionem facit in d. l. 5. §. imperator, & §. 25. constitutio. Post illam constitutionem siue Antonini Pij siue Bassiani iam obtinet, vt ex fructibus rerum vel hæreditariarum vel ipsius hæredis fideicommissum vel legatum percipiat legatarius vel fideicommissarius. *d. l. 5. §. imperator, & §. 21. quæri poterit.* Et ad id pertinere videntur verba legis 5. quibus definit Imp. hoc loco, eum qui semel in possessionem missus est ex causa legatorum adire iudicem posse, vt defuncti voluntati satisfiat circa præstationem fideicommissi. De lege septima hoc tit. actum fuit satis sup. ad l. 4. de vsufr.

Differentia missionis quæ fit ex causa damni infecti & illius, quæ fit ex causa legatorum.

Legato non præstito fit etiam missio in bonorum possessionem hæredis.

IMP. ALEXANDER A. EVANGELO.

S*I intestatæ mulieris consanguinei existant & mater & filia, ad solam filiam ex Senatusconsulto Orfitiano hæ-*

Lex 1. C. ad S.C. Orfitianum.

reditas pertinet. P P. XV. Kal. Februar. Fusco II. & Dextro Coss.

Nitebantur in hac lege consanguinei defunctæ mulieris verbis legis 12. tab. *Si intestatus moritur, cui suus hæres non extabit, proximus agnatus familiam habeto*; quæ verba etiam ad intestatam mulierem pertinebant. *l. 1. ff. de verb. signif.* At certè filius vel filia sui hæredes matri non sunt, quia nec in eius sunt potestate. Mater etiam defunctæ successionem filiæ suæ hoc colore vindicabat, quod esset æquum luctuosam hæreditatem sibi deferri. *l. fin. C. de instit. & subst. sub cond. fa. l. 6. iure. ff. de iu. dot.* vt ad quam summus mœror morte filiæ veniret, ad eandem etiam summus honos, id est ius succedendi veniret: Nam & de filij successione, quæ defertur patri, ita Plinius in panegyrico. *Nemo recentem & attonitam orbitatem ad computationem vocet, nec socium habeat hæreditatis qui non habet luctus.* Verum defunctæ filiam eius consanguineis & matri eiusdem imperator prætulit, quia per Senatusconsultum Orfitianum legi 12. tab. in hoc est derogatum, quod concedente in fatum aliqua muliere, visum est eius consanguineis præferri liberos, quasi eis in successione defunctæ matris iura suorum ex eo datum sit. Matri autem ita demum defertur successio filiorum filiarum-ve ex S.C. Tertylliano, si sine liberis decedant, quia vbi de iure succedendi agitur, vt plurimum potior est causa eorum *l. 4. hoc tit.* Igitur longe potior ratio filiam ad defunctæ matris successionem admittit, votum scilicet commune parentum atque adeo ipsius naturæ, vt liberi parentibus sint superstites & hæredes. Verum est tamen olim ante S. C. Orfitianum matri liberos non successisse, nisi inter virum & vxorem factum matrimonium fuisset per conuentionem in manum: Nam tunc quasi consanguinei matri succedebant, vt sorori, quia illa etiam marito loco filiæ, vt adnotauimus in parat. ffrum Cuiacij tit. vnde vir & vxor. Cæterum si nulli extarent liberi defunctæ: Tunc etiam mater defunctæ filiæ agnatis præfertur, & cum fratribus eius & sororibus concurrit, qua de plura in tit. ad S. C. Tertyll. apud Iustin. & eod. tit. ff. & C.

Liberi defunctæ mulieris excludunt eius matrem & consanguineos.

IMP. ALEXANDER A. CASSIO ET HERMIONÆ.

L. 1. Cod. de legit. hæred.

IN *successione, quæ titulo consanguinitatis, vel in bonorum possessione, quæ proximitatis nomine competit:* Tam

fratres quam sorores pari iure esse (licet non eadem matre susceptì sunt) ius certum est: Nec huic derogatur, quod amitas vestras ab auo vestro dotatas fuisse proponitis. Proposita Non. Maijs Maximo II. & Æliano Coss.

Consanguinitas vt plurimum pro agnatione; sed & pro fraternitate sæpius in iure, & apud autores, vt docet Guiac. lib. 11. obs. cap. 26. & lib. 15. cap. 36. Successio igitur iure ciuili defertur ab intestato iis, qui à latere sunt, quatenus consanguinei, id est germani fratres sunt eius, qui in fata concessit, vel agnati proximi: Iure autem prætorio cognatis proximis ex edicto vnde cognati, ex quo etiam fratres post emancipationem ad mutuam successionem vocantur, nisi quod ex constitutione Anastasij agnatos fratris, frater qui in familia desiit esse repellat; & repellit etiam fratris filios, siue cognatus ei fuerit, siue agnatus, quia ipsis proximior est: Nam & sorores defuncti eosdem excluderent; & si plures sint fratres vel sorores consanguinei vel consanguineæ; succedunt ex æquo, licet diuersa matre sint, quod imperator hac lege constituit, quæ scripta est ad fratris filios, siue ex fratre nepotes, qui cum patruis & amitis patruo suo siue liberis defuncto volebant succedere. Sed Accursius rectè vtramque hanc definitionem iure posteriori esse emendatam docet: Nam primum fratris vel sororis filij vna cum patruo aut auunculo ad defuncti patrui vel auunculi bona veniunt in eam partem, quam pater vel mater eorũ erat latuta; in illa duntaxat specie iure repræsentationis introducto in successione, quæ ex transuerso defertur. N. 118. cap. 3. N. 127. cap. 1. quod & iuris nostri ratio admittit ex consuetudine Parisiensi: Alioquin si nullus defuncti frater fuerit liberi fratrum in capita succedunt non in stirpes; quamquam aliter in quibusdam locis obtinet, & maximè ex consuetudine vitriaca, secundum quam etiam Senatusconsultum Parisiensis curiæ latum est, quo definitum, inter filios fratrum patruo vel auunculo succedentes, in stirpes diuidi hæreditatem non in capita. Cæterum obtinuit in prouinciis, quæ iure municipali vtuntur fratris filios cum patruo non admitti, quia id nominatim consuetudo non ferebat, nec in ea re est admissa sententia dictarum constitutionum Iustiniani, vt docet Annæus Robertus lib. 3. rer. iudic. cap. 15. & 16. Imo veteri consuetudine Parisiorum id etiam obtinebat, vt nullo casu iura repræsentationis locum haberent in ea successione, quæ ratione cognationis ex transuerso defertur; ex noua demum constitit, vt cum patruis vel auunculis, amitis vel matertetis, sororum vel fratrum liberi ad successionem pa-

Consanguinitas pro fraternitate & agnatione.

Frater etiam emancipatus repellit agnatos defuncti fratris.

Liberi fratris patruo suo succedunt cum alio patruo suo, vel auunculo aut amita defuncti fratre vel sorore.

Quando liberi fratrum patruo succedunt soli, hæreditas diuiditur in capita non in stirpes.

Veteri consuetudine Parisiorum ius repræsentationis locum non habebat in hæreditate quæ defertur ex trasuerso.

truorum vel auunculorum, amitarum aut materterarum admitterentur. Etiam ex iure nouo, contra quam hic definitur, fratres qui ex vtroque parente iuncti sunt eos excludunt qui defuncto sunt tantum fratres vterini vel consanguinei, id est diuerso patre vel matre nati, priuilegio scilicet duplicis vinculi vt loquuntur, idque ita constitutum N. 18. cap. 3. & N. 84. quamquam plerisque locis ex iure municipali aliter obtineat. Scrupulum autem faciunt in hac lege hæc verba: *Neque huic derogatur &c.* Ex quibus forte magis dicẽdum est, quod Accurs. & Cuiac. probant, non hîc quæri an filij fratrũ succederent defuncto patruo cum aliis patruis, quod ex iure antiquo non obtinere certum fuit, sed fratris filios de iure patris, qui defuncti frater erât interrogasse imperatorem, non de suo: & ab eo quæsitum illud tantum, num sorores defuncti amitæ ipsorum, quæ quidẽm defuncto coniunctæ erant per patrem tantum, possent cum patre suo ipsi fratri succedere, & an succedentes dotem conferre deberent, quam ab auo habebant, vt hæc sit illius legis sententia; sorores per patrem tantum defuncto fratri coniunctas ei succedere cum fratre alio, qui defuncto est αὐτοκασίγνητος, siue frater ἀμφιθαλὴς (sic vocari solent vtroque parente iuncti fratres, alij qui vnum tantum parentem habent inter se communem dicuntur ἑτεροθαλεῖς, qua de re Cuiac. lib. 6. obsc. cap. 17.) neque ipsi illas dotem conferre debere. Speciem etiam ipsam proponere expeditius fuerit. Titius decessit, relicto fratre Sempronio, qui ipsi ex vtroque latere cognatus erat, relictis etiam sororibus Mæuia & Procula, quæ eodem patre cum Titio, sed diuersa tamen matre natæ erant. Cum autem de iure succedendi quæreretur inter Sempronium ac Mæuiam & Proculam, Cassius & Hermionas filij Sempronij, nihil enim attinet fuisse iam mortuum eum post Titium; Imp. Alexandrum adierunt, duabus rationibus nitentes, quasi tota defuncti Titij patrui sui hæreditas ad patrem suum Sempronium, non etiam ad amitas pertineret. Priori illa causam patris muniri contendebant, quod ex vtroque latere Titio coniunctus fuisset; illæ tantum essent consanguineæ defuncti, aliam vero matrem habuissent. Deinde illo argumento vtebantur, quod illæ dotem habuissent ab auo & propterea deberent à fratris defuncti hæreditate remoueri, nisi eam dotem conferrent. Sed nihil his motus Imp. Alexander rescripsit, eas ad defuncti hæreditatem vel bonorum possessionem admitti, ac præterea nullo collationis munere fungi debere: Cuius constituti ratio illa est, quod agnatorum vel proximorum cognatorum nomine, cum de fratrum vel sororum successione agitur, fratres potissimum & sorores defuncti vocentur, cum agnationis vel cognationis iure proximiores sint, nulla distinctione facta, an ex vtroque parente sint iuncti. Cæterum collatio tan-

Qui frater est ex vtroque parente præfertur alteri qui est vterinus tantum vel consanguineus.

V. Dn. Louet in litt. S. num. 17. & quæ ibi not.

Sententia legis proposita.

Species eiusdem.

eum admittitur, cum de successione parentum agitur inter liberos vel nepotes, non cum de ea quæ ex transuerso defertur.



COMMENTARII IN RESCRIPTA AVRELII ALEXANDRI SEVERI IMP. ROMANI QVÆ LIB. VII. Codicis Iustinianæi continentur.



EX hoc libro quinquaginta quatuor rescripta Imperatoris Alexandri occurrunt explicanda: Prioris hæc verba sunt.

IMP. ALEXANDER A. QVINTILIANO.

IN fraudem creditorum testamento datæ libertates, quamuis debitori hæres, qui soluendo est, extiterit; per legem Æliam Sentiam non valent. Lex 5. C. de testamētaria manumissione.

OCcurrebat in hac specie ratio dubitandi maxima, quod is qui locupletem habet hæredem, decessisse non soluendo videri non potest, quia soluendo esse hæreditas dicitur, quæ inuenit hæredem vel emptorem. *l. 33. quæ dotis. ff. sol. matrim. l. 36. libertus. ff. de bo. lib. l. 3. ff. ad leg. falcid.* vt idem prope esse videatur, ac si post datas libertates locuples esse cœperit testator, quo casu nemo dubitauerit conualescere libertates prius in fraudem creditorū datas, in quam sententiam procliuiores fuisse Proculiani videntur, Sabino & Cassio contra sentientibus, & Iuliano, qui ex Sabinianis fuit, quorum sententia refertur à Caio in l. 57. qui locuples. ff. hoc tit. integra vero Iuliani sententia extat in l. 5. ff. qui & à quo manum. Ratio tamen qua nititur hoc rescriptum, & possit etiam Sabinorum opinio stabiliri, ea est, quod quemadmodum in ratione legis falcidiæ modus bonorum inspicitur, quæ fuerunt tempore mortis testatoris, non postea. *l. 30. in ratione. ff. ad leg. falcid. §. quantitas eod. tit. apud Iustin.* Ita *Soluendo censetur esse hæreditas, quæ inuenit hæredem.*

etiam in lege Ælia Sentia quātitas patrimonij inspici debet tēpore mortis eius, qui seruis libertates dedit quod vtique verū est si fraudādi consiliū debitor habuit: nam si eo animo non fuit testator, & euētu tantū fraudati sunt creditores, libertates valent. *§. in fraudem qu. man. licet vel non apud* Iustin. ac per hoc hæres locuples; qui adiit eas præstare tenebitur, nisi forte per fideicommissum libertates relictæ sint, quo casu, licet fraudis consilium defuerit, tamen si euentu fraudentur creditores, libertas nullius momenti est. *l. fin. Cod. qui man. non poss.* Sane si qui creditores habet, vniuersos seruos suos manumittat, censetur animum fraudandi habuisse, & ideo dubium non est, quin libertas non contingat. *arg. l. 17. omnes. §. Lucius. ff. quæ in fr. cred.* & dubitari tamen possit, an saltem valebit manumissio aliquorum, dimissis primum creditoribus: Sed verius erit, non procedere manumissionem, si simul vno verbo eos liberos esse iusserit, quia sciri non potest, cui potius libertas competat; idque debet ita obtinere exemplo liberti, qui plures res alienauit, quo se minorem centenario faceret: nam si simul factæ sint alienationes, videbuntur omnes factæ in fraudem legis, cum tamen si separatim res alienę essent, inutilis constitueretur tantum alienatio earum, quæ in fraudem legis factæ essent; aliarum vero quatenus tantum in fraudem patroni factæ essent. *l. 16. si libertus. §. si quis plures. ff. de iu. patr.*

Qui manumittit omnes seruos suos censetur habuisse animum fraudandi creditores.

IMP. ALEXANDER A. LVCIO.

Lex 3. C. de fideicōmissariis libertatibus.

CVM libertatem mulieribus sub conditione datam proponas: quid dubium est, eos, qui ex his ante impletam eam eduntur, seruos nasci, & pertinere ad hæredes iure dominij? His enim demum succursum est, qui post moram præstandæ libertatis progeniti sunt, vt liberi & ingenui nati videantur.

ATquin, conditione libertatis existente, videbatur retro libera ancilla, quandoquidem in præteritum pura libertas data censetur, vt in venditione vel pignore conditionali dicitur in l. 8. necessario. §. 1. ff. de peric. & com. rei vend. l. 9. qui balneum. §. 1. & l. 11. potior. §. 1. qui poti. in pign. ac propterea liberi etiam esse videbantur, qui interim ex ea, quæ statulibera loco erat nati sunt. Sed illa ratione seruos esse obtinuit, quia nullo nec conceptionis nec edi-

tionis tempore, aut intermedio etiam matrem liberam habuerunt. Cæterum in legatis aut libertatibus tempus existentis conditionis inspicitur, vt propterea moriens legatarius ante existentem conditionem ad hæredes nihil transmittat. *l. vn. §. sin autem. Cod. de cad. toll.* quod in contractibus obtinet secus, in quibus obligatio conditionalis ex præsenti statum capit, & ex ea debitoris hæredes tenentur, vel creditoris hæredibus aliquid acquiritur, si post mortem contrahentium conditio extiterit. *l. 78. si filiusfam. ff. de verb. obl. §. ex conditionali. eod. tit. apud Iustin. §. pen. ff. de inutil. stipul. apud eundem.* Igitur iure dominij qui ex ancilla nati sunt, dum conditio fuit in pendenti, ad hæredes defuncti pertinent. Vbi autem semel extiterit conditio, & ab ancilla libertas est desiderata, iam tum post moram progeniti, liberi & ingenui nascuntur: nec huic legi præscribitur, quod illi tantum ingenui dicuntur, qui ex matre libera nascuntur. *l. 5. ff. de statu hom.* nam non perinde veram esse hanc definitionem lex ista ostendit & lex 26. cum vero. §. apparet. l. 53. si quis rogatus. ff. hoc tit. Quinimo si ancillæ libertas relicta sit & S. C. Sillanianum impediat aditionem hæreditatis, ac propterea, dum quæstio habetur de nece testatoris, præstatio dilata est libertatis, qui interim nascetur ex ancilla, liber erit & ingenuus. *l. cum Sillanianū. C. de his qu. vt ind.* quod manifestius apparet, l. cum inter hoc tit. cum fideicommissaria libertas ei relinquitur, qui ex ancilla nasciturus est: nam ex ancilla matre natum, liberum & ingenuum fore certissimum est. Igitur magis placet definitio apud Iustinianum proposita tit. de ingenuis, ingenuum eum esse, qui statim vt natus est liber est: nam illos casus complectitur, quos definitio Marciani in d. l. 5. ff. de statu hom. non admittit. Cæterum quod hîc dicitur subueniri illis, qui post moram præstandæ libertatis progeniti sunt, vt perinde habeantur ac si ex libera nati essent: Idem dicendum in pura libertate directò vel per fideicommissum relicta, si dum hæres in aditione hæreditatis moram traxit aut deliberat, ancilla, cui libertas relicta est, peperit. *l. pen. ff. hoc tit.*

In legatis siue libertatibus & eo quod debetur ex testamento inspicitur tempus conditionis existētis, in cōtractus tempus quo contractum est.

Legatum conditionale nō transmittitur ad hæredes, debitum transmittitur.

Interdum natus ex ancilla liber est.

Ingenuus quis dicatur.

IDEM A. HADRIANO.

SI *voluntate domini in libertate est morata, cui fideicommissaria libertas relicta fuit secundum senatusconsultum, & constitutiones ad id pertinentes: ciuis Romana facta ingenuos peperit. Sed si nunquam ab eo li-*

Lex 4. Cod. eod. tit.

bertas petita est: sibimet imputare debet, cur interea progeniti ex ea serui sunt.

Quid senatusconsulto Rubriano cautum sit.

SEnatusconsulto Rubriano, de quo lex hæc est accipienda, illud inductum est, vt si illi quibus libertatem fideicommissariam præstari oportet, euocati à prætore adesse noluissent, eodem iure libertas esset, ac si directò data foret. *l.26. §. subuentum. ff. hoc tit.* Igitur iam tum ipsius hæredis voluntate in libertate morari ancilla censetur, & quos ipsa liberos postea ediderit, ciues & ingenuos parit: Alioquin nisi libertatem petierit per prætorem, nec ipsa libera est, nec qui ex ea interim nascentur, nisi forte minor sit, cui reipsa mora fit. *l. 3. Cod. in qu. cau. in int. rest. non est necess.* vt propterea soleant eo nomine in integrum restitui. *l.5. si tamen. ff. de minor.* Sed vix est, vt matris culpa libertatem liberis aufetat: Ideoque melius erit acquiescere sententiæ Vlpiani, vt ingenui nascantur ex quo moram passa est ea, cui libertas ex fideicommisso præstari debuit; partus verò manumittatur, si libertas ab ancilla petita non est, cum peti debuit; quod fieri possit, vt propter ignauiam matris, vel ignorantiam iuris sui, aut propter eorum autoritatem à quibus relicta est, non sit petita *d. l. 26. §. 1. ff. hoc tit.* vt propterea συνταξις verborum, quæ sunt in extremo huius legis, ita accipi debeat, vt progeniti ex ancilla, cui relicta libertas est per fideicommissum, interea serui sint, dum non petitur libertas, non vt etiam in eo statu maneant propter non petitam suo die à matre libertatem. Ad hanc legem pertinent, quæ tradit Cuiacius lib. 18. obs. cap. 20.

Cum in præstãda libertate ancilla mora facta est, nati ex ea sunt ingenui.

IDEM A. DIONYSIO.

L. 5. C. eod. tit.

MINOR *annis lege definitis, nec per fideicommissum libertatem supremis suis elogiis relinquere potest, nisi iis quorum causam probare potest.*

Lex Ælia Sentia locum habet in fideicommissariis libertatibus.

DVbitari potuit, num lex Ælia Sentia, quę vetabat ne minor 20. annis causâ non cognitâ manumittere posset testamento vel inter viuos, locum haberet in fideicommissis, quandoquidem in his stricta iuris ratio inhibetur. Sed quia eiusmodi lex consilio adolescentis parum firmo restitit, *l. 4. ff. de seruis exportandis*, etiam in hoc genere dandæ libertatis vim suam obtinere constitit, nisi in ea

causa

causa sit seruus manumissus, vt potuerit viuus adolescens causa probata è potestate sua illum dimittere. Quin & habere eam locum in militis testamento supra docuit Imp. in l.4. de milit. testam.

IDEM A. MAXIMO.

L.6.C.eod.

DEBERI *etiam alienæ ancillæ fideicommissariam libertatem placuit. Nec deficit hoc debitum, si interim domina (si modo nihil ex iudicio eius, qui quæ-ve reliquit libertatem, perceperit) noluit vendere: quia poßit tempore procedente, vbicumque occasio redimendæ ancillæ fuerit, præstari libertas.*

Alieno seruo non potest dari libertas nisi per fideicommissum.

Dominus non cogitur manumittere seruũ suum si nihil à defuncto ceperit.

Directa libertas seruo non potest competere, nisi vtroque tempore testatoris fuerit & testamenti & mortis. §. *penult. de reb. sing. per fid. rel. apud Iustin.* Sed illud tamen satis fuerit, si testamenti tempore & quo defuncti aditur hæreditas eius fuerit, quia forte redemptus est à seruo hæreditario *l.58. verum. ff. de manum. test.* alieno autem dari non potest, nisi per fideicommissum, quo etiam casu ita demum competet, si seruum dominus velit distrahere: nam licet seruo communi possit obtingere libertas iure nouo, cum vnus ex sociis vult manumittere, & impedit alter libertatem. §. *fin. de donat. apud Iustin. l.1. C. de comm. seruo man.* tamen in seruo, qui in totum alienus est, id non licet, nec licuit vnquam. *l.4. C. de his qui à non dom. man. sunt*, neque tamen statim extinguetur fideicommissaria libertas, si nolit vendere dominus, aut immensum pretium desideret, sed in id tempus differetur libertatis præstatio, quo velit vendere, nec enim cogi potest, *l. nec emere. Cod. de iu. delib.* quod verum est si nihil ex defuncti iudicio ceperit: nam si legata sit certa pecuniæ summa, legatumque acceperit, cogetur seruum manumittere, quasi tanti dem seruum suum æstimauerit. *l.70. Imperator. §.1. vers. enimuero. ff. de leg.2. l.36. sed si non seruus. ff. ad leg. falcid. l.13. si ea. C. eod.* quamquam ętatis beneficio facile minor admittetur, si nondum manumissione facta pecuniam restituere, quam seruum suum manumittere malit. *l.33. si minor. ff. de minor.*

IDEM A. NICOMEDI.

L.7.C.eod. *HI quibus per fideicommissum libertas supremis iudicio relinquitur, eorum liberti efficiuntur, à quibus manumittuntur.*

POterat in contrariam sententiam duci argumentum, quasi nullum beneficium ab eo seruus accepisse videretur, quia inuitus poterat cogi ad manumittendum, vt actus necessariæ manumissionis liberalitatem continere non censeatur. *l. si seruo. 84. ff. de hæred. instit. l. 67. vnum. §. 1. ff. de leg.* Sed videtur hæc voluntas testatoris fuisse, dum rogat seruum ab hærede vel legatario, cui eum reliquerat, manumitti, vt iuris patronatus compendium ad eum, qui ministerium manumissioni præbuisset, pertineat; ideoque is pro patrono habendus est, vt & vocari in ius à liberto non possit veniâ non impetratâ. *l. 9. is quoque. ff. de in ius voc.* & alia omnia habet patronatus iura, præter operarum impositionem, vt constitit sup. ad l. 7. de oper. libert.

IDEM A. EVTYCHETI.

L.8.C.eod. *CVM proponas fideicommissariam libertatem ita tibi datam, si vxori testatoris placuisset: licet ea non adeunte hæreditatem, pertinere cœperit ad filium solida hæreditas: non refragante tamen vxore testatoris, potes petere libertatem.*

Species legis proposita. MÆuius cum vxorem & filium hęredes instituisset, Eutycheti libertatem reliquit ea conditione, si vxori suæ placuisset. Ea hæreditatem non admittente dubitabatur an posset competere libertas Eutycheti, si vxori testatoris placeret, pro-vt verba conditionis impositæ libertati dictabant. Rescripsit Imp. libertatem deberi. Eutychetis desiderium impugnabat hæc ratio, quod testator secretum voluntatis suæ de eius libertate in vxorem contulisset quasi hæredem, vt propterea eius voluntas nihil ei patrocinari vi-

deatur, cum ipsa defuncti mariti iudicium spreuerit. Verum libertatis fauor aliam sententiam extorsit, cum testator palam non dixerit, nolle in arbitrium vxoris cõferri Eutychetis libertatem, nisi hæres esset. Imo amplius in hac specie Modestinus respondit, nihil obfuturum libertati ipsius vxoris dissensum *l. 14. Lucius. ff. hoc tit.* quia videlicet iam ipsius nihil interesse censetur, cum hæres non fit.

IMP. ALEXANDER A. SABINIANO.

SI vt proponis consentiente creditore, cui pignoris iure cum aliis mancipiis obligatus fuisti, à debitore manumissus es, potuisti ad libertatem peruenire. Lex 4. C. de seruo pign. da. manum.

Idem A. Extritatiano.

SI creditoribus satisfactum fuerit: ancillæ, quæ pignori obligatæ à debitore manumissæ erant, liberæ fiunt. Nam ipse manumissor, si fraudem se fecisse creditoribus, vt reuocet libertates audeat dicere: audiri non debet, nec hæredes eius. L. 5. C. eod.

Idem A. Auctioni.

SI tutor tuus de pecunia tua seruos emptos manumisit: quoniam huiusmodi serui, sicut cæteræ res pupillaribus pecuniis emptæ, iure pignoris ex constitutionibus diuorum parentum meorum obligati sunt: fauore pupillorum liberi facti non sunt. L. 6. C. eod.

AVferti hypothecam creditori iniquum est, vt inquit Marcianus in l. 13. grege. §. pen. ff. de pign. quæ ratio facit, vt seruus pignori datus manumitti non possit, quamuis alias debitor soluendo sit, quod vtique verum, si specialiter sit seruus aliquis creditori obligatus: nam si generaliter omnia sua bona obligauerit, iniquum fuerit ei interdici datione libertatis. *l. 2. & 3. hoc tit.* nisi si propo- *Cur seruus pignori datus possit manumitti.*

natur iam debitæ pecuniæ nomine percludi debitorem, cum manumisit. *l. pen. ff. in qu. cauf. pig. vel hyp. tac. contr.* Neque vero tutor etiam seruos pecunia pupillorum emptos potest manumittere, quia non tantum iure pignoris ipsis pupillis obligati sunt, vt hîc definit Imp. in l. 6. sed etiam iure dominij ad ipsos pupillos pertinent, si hos habere velint *l. 3. C. arb. tut. l. 2. ff. qu. ex fa. tut. l. 7. idemque. ff. qui pot. in pign.* quamquam hæc ratio dubitandi occurrebat, quasi iure manumissi viderentur quia tutores vice dominorum sunt in rebus pupillaribus. *l. 11. is qui. §. si tutores. ff. quod vi aut clam. l. qui fundum. §. si tutor. ff. de vsucap. pro empt.* Verum hoc tantum ad prouidentiam pupillorum, vt dicitur in l. 27. tutor. ff. de admin. tut. vel cur. vt propterea administrationis tantum gratia distrahere, non etiã manumittere possint. *l. 16. non omnt. C. eod. tit.* Cæterum vt manumitti seruum specialiter pignori obligatum non posse constat, ne hypotheca creditori auferatur; ita vbi manumissioni consensit creditor libertas competit. *l. 4. hoc loco & l. 1. C. de remiss. pign.* idque multo magis si ipsi creditori, cui seruus est obligatus, fuerit satisfactum. *l. 5. hoc tit. l. 26. pignori. ff. qui & à qu. man. lib. non fi.* nam & idem seruus potest domino necessarius existere, si paratus sit ipsi satisfacere creditori, cui nexus est. *l. 30. pignori. ff. de hæred. instit.* Is autem ipse qui manumisit pignori obligatum hæres-ve eius non potest irritam facere voluntatem suam, vt constituit Imp. in l. 5. hoc loco: primum quia factum ipse suum improbare nõ potest: Deinde quia creditoris desiit interesse, cuius præcipuo fauore libertas serui pignorati vel generaliter quælibet datio libertatis fraudandi causa facta improbatur, si fraudem euentus sequatur.

Serui empti pecunia pupilli pertinent ad pupillũ nec possunt manumitti à tutore.

Tutor quomodo dominus censetur rerum pupillariũ

IMP. ALEXANDER A. MERCVRIALI.

Lex 2. C. de his qui à non dom. man. sunt.

FELICISSIMA, *quam mandante te seruum emisse dicis, si dominium serui, quem manumisit, nondum ad te transtulerat: Frustra petis, vt denegata libertate eius, quem manumissum dicis, possessio tibi tradatur.*

Idem A. Pompeio.

Lex 3. C. eod.

QVi *tibi hæreditatem vendidit, antequam res hæreditarias traderet, dominus earum perseuerauit. Et*

ideo manumittendo libertatem seruo hæreditario præstitit.

Libertatis fauor summus est: Sed non eo vsque producendus est, vt seruo alieno possit dari. *l. 4. hoc tit.* nisi forte ipsius serui dominus succedat manumissori, quemadmodum si seruum castrensem filij sui manumiserit pater, & ei deinde filius succedat. *l. 31. ff. de lib. causa.* aut inuicem qui manumisit succedat domino serui. l. pen. §. p●●. ff. de castr. pecul. Neque obstat lex 20. si seruo. ff. qu. & à qu. man. lib. non fi. nam id summa ratio denegat, quod fauor & æquitas in d. §. fin. admittit: & huic rationi acquiescendum neglecta sententia Accursij & Cuiacij ad l. 41. rem alienam. ff. de pign. act. lib. 5. quæst. Pauli. Non obstat etiam lex 9. seruo. C. de testam. manum. quia directa non competit, sed fideicommissaria: Aut dicendum, non aditam ab hærede hæreditatem, cuius seruum defunctus testamento manumisit. Ex superiori definitione nectitur quæstio in hac lege proposita: Nam cum Felicissima (nomen proprium est mulieris, vt in l. 4. tit. seq. Felicissimo Imp. rescribit) mandante Mercuriali seruum emisset Stichum, eumque manumisisset, & quæreretur an manumissio valeret: Rescripsit Imp. valere. Occurrebat illa ratio, quod Felicissima mandati fidem ruperit, & seruum quem emerat manumiserit, cum illum mandati iudicio Mercuriali tradere deberet, vt propterea inutilis videretur manumissio quasi facta serui alieni. Ratio vero decidendi illa est, quod dum Felicissima seruum emit, domina facta est: & quamuis mandati iudicio fuerit obstricta ad eum tradendum, non minus tamen illum dominij iure tenuit, vt propterea rectè definiant Iurisconsulti, eum, qui fundum mandatu alterius emit, rectè illum posse vsucapere, quasi sibi negotium gesserit. *l. 13. pignori. ff. de vsucap. & vsurp.* Quod procurator emit mandatu alieno sibi emit non mandanti, nec enim quis potest alteri emere. *l. 7. C. si quis alt. vel sibi,* sed quæsitam sibi empti actionem actione mandati ipsi conuentus cedere cogitur. *l. 49. possessio. §. fin. ff. de acq. vel ann. poss.* Possessio quidem per procuratorem acquiritur, & per hanc dominium. *§. ex his vers. & hoc est. Per quas pers. apud Iustin. l. 1. & 8. C. de acqu. poss. l. 13. si procurator. l. 20. traditio. §. fin. ff. de acq. rer. dom.* Sed hoc verum est, quando procurator nomine mandantis rem sibi traditam accipit, nam si suo nomine non mãdantis; nec possessio, nec dominium mãdatori acquiritur. *l. 37. §. fin. ff. de acq. rer. dom. l. 1. §. 20. per procuratorem. ff. de acq. poss.* & ad eum casum restringenda est species hoc loco proposita, vt scilicet Felicissima rem ex mandatu quidem alieno emerit, verum sibi rem gesserit: Et ita quoque accipienda lex 59. res ex mandatu. ff. de

Si is qui manumisit seruum alienum succedat domino vel dominus ei confirmatur libertas.

Diluitur argumentum ex l. 20. ff. qui & à qu. man.

Diluitur aliud arg. l. 9. C. de testam. man.

Species legis proposita.

Qui mandatu alieno fundum emit potest illum vsucapere.

Possessio acquiritur per procuratorem & per hanc dominium.

Distinctio circa priorem definitionem.

acq. rer. dom. vnus ille casus excipitur, nisi qui tradit procuratori; eo animo fuerit, vt statim velit acquiri ei cuius negotium gerit procurator: Nam tunc insuperhabita opinione & affectu procuratoris, dominium acquiritur ei cui rem quæsitam venditor vel donator voluit. *l. 13. qui mihi. ff. de donat.* quod & docet lex pen. ff. de acq. rer. dom. & lex 43. falsus. §. 1. ff. de furtis. De lege 3. hoc tit. nihil hic dicitur, quia explicata coniunctim fuit sup. cum l. 4. de hæred. vel act. vend.

IMP. ALEXANDER A. ANTIOCHO.

Lex 1. C. qui manum. non poss. & ne in fr. cred. manum.

*C*ERTVM *ius est, non alias directas libertates per legem Æliam Sentiam, quæ fiunt in fraudem creditorum, manumissorum reuocari: Nisi & consilium fraudis hoc est animus manumittentis, & euentus damni suum recipere volentium sequatur. Inter creditores etiam eos numerandos esse, quibus fideicommissum debitur olim placuit.*

Idem A. Nataliano.

Lex 2. C. eod.

SEruos meos nec per interpositam personam ad libertatem perducere homines peculij sui posse, mandatis principum comprahenditur.

Idem A. Iustinæ.

Lex 3. C. eod.

DIuo Marco autore amplißimus ordo censuit, ne quis spectaculo, quod edatur, actorem suum alienum ve seruum manumitteret: Et si factum esset, pro infecto haberetur.

Idem A. Feliciſſimo.

SI *minor annis viginti ad libertatem præſtandam homines tradidiſti: Senatuſconſulto quod geſtum eſt, irritum conſtituitur.* L. 4. C. eod.

Idem A. Priſco.

SI *in fraudem eorum quæ fiſco debebantur, probari poteſt libertas data: Non valet. Sed ſi pecuniam is, quem patrem tuum appellas, emptori dedit, & ab eo redemptus, ad libertatem perductus eſt: Nihil videtur bonis defuiſſe eius, qui fiſci debitor dicitur.* Lex 5. C. eod.

EX quinque ſuperioribus conſtitutionibus tres pertinent ad duo capita legis Æliæ Sentiæ, nimirum lex 1. 4. 5. duæ aliæ continent ius ſingulare ex conſtitutionibus principum. Prima docet non alias impediri libertatem teſtamento datam directò, quam ſi hæc duo concurrant, & animus fraudandi & euentus. Poteſt eſſe fraudandi animus ſine euentu, cum quis certa animi deſtinatione creditorum fraudandorum conſilium capit manumittendo, nec tamen fraudantur; vel quia plus habuit in patrimonio quam credebat, vel quia opulenta ei hæreditas obuenit, quam non ſperabat, aut quacumque alia ratione bona eius incrementum acceperunt. In contrarium poteſt eſſe damni euentus ſine conſilio, cum quis ſeruos, quos domi habet, manumittit lucra negotiationis ſperans, quam per inſtitores ſuos exercet, vnde creditores dimittat: Poſſunt enim inſtitores contra eius expectationem male rem geſſiſſe, vel quia nauis fluctibus merſa eſt, vel quia ædes incẽdio conflagrauerunt, aut fundi chaſmate ſiue hiatu terræ deſederunt, vel alio quolibet caſu fortuito: bona diminuta ſunt, aut in totum conſumpta. Igitur primo vel ſecundo caſu libertas non impedietur, excepta tamen cauſa fideicommiſſariæ libertatis, quam, vt ſupra dictum eſt, ſolus euentus reddit inutilem ex l. fin. hoc tit. & illud vſque adeo verum eſt, vt ſi in fraudem creditorum data ſit primum libertas, iique dimiſſi ſint; libertas nihilominus valere incipiat, licet ſequentes fraudentur, de quibus dando libertatem nihil fuerit cogitatum. *l. 18. ſi quis. ff. quæ in fr. cred.* cui non obſtat lex 25. in fraudem. ff. qui & à qu. manum. nam in ea ſpecie dicendum pecunia ſequen-

Quid requiratur vt data libertas cenſeatur in fraudem creditorum.

Si creditores ſint dimiſſi in quorum fraudem data erat libertas valet libertas licet alij fraudentur.

Obijcitur lex 25. ff. qui & à quib. man. lib. non ſi.

tium creditorum dimissos priores, quæ exceptio nominatim proponitur in l.16.ff. quæ in fr. cred. vel dicendum d. l.15. accipi de directa libertate testamento relicta, quo casu consilium & euentus requiritur: Legem vero 25. de fideicommissaria, in qua solus euentus spectatur vt ibi rectè gl.notat. Creditorum autem appellatione veniunt proculdubio illi, quibus defunctus, qui libertates dedisse proponitur, ex alieno testamento fideicommissum debuit, vt definit Imp.in l.1. hoc tit. quod in eiusmodi specie accidit. Titius Mæuium hæredem instituit, & ab eo fideicommissa reliquit. Mæuius, nondum ex solutis legatis & fideicommissis, adita tantum hæreditate, decessit; ac testamento suo pluribus seruis suis libertatem reliquit in fraudem creditorum. Quærebatur, an illi, quibus ipse Mæuius debebat legata vt Titij hæres, creditorum appellatione venirent, & possent impedire libertates, quasi in fraudem suam datas. Rescripsit Imp. posse. Mouebat quod lucro legatariorum præferri debeat libertas, vt propterea etiam falcidia eam non minuat. Ratio tamen rescribendi illa est, quod legatarij nihil consequuntur ex hæreditate Mæuij, sed ex defuncti Titij testamento, vt eiusmodi legata ab ipso Mæuio debita fuerint æris alieni loco; secundum quam definitionem illud etiam obtinet rectè, vt si seposita causa libertatis concurrant ij, quibus legata ex testamento alicuius debentur, cum creditoribus hæredis, qui ipsa legata debet, legatarij possint desiderare separationem, vt in defuncti bonis salua falcidia quam hæres iure suo retinet ipsius hæredis creditoribus præferantur. *l.pen.ff.de separat.* Sed quod in d.l.1.hoc tit.proponitur, ita verum est si legatum purum sit, aut conditio extiterit: Nam pendente conditione legatarius inter creditores hæredis non computabitur. *l.27.in fraudem.ff.qui & à qu. man. lib. non fi.* quamuis aliud sit in creditore hæredis conditionali d. l.27. & l.8.ff. eod. vbi rectè Cuiac.tr.3.ad Afric.loco eorum verborum (*fideicommissi causa*) rectè ex autoritate βασιλικῶν & τοῦ πλάτους legit, fraudandorum creditorum causa. Is cui sub conditione debetur, interim conditione pendente creditor est, legatarius non item. *l.42.is cui.ff.de obl.& act.* quia status obligationis conditionalis ex tempore contractus vires accipit; legatum vero ex die existentis conditionis, vt supra positum ad l.3.C.de fideicomm. libert. vnde mirum videri possit, cur legatarius conditionalis mitti possit in bonorum possessionem legatorum seruandorum causa, cum stipulator conditionalis non possit mitti in bonorum possessionem rei seruandæ causa. *l.pen.§.1.& fin.ff.ex quib.caus.in poss.eatur.* Verum eius diuersitatis forte ratio illa, quod actio ex testamento in plerisque imitetur actionem bonæ fidei. *l.3.C.in qu.caus.in int.rest.non est necess.* At in illis actionibus conditione pendente ad interponendam conditionem solet fieri condemnatio.

Species legis 1. hoc tit.

Legatarius conditionalis pendente conditione non est creditor.

Secus in creditore.

Ratio differentiæ.

Cur creditor conditionalis non possit mitti in bon.poss.pendente conditione legatarius vero possit.

demnatio.*l.41.in omnibus.ff.de iudic.*& forte lex 6.ff.quib.ex causis in possess. ear. quæ generaliter ait in possessionem mitti solere creditorem,& si sub conditione ei pecunia promissa sit; de eo creditore accipienda est,cui quid debetur ex contractu bonæ fidei,vt propterea ita componi debeat cum d.l.pen. eod. tit. quamquam Cuiacius aliter eas leges soluit lib.10.obs.cap.32.Superioribus adijciendum est,inter creditores fiscum numerari, & propterea in fraudem eius facta manumissio non valet,quod docet Imp.in l. 5. hoc loco, in qua Cuiac.tam in parat.C.ad hunc tit.quam ad l. 83. ff. de verb. obl.ex auroritate βασιλικῶν legit,venditori, pro, emptori : Sed parum videtur referre,an vulgata lectio mutetur, an maneat.

In fraudem fisci facta manumissio non valet.

Satis vero obscura est species quæ in ea l.proponitur: Sic tamen potest effingi admissa Cuiacij lectione.

Proponitur species legis 5 hoc tit.

Mæuius à Sempronio fisci debitore seruum emit & pecuniam dedit. Is seruum manumisit. Rescribit Imp. manumissionem contingere, quia cum serui pretium debitor fisci acceperit,nihil in fraudem fisci actum censetur. Si communis lectio seruetur,poterit etiam constare species ita, vt Prisci pater, ad quem princeps rescribit,pecuniam debitori fiscali dederit,vt is seruum quemdam emeret arque emptum manumitteret; vt cum seruus manumissus fit à debitore fiscali, nihil propterea bonis eius desit, quia debitor fiscalis non tam manumisir seruum suum,quam ministerium præbuit alieno seruo manumittendo, vt exinde nihil in fraudem fisci gestum appareat. Quod est in l.4.pertinet ad secundum caput legis Æliæ Sentiæ, ne minor 20. annis possit manumittere sine consilio,idque siue ipse manumiserit siue alij seruos suos manumittendos vendiderit & tradiderit.Quod Senatusconsulti hîc fit mentio, suspectum est: Nam ea de re factum esse Senatusconsultum nullibi mentio in iure: Legem autem Æliam Sentiam pertinuisse tam ad seruos, quos minor manumitteret,quam eos quos ab alio manumittendos traderet,docer lex 4.ff. de seru. export. itaque melius forte fuerit cum Ræuardo loco illius vocabuli,*Senatusconsulto*,legere,*sine consilio*, & ductim illa verba coniungere,*si minor 20.annis &c.tradidisti sine consilio*. Ille error facile conijci potest ex singularibus illis litteris S.C.quæ vtrumque significant,*Senatusconsulto,&,sine concilio*.

Emendatur lex 4.hoc tit.

Lex secunda pertinet ad seruos principis,vt non possint seruos peculiares,id est, vicarios suos manumittere,ne quidem per interpositam personam:Quî enim libertatem dare poterunt, quam ipsi non habent? Superest lex 3. in qua breuiter docet D. Marcum, oratione habita in senatu improbasse manumissionem, quam quis in theatro actoris cuiusdam id est comœdi facere iussus est à populo, cui seruus forte gratus fuerit : ita enim intelligi eam legem debere docet lex 17. si priuatus. ff. quis & à qu. man. lib. non fi. ad quam sufficiunt

Serui principis non possunt manumittere seruos peculiares.

quæ Cuiacius notat in parat. hoc loco, & lib. 2. obseru. cap. 22.

IMP. ALEXANDER A. PHILETO.

Lex 1. C. de ingenuis manumissis.

SI ingenuum te, & ex testamento manumissum esse dicas apud suos indices causam agere debes. Si tamen iustum contradictorem habes, id est eum, qui se patronum tuum esse dicit; memineris senatum censuisse, vt qui post manumißionem originem repetierint: Ea, quæ de domo manumissoris habent, ibi relinquant. In qua causa etiam legata vt liberto data esse iuris prudentibus placuit.

Ingenuus, qui manumissus est, potest ingenuitatem repetere intra quinquennium à die manumißionis.

SÆpissime rescriptum est natalibus non officere manumissionem. §. *fin. de ingen. apud* Iustin. Ergo non impedit etiam, quominus ingenuitatem repetat is, qui status sui ignarus ministeria seruilia obijt, & manumissus est, quod vtique verum, si intra quinquennium à die manumissionis agatur: Nam iure illo, quod obtinuit sub Alexandro, præscriptio quinquennij libertino ingenuitatem repetenti obijci potuit. *l. 2. §. 1. ff. si ingen. esse dic.* quod Iustinianus sustulit. *l. fin. C. vbi causa stat.* Igitur fingendum est in specie huius legis, Philetum, qui in ingenuitatem proclamabat, intra quinquennium id desiderare. Et quidem illo casu, quo is qui manumissus est, intra illud tempus se in ingenuitatem asserat, quia iam spe omni & iure patronatus is qui manumiserat fraudatur; ideo constitutum est quodam Senatusconsulto, vt quæcumque ex re eius, qui manumiserat, consecutus fuerit, id omne restituat, vt hac lege docet Imp. & Pōponius I.C. in l. 3. ff. si ingen. esse dic. quæ sumpta est ex lib. 5. Senatusconsultorum. Quin & si is, qui ex seruitute in libertatem proclamat, rationes domini administrasse proponatur, prius rationes reddere compelletur. *l. 22. de bonis. l. 34. imperator. ff. de lib. causa.* Amplius ait Imp. his connumerari legata, quę vt liberto data sunt, vt ea continebuntur, quæ consecutus est ab amico aut cognato patroni, quæ alias non esset habiturus. *arg. l. 10. si plures. §. 5. in arrogato. ff. de vulg. & pup. subst.* quo exemplo dicitur, liberum hominem bona fide possessum, qui contemplatione possessoris institutus est, lucrum eius hæreditatis quærere possessori. *l. 45. aditio. §. fin. ff. de*

Is qui ingenuitatem repetit post manumißionem reddit omnia, quæ ex re manumissoris quæsiuit.

Liber homo bona fide possessus si hæres instituatur contemplatione poßeßoris eius hæreditatis lucrum acquirit possessori.

acq. hered. licet alias ex duabus tantum causis acquirat possessori, scilicet ex re eius & operis suis, commodum vero sibi delatæ hæreditatis aut legati acquiret. *l. 19 liber homo. l. 54. homo liber. ff. de acq. rer. dom.* Quod ait Imp. in principio huius legis, causam apud iudices suos agi debere; hoc intelligendum apud præsides vel proconsules, ad quos pertinet quæstio status, vt constitit sup. ad l. 3. C. de iudic.

IMP. ALEXANDER A. QVIRINO.

SI liber homo alienæ ancillæ contubernium sequatur: Licet ei fuerit denunciatum, vt se abstineret, seruus domini mulieris non fit. Lex 3. C. de liberali causa.

DVbiam huius legis quæstionem faciebat S.C. Claudianum, ex quo mulier libera, quæ consuetudinem stupri cum alieno seruo post ternas denuntiationes habuerat, in potestatem eius, qui serui dominus erat transcribebatur vna cum eius bonis. *§. fin. de succ. subl. apud Iustin.* Sed iniquum imperatori visum est eius S. C. duritiem extra speciem suam producere, vt liber homo, qui se alienæ ancillæ applicuisset, concederet in dominium eius, ad quem ipsa ancilla pertineret. Senatusconsultum illud mulierum liberarum occasione dumtaxat factum est, quo pudicitiam illæsam tuerentur, & à fœdi consortij macula abstinerent: Quamuis potiore tuendæ libertatis ratione illud Iustinianus sustulerit. *Senatusconsultum Claudianum pertinuit ad liberas mulieres, quæ se seruis alienis iunxissent, non ad viros qui se ancillis alienis.*

IDEM A. IOCVNDO.

SI is, quem in seruitutem petebas, liber (quamuis absente te) causâ cognitâ pronuntiatus est: Secunda in seruitutem petitio eius dari tibi non debet. Sed si postea quam cognouisti, de sententia iudicis appellasti: An iure lata sit in auditorio quæretur. Lex 4. C. eod.

CAusa liberalis desiderat iustum contradictorem, vt, docuit supra Imp. in l. 1. de ingen. manum. alioquin efficax decretum *Causa liberalis requirit idoneum contradictorem.*

erit quod secundum libertatem dabitur. *l.3.ff.de collus.deteg.* Verum si is, qui in seruitutem aliquem petebat, cognitione suscepta abfuerit, & secundum libertatem dicta fuerit sententia; idem qui superatus iterum agere non potest: Appellare certè ab illa sententia poterit. Atquin propter absentiam damnati non appellant. *l. properandum.§.fin autem.C.de iudic.l 73.& post.§.fin.ff.eod.* Sed hoc verum, si propter contumaciam defuerint: Sin minus, audientur si tempus appellationi præstitutum indulgeat.

Absens per contumaciam si condemnetur non appellat.

IDEM A. SABINO.

L.5.C.eod.

NON ideo minus in libertatem proclamare potest ea, quam ancillam tuam esse dicis, quod eam vendente fisco comparasti. Sed nec hodie ad præscriptionem operatur, quod venditionis tempore maior viginti annis fuerit: cum ætatis allegatio non alias possit præscriptionem aduersus ciuem Romanam accommmodare, quam si participandi pretij gratiâ consensum seruituti dedisse probetur. Probationis sane onus, cum ex seruitute in libertatem asseritur, ad se recipit: quæ si affirmationem suam non impleat: inconcussum possessionis ius obtinebis.

Sententia legis proposita.

SEntentia legis hæc: causam libertatis non impediri hoc prætextu quod libera mulier velut ancilla à fisco empta sit, aut venditionis tempore ipsa maior viginti annis fuerit: Verumtamen ex possessione seruitutis in libertatem se asserenti probationis onus incumbere. Speciem satis manifestam faciunt ipsa rescripti verba. Sabinus emit à fisco Pamphilam, quæ status sui ignara aliquandiu in seruitute fuit. Agnitis postmodum natalibus, in libertatem & ingenuitatem proclamabat. Sabinus contradicit; iuris quæstio duplex erat; Prior an posset liberũ diem nataliũ repetere: Secũda, cuinam probationis necessitas incumberet: ipsi quod ingenuis parentibus nata esset; an Sabino, quasi esset ancilla. Vtramque definit Imp. & rescribit; Pamphilam proclamare in libertatem posse, & ad eam probationis sollicitudinem pertinere. Sabini desiderium duæ rationes tuebantur. Prior quod à fisco rem emisset, & possef-

Species eiusdem.

sionis suæ autorem principem haberet, vt propterea difficilius fides emptionis sibi factæ conuelli posse videretur. Secunda quod ipsa Pamphila tempore venditionis maior viginti annis fuerit, & propterea illa exceptione possit excludi, quasi iam legum auxilio sit indigna, quod statũ non sit protestata. Deinde, si detur eam admitti ad causæ liberalis disceptationem; videbatur fauore libertatis vindicias secũdum libertatem dandas ex præscripto legis 12. tabularum. *l.2.§.24.& cum placuisset. ff. de orig. iu.* ac propterea Sabinum probationis necessitate adstringendum. Rescripti vero rationes illæ. Prima quod non eò vsque fiscalis hastæ vel auctionis autoritas sit producenda, vt aduersus libertatem, cuius fauori tantopere leges indulgent, legitima sit præscriptio, quod à fisco emptor originem possessionis suæ repetat. Debet vbique principem sua tenere conuentio, cum vix sit, vt qui neminem vult à priuatis circumueniri suæ obtentu maiestatis *l.1.C. de his qui ven. æt. imp. l. pen. ff. de hæred. instit.* ipse alios contrahendo decipiat. Sed nequaquam huic præscriptioni in hac specie locus est, cum ius libertatis à principe infringi iniquum sit. Deinde & hæc ratio decidendi, quod ei tantum, qui maior 20. annis ad pretium participandum venundari se passus est, ius denegetur proclamandi in libertatem, quod ille sit indignus legum auxilio, qui spe breuis lucelli libertatem rem omnino impretiabilem contempsit, vt non leue delictum admisisse credatur, ac propterea nequidem ipsi minori ætatis ratione restitutio concedatur, vt sup. constitit ad l. 1. in qu. cauſ. in int. rest. non est necess. At in hac specie non vendidit seipsam Pamphila, sed à fisco quasi ancilla, cum statum suum ignoraret, distracta est: & quamuis probaretur sciens væniisse; actio tamen contra eam in duplum tantum daretur emptori ignoranti non etiam à beneficio proclamandi excluderetur, si non proponatur pretium participasse. *l. 14. rectissimè. cum seqq. ff. hoc tit.* Quod autem dictum de vindiciis secundum libertatem datis; id intelligendum, si quis ex libertate in seruitutem petatur, contra quam hîc obtinet, vbi ipsa Pamphila prouocat ad iudicium, & ingenuos natales repetit, quæ propterea probare debet id quod intendit, secundum quod supra positum ad l.1. vbi causa stat. Ex supra positis illud liquet, in specie huius legis edictum D. Marci non habere locum, aut constitutionem Zenonis, qua abrogatum est, quæ fuerant de rebus à fisco emptis, vt apparet institutionibus tit. de vsucap. §. fin. & l.2. C. de quadr. præscr. cum enim Zeno id induxerit, vt qui à fisco rem aliquam emit, quæ aliena fuerat, aut alicui obligata, statim ipse de dominio sit securus; hoc est intelligendum, si res ipsa possit distrahi, & in commercio sit, cuiusmodi non est libera mulier.

Vindiciæ dandæ secundum libertatem.

Edictum D. Marci aut constitutio Zenonis non habet locum si liberum hominẽ fiscus vendiderit.

IMP. ALEXANDER A. VITALIO.

Lex 1. C. de ord. cognitionum.

CVM & ipse confessus es, statum te controuersiam pati: qua ratione postulas, priusquam de conditione constaret tua, accusandi tibi tribui potestatem contra eum, qui te seruum esse contendit? Cum igitur (sicut allegas) statu tui generis fretus es: iuxta ius ordinarium præsidem pete, qui cognita prius liberali causa ex euentu iudicii, quid de crimine statuere debeat non dubitabit.

Idem A. Gallo.

L.2.C.eod.

SI de hæreditate & libertate controuersia est: prius agi causa libertatis debet. Sed si de hæreditate agetur, ordinanda quidem est causa libertatis: Sed sufficit ei qui libertate vtitur ad victoriam de hæreditate secundum eum esse pronuntiatum.

Idem A. Valerio.

L.3.C.eod.

SI crimen aliquod inferatur ei, quam ingenuam esse dicis: ante liberalis causa suo ordine agi debet cognitionẽ suam præside præbente: quoniam necesse est ante sciri, si delictum probatum fuerit, vtrum vt in liberam & ingenuam, aut vt in ancillam constitui oporteat iudicium.

NOtum est causã status & libertatis esse præiudicialem; quo fit, vt ante ea debeat definiri, si cum alia concurrat: Itaque si is qui de statu suo litigat velit quocumque crimine eum accusare, cuius potestati subiectus dicitur; prius instituendum est liberale iudicium, vt ex eo definiatur, an sit audiendus, vt apparet ex l.1. nam generaliter seruus accusare dominum non potest, aut contra eum agere excepta causa maiestatis, & fraudatæ annonæ, aut falsæ monetæ,

Seruus dominum non potest accusare vel contra eum agere exceptis certis causis.

aut quãdo de capite suo cũ his pacti sint, vel ab eo fideicõmissã libertatem petunt. *l. pen. C. qui accus. non possunt. l. 53. vix ex certis. ff. iudic.* quod idem dicendum, si aduersus alios iudicio priuato vel publico velint consistere. *l. 4. hoc tit. l. 26. quoniam. Cod. ad l. Iul. de adult.* seruus enim personam non habet standi in iudicio, siue agat siue iudicium suscipiat; vt propterea ex hac causa si condemnatus sit, actio de peculio esse nõ possit ex sentẽtia Sabinianorum, quæ aduersus Proculianos obtinuit. *l. 3. §. 8. si seruus. ff. de pecul. qua de re Cuiac. lib. 8. obs. cap. 11.* Idem multo magis si hæreditatem seruus petat, vel iudicio familiæ hercíscundæ vt hæres agat: tunc enim prius agi debebit causa status, quia præscriptione seruitutis excluderetur: quamquam si de hæreditate secundum intentionem agentis pronuntiatum sit, id in causa liberalis iudicij ei prosit, qui seruus dicebatur. *l. 2. hoc tit.* Cæterum si criminis quæstio seruo fiat, qui se ingenuum dicit; causam criminis præcedit quoque controuersia de libertate, vt constet, an in reum vt seruum animaduerti debeat; an vero vt in liberum hominem, vt & hic definit Imp. in l. 3. quia videlicet solent pœnæ duriores constitui in seruos, quam in homines liberos. *l. 10. in fine. seruorum. ff. de pœnis.*

Seruus agere nec conueniri potest.

Serui seuerius puniuntur quam liberi.

IMP. ALEXANDER A. OLYMPIADI.

QVAMVIS *defunctus sit maritus quondam tuus, cui status quæstio inferebatur: causa tamen etiam post obitum eius propter emolumentum successionis durat, eamque apud eum, qui de hæreditate vel singulis rebus iudicaturus est, decidi oportet.*

L. 3. C. ne de statu defunc. post quinq. quær.

Idem A. Martiano.

S*I is quem seruum tuum fuisse, & à fratre tuo manumissum, atque hæredem scriptum esse proponis, post manumissionem vt ciuis Romanus vixit, nec intra quinquennium post mortem eius status quæstionem mouere cœpisti: Intelligis neque hæredibus ab eo scriptis, neque ijs quos liberos esse*

L. 4. C. eod.

voluit, controuersiam te contra formam senatusconsulti facere posse. Quod si priusquam id temporis spatium excederet agere cœpisti: & peculium more iudiciorum persequi, & cum manumissis ordinata lite, secundum formam edicti experiri non prohiberis.

VIdebatur in specie legis tertiæ finitam quæstionem status morte eius, qui ex libertate in seruitutem vindicabatur. Sed cum propter successionis compendium, etiam post mortem eius, cui status controuersia inferebatur possit interesse illius, qui se dominum dicit; quæstio illa morte rei non extinguitur, si tempus indulgeat; quemadmodũ obtinet morte rei criminis quæstionem nõ finiri, vbi principaliter de bonis agitur. *l. 21. Gaius Seius. ff. ad S. C. Sillan.* quo pertinet etiam lex 3. inf. ff pend. appell. mors interuen. Igitur si ratio temporis patiatur, id est si intra quinquennium agatur à die mortis eius, de cuius statu agitur; examinata fide veri bonorum quæstio habebitur, vt ea is, qui se defuncti dominum fuisse contendit, iure peculij vindicet, ad irritum deducta hæredis institutione, & seruorum manumissione, si defunctus testamentum fecisse & libertates seruis dedisse proponatur; eaque etiam est sententia legis quartæ.

IMP. ALEXANDER A. MARCELLINO.

Lex 2. C. de vsucap. pro empt. vel pro transact.

SI *contra defuncti voluntatem seruos, quos propter perfectæ ætatis peritiam, hæredibus suis defunctus seruari testamento præcepit, tutores vendiderunt: vsucapi non potuerunt.*

Dubitatur vtrũ res pupilli possit vsucapi.

DVbitatur in iure; an res pupilli possit vsucapi: nam id palam fieri posse negat lex 48. bonæ fidei: ff. de acq. rer. dom. cum in contrarium constituatur in l. 4. §. 10. si pupilli. ff. de vsucap. rem pupilli subreptam posse vsucapi, si in domum pupilli redierit sciente tutore. Cuiacius eo loci ita distinguit: aut pupilli res est dominij iure; & tunc vsucapi non potest: aut ad eum pertinet, vt bonæ fidei

Cuiacij diuersa sententia circa illam quæstionem.

bonæfidei possessorem; & tunc potest: quam distinctionem probat Accurs. ad d.l.48. Idem tamẽ Cuiacius ad legem Æmilius. ff. de minor. videtur ita distinguere, rẽ pupilli vsucapi posse, si vsucapio cœperit à defuncto: non posse, si eius tempore inchoata sit. Quod autem proponitur in l.45. eod. tit. ei, qui priusquam nasceretur, vsucaptum amisit, restitui actionem; quę species est tantum de vsucapione cœpta à defuncto; id refert ad casum specialem. Idem, vt appareat quam incerta sint hominũ etiã maximorum iudicia, & per vices in diuersa sententia sint notã humani ingenij inconstantiã & fragilitate, aliam etiam distinctionem admittit lib.24. obs. cap.14. rem pupilli mobilem posse vsucapi, immobilem non posse. Quæ autem tam variè constituuntur pertinent ad rem comparatam à pupillo sine tutoris autoritate, vt & docet lex fin. hoc tit. aut ad eam, quã ab alio bonæfidei emptor accepit ignorans rem pupilli; vt illis casibus vsucapio non procedat secundum superiores Cuiacij distinctiones: nam si iure rem pupilli tutor distraxit dubiũ non est, quin non modo vsucapio contingat, sed etiam dominium in emptorem transferatur, ita vt vindicare eam amplius non possit. *l.12. cum plures. §.1. ff. de admin. tut.* quod non habebit locum in eo, qui pro tutore rem gerit: is enim si rem pupilli vendiderit, vsucapione opus habet emptor, quasi non rectè emerit. *l.2. ff. de eo qui pro tut. neg. gest.* cui quod opponitur lex 4. §. 24. si quis non tutor. ff. de do. ma. & met. except. ex qua illud efficitur à protutore rem pupilli venditam ne quidem vsucapi posse, rectè Cuiacius notat loco illorum verborum, *& vsucapta sit*, ita legi debere, *nec vsucapta sit*, vt in d.l.2. Ne autem frustra videatur repetita illa quæstio de vsucapione rei pupillaris; omnino pertinet ad hanc legem, in qua etiam species proponitur, in qua ne quidem à tutore vendita res pupillaris vsucapi à venditore potest, scilicet cum propter perfectæ ætatis peritiam seruos hæredibus suis seruari testator præcepit: ne enim in potestate tutoris sit irritam facere iustam defuncti voluntatem; illi serui omnino vsucapi non possunt, quia lex eiusmodi seruis dicta ipsis hæret; vt iam bona fides possessori nihil præstet; sicuti fit in rebus furtiuis, vel vi possessis, & aliis eiusmodi. *l. vbi. lex 24. ff. de vsucap.* Causa propter quam vetuit testator seruos alienari expressa est & certa; alioquin potuit insuper haberi, quasi nudum præceptum, vt dictum est sup. ad l.7. de admin. tut.

Cum tutor vendit rem pupilli dominium transfertur in emptorem.

IDEM A. NEPOTILLÆ.

L. 5. C. eod.

SI matrem eius, cuius nomine te quæstionem pati dicis, bona fide emptam poßidere cœpisti: etiamsi ipsa in causam furtiuam inciderit: tamen postea conceptum apud te partum vsucapere potuisti.

Differenti à proponitur inter vsucapionẽ & fructuũ perceptionẽ

SEparatur causa perceptionis fructuum à causa vsucapionis: licet enim, vt supra dictum est, bona fides nihil præstet possessori ad vsucapiendam rem, cuius vsucapio interdicta est; tamen quamdiu durat bona fides, fructus à possessore percepti ad eũ pertinent. *l. 48. bonæfidei. ff. de acq. rer. dom.* Ex eo quæritur in hac lege; si ancilla subrepta sit, & ea ad bonæ fidei emptorem peruenerit, ac pepererit apud bonæ fidei possessorem; an partus ad ipsum pertineat. & primum constat non pertinere: cum enim constiterit partũ in fructu non esse. *l. vetus. ff. de vsufr. §. in pecudum. de rer. diuis. apud Iustin.* consequens est vt bonæ fidei possessori non acquiratur, id est vt statim ac editus est, suum non faciat bonæ fidei possessor. Quæritur tantum an vsucapi possit ab emptore siue bonæ fidei possessore ipsius ancillæ, qua de re diuersæ sunt autorum sententiæ. Et verius tamen est vsucapi partum posse, si modo ipsa ancilla conceperit apud bonæ fidei emptorem, & ediderit. *l. 4. si antequam. l. 33. ff. de vsucap.* in quam sententiam concedit Imp. in hoc rescripto: & secundum hæc accipienda est lex 9. & 10. ff. de vsucap. pro empt. alias si apud furem vel furis hæredem conceperit, licet apud bonæ fidei possessorem pariat, tamen vsucapi non potest, quasi semel inciderit in causam furtiuam. *l. si ego 9. §. partus. ff. de publ. in rem act. l. 48. qui vas. §. ancillæ. ff. de furt.* Sed & definitio superiot, quæ etiam in hac lege proponitur, ita accipiẽda est, si adhuc tempore editionis furtiuam esse ancillam emptor ignotet. *d. l. 4. §. si antequam.* Et ita in d. l. 9. §. si antequam. de publ. in rem act. legendum est, *eo tempore, quo & pariat*, non ita, *quo experiar*; quemadmodum tradit eruditus antecessor ad d. l. 4. Verum definitioni supra positæ simul & huic rescripto plura possint obstare, ac primum lex 4. §. de illo. ff. de vsucap. Respondendum est, licet ancilla conceperit apud bonæ fidei possessorem; tamen quia is ipse seruus, qui surripuit pertinet ad ipsum bonæ fidei possessorem; possessio serui vitiose adepta domino ipsi nocet: quod accipiendum tamen de domino, qui resciuit esse furtiuam ancillam, antequam partus esset editus: nam si tempore

Partus ancillæ furtiuæ non pertinet ad bonæ fidei possessorem.

Vsucapi tamen potest, si ancilla apud eum conceperit.

Superiori definitioni obijcitur lex 4. paragr. de illo. ff. de vsucap.

editionis illud nesciuit, poterit admitti à domino partus vsucapio: ita intelligenda lex 9. cum seq. ff. de vsucap. pro empt. Obstat etiam lex pen. ff. pro suo, quæ negat partum posse vsucapi, etiamsi bonæ fidei possessor ignorauerit ancillam fuisse furtiuam conceptionis, aut editionis tempore; nec Cuiacius siue ad d. l. 4. siue ad d. l. 33. lib. 44. ff rum. Iuliani ad eam obiectionem respondet, quam nec mouet etiam. Constituendum est ea de re controuersiam fuisse inter autores, & Pomponiũ in d. l. pen. dissensisse ab aliis. Obstat etiam lex 44. iusto. §. & fi. ff. de vsucap. quæ in partu vsucapiendo non obesse ait, quod bonæ fidei possessor tempore editionis sciuerit mattem siue ancillam alienam esse. Sed hoc accipiendum est, si aliena quidẽ sit ancilla, non tamen furtiua vt ait Cuiac. tr. 7. ad Afric. ad l. 40. §. seruum. ff. de acq. poss. Obstat etiam maximè lex 10. si aliena. §. fin. ff. de vsucap. quæ constituit partum ancillæ furtiuæ vsucapi posse, etiãsi conceperit & pepererit apud furem aut furis hæredem. Sed dicendum Scæuolæ adferri opinionem, non etiam probari ab Vlpiano, qui in d. l. 48. qui vas. §. ancilla. ff. de furtis contrariam sententiam manifestè asserit, & vindicat. Certè de ea re vetus fuerat controuersia inter autores, sicuti de partu, vtrum esset in fructu, vt & docet Balduinus in Scæuolis & Cuiac. lib. 15. obs. cap. 20. & in comment. ad tit. de vsucap. ad d. l. 10.

Obijcitur lex pen. ff. pro suo.

Obijcitur lex 44. iusto. parag. & fi. ff. de vsucap.

Obijcitur lex 10. si aliena. parag. fin. ff. de vsucap.

IDEM A. ACHILLEO.

L. 4. C. eod.

VENDITIONI *ancillæ si consensum dedisse diuersam partem probaueris: Retractando contractum, quem ipsa ratum habuit, non audietur. Sed & hac probatione cessante, si bona fide emptam ancillam à venditore bona fide distrahente longi temporis spatio vsuceperis: intentio proprietatem vindicantis tenere non potest.*

CONstitit iam supra ad l. 3. de rei vindic. dominum, qui venditioni rei suæ ab alio factæ postea consensit, eam amplius vindicare non posse, quod & probat Imp. hac lege; atque eo amplius docet à bonæ fidei emptore vsucaptâ ancillâ dominij nomine peremptam actionem in rem priori domino. Atquin; videbatur neminem plus iuris in alium transferre posse, quam ipse habuit, vt regula iuris ciuilis est definitum; ideoque cum is qui vendidit non

fuerit dominus, censetur etiam non posse emptorem ex eiusmodi venditione dominium consequi. Sed is qui vsucapit, non habet dominium aut vsucapiendi conditionem ab autore suo, sed beneficio possessionis & temporis: tum etiam, quia iusto titulo nititur, & bona fide acquisitam possessionem accepit: hæc enim quatuor requiruntur, vt vsucapio cōtingat: & quidem bona fides requiritur tantum venditionis, & traditionis tempore. *l. sed & si. §. fin. ff. de publ. in rem. act.* quamquā etiā, si quis sciat rem esse alienam tempore contractus, non propterea malæ fidei possessor dicatur, si modo tempore traditionis ratam venditionem habuerit dominus, *l. 44. iusto. §. 1. ff. de vsucap.* vt & generaliter ille bonæ fidei emptor dicitur, qui vel ab eo emit, quem dominum arbitrabatur, vel ab illo, quem ius vendēdi habere iusta ratione credidit puta tutorem procuratorem-ve. *l. 27. qui à quolibet. ff. de contr. empt. l. 109. bonæ fidei. ff. de verb. signific.* Eo amplius etiamsi sciuerit esse alienam tempore quo traditur, nihil nocet, modo iusta eius sit possessio: quod obtinet in eo, qui seruum noxæ nomine sibi dimissum à non domino accepit: licet enim sciat non pertinere ad eum qui tradidit: tamē quia iustè se possidere scit, vt vel dominus ipse debeat si possideret seruum tradere, vel pro eo noxæ æstimationem præstare, vsucapio contingit. l. 28. generaliter. ff. de nox. act. ex qua Cuiacius tr. 6. ad Afric. hanc regulam peritissime conficit: scientiam rei alienæ non facere malam fidem, sed scientiam iniustæ possessionis. Quod autem in l. 10. in pr. ff. de vsucap. videtur admitti, inspici tantum tempus traditionis: hoc illam habet rationem, quod qui bonam fidem habet tempore traditionis, vtique eam habeat etiam tempore emptionis, siue contractus: & si enim potuerit res esse penes emptorem ex causa antecedente emptionem vel venditionem quod apud emptorem prius deposita vel commodata fuerit: tamen venditione postea intercedente, tempore contractus vendita esse censetur. *§. interdum. de rer. diuis. apud Iustin.* Præterea I. C. tradit inspici tempus traditionis, vt improbet sententiam Proculianorum, qui contractus tantum tempus spectabant, sicuti inspicitur tantum tempus traditionis in re, quæ soluitur ex causa legati vel stipulationis *l. 15. si is qui. §. fin. ff. eod.* hac differentiæ ratione, quod legari & in stipulatum deduci res aliena recte possit, quasi videatur eam promissor aut hæres redempturus: ideoque traditionis tantum tempus inspicitur: At in emptione cum soleat statim fieri traditio, & eam venditor non promittat, sed tradat tanquam suam: requiritur bona fides tempore contractus & traditionis, secundum quæ in l. 7. qui fundum. §. 4. qui bona fide. ff. pro empt. recte passim in libris adnotatur loco horum verborum, *nec similis*, scribendum esse, *nec dissimilis*, alioqui ea lex diceret contractus tantum tempus inspici,

Qui vsucapit dominiū rei ab autore suo non habet sed à iure.

Bonæ fidei emptor quis dicatur.

Scientia rei alienæ non facit malam fidē sed sciētia iniustæ possessionis.

In re quæ soluitur ex causa legati vel stipulationis inspicitur bona fides tempore tantum traditionis.

quod falsum est. Et præterea illa lex est Iuliani qui est ex Sabinianis, qui vtriusque temporis rationem haberi desiderarunt d. l. 10. in pr. vt non sit verisimile ab eorum opinione ea in re ipsum dissensisse. Ex superioribus illud sequitur, scientiam rei alienæ, quæ post tempus traditionis interuenit, non impedire vsucapionem vel longi temporis præscriptionem, quod & traditur in l. vn. §. quod in rebus. C. de vsucap. transform. id improbantibus pontificum constitutionibus, qui bonam fidem durare desiderarunt vsque dum in totum præscriptio compleretur *cap. fin. extr. de præscript.* Sed obijci possunt etiam plures loci iuris ciuilis: ac primum obstare videtur lex 25. sed & si. §. 5. de eo. ff. de pet. hær. vbi dicitur, nihil referre ab initio quis dolose versatus sit, an postea id facere cœperit. Sed illud est speciale in causa fructuum, quos bonæfidei possessor hæreditatis nō facit suos ab eo tempore, quo resciuit rem esse alienam. *l. 48. bonæfidei. parag. in contrarium. ff. de acquir. rer. dom.* neque vero ille. paragr. de eo, ad causam vsucapionis pertinet. Obstat etiam lex 2. paragr. 10. si seruus. & paragr. 13. Dig. pro empt. Ratio solutionis ea est, quod licet in ea specie seruus, qui peculiari nomine emit, rem alienam esse ignorauerit: tamen iustum esse initium possessionis non censetur, quia dominus sciuit rei conditionem: itaque scientia domini nocet vsucapioni. Obstat etiā lex 43. hæres. ff. de vsucap. Verum, licet ibi defunctus bona fide rem emerit; tamen ei qui sciebat alienam facta est traditio, ideoque nec bona fides à principio intercessisse censetur, quæ ex superioribus initio possessionis id est traditionis requiritur. Obstat etiam lex 15. si is qui. §. pen. ff. eod. tit. & lex 7. §. qui bona. ff. de vsucap. pro empt. respondendum eum, qui bona fide acquisierit, desiisse postea possidere, & antequam possessionem denuo reciperet, resciuisse esse alienam, ideoque quia initium secundæ possessionis vitiosum est, non vsucapiet; à qua tamen definitione excipiendi duo casus propositi à Papiniano in l. 44. iusto. §. & si. ff. de vsucap. Prior, cum posteaquam aliquis emit alienam ancillam bona fide, cœpit rescire esse eam alienam antequam pareret: Non enim ideo minus rectè partum vsucapiet. Secundus, cum quis seruum bona fide acquisiuit, & ante vsucapionis tempus captus est ab hostibus, & rediit eo tempore, quo emptor resciuerat eum esse alienum: Nam quasi quodam postliminij iure, non iterata possessio sed prior continuata censetur. Obstat etiam lex 19. atquin. §. cum me. ff. de neg. gest. Dicendum illo casu specialem æquitatis rationem intercedere: Vtcumque enim fuerit iustum initium possessoris; tamen quia is ipse qui emit, dum absentis negotia gerit, ad absentem rem à se à non domino emptam pertinere resciuit; ne fidei ruptæ nomine ab absente possit aliquando conueniri, quasi eam rem vsuceperit, cuius vsucapionem, si ab alio

Ad vsucapionem iure ciuili requiritur iustum initium & superueniens mala fides vsucapionem non intercipit.

Obijcitur & diluitur lex 25. paragr. de eo. ff. de pet. hær.

Obijcitur & diluitur lex 2. para. 10. & 13. ff. pro empt.

Obijcitur & diluitur lex 43. ff. de vsucap.

Obijcitur & diluitur lex 15. paragr. pen. ff. eod. & lex 7. paragr. qui bona. ff. de vsucap. pro empt.

Obijcitur & diluitur lex 19. paragr. cum me. ff. de neg. gest.

Pppp iij

possideretur, interpellare debuisset; vt sibi consulat & absenti, debet subjicere aliquem, qui ipsius nomine absẽtis rem ipsam à se petat, & ei rem, sibi stipulationis euictionem committat. Obstat etiam lex 1. §. fin. & l. 2. C. de præscript. longi temp. Verum procliue est, vt & illud etiam dicatur referre, quemadmodum post adeptam bona fide possessionem, emptor vel alius resciuerit rem, cuius vsucapionem cœpit inchoare, alienam esse: Nam si quia id fama aliqua tantum aut quo alio modo id accepit: cœptam vsucapionem potest peragere: Sin quia ipse aduersus eum rei dominus litem contestatus est, iam tum præscriptio longi temporis currere desinit, & noua præscriptio necessaria est; ita vt à die litis contestationis, vel iudicij accepti, non aliter actor eius-ve hæredes repellantur, quam si per quadraginta annos siluerint. *l. fin. C. de præscr. 30. vel 40. ann. l. 1. §. ad hæc. vers. exceptus. C. de ann. except.* quod vix forte iuris ratio admiserit, ex qua litis contestatio præscriptionis cursum in actionibus in rem vel in personam non sistit, si is qui interpellauit debitorem suum, vel rei suæ possessorem, litem deseruerit, & eam perimi spatio triennij passus sit. Attinuit autem dixisse litis contestatione intercipi cursum longi temporis, quia sola denuntiatio, quæ dominij quæstionem non facit, illud non sistit. *l. pen. ff. pro empt.* deinde etiam in eo differt ab vsucapione, quæ per litis contestationem non interpellabatur. *l. 18. si post. ff. de rei vind.* quamuis iure nouo aliter obtineat, ex quo quantum ad res immobiles, vsucapio in longi temporis præscriptionem est transformata. *l. vn. C. de vsucap. transform. l. 2. & fin. C. de except. ital. contr.* Cæterum licet vsucapio olim per litis contestationem siue ciuilem interruptionem non interpellaretur: tamen constituebatur inefficax, si actor vicisset, vt pluribus docet Cuiac. in recitat. ad d. l. 18. & in comment. ad l. 2. §. fin. ff. pro empt. Quod autem supra positum iustum titulum in vsucapione, vel præscriptione longi temporis requiri: eo pertinet vt dicamus, eum qui bona fide rem tenet, non posse vsucapere nisi iusto & idoneo titulo nitatur hæc possessio: vnde dictum est errorem falsæ causæ non tribuere vsucapiendi facultatem. §. *error de vsucap. apud Iustin.* id est ad vsucapionem requiri iustum titulum non opinionem iusti tituli: Qua ratione nec verus ille titulus censetur, cui petentis solus error causam possessionis præbuit. *l. 5. nec petentem. C. de præscript. longi temporis*, quod fit in specie legis, inter. ff. de rei vindic. eum inscius aliquis rem suam esse, de qua inter duos litigabatur, vni ex litigantibus patrocinium præbuit: atque ita, etiam si rem sibi legatam possederit aliquis, quæ ipsi legata non erat aut tanquam emptam, quam non emit, neque pro legato possidet neque pro emptore. *l. 1. 2. 3. ff. pro legato.* sicuti res vsucapi non potest pro derelicto, quæ derelicta non est, licet qui eam possidet bona fide eam esse derelictam

Obijcitur & diluitur lex 1. paragr. fin. & lex 2. C. de præscr. lon. temp.

Litis contestatio iure ciuili perpetuat actionem.

Secus iure francico.

Sola denuntiatio vsucapionem non intercipit.

Iustus titulus ad vsucapionem requiritur.

arbitratus sit.*l.6.nemo.ff.pro derel.* idemque in aliis causis si quis rem quasi sibi donatam, aut ex causa dotis traditam, vel per litis æstimationem sibi quæsitam possideat, cum nihil horum intercesserit. *l.27.Celsus.ff.de vsucap.* Sane si error fuerit tolerabilis, puta si cui res aliqua fuerit tradita ex causa dotis, legati, aut stipulationis, cum nihil eorum intercessisset, quia non sibi possessor errore suo causam possidendi affinxit, sed error alterius occasionem possessioni præbuit, poterit vsucapio procedere. *l.67.Proculus. ff. de iu.dot. l.3.& 4.§.fin.ff.pro suo.* Quod multo magis obtinet, si cum seruus aut procurator mandatum habuerit de re aliqua emenda, eam rem domino tradiderint persuadentes emisse se: nihil enim oberit quo minus vsucapio procedat. *l.11.quod vulgo.ff.pro empt.* Erit igitur ille error probabilis, qui non ducitur ex traditione sola, sed ex mandato quod præcessit, & ex persuasione serui vel procuratoris, vt iam videatur vtroque tempore & contractus & traditionis bona fides possidentis intercessisse. Et ita etiã explicanda est lex 1. in pr. ff. pro donato, vt cum dicitur non sufficere donationem intercessisse, vt res pro donato vsucapiatur: ita accipi debeat, nisi ex causa donationis possessori sit tradita, quod & probat magnus antecessor tract. 7. ad Africanum ad d. l. quod vulgo. Nec dissimiliter dicendum in l. fin. §. fin. ff. pro suo. hæredem, qui existimauit defuncti seruum rem aliquam emisse, ipsam rem vsucapturum, quia scilicet ipsi seruo defunctus mandatum dederat emendi, ita vt ipse potuerit vsucapere. Nec propterea obstat lex 4. C. de præscript. longi temp. quæ ait diutinã possessionem iure successionis iusto titulo obtentam non posse ad præscriptionem longi temporis prodesse: Nam illud ita verum, quia defunctus nullum verum titulum habuit. Igitur nec illam hæres vsucapere poterit. Non obstat etiam lex pen. ff. de vsucap. & lex 2. in pr. ff. pro empt. in qua dicitur, in eo qui possidet pro emptore requiri verum titulum: Nam hoc ita verum, quando ipsi qui vsucapit res tradita est: Debet enim ei ex vera causa esse tradita, quandoquidem bona fides requiritur tempore emptionis & venditionis, quam non potuit habere tempore contractus qui nullus est: At cum seruus vel procurator finxerunt se emisse ex mandatu domini: cum nullum aliud tempus fingi possit ex persona domini, quam quo mãdauit ipse, & postea ei à seruo res tradita est, consequens est ipsum potissimũ tempus traditionis inspici. Non obstat etiam lex 29. cum solus. ff. de vsucap. licet enim illic probabilis error intercesserit; tamen cum non ex contractu aut quasi contractu dantis ad accipientem peruenerit, sed quasi ad eum pertineret vt hæredem illius cui non successerat, consequens est, vt non censeatur possidere rem illam titulo pro hærede, aut alio eiusmodi. Cæterum cum ex vna causa legitima est acquisita possessio,

Error tolerabilis vsucapionem inducit.

Hæres qui existimat seruum defuncti rem emisse eam vsucapere potest.

Obiicitur lex 4. C. de præsc. lon. temp.

Diluuntur legum alia capita contraria.

Diluitur lex 29. ff. de vsucap.

licet aliam quis sibi affingat, non minus vsucapio procedit; veluti, si rem à defuncto emptam quasi donatam hæres teneat. *l.* 31. *nunquam.* §. *fin. ff. eod. tit.* Quantũ ad iuris errorẽ, quin noceat vsucapioni dubium non est, maximè cum quis possidet quod per leges arbitratur se vsucapere non posse, quasi nec bona fide possidere censeatur *d. l.* 31. *numquam in pr. & l.* 32. *si fur.* §. 1. *ff. eod.* ac propterea si mulier liberos habens alios adoptauerit: quandoquidem adoptio non constat, qui quasi defunctæ filius ex adoptione quid possedit iustam vsucapiendi conditionem nactus non censetur. *l.* 8. *si is contra. C. de præscript. longi temp.* Vltra bonam fidem & iustũ titulum (potest autem esse bona fides sine iusto titulo, si quis credat habere se titulum, quem non habet) tempus in vsucapione requiritur, quod est varium ac multiplex: In rebus mobilibus olim anni, nunc triennij: In immobilibus olim biennij, nunc decennij inter absentes, vel vicennij inter absentes: Deinde in rebus à fisco acquisitis cuiuscumque generis essent ex edicto D. Marci præscriptio fuit quinquennij: Nunc ex constitutione Zenonis statim dominus fit emptor. Deinde etiam aliud tempus in actionibus in rem, aliud in actionibus in personam, vel mixtis, diuersa tempora in pœnalibus actionibus, diuersa in rei persecutoriis, qui tractatus longiorem admittit quæstionem, quæ melius ex Eustatio repetitur tit. περὶ χρονικῶν διαστημάτων, & ex Cuiacio in libro de præscriptionibus & terminis. Nec vero res minimi discriminis est, metas & tempora actionum cognoscere. Ad vltimum circa vsucapionem perficiendam requiritur ius possessionis inconcussum, per tempus vsucapionis: Nam possessio interpellata siue vsurpata vsucapionem infringit. Interrumpitur autem duobus modis; vel naturaliter, cum is qui vsucapit de possessione deiicitur, vel ei qui possidet res eripitur. *l.* 5. *ff. de vsucap.* vel ciuiliter, cum ei qui vsucapit rei controuersia facta est per litis contestationem: sicuti superius constitit. Sed primo casu non tantum eius respectu possessio interrumpitur, sed etiam aduersus omnes. Secundo interpellatur tantum eius respectu qui litem intendit. Sed nihil proficiunt hæ quatuor conditiones si res in se vitium habeat. Duplex vitium vsucapioni obstat: vnum quod venit ex persona, veluti mala fides eius qui vacantem possessionem ingressus eam distraxit: illud nequaquam transgreditur ad bonæ fidei emptorem vel quemlibet alium possessorem legitimum: Aliud quod venit ex re, & ei quodammodo implicitum est; illud ad quemcumque possessorem transit, quam distinctionem facit Cuiacius lib. 10. obs. cap. 12. Ad secundam speciem pertinent res sacræ, religiosæ, sanctæ, publicæ, liber homo, seruus fugitiuus, res ea etiam quæ donata est præsidi prouinciæ contra legem Iuliam repetundarum. *l.* 48. *bonæ fidei.* §. *nec interest. ff. de acquir. rerum dom. l. pen. ff. ad leg.*

Iuris error nocet vsucapioni.

In vsucapione requiritur tempus lege definitum.

In vsucapione perficienda requiritur ius possessionis inconcussa.

Quomodo interrumpatur vsucapio.

Duplex vitium vsucapioni obstat

leg. Iul. repet. & vulgariter res furtiuæ vel vi possessæ, nisi in potestatem dominorum redierint.

IMP. ALEXANDER A. MACEDONIO.

SIVE *fuerit dominus, qui tibi loca, de quibus supplicasti, donauit: Siue à non domino bona fide donata suscepisti, eaque vsucepisti: Auferri tibi, quod iure quæsitum est, non potest.* Lex 1. C. de vsucap. pro donato.

VSucapioni obstabat illa regula, quod iniquum sit aliquem locupletari ex aliena iactura: Sed vtilitate publica hoc damnum rependitur, ne rerum dominia essent in incerto. *Ratio vsucapionis.* Sed & illud obstabat possessori, quod minus rationi conueniat, vt potuerit quis ex alieno largiri & beneficij sibi debitorem acquirere. *l. 54. si pignore. §. 1. ff. de furtis.* Sed qui pro donato vsucepit, non tam à donante rem habere censetur, quam ex possessione per tempus lege præstitutum: quo fit etiam, vt quamuis donatio inter virum & vxorem non constet, aut certè eam reuocare liberum sit: Tamen cum coniuges sibi inuicem donant rem alienam, quam bona fide possidebant, eiusmodi donatio valeat, si eã donatarius vsuceperit. *Valet donatio rei alienæ inter coniuges.* *l. 25. sed & si. ff. de donat. inter vir. & vx.* quod maximè obtinet cum is, qui sciebat esse alienam bona fide accipienti dedit, ad quam speciem Cuiacius refert, quod est in l. 3. ff. hoc tit. & ad eam sententiam pertinet etiam in l. 83. ff. de reg. iu. quæ ait non videri eos rem amittere, quibus propria non fuit, vt idem Cuiacius docet lib. 18. cap. 15.

IMP. ALEXANDER A. THAVRINO.

RES *mobiles in dotem datæ, quamuis alienæ, si sine vitio tamen fuerint bona fide acceptæ, pro dote vsucapiuntur.* Lex vn. C. de vsucap. pro dote.

SVnt tituli & causæ plures idoneæ ad acquirendam vsucapionem. Ex his vna est, si rem alienam in dotem sibi datam & bona fide traditam maritus acceperit, & per tempus lege definitum pos-

sederit. Verum id in rebus mobilibus habere locum palam Imp. definit. Sed idem etiam erit dicendum, si res immobiles datæ sint: vt ex hypothesi Imp. rerum mobilium fecerit mentionem, non quod res immobiles in dotem datæ vsucapi non possint: Nam præter hunc iuris locum, non est alius, ex quo commodè concludi possit, in rebus tantum mobilibus procedere vsucapionem pro dote: Et vero in Pandectis hoc tit. non fit distinctio rei mobilis vel immobilis. Quinetiam in l. 1. eod. tit. dicitur, nihil referre, vtrum singulares an pariter vniuersæ in dotem darentur, vt vsucapio contingat: Ergo & immobiles vsucapientur. Similiter in §. 4. namque de act. apud Iustin. dum dicitur ei cui ex causa dotis antequam vsuceperit res aliqua tradita est, possessione amissa publicianam competere, non distinguitur sit ne mobilis an immobilis: Vnde mirum est, cur tam abscissè Cuiacius in parat. ad hunc tit. ex hac lege definiat non dari rerum immobilium vsucapionem titulo pro dote, cuius differentiæ idoneam rationem nullam ad fert, nec fingi etiam potest. Mouetur lege si fundum. ff. de fundo dot, qua moueri non debuit: Quod enim ibi dicitur, fundum dotalem non vsucapi: eo tantum pertinet, vt maritus illum vendendo, vel alia ratione in alium transferendo, non possit conditionem vsucapiendi transferre in eum, qui accepit, quia alienatio prohibita est, non etiam vt si fundum in dotem sibi traditum bona fide acceperit ab vxore, quæ domina non erat, pro dote non possit dominium quærere illius fundi per vsucapionem: Alioquin perplexus foret huius negotij exitus, vt nec mulier posset vsucapere, quia possidere desiit, nec maritus quia rei conditio impediret, atque rerum immobilium in dotem datarum vsucapio numquam contingeret. Sic igitur melius est constituendum: fundum dotalem qui ad vxorem pertinuit iure dominij à marito alienatum vsucapi ab extraneo non posse: eum vero qui bona fide vel mala ab vxore tantum possidetur & ab ea traditus est ante vsucapionem completam, posse à marito vsucapi titulo pro dote: Nam qui dominus fit, si à domina fundum inæstimatum in dotem acceperit, conditionem quoque vsucapiendi nanciscitur, si dominium mulieris quæ dedit non fuit. Non potest amans veritatis animus hanc sententiam non probare.

Res immobiles non minus quam mobiles in dotem data vsucapi possunt.

Aliter Cuiacius cuius sententia refellitur.

IMP. ALEXANDER A. SAVINO.

Lex 1. C. communia de vsucap.

QVI *ex conducto possidet quamuis corporaliter teneat, non tamen sibi, sed domino rei creditur posside-*

re: Neque enim colono vel conductori prædiorum longæ possessionis præscriptio acquiritur.

DVæ rationes impediunt quominus colonus vel inquilinus longa possessione fundum, quem conduxit, possit vsucapere. Prima, quia rei alienæ scientiam habet & non potest non mala fide animo domini possidere, quod conduxit: Alia, quia non possidet sibi sed domino, & magis est in possessione, quam possidet. Quare ne quidem spatio 30. vel 40. annorum rei dominium acquiret: Nam etiam in hac præscriptione rem opinione & affectu dominij possessam esse oportet. *l. 2. C. de præscr. 30. vel 40. ann.* quo argumento etiam dicendum nec creditorem, qui rem accepit pignori, posse illam longo tempore acquirere sicuti etiam supra notatum est ad l. 4. de pign. act. His etiam comparandi fructuarius & depositarius. *l. 8. neque. C. de vsufr. l. 10. acquiruntur. §. fin. ff. de acq. rer. dom.* Nec dici poterit posse illos, quorum supra mentio facta est, opinione & affectu dominij res eiusmodi tenere, quia nemo potest sibi mutare causam suæ possessionis nulla extrinsecus causa accedente. *l. 5. cum nemo. C. de acq. poss.* De hæredibus eorum posset dubitari, qui ipsi rem depositam, pignoratam, locatam, commodatam, quasi hæreditariam bona fide tenuerunt: Sed nec illos posse vsucapere dicendum est. *l. nec creditores. C. de pign. act.* quia eodem iure vtuntur, quo vsus est defunctus qui vsucapere non potuit: Hæres autem ignoratione sua defuncti vitia non excludit, cum in eius omne ius succedat. *l. 11. cum hæres. ff. de diu. & temp. præscr.* nec probè opponi poterit, quod dicitur, hæredem posse vsucapere rem quam esse ex hæreditate existimauit. *l. 3. ff. pro hærede* nam hoc ita verum, si eam defunctus tenuit ex causa, ex qua contingere potuit vsucapio, aut si defunctus eam omnino non tenuit, neque in bonis habuit, neque ex bonis eius fuit, sed hæres illam possedit quasi ex hæreditate esset.

Cur colonus vel inquilinus non possint vsucapere.

Fructuarius & depositarius præscribere non possunt.

Quod idem obtinet in eorum hæredibus.

IDEM A. ONESIMÆ.

IAM PRIDEM *quidem mancipium, de quo supplicas comparasse te dicis. Sed si cogitaueris rem fisci mei vsucapi non posse: Respondere te actionibus fisci mei intelligis: Nec aliàs posse rei proprietatem obtinere, quam si non ex ancilla fiscali natum fuisse constiterit.* Lex 2. C. eod.

Quomodo accipiendum sit quod dicitur rem fisci non posse vsucapi

RES publicæ non vsucapiuntur: inter eas etiam res fisci connumerantur. §. *res fisci. de vsucap. apud Iustin.* quod ita verum, quãdo ab his distrahuntur, qui ius distrahendi nõ habent: nã vẽditæ à procuratore fisci, aut alio administratore legitimo rerum fiscalium, non modo vsucapi possunt, sed statim pretio soluto dominium earum ad emptorem transit. *l. 5. §. 1. ff. de iu. fisci.* adeo vt si rem alienam vel alteri obligatam fiscus distraxerit vt fiscalem, domino vel creditori extinguatur causa dominij vel pignoris post quinquennium ex edicto D. Marci: Imo etiam ex constitutione Zenonis statim emptor fit securus, secundum quod definitur. §. pen. & fin. de vsucap. apud Iustin. & toto tit. C. de quadr. præscript. His positis non difficile est speciem huius legis tenere. Onesima bona fide à non domino & alio, quam ab eo qui res fisci procurabat, seruum fiscalem aut ex ancilla fiscali natum emit, & per spatium lege definitum possedit. Fiscus eius mancipij nomine controuersiam faciebat: Quærebatur an quasi vsucepisset exceptione iusti dominij intentionem agentis repelleret. Rescripsit Imp. non aliter eius serui proprietatem potuisse eam obtinere, quam si non ex ancilla fiscali natum cõstiterit. In contrariũ mouebat bona fides, & iustus titulus, quo nixa Onesima seruũ continuata possessione per tempus legitimum tenuerat. Sed cum ex parte rei vitium intercedat, quod fiscalis sit; consequens est, vt illius vsucapiò non contingat. Præscribi tamen quin possit spatio quadraginta annorum dubium non est, cuius temporis interuallo res omnes etiam publicæ acquiruntur exceptâ tributi causâ. *l. 4. omnes l. 6. comperit. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* Imo si ex bonis vacantibus fisco nondum nuntiatis quis aliquid bona fide sibi traditum acceperit, quadriennium dumtaxat sufficit. *l. 1. C. de quadr. præscr. l. 1. §. diuus. ff. de iu. fisci.* Interdum etiam vicennium excludit fiscum, quando agitur de bonis eorum, qui cum essent in reatu adnotati sunt tequirendi. *d. l. 1. §. præscriptio.* Est vero in lege proposita illud adnotandum summo fisci fauore non solum ex ancilla fiscali nàtum ad fiscum pertinere, sed etiam eum qui ex fiscali seruo, vt tum qui nascitur deterioris parentis conditionem sequatur, perinde vt ille qui natus est ex matre aut patre conchylilegulo. *l. pen. C. ne destan def. post quinquenn. quær. l. fin. C. de murileg. lib. 11.*

Species legis propositæ.

Interdum possessio quadriennij fiscum excludit.

Natus ex fiscali seruo fiscalis est.

IMP. ALEXANDER A. MAVRO.

Lex 2. C. de acquir. & retin. possessione.

MINVS *instructus est, qui te sollicitum reddidit, quasi in vacuam possessionem eius quod per procuratorem*

emisti non sis inductus: Cum ipse proponas te diu in possessione fuisse, omniaque vt dominum gessisse: Licet enim instrumento non sit comprehensum, quod tibi tradita sit possessio: Ipsa tamen rei veritate id consecutus es, si sciente venditore in possessione fuisti.

Vsucapio sine possessione non procedit: Ideo tot quæstiones in iure de acquirenda vel retinenda aut amittenda possessione, vt pro- vt acquisita est possessio vel retenta aut etiam amissa; ita vsucapio incipiat, aut currat, aut vsurpetur, siue interpelletur. Hac autem lege definit Imp. inductum videri eum in possessionem vacuam, qui sciente venditore in possessione rei, quam per procuratorem emerit diu fuit, & omnia vt dominus gessit. Ait, *sciente venditore:* Nec enim sufficit emptam rem esse ab aliquo, vt eius sit dominus eam-ve possideat, nisi etiam tradita sit, ita vt prædonis loco sit, si non voluntate venditoris rem nactus intelligatur. *l. 5. ff. de acq. vel am. poss.* ac propterea etiam venditor remanet dominus ante traditionem, eique vindicatio competit, & omnes aliæ actiones, quæ dominij iure competunt, veluti condictio furtiua, actio damni iniuria dati ex lege Aquilia, & aliæ similes, quas postea emptori cedit, si citra culpam & dolum ipsius venditoris res amissa sit, aut deterior effecta, vel quia seruus venditus fugit, aut res vendita furto est sublata, aut damnum in ea datum. *§. quod si fugerit. vers. vtique tamen de empt. & vendit. apud Iustin. l. 50. si ager. ff. de rei vindic.*

Emptio non facit dominum emptorem re non tradita & prædonis loco est si siue consensu venditoris possessionem nanciscatur.

IMP. ALEXANDER A. VENVLEIO.

Lex 2. C. qu. non obijcitur lon. temp. præsc.

TEMPVS *expeditionis aduersus petitiones si quæ competiisse iustè probari possunt, præscriptionem non parit.*

Verum est obijci absentibus præscriptionem viginti annorum, si agant actione in rem de dominio suo, sed hoc ita verum, si absint ex causa voluntaria, & priuatæ vtilitatis causa: Nam si propter rempublicam; ipsis rem suam vindicantibus non oberit.

IMP. ALEXANDER A. VECTIO.

Lex 3. C. de sent. & interloc. omn. iud.

PRÆSES *prouinciæ non ignorat definitiuam sententiam, quæ condemnationem, vel absolutionem non continet pro iusta non haberi.*

Idem A. Seuero.

L. 2. C. eod. tit.

P*Rolatam à præside sententiam contra solitum iudiciorum ordinem, autoritatem rei iudicatæ non obtinere certum est.*

CVrare maximè debet iudex vel magistratus, vt quantum fieri potest certam sententiam det. §. *curare de act. apud Iustin.* Alioquin vix erit, vt non lites ex litibus serantur:

Δίκα δίκαν ἔτικτε, καὶ βλάβα βλάβαν.

Igitur rectè Imp. sententiam definitiuam pro iusta non haberi constituit, quæ condemnationem vel absolutionem non continet, quasi nec rem definiat. Sed nec illam valere constituit, quæ contra solitum iudiciorum ordinem lata est: Sunt enim certæ rationes disceptationum forensium, quas negligere citra iniuriam litigatorum iudex non debet, & proprerea rei iudicatæ autoritatem non habet sententia, in qua antiquus & receptus ordo iudiciorum fuerit neglectus.

IMP. ALEXANDER A. MARCELLINO.

Lex 2. C. de sentent. quæ sine certa quant. prof.

QVAMQVAM *pecuniæ quantitas sententia curatoris reipub. non continetur: sententia tamen eius rata est, quoniam indemnitatem reipub. præstari iussit.*

DVbiam huius rescripti sententiã facit lex 3. sup. de sent. & interloc. quæ est ipsius Imp. Alexandri. Sed in hac specie con-

demnationẽ certã sẽtẽtia cõtinet, qua curator reipub. ciuitati indemnitatem præstari iussit: Potest enim id postmodum constare quanti reipubl. intersit: sicuti cum iudex condemnat in expensas: earum enim rationes postmodum describi solent, nec propterea sententia incerta est. Idem obtinet si iudex exsolui iubeat, quod petitum est, quia potest de eo liquere ex libello conuẽtionis, quem actor à limine iudicij solet edere, & aliis eiusmodi casibus. Curator reipub. est iudex rerum ad ciuitatem pertinentium, qui & procurator dicitur in l. fin. ff. de assess.

IMP. ALEXANDER A. SABINIANO.

IVDEX *ad certam rem datus, si de aliis pronunciauerit, quam quod ad eam rem pertinet, nihil egit.* Lex 1. C. si à non comp. iud. esse dic.

REctè illud Seneca lib. 3. de benef. *Iudicem formula includit, & certos quos non excedat terminos ponit:* Ideo Iudex, qui ad vnam rem datus est, de alia pronuntiare non potest, vt sententia habeat autoritatem rei iudicatæ, quod definit Imp. hac lege. & omnino prope est vt is iudex non fecisse videatur quod iussus est, cum ea fecerit, quæ facere non debuit *l. 121. qui non facit. ff. de reg. iu.*

IMP. ALEXANDER A. VICTORI.

SI *non singuli in solidum, sed generaliter tu & collega tuus, vna & certa quantitate condemnati estis, nec additum est vt quod ab altero seruari non posset, idem alter suppleret: effectus sententiæ pro virilibus portionibus discretus est; ideoque parens pro tua portione sententiæ ob cessationem alterius ex causa iudicati conueniri non potes.* Lex 1. Cod. si plures vna sent. cond. sint.

DVo rei debendi constitui possunt per stipulationem, vel quodcumque aliud genus contrahendæ obligationis, siue re, siue consensu; imo & testamento, si à duobus hæredibus ita legatum sit, vt astringi eos in solidum eius legati nomine, non pro par- *Duo rei possunt fieri in quocumque genere obligationis.*

tibus hæreditariis testator voluerit. *l.9.eandem.ff.de duob.reis.l.8.si ex toto.§.1.ff.de leg.1.l.si non singuli.C.si cert.pet.* Sententiâ vero duo rei non fiunt; ideoque qui condemnati sunt viriles debent, nec inopia vnius alterum onerat. *l.10.§.3.quotiens.ff.de appell.* quæ sententia Papiniani extiterat relata ab Vlpiano in d. §.3. cuius autoritatem sequitur Imp. hoc rescripto. Hoc idem etiam respondet Paulus in l. 43.ff. de re iudic. Opponi possit lex 39. qui bona. §. fin. ff. de iu. fisci. Sed dicendum ibi in sententia fuisse expressum, vt periculum eorum qui condemnati essent commune esset, quo casu vnusquisque succidaneus est alieni periculi; alioquin iudicati participes pro parte tantum sua tenentur ex generali definitione. Quin & si duo correi à principio fuerint, qui condemnati sunt, nihilominus periculum sententiæ inter eos diuidetur. *l. 2. hoc tit. l. si mandatu. §. 2. ff. mand.* quod mirum videri possit, cum litis contestatio inducat speciem nouationis inuoluntariæ, ex qua non solet deterior fieri causa eius, qui ad iudicium accedit. *l.29. aliam.ff.de nouat.l.86.non solet cum seq.ff. de reg.iu.* quod fit tamen, si periculum solidæ obligationis in vim sententiæ debeat diuidi. Videndus Duarenus ad d.l.43.ff. de re iudic.

Sententiâ tamen non fiunt.

Obijcitur & diluitur lex 39. parage. fin. ff. de iu. fisci.

Litis contestatio inducit nouationem inuoluntariam.

IMP. ALEXANDER A. MASCVLINO.

Lex 1. C. quibus res iud. non nocet.

SI neque mandasti fratri tuo defensionem rei tuæ, nec quod gestum est, ratum habuisti: Præscriptio rei iudicatæ tibi non oberit. Et ideo non prohiberis causam tuam agere sine praiudicio rerum iudicatarum.

SVmma est rerum iudicatarum autoritas, vt constitit supra ad l. 1. si adu. rem iud. Sed hoc ita verum si ritus iudiciorum seruati sint, & ille expertus sit, cuius interest, aut alius ex eius mandato, vel sine mandato, & postmodum domini ratihabitio sequatur. Alioquin de integro agenti præscriptio rei iudicatæ non obstabit, vt Imp. docet in hac lege.

IMP.

IMP. ALEXANDER A. MAXIMO.

REI *iudicatæ effectum non habet, quod per epistolam rector prouinciæ soluere vos pecuniam reipub. iußit.* Lex 1. Cod. commin. epist. progr. subscript. vim rei iud. non hab.

Idem A. Zotico.

EA, *quæ causa cognita statuuntur, subscriptionibus reuocari non posse, sæpe rescriptum est.* L. 2. C. eod.

PRoponuntur & his duobus rescriptis duo casus, quibus rei iudicatæ effectus nullus est. Prior, cum per epistolam rector prouinciæ soluere pecuniam iussit: Non possunt enim ea vim sententiæ habere, quæ neque pro tribunali fiunt, aut à magistratu citra iuris solennitatem constituuntur. Non omnis præsidis iussus sententia est, sed is tantum, qui maiestatem tribunalis habuit. *Non quilibet præsidis iussus sententia est.* Alter est, vt ea quæ causa cognita statuta sunt subscriptionibus reuocari non possint: Nam semel sententiâ dictâ iudex vel magistratus officio functus est, nec iam quod constituit subscriptione tollere potest, vt hac l. 3. proponit Imp. sed nec vllo alio modo; imo nec sententia in contrarium lata. *l. 55. iudex. ff. de re iud.* adeo vt pœna damnationis, nec augeri, nec minui possit. *l. 45. acta.* §. 1. *ff. eod.* quo nomine rectè Cuiac. in parat. C. ad tit. sent. resc. non posse, rectè monet, *Quid differat sententia à lege.* separandam esse sententiam à lege: Lex enim alia lege abrogari potest, sententiam vero iudex aliâ sententiâ mutare non potest. Ratio forte illa, quod magistratus aut iudicis non debeat esse potestas tanta, quanta principis aut populi, quorum illud proprium est, vt rebus aliter dictantibus leges à se sancitas possint abrogare. Licet tamen iudici, quæ desunt priori sententiæ supplere ea, quæ ad consequentiam iam statutorum pertinent, & quidem eodem die. *l. 42. Paulus. ff. de re iud.* secundum quam rectè Duar. ad eam legem accipi debere ait legem terminato. C. de fruct. & lit. expens. *Potest iudex quædam sententiæ sua supplere.* Quinetiam quod prætor iussit vetuit-ve contrario iudicio tollere potest. *l. 14. quod iußit. ff. eod. tit.* quam ad causam interlocutoriæ sententiæ pertinere rectè monet Cuiacius in parat. C. ad tit. de sent. ex peric. recit. *Interlocutoria sententia potest mutari.* & idem Duarenus ad dictum tit. de re iud. ait referri debere ad causas, ex quibus prætor iubet damni infecti caueri, aut opus nouum nunciari, & aliis eiusmodi, prolatis exemplis ex l. 16. si opus.

Potest etiam definitiua per appellationem.

ff. de no. op. nunc. & l. quamuis. ff. de reb. eorũ qui sub. tut. Illis casibus exceptis verum est, sententiam mutari non posse, ab eo scilicet qui eam tulit: Nam ex appellatione ab alio potest: Quamquam etiam potest per eum ipsum qui eam tulit, si restitutio aduersus eam petatur à minore, qui non queritur de eius iniquitate, sed erroris proprii veniam petit, quod non rectè sit defensus, aut etiam aduersarij calliditatem, vel mendacium allegat sententiæ locum fecisse. *l. 7. præfectis. ff. de minor.* Et vero solent iudices sententiam retractare quibusdam in causis libello aduersus eas ipsis magistratibus oblato, vt & alio modo per ἀναψηλάφησιν siue παλινδικίαν, quod vulgo dicitur, *par reuision, ou proposition d'erreur*, cum videlicet in calculo vel facti quæstione erratum est, quod tum demum fit vbi appellationi locus esse non potest, & maximè in senatu.

IMP. ALEXANDER A. OPTATO.

Lex 1. C. si ex fals. instr. vel test. iud. sit.

ET *qui non prouocauerunt, si instrumentis falsis se victos esse probare possunt: Cum de crimine docuerint, ex integro de causa audiuntur.*

Idem A. Clementi.

L. 2. C. eod.

F*Alsam quidem testationem, qua diuersa pars in iudicio aduersus te vsa est (vt proponis) solito more arguere non prohiberis. Sed causa iudicati in irritum non deuocatur: Nisi probare poteris eum, qui iudicauerat, secutum eius instrumenti fidem, quod falsum esse constiterit, aduersus te pronuntiasse.*

Sententia lata ex falsis instrumentis potest retractari.

Sed hoc ita si constet in iudicando instrumẽtorũ fidem secutum esse iudicem

OCcurrit etiam illis rescriptis species alia, ex qua sententia retractari potest ab eo ipso iudice, qui eam dedit; si videlicet ex falsis instrumentis iudicatum sit, aut etiam ex falsis testimoniis, vnde & græcis ἀνάδικοι κρίσεις dicuntur, quæ propter falsum testimonium repetuntur, vt docet Harpocr. in lexico. Sed non aliter sub eo prætextu iudicatum rescinditur, quam si is, qui ex integro causam agit, probet fidem instrumentorum vel testationum, quæ falsi nomine arguuntur, iudicem esse secutum in iudicando, quod definit.

Imp. hoc loco: Nec enim vtique ſemper ad vnam probationis ſpeciem iudicis animus inclinatur, vt ait ſummus pontifex in cap. 14. cauſam ex tr. de ſent. & re iud. Atquin ex falſo iureiurando prætextu periurij cauſa retractari non poteſt? *l. 1. C. de reb. cred. & iureiur.* Sed hoc ita, quia pars ipſa litem aduerſarij ſui fidei permiſit, dum ei iuſiurandum detulit, quæ ratio non intercedit cum falſa inſtrumenta, vel teſtationes ſunt prolatæ: Nam hic nullus aduerſarij conſenſus eſt, & dicipitur iudex & aduerſarius, quibus fraus innexa eſt inuitis & ignorantibus.

Obijcitur & diluitur lex 2. C. de reb. cred. & iureiur.

IMP. ALEXANDER A. PLAVTIANO.

NOVVM, *quod poſtulas, non eſt; quod & ſi reſcripti mei autoritas interceſſerit, prouocandi tamen facultas tibi non denegatur.*

Lex 1. C. de appellationibus.

RAtio dubitandi erat non leuis momenti, quod à ſententia principis appellare non licet. *l. vn. ff. à quib. appell. non licet.* Verum in ea ſpecie ſententiam non tulit princeps, ſed iudex aut magiſtratus conſulto prius principe. At potuit non plena fuiſſe conſultatio, aut poteſt mendacium interceſſiſſe vel in facti narratione, vel in tacendi fraude, vt propterea non debeat præſcribi ei, qui à ſententia ſecundum reſcriptum principis lata appellauerit: Et ea de re etiam antea fuit reſcriptum D. Pij *πρὸς τὸ κοινὸν τῶν Θρᾳκῶν*, quod & relatum in l. 1. §. 1. ff. hoc tit. Sane ſi cum imperatori ſcriberetur edita ſit conſultatio litigatori; vix eſt vt tum appellari poſſit *l. fin. ff. qu. appell. ſit.* quia potuit libellos ſiue preces refutatorias adiungere l. 1. C. de relat. qua de re Cuiac. lib. 22. obſ. cap. 33. & Iuretus ad Symmachum ep. 30. lib. 2. Adiungendum hoc loco de appellationibus aliud reſcriptum Imp. Alexandri, quod græcis verbis emiſſum refert Paulus in l. 25. ff. hoc tit. cuius recenſionem Labitus omiſit in indice.

Appellari poteſt à ſententia lata ſecundum reſcriptum principis.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ
τῷ κοινῷ τῶν ἐν Βιθυνίᾳ Ἑλλήνων.

Lex 25. ff. de appellat.

ἘΚκαλεῖσθαι μὲν πως ἄν τις κωλύοιτο ὑπὸ τῶν δικαζόντων οὐχ ὁρῶ, ὁπότε ἔξεστι τὴν ἑτέραν ὁδὸν τρεπόμενον * τοῦτο ποιεῖν, καὶ δι' ἄλλον πρός με ἀφικνεῖσθαι.

* Alias πορευόμενον.

τέχει δὲ καὶ βίᾳ χρῆσθαι πρὸς τοὺς ἐκκαλουμένους, καὶ φρουρὰν στρατιωτικὴν ἐφιστάναι, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, ἀποκλείειν αὐτοῖς τὴν δεῦρο ἄνοδον, ἀπαγορεύομεν τοῖς ἐπιτρόποις, καὶ τοῖς ἡγεμόσι τῶν ἐθνῶν, καὶ πειθέσονται ταύτῃ μου προῤῥήσει, εἰδότες ὅτι τοσοῦτόν μοι μέλει τῆς τῶν ἀρχομένων ἐλευθερίας, ὅσον καὶ τῆς εὐνοίας αὐτῶν καὶ πειθοῦς.

EIus rescripti sententia est manifesta, iudices non posse impedire, quominus quis ab eorum sententia appellet, vt nec ius habeant militarem custodiam adhibere his qui appellant, nisi forte causa sit criminalis. *l.12.nemine hoc tit.* Sed nec viam iidem precludere debent, quo minus ad sacrum comitatum principis accedant: Qua propter etiam Imp. mandat gentium ducibus & præfectis, vt iis qui appellant accessum præbeant ad principem, ne- ve cuiusquam libertas diminuatur. Non debet vir bonus ex appellatione à sua sententia interposita offensam sumere, nec arbitrari accepisse se ab eo iniuriam. *l.20.& in maioribus.C.hoc tit.* Ea de re etiam magistratus qui prouocantem ad imperatorem torserit, verberauerit, in vincula publica cõiecerit, lege Iulia de vi publica coërcetur. *l.7.ff. ad l.Iul.de vi publ.Paulus lib.5.sent.tit.25.* Igitur appellationis beneficium nemini est præcludendum, qui modo non morandi causa & per frustrationem prouocat, sed iuris sui fiduciæ fretus.

Vir bonus ex appellatione a se interposita non accipit offensam.

IMP. ALEXANDER A APOLLINARI ET ALIIS.

Lex 1. C. quando prouoc. non est necesse.

*L*ATAM *sententiam dicitis, quam ideo vires non habere contenditis, quod contra res prius iudicatas, à quibus prouocatum non est, lata sit. Cuius rei probationem si promptam habetis: Etiam citra prouocationis adminiculum, quod ita pronuntiatum est sententiæ autoritatem non obtinebit.*

Idem A. Capitaneo.

L.2.C.eod.

*S*I *cum inter te & auiam defuncti quæstio de successione esset, iudex datus à præside prouinciæ pronuntiauit, potuisse defunctum etiam minorem quatuordecim annis testa-*

mentum facere, ac per hoc auiam potiorem esse: Sententiam eius contra tam manifesti iuris formam datam nullas habere vires palam est. Et ideo in hac specie nec prouocationis auxilium necessarium fuit. Quod si cum de ætate quæreretur, impleße defunctum quartum decimum, annum ac per hoc iure factum testamentum pronuntiauit; nec prouocasti, aut impletam appellationis causam destitisti: Rem iudicatam retractare non debes.

PRouocare nō est necesse, vbi sententia ipso iure nulla est. Duobus autē casibus nulla est, quos Imp. Alexāder his cōstitutionibus proponit. Primum si cōtra res iudicatas sentētia dicta sit, cum nō esset prouocatum. Sententia semel dicta, vt supra constitit, non potest retractari nisi remedio appellationis. Secundo, quādo iudex vel magistratus expressim contra ius receptum sententiam dixerit, veluti quando pronuntiauit testamentum valere factum ab eo, qui minor est quatuordecim annis, cum nonnisi 14. impleto masculi possint testari fœminæ vero duodecimo. §. *fin. quib. man. non licet, apud Instin. l. 5. qua ætate. ff. qui testam. fac. poss. l. 4. C. eod.* Hoc tantum casu permissum fuit pupillis facere testamentum si tribuni numerorum extitissent, quod abrogatum tamen à Iustiniano. *l. fin. Cod. de testam. milit. de qua Cuiac. lib. 17. cap. 36.* Iure nostro, qui strictior est testandi facultas, non licet facere testamentum nisi expleto anno vicesimo; nec etiam ius est ea ætate de bonis omnibus disponendi vt nec vlla alia, sed tantum de mobilibus omnibus vel de immobilibus propria industria quæsitis. Quod si nulla eiusmodi bona habeat is qui testatur, (vt difficilius est illa ætate plurimos aut plures res habere mobiles, aut fundos iam aliquos quæsiuisse; tum licet de quinta portione bonorum disponere, quæ à patre vel matre aut paterni vel materni generis cognatis obtigerunt, perinde ac si testator natus esset annos viginti quinque, quæ ætas iure communi requiritur, vt præter bona mobilia vel immobilia proprio labore acquisita quis testari possit de quinta illa parte bonorum quæ obtigerunt ex hæreditatibus parentum vel cognatorum: nam numquam amplius illa parte licet de propriis disponere. Non me præterit aliud in Gallia aliis locis seruari, pro-vt varia sunt iura municipiorum: Sed iure quod exposuimus Parisienses vtuntur. Redeamus ad imperatorem. Adiicit ille; si in specie proposita de facto quæreretur; vtrum scilicet is qui dicebatur testamentum fecisse,

Ætas testandi est, vbi masculus impleuit 14 ætatis sua annum, fœmina duodecimum.

Iure francico alia ætas præscribitur.

Quid intersit, vtrum sententia dicta sit contra ius litigatoris an contra leges.

annum decimum quartum impleſſet, & iudex pronuntiauerit ad eam ætatem perueniſſe, & ob hoc teſtamentum valere, cum defunctus ad eam ætatem non veniſſet; tunc ſententiam retractari non poſſe, ſi non ſit appellatum, aut poſt prouocationem deſtiterit, qui appellaſſet, quia videlicet non contra leges, ſed contra ius litigatoris per iniuriam lata eſt. *l. pen. ff. de inſtit. & iure. l. 65. ſeruo. §. ſi prætor. ff. ad S. C. Trebell.* qui quidem appellare debuit, quaſi teſtationibus fides non ſit adhibita vel inſtrumentis, quæ fidem ætatis faciebant. Iure noſtro nulla fit diſtinctio, num ſententia dicatur contra leges, an contra ius litigatoris, quia vbique appellatione opus eſt, vt iudicatum reſcindatur.

IMP. ALEXANDER A. IVLIANO.

Lex 1. C. ſi pend. appel. mors interuen.

ETIAM *poſt mortem eius, qui appellauit, neceſſe eſt hæredibus eius vel reddere cauſas prouocationis, vel ſtatutis acquieſcere.*

Idem A. Marcellinæ.

L. 2. C. eod.

E*Ius, qui requirendus adnotatus appellauit, & ante actam cauſam mortuus eſt, bona ad ſucceſſorem pertinere, parentibus meis placuit.*

Idem A. Vlpio.

L. 3. C. eod.

S*I is, qui ademptis bonis in exilium datus eſt, appellauerit, ac pendente appellatione defunctus eſt: quamuis crimen in perſona eius euanuerit: tamen cauſam bonorum agi oportet: nam multum intereſt, vtrum capitalis pœna irrogata bona quoque reo adimat, quo caſu morte eius extincto crimine, nulla quæſtio ſupereſſe poteſt: an vero non ex damnatione capitis, ſed ſpeciali præſidis ſententia bona auferantur. Tunc enim ſubducto reo ſola capitis cauſa perimitur, bonorum remanente quæſtione.*

HÆ tres constitutiones pertinent ad illam quæstionem, vtrum his qui appellauit moriatur pendente appellatione, iudicium appellationis transferatur ad hæredes. Et quidem quantum ad causam ciuilem, perinde ad hæredes facultas peragendæ appellationis deuoluitur, ac eam defunctus poterat exsequi, vt vel necesse habeat causas appellationis reddere, vel acquiescere iudicatis, vt definit Imp. in l. 1. In negotio autem criminali distinguendum est, vtrum sententia definitiua dicta sit, & ab ea reus appellauerit, an iudicium ipso defugiente interlocutoriâ sententiâ pronuntiauerit iudex bona absentis adnotari, eumdemque requiri edictis propositis, quibus adesse iussus sit. Hoc vltimo casu, si appellauerit is qui requirendus adnotatus est, & ante actam causam mortuus sit, bona eius ad hæredes pertinent ex l. 2. hoc tit. quod vtique verum est, si intra annum, ex quo bona sunt adnotata mortuus sit: nam post annum siue mortuus sit ille, qui est in reatu, bona hæredibus non restituuntur: siue ipse viuat, & iam iudicio se sistat, bona non recipit, etiam si sit delicti exsors, *l. 1. §. fin. & l. fin. in pr. ff. de requir. reis & abs. dam. l. 2. C. eod.* Hæc est scilicet pœna contumaciæ, vt etiam innocens vel innocentis hæres bona non recipiat post annum; qua in re ius nostrum longe mitius est: nam ex constitutione molinensi §. 28. is qui intra quinquēnium in iure se sistit iudicium accepturus, & causas innocentiæ dicturus, bona recipit circumductis edictis & sententia, qua ex causa contumaciæ absens damnatus erat, vt nocens; & multo magis hæredes eius eo mortuo intra præscriptum tempus, si eius memoriam criminis nota liberare, eumque innocentem fuisse velint ostendere. Priori autem casu cum cognitionaliter, siue διαγνωστικῶς, id est præsente accusatore & reo causa acta est, & sententia de crimine lata fuit, atque ab ea reus appellauit, & pendente appellatione decessit; etiam illam distinctionem in l. 3. Imp. admittit, vt si illa sententia dicta sit, quæ pœnam capitalem reo irrogauerit, quam sequitur ipso iure bonorum publicatio; tunc mortuo reo causa criminis & bonorum penitus extinguatur: Sin bona pars-ve bonorum adempta sunt speciali præsidis sententia; tunc ipsorum bonorum quæstio teneat hæredes, illa ratione quod quasi principaliter versetur causa bonorum, quæ in priori specie non nisi tacitè criminis quæstionem sequebatur, vt per hoc pendente appellatione morte subducto reo à pœna, omnis quoque controuersia bonorum ratione, quę nonnisi accessionis vice veniebant, extincta censeatur; & in eam rem facit alia constitutio Imperatoris Alexandri, quam refert Macer in l. vn. ff. hoc tit. cuius etiam Labitus in indice nullam facit mentionem: eius hæc verba sunt.

In causa ciuili iudicium appellationis transit ad hæredes.

In causa criminali distinctio admittitur.

Qui requirendus est adnotatus & intra annum iudicio non sistit bona sua amittit.

Aliter iure franc. ~~ *cico.*

Morte rei interueniente dum pendet appellatio à sententia quæ pœnam capitalem irrogat, criminis causa extinguitur.

IMP. ALEXANDER A. PLETORIO MILITI.

Ex l. vn. §. imperator. ff. hoc tit.

QVAMVIS *pendente appellatione morte rei crimen extinctum sit: Data tamen etiam de parte bonorum eius sententia proponitur, aduersus quam non aliter is, qui emolumentum successionis habet obtinere potest, quam si in reddendis causis appellationis iniquitatem sententiæ detexerit.*

HOc rescriptum confirmat distinctionem d. l. 3. quia tradit parte bonorum per sententiam ablata, à qua appellatum est; moriente interim reo causam transferri contra hæredes, nec aliter successionis emolumentum habituros, quam in reddendis causis appellationis sententiam æquitatis ratione minime niti docuerint. Vbi principaliter vertitur causa bonorum, nequaquam criminis quæstio morte extinguitur. *l. 22. Gaius. ff. ad S.C. Sillan. l. 9. ff. de iu. fisci.* Si quis quærat ea de re longiorem tractatum, & discere desideret quantum ius nostrum hac parte differat à ciuili; consulendus est Iulianus Brodæus vir summæ eruditionis in notis ad Dn. Louët in collecta decretorum curiæ Parisiensis litt. A. num. 18.

IMP. ALEXANDER A. LICINIO.

Lex 1. Cod. si vnus ex plur. appell.

SI *iudici probatum fuerit, vnam eandemque condemnationem eorum quoque, quorum appellatio iusta pronuntiata est, fuisse; nec diuersitate factorum separationem accipere: Emolumentum victoriæ secundum ea, quæ constituta sunt, ad te quoque qui non prouocasti pertinere, non ignorabit.*

Idem

Idem A. Sereno.

SI in vna eademque causa vnus appellauerit, eiusque iusta appellatio pronuntiata est: Ei quoque prodest, qui non appellauerit. Quod si ætatis auxilio vnus contra sententiam restitutionem impetrauerit: Maiori, qui suo iure non appellauerit, hoc rescriptum non prodest. L. 2. C. cod.

HÆc duo rescripta coniunctim explicata fuerunt supra ad l. 1. de diuers. rescriptis.

IMP. ALEXANDER A. IRENÆO.

QVI bonis cesserint, nisi solidum creditor receperit, non sunt liberati. In eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodest, ne iudicati detrahantur in carcerem. Lex 1. C. qui bo. ced. possunt.

POena carceris constituta erat lege 12. tab. & sectio quoque cum debitor non esset soluendo; quamuis nullum tam diræ partitionis exemplum historia prodiderit. Et notandum illud, si vnus tantum creditor esset, cui non satisfieret; ipsi addici debitorem, vt asseruaretur domi in vinculis; Sin plures, permissam fuisse immanem illam debitoris sectionem, idque fidei sanciendæ gratiâ, quo magis cautius agerent plerique, nec facile rationes suas conturbarent, aut ad inopiam deuenirent, vti diligentius rem enarrat Sextus Cæcilius apud Gellium lib. 20. cap. 1. Frequentius etiam trans tyberim miseri debitores vænibant. Postmodum proscriptio bonorum facta est, de qua supra quædam notata ad l. 11. de his qui not. infam. vt magis visum sit rationabile pudore auctionis suffundi debitorum sanguinem, quam effundi dissecto in partes debitore, vt ait Tertulianus in apolog. Postea etiam in locum istiusmodi proscriptionis ex lege Iulia cessio bonorum successit, vt magis per curatorem bona eius qui cessisset venderentur. Sed illud beneficium, vt rectè hoc loco imperator, à carceris pœna liberat tantùm debitorem, non etiam illum penitus ab obligatione eximit, si solidum non recepe-

Sectio inopis debitoris quando fieret.

Cessio debitorem non liberat sed à pœna carceris eximit.

rit; ac propterea exceptio cessionis soli reo, non etiam fideiussori eius accommodatur, quia eiusmodi exceptio ex numero earum est, quæ personæ cohærent, non rem afficiunt, aut obligationem perimunt. §. *fin. de replicat. apud* Iustin. *l. 7. ff. de except. præsc. & praiud.* Igitur & ipse debitor, qui propter inopiam temporalem exceptionem habet, post cessionem, tenebitur tamen, si postmodum quid acquirat, quod possit prætorem mouere: Non eo vsque tamen, vt iterum bonis cedere cogatur, sed vt tantumdem ei relinquatur, quo tenuem & inopem vitam possit sustentare. *l. 6. & 7. ff. hoc tit. §. fin. de act. apud* Iustin.

IMP. ALEXANDER A. MOENÆ.

Lex 5. C. de priuil. fisci.

PECVNIA *quam creditor à debitore suo recepit, si postea ex iusta causa fisco restituenda erit, sine vsuris debetur: Quia non fœnus contractum, sed suum recuperatum extraordinario iure aufertur. PP. XV. Kal. Iun. Fusco & Dextro Coss.*

Fiscus pecuniam reuocat quam alteri creditori soluit debitor, qui non est soluendo.

HÆc lex pertinet ad priuilegium, quod fiscus habet, cum debitor qui non soluendo est, priuato creditori soluit quod debebat: Quia enim fiscus ipse priuilegiarius est, imo etiam inter creditores priuilegiarios potior, ius habet pecuniæ repetendæ, quam alij creditori soluit debitor antequam dimitteretur. Et quidem Papinianus pecuniæ tantum extantis dabat vindicationem; & illo casu condictionem, si creditor à communi debitore pecuniam recepisset, quem quid fisco debere certo sciuisset tempore solutionis, vel antequam pecuniam sibi solutam consumeret. Sed magis visum est ex constitutionibus indistinctè fisco eam pecuniam restitui, quod refert Vlpianus, in l. 18. deferre. §. fin. ff. de iu. fisci. quod inter priuatos creditores non fit: Nam magis est, vt vbi quis suum consecutus est à suo debitore, antequam in possessionem bonorũ eius cæteri creditores mitterentur, id seruet sibi, quasi ipsi creditori licuerit vigilando meliorem suam conditionem facere. *l. 10. ait prætor. §. 16. si debitorem. l. 24. pupillus. §. fin. ff. quæ in fr. cred. facta sunt, vt restit.* Sed quando, vt supra constitit, illud est fisci priuilegium, vt aliis à communi debitore solutam pecuniam reuocet; de illo etiam dubitabatur, an eius pecuniæ vsuras quoque repeteret. & docet Imp. hac lege non repeti, quod idem Papinianus definierat in l. 19.

Inter priuatos creditores secus obtinet.

Quæstio legis proposita.

ff. de iu. fisc. Mouebat, quod in vsuris deberet idem priuilegium intercedere, vt accessionis vice sortis repetendæ commodum augerent. Ratio rescribendi illa est, quod quæ sunt contra tenorem rationis recepta iure singulari, non sunt producenda ad consequentias. *l. quod vero cum seqq. ff. de legib.* maximè, cum vsuræ non soleant deberi, nisi ex conuentione aut mora, quæ nulla in eo est, qui suo iure vsus est, quod sibi debebatur accepit. Hanc etiam rationem affingit Papinianus in d. l. 19. quod res & pecunia ipsa potius quam debitor conueniatur. Sed illa ratio habet tantum locum in pecunia extante, necdum consumpta à creditore, à quo eam reuocat fiscus, in qua specie tantum ipse Papinianus vt dictum est fisci priuilegium admittebat; illa, quam præmisimus, generalis est, & pertinet etiam ad illam, quæ post consumptionem repetitur. Applicandum est etiam commodissimum argumentum ex l. 1. C. de cond. indeb. in qua cum pecunia indebita repetitur ipsa tantum condicitur non etiam vsuræ.

IMP. ALEXANDER A. SYMPHORIANÆ.

SI *successione patris abstenta fuisti: Ob ea quæ in dotem data sunt, conuenire te creditores nequeunt, quibus pignorata in dotem non docentur: Nisi bonis defuncti non sufficientibus, in fraudem creditorum dotem constitutam probabitur. PP. X. Kal. Iul. Probo & Materno Coss.* Lex 2. C. de reuoc. iis quæ in fr. cred.

EVm, qui bonis patris se abstinuit, quasi hæredem non posse conueniri supra etiam constitit ad l. 4. arbitr. tut. Quæritur autem in hac lege, an quæ res à patre sibi in dotem datas possidet, & à patris hæreditate se abstinuit, possit conueniri actione pauliana à patris creditoribus, quasi datæ sint in fraudem creditorum; & certum est posse, si in fraudem dos data probetur, vt definit Imp. Ergo non sufficit fraudatos creditores, nisi consilium fraudis in danda dote interuenerit. Sed fraudis consilio probato; an generum fraudis participem fuisse erit probandum? Nam hæc perpetua distinctio est, vt quoties in fraudem res alienata dicitur; siquidem ex causa onerosa; tunc non aliter reuocetur, quam si fraudis consilium participauerit is, in quem facta est alienatio. Sin ex lucratiuo titulo possidet, tunc etiam si nesciuerit alienatio reuocetur. *l. pen. hoc tit.* *Si res est alienata in fraudem creditorum; si ex causa onerosa inspicitur scientia possessoris secus si ex causa lucratiua.*

hoc temperamento tamen adhibito, vt teneantur quatenus locupletiores facti sunt, non vltra. *l.*16.§.11. *simili. ff. hoc tit.* Sed verius est, & in illa sententia est etiam Accursius in d. l. pen. requiri scientiam accipientis hac ratione, quod dotis titulus causam onerosam contineat. *l. vn. C. de Imp. lucr. descr. lib.*10. Sane si res in dotem datæ pignori antea obligatæ sint; dotis datio ius hypothecæ creditoribus non auferet, multo minus & fisco si ipse sit creditor *... patrem. tit. superiori.*



COMMENTARII IN RESCRIPTA AVRELII ALEXANDRI SEVERI IMP. ROMANI QVÆ LIB. VIII. Codicis Iustinianæi continentur.

EX hoc libro quadraginta tres constitutiones occurrunt ipsius Imper. Alexandri, quarum prima statim ab ipsius libri limine proponitur in tit. de interdictis cuius hæc verba sunt.

IMP. ALEXANDER A. EVOCATO.

Lex 1. C. de interdictis.

CVM *proponas, radicibus arborum in vicina Agathangeli area positis, crescentibus fundamentis domus tuæ periculum adferri: præses ad exemplum interdictorum, quæ in albo proposita habet*, si arbor in alienas ædes impédebit, *item*, si arbor in alienum agrum impendebit, *quibus ostenditur, ne per arboris quidem occasionem vicino nocere oportere : rem ad suam æquitatem rediget.* P P. V I. Kalend. *April.* Iuliano I I. *&* Crispino *Coss.*

Breuis sententia huius rescripti hæc est, vtile interdictum de arboribus cædendis reddi, si arboris radices vicini ædibus noceāt. *Sententia legis proposita.*
Species illa est. Cum Euocatus ædificaret, & fundamenta domus suę duceret; radices arborum, quas in vicina area Agathangelus habebat periculum ædificio adferebant: Desiderabat Euocatus subueniri sibi. Consultus Imp. vtili interdicto conueniri posse Agathangelum rescribit, quo radices arborum suarum cæderet. Mouebat, quod prætor proposuit tantum interdicta de arboribus collucandis, id est penitus cædendis, si vicinæ domui nocerent, aut de arboribus sublucandis, id est de luxurie arborum siue ramorum tollenda, si fundo vicini nocerent, quæ interdicta pertinent ad arbores ipsas, aut arborum ramos adimendos vel amputandos, vt constat ex l.1.ff. de arb. cæd. Ratio vero decidendi illa est, quod cum arborum partes sint etiam radices ipsæ; ita æquum est de his cædendis interdictum reddi, si vel ædificium impediant, vel ipsis fundamentis sint nocituræ: nam & arbores quædam ædificiis nocent, vt hedera, & si quæ similes: sicuti sunt & arbores, quæ latius diffundunt radices suas, vt ficus & olea, nec debent in confinio fundi poni, sed à fundo vicini debent quinque pedum spatio esse semotæ *l. fin. ff. fin. reg.* quod est ex legibus Solonis, vt ibidē dicitur & Plutarchus narrat in eius vita. An vero non licebit ei, cui arbores nocent, sua ipsius autoritate eas excidere, vt ei per cuius domum aquæ ductus traductus erat, citra seruitutem licuit eundem excidere ex rescripto D. Seueri? *l. 29. quemadmodum. §. 1. ff. ad leg. Aquil.* Sed nequaquam illæ duæ species recte comparabuntur: nam in hac specie motus naturalis arboris damnum dat citra factum eius, qui areæ dominus est; in illa vero, quæ proponitur in d. §. 1. qui aquam duxit, in alieno opus ipse fecit illicitè. Ad speciem hoc loco propositam pertinet etiam, quod proponitur in l. 3. C. de ædif. priu. quæ statim subiicietur: nam plane eiusdem est inscriptio & subscriptio, & principem etiam consuluerat Euocatus, an sibi domum ruinosam restauranti eandem faciem ædificij restituere an in hortū eam conuertere liceret. Mouet, quod ad curatoris reipub. officium pertinere dicitur, vt dirutæ domus à dominis extruantur. *l. 46. ad curatoris. ff. de damn. inf.* cum etiam dicatur sublatum ædificium, ex quo stillicidium cadit, eadem specie & qualitate reponi. *l. 20. seruitutes. §. 2. si sublatum. ff. de seruit. vrb. præd.* Sed hoc ita verum cum ædificium seruitutem debet, aut ruinis vrbs dedecoratur quod non fit si hortus eo loco ponatur quo erat ædificium: Itaque nihil est quod vetaret quominus liberum esset ipsam locorum faciem immutare & loco ædificij hortum serere. Cæterum ex consuetudine ciuitatis vel municipij, aut etiam locorum dignitate, præses prouinciæ arbitrabitur, quid in ea re sit statuendum; & hæc plane sententia est d. l. 3. ad

Species eiusdem.

Non licet propria autoritate amputare radicere arborum vicini.

quam simul & ad hanc legem pertinet etiam lex prima inf. quæ sit longa consuetudo, si inscribatur, *Euocato*, non *Apro*, quod ipsa series & contextus harum legum docet, & Cuiacius notauit in recitat. ad tit. de ædif. priu.

IMP. ALEXANDER A. DIOGENI.

Lex 1. C. de ædificiis priuatis.

NEGOTIANDI *causa ædificia demoliri, & marmora detrahere, edicto diui Vespasiani, & Senatusconsulto vetitum est. Cæterum de alia domo in aliam transferre licere exceptum est. Sed nec dominis ita transferre licet: vt integris ædificiis depositis, publicus deformetur aspectus.* P P. XI. *Kal. Ianuar. Alexandro A. Coss.*

Idem A. Euocato.

Lex 2. C. eod.

AN *in totum ex ruina domus licuerit non eandem faciem in ciuitate restituere, sed in hortum conuertere, & an hoc consensu tunc magistratuum non prohibentium, item vicinorum factum sit: præses probatis ijs, quæ in oppido frequenter in eodem genere controuersiarum seruata sunt, cognita statuet.* P P. V I I. Kal. *April. Iuliano* I I. *&* Crispino Coss.

Non potest domus dirui vt marmora extracta vendantur.

NOtum illud, senatum Romanum prohibuisse ne quis domum villam-ve dirueret, quo plus sibi acquireretur, ne-ve quis marmora & columnas inde extractas venderet; constitutâ etiam dupli pœnâ, vt scilicet pretium amittat, & venditor eandem quantitatem fisco inferat; sic enim accipienda est lex 52. senatus. ff. de contr. empt. vt ad eam legem docet Cuiac. in recitat. ne alioquin obstet lex fin. ff. de dam. inf. Ratio autem S. C. est, ne ruinis vrbs deformetur, cuius ornatus apprime curæ fuit veteribus; vnde etiam lege 12. tab. prohibitum fuit, ne tignum furtiuum ædibus iunctum alienis solueretur, sed potius dominis tigni duplum solueretur. *l. 1. ff. de tigno iniuncto.* Id vero Imp. docet edicto Vespasiani constitutum,

quod tamen alij iuris loci tribuunt Hadriano, vt propterea Cuiacius lib. 5. obs. cap. 26. existimet in hac lege pro nomine Vespasiani subijciendum esse nomen Hadriani. Sed rectius in recitat. ad hunc tit. ait potuisse Vespasiani de ea re esse edictum aliquod; postea vero exolescente hoc edicto, idem ius sub Hadriano in nouam constitutionem transiisse. Applicat autem Imp. huic constitutioni siue S.C. exceptionem vnam, si dominus ex vna domo in aliam marmora transferat: Id enim promercij causa non fit, & si publicum decus versetur, vtrobique habetur ratio ornatus ciuitatis: imo & de ciuitate in ciuitatem expedierit labentes parietes tolli l. 6. hoc tit. cui quod opponitur lex 7. eod. recte Cuiacius lib. 19. obs. cap. 19. docet id non illa lege prohiberi ne ex vna ciuitate aut prouincia quis possit marmora iuncta aedibus transferre, sed ne publico sumptu id fiat siue angariis aut parangariis publicis. Haec pertinent ad l. 2. hoc tit. Lex 3. exposita fuit cum l. 1. de interd. *Possunt ex vna domo in aliam marmora transferri.*

PARS EX RESCRIPTO ALEXANDRI A. DEMOSTENEM.

QVAMVIS *fructus pignori datorum praediorum (etsi id aperte non sit expressum) & ipsi pignori credantur tacita pactione esse: praedia tamen, quae emuntur ex fructuum pretio, ad eam causam venire nulli prudentium placuit. PP. Idib. Octobr. Maximo II. & Æliano Coss.* Lex 3. C. in qu. cau. pig. tac. contr.

SI aliquid rei pignoratae naturaliter accedat; id quoque quod accesserit pignori est, & ita si fundus pignori datus sit; quod accreuerit per alluuionem pignori quoque erit. *l. 16. si fundus. ff. de pignor.* Idem si nuda proprietas data sit, & vsusfructus ei sit consolidatus. *l. 18. si conuenerit. §. 1. ff. de pign. act.* aut ancilla pignorata sit: nam & partus in eadem causa est, vt definit ipse Imp. Alexander in l. 1. inf. de partu pign. & similiter, cum fundus pignori datus est, fructus quoque ex eo nati pignori sunt, vt definit Imp. hac lege: & quidem, hoc ita verum, si eos perceperit debitor: nam si alius, cui ipse fundum vendiderit, nequaquam eos hypotecaria actione persequi creditor poterit, sed consumptos bonae fidei possessor lucrabitur. *l. 1. §. cum praedium. ff. de pign.* quae quod proponit in fundo *Quod accedit rei pignoratae obligatum quoque censetur.* *Ancillâ pignoratâ partus in eadem causa est.*

obligando specialem intercessisse conuentionem de fructibus obligandis, ea nihil huic legi obstat: nam constat de quibusdam interdum caueri nominatim quæ tamen tacita pro cautis haberentur l.3.ff.de reb.cred. qua de re quædam etiam sup. dicta sunt ad l.1. si mancip. ita væn.ne prost. p.448. & ad l.5.locati. Sed non eousque hanc tacitam fructuum pignorationem producendam ait Imp. vt etiam prædia, quæ empta fuerint ex fructuum pretio, eodem pignoris iure teneantur: nam nec pretium ipsum siue pecunia ex his redacta, pignori foret obligata; sicuti constitutum, pretium ex re furtiua non esse furtiuum, & ob hoc etiam ipsum rei furtiuæ dominum furti teneri, vel bonorum raptorum, si illud à fure extorserit. *l. 48. qui vas. paragr. fin. Digest. de furtis.* Imo etiam, quemadmodum res ex pecunia nostra empta non est nostra exceptâ causâ militis, dotis ecclesiæ, minoris. *l. 6. si ex ea. l. 8. si vt proponis. Cod. de re vindic. l.3. si curator. Cod. arb. tut. l. res quæ Dig. de iu. dot.* imo neque est nobis obligata sine speciali conuentione. *l.17. quamuis. Cod. de pignor. l. 7. licet. Cod. qui pot. in pign.* Ita multo minus res comparata ex pecunia nobis obligata iure pignoris tenetur. *l.7. idemque. §. fin. ff. eod. tit.* Sed quod magis est, etiamsi sylua sit obligata, nauis ex ea sylua facta non tenetur. *l.18. si conuenerit. §. pen. ff. de pign. act.* Nam eiusmodi mutario parit nouam speciem, quod fieri in hac lege dicendum est: Nam vbi ex fructibus pignoratis pretium refectum est; ibi substantia fructuum id est rerum ipsarum, quæ in obligatione erant, periit. Vtique vero aliter constituendum, si vel areæ obligatæ imponatur ædificium, aut in hortum conuertatur, vel cum domus obligata exusta esset postmodum restituta fuerit: Omnibus enim illis casibus, causa pignoris eadem manet. *l.21. domo. ff. de pign. act. l.16. si fundus. §. si res. l.29. Paulus. §. pen. & l. fin. ff. de pignor.* Rationem Cuiacius reddit lib.23. obs. cap.23. quia scilicet in his speciebus rei pars maxima durat, & augetur tantum, vel minuitur. Non huic distinctioni obstat lex 4. §.20. si ex lana. ff. de vsucap. nam dicendum hoc admitti odio furis, vt vestimentum ex lana furtiua factum furtiuum esse censeatur, licet penitus substantia prior mutata sit; quod idem non diceretur in lana, quæ pignori data est: Nec enim pignoris iure teneretur, sicuti supra dictum fuit in naue quæ ex sylua obligata facta est, quia scilicet lana non manet vestimento facto, & nouam prorsus speciem induit. *l.26. sed si ex meis. ff. de acquir. rer. dom.* & in ea etiam specie legatum est extinctum, vbi ex lana quam legauerat vestimentum fecit testator. *l.88. lana. ff. de leg.3.* Non obstat etiam lex 13. grege. ff. de pignor. quia licet grege obligato omnia capita mutata sint; tamen cum per partes mutatio facta est, idem corpus remanere censetur. *l.76. proponebatur. ff. de iudic.* quod idem obtinet in taberna pignori obligata, mercibus aliis subinde

Res empta ex pecunia nostra non est nostra nisi certis casibus.

Si area vel domui obligata accedat vel ipsa in hortum conuertatur pignoris obligatio durat.

Diluitur arg. legis 4. paragr. 20. ff. de vsucap.

Diluitur arg. petitum ex l.13. ff. de pignor.

subinde subrogatis.*l.pen.ff.de pignor.* Igitur tantum abest, vt his casibus res mutata esse censeatur, vt potius eadem prorsus esse videatur, quæ obligata est. Non obstat etiam lex 5. repeti. §. rei mutatione. ff. qu. mo. vsusft. amittatur: Nam vel leuis mutatio vsumfructum extinguit; ideoque vsufructu domus legato, si ea exusta sit vel diruta: ne quidem vsusfructus areæ remanet, quod idem non obtinet in causa pignoris ex d. l. 21. domo. ff. de pign. act. aut etiam in causa proprietatis, si domus legata proponatur, quæ deinde ruerit, ad quam quæstionem pertinent, quæ tradit Cuiac. tr. 5. ad Afric. ad l. 36. qui vsumfructum. ff. de vsufr. Parti autem vltimæ legis propositæ obijcit Accursius legem 22. si & rem. ff. de pet. hæred. vbi dicitur in locum rei hæreditariæ, quæ à possessore vendita est eius pretium succedere quasi hæreditarium factum. Sed hæc non aduersantur: Namque nec iure pignoris nec iure dominij illud pretium vindicat hæres à possessore, sed actione mixta in personam & in rem, id est petitione hæreditatis repetitur, quasi re hæreditaria vendita ab ipso possessore negotium gestum sit ipsi hæreditati, ex qua lucrum possessor ferre non debet; cuius rei comparatione in l. 18. si ipsa res. ff. quod metus causa. dicitur hæredem eius, qui metu rem extorsit teneri, si res illa in aliam conuersa sit, non quidem quasi actione in rem teneatur ad illam rem restituendam, sed vt actione in personam aut in rem scripta conueniatur, quasi locuples extiterit ex defuncti delicto. Obijcit etiam Accursius legem 70. imperator. §. fin. cum l. seq. ff. de leg. 2. vbi dicitur, cum quis rogatus est post mortem suam restituere quidquid supererit ex hæreditate, res ex pretio rerum hæreditariarum venditas venire quasi vice permutati dominij. Sed respondendum similiter in restitutionem venire pretium magis, quam res ipsas, vt videatur I. C. se referre potius ad effectum, quasi non sit diminuta hæreditas mutatione rerum, quam vt ipsæ res in restitutionem veniant: Nam etiam si possessor bonæ fidei alienæ hæreditatis ex pecunia hæreditaria rem comparauerit; pecuniam tamen restituit, non rem, quam sibi emerat. *l. 25. sed & si. §. 1. ff. de pet. hær.* nisi forte nomine hæreditatis emerit cum ipsius interesset eas res emi, quod fingendum est obtinere in specie legis 20. item veniunt. §. 1. ff. eod. Et vero idem obtinere in d. l. 70. §. fin. & seq. tradit ibi Accursius & Cuiacius lib. 8. resp. Papin. cui sententiæ est acquiescendum, si dicamus res ipsas restitui ab hærede qui fideicommisso grauatus est.

Diluitur argumentum petitum ex l. 5. parag. rei mutatione. ff. quib. mo. vsusfr. amitt.

Obijcitur & diluitur lex 22. ff. de pet. her.

Obijcitur & diluitur lex 70. parag. fin. cum l. seq. ff. de leg. 2.

Possessor hæreditatis rem emptam ex pecunia hæreditaria non restituit sed pecuniam tantum, nisi nomine hæreditatis sit empta.

IMP. ALEXANDER A. SECVNDO.

Lex 4. C. si aliena res pignori data sit.

NEc si maior annis viginti quinque fuisset filius tuus, qui in potestate tua erat, te inuito rem tuam obligare potuit. PP. V. Kal. *Nouemb. Maximo II. & Æliano Coss.*

Filij viuente patre sunt quasi domini.

Actu tamen & effectu non possunt in rebus paternis ius dominationis interponere.

Filius potest obligare rem peculiarem ex causa sui contractus non pro alio.

OCcurrebat dubitandi ratio, quam & Accursius notauit, quod filius quasi dominus paternorum bonorum censeatur etiam dum viuit pater: Imo etiam naturalis quædã ratio, quasi lex tacita, liberis parentum hæreditatem addicit. *l.7. cum ratio. ff. de bo. damn.* vt propterea rectè ab eo pignus datum videretur. Sed licet illud sit parentum & naturæ ipsius commune votum, vt liberos habeant superstites & hæredes, atque etiam ipsis parentes quæ sua sunt parent & acquirant. *l.26. Iulianus. §. fin. ff. siquis om. causa test am. l. pen. §. sed numquid. ff. de bo. libert. l.13. de emancipatis. C. de legit. hæred.* nihilominus præmaturæ dominationis ius interponit filius, qui adhuc viuente patre de bonis eius aliquid constituit, quandoquidem spe tantum & honesta expectatione dominus est, cuius emolumentum obsequio parare debet sibi. *l. nec ei 17. §. pen. ff. de adopt.* Cæterum effectu & actu liberi non sunt domini; ideoque etiã rerum paternarũ furtum facere dicuntur. *§. hi qui. 12. de obl. quæ ex del. nasc. apud* Iustin. Imo & superior ratio non impedit, quominus possint liberi exhæredari l.11. in suis. ff. de lib. & posth. Adijcit Accursius non modo filium non posse obligare rem patris sed nec peculiarem, licet habeat liberam peculij administrationem ex l.1. §.1. ff. quæ res pign. obl. poss. quod est falsum tamen ex l. si conuenerit. 18. §. fin. ff. de pign. act. ideoque ad d. §.1. ita respondendum est, vt non possit filiusfam. vel seruus rem peculiarem obligare pro alio; cæterum possint illud, dum contrahunt ipsi. Quin autem in specie huius legis confirmari possit pignus, si patri succedat ipse filius, dubitari non potest, & constitutum quoque ad l.3. sup. de rei vindic. in fi.

IMP. ALEXANDER A. EVOCATO.

Lex 4. C. quæ res pign. obl. poss. sunt.

NOMEN *quoque debitoris, pignorari & generaliter & specialiter posse, iam pridem placuit. Quare si de-*

bitor is satis non facit, cui tu credidisti: Ille, cuius nomen tibi pignori datum est, (nisi ei cui debuit soluit, nondum certior à te de obligatione tua factus) vtilibus actionibus satis tibi facere vsque ad id, quod tibi deberi à creditore eius probaueris, compelletur: Quatenus tamen ipse debet. PP. Pridie Kal. Mart. Fusco II. & Dextro Coss.

Certum est ea recipere pignorationem, quæ venditionem recipiunt. *l. 9. sed & quod. §. 1. ff. de pignor.* Ergo & nomen pignori dari potest, quandoquidem & vendi potest. Nominis vocabulo in iure venit cautio siue chirographum, quamuis interdum sumatur pro debitore ipso, vt illo loco Ciceronis in epistolis ad Atticum. *Hoc saltem assecutus sum, vt bonum nomen existimer.* Effectus autem eius pignoris qualis sit docet imperator, nimirum vt possit creditor, cui nomen est obligatum agere aduersus debitorem debitoris sui, modo ille non soluerit creditori suo, quod debebat. Species illa proponitur. Euocatus pecuniam Titio credidit. Is in fidem crediti nomen siue syngrapham, ex qua Mæuius ei centum debebat, obligauit. Quærebatur, quomodo indemnitati suæ consuleret Euocatus. Rescribit Imp. vtili actione eum posse experiri contra Mæuium Titij debitorem. Mouebat, quod quis debitorem debitoris sui conuenire non possit, nisi vbi alias debitor non est idoneus. *l. 2. C. qu. fiscus vel priu. debit. sui deb. conuen. possit vel deb. l. 15. à Diuo Pio. ff. de re iudic.* Sed excipienda est causa pignori datæ cautionis, ex qua ius est creditori vtili actione contra debitorem debitoris sui experiri, modo tamen denuntiatio primum facta sit debitori debitoris, & non vltra ab eo exigat, quam quanti sibi debetur, si modus debitæ quantitatis ab eo, cuius nomen est obligatum, egrediatur summam sibi debitam.

Nomen obligari potest.

Nomen quid significet in iure.

Species legis proposita.

IDEM A. SEPTINIO.

Spem *eorum præmiorum, quæ pro coronis athletis pensitanda sunt, priuata pactione pignorare minime admittendum est. Et ideo nec si generale pactum de omnibus bonis pignori obligandis interuenerit, tenet. PP. III. Kal. Maij Maximo II. & Paterno Coss.* L. 5. C. eod.

Militia potest pignerari.

ATquin militia potest obligari & militiæ commoda. *l. fin. C. de pignor.* Sed non rectè præmia, quæ in sacris certaminibus virtutis ergo victoribus conceduntur, his militiarum commodis comparantur, vt & ipse Cuiacius docet ad N. 53. vbi etiam hanc legem quintam interpretatur. Ait autem Imp. *spem præmiorum*; nam si iam obuenerint, ea priuati iuris facta pignori rectè obligabuntur: Ita accipienda lex 40. commodis. ff. de re iud. quod eô nititur, quia de quibus rebus non licet pacisci antequam competant, de eisdem licet vbi delata sunt. Exempli gratia superstitis repudiari hæreditas non potest, nec repudiatio oberit. *l. qui superstitis. ff. de acq. hær.* delata potest; imo & repudiata semel non potest amplius recipi. *l. 2. C. de iuris & fa. ign. l. 1. C. de repud. bon. poss.* Sic hæres falcidiæ renuntiare non potuit viuente adhuc testatore. *l. 15. quod de bonis. §. 1. ff. ad leg. falcid.* mortuo testatore & adita iam hæreditate, vbi ei detrahendæ locus est, potest renuntiare vtiliter. *l. 71. potest. ff. eod. tit.* Eius distinctionis ratio si quæratur; hæc forte erit non contemnenda, quod quæ nondum competunt, sui momento non solent æstimari; ideoque cum magno rei priuatæ dispendio possent inconsulto remitti: Vbi vero delata sunt, & ea manu contingere est de facili; tunc certum pretium & æstimationem ex præsenti commodo habere censentur, ideoque ea contemnere cuique liberum est. In hac lege possit hæc ratio esse singularis, quod athletæ virtus elanguesceret, quasi victoriæ commodum esset paraturus creditori, non sibi. In d. vero lege 40. iam præmia victoriæ erant quæsita vt dictum est. Possit & quæ solet proponi solutio comprobari, quasi dicta lex 40. sit intelligenda de pignore iudiciali, vt ea commoda præmiorum non possint capi, nisi in subsidium ex causa iudicati vbi alia bona non sunt, ex quibus suum consequi possit is qui agit ex causa iudicati: Quemadmodum dicitur in l. stipendia C. de exsecut. rei iudic. stipendium militis tum demum retineri, si aliis rationibus miles iudicatum implere non possit. & N. 17. Iustiniani cap. 5. illud similiter cauetur si quid damni dederint milites in rem prouincialium, illud sarciatur ἐκ τῶν σιτήσεων, id est ex emolumentis, quæ iis debentur ex rationibus publicis aut fiscalibus.

Spem præmiorum athletæ obligare non potest iam quæsita vero potest.

Ratio superioris distinctionis.

Si quid damni milites dederint ex stipendiis eorum resarcitur.

IMP. ALEXANDER A. SEPTIMIO.

Lex 5. C. qui pot. in pign. hab.

PRIOR *quidem creditor compelli non potest tibi, qui posteriori loco pignus accepisti, debitum offerre: Sed si*

tu illi omne, quod debetur, solueris: Pignoris tui causa firmabitur. PP. *III.* Kal. *Maij Maximo* II. *&* Paterno *Coss.*

MAnifesta est ratio huius legis: Nam inane ius pignoris esset priori creditori, si ipse posterioribus, quibus eadem res est obligata offerre debitum teneretur, vt pignoris possessionem nancisceretur. Et in eo pignus à venditione differt; quod in illo non inspiciatur, cui prius traditum sit, sed cui prius obligatum fuerit, secus quam in venditione obtinere supra constituimus d. l. 6. de hæred. vel act. vend. Igitur eius est, qui secundo loco contraxit, æstimare, an dimisso priore creditore aliquid sit in hyperocha, quo sibi debitum partem-ve debiti conseruet: Nam tunc oblato debito priori creditori ius pignoris in eum transcribetur, & obligationis suæ causa firmabitur, vt tradit Imp. hoc loco. quod sæpe fit facta venditione pignoris secundo creditori, quæ fieri dicitur pignoris causa; & ideo eius dominium non consequitur, vt nec fideiussor debitoris qui à creditore rem emit, ac propterea vtroque casu debitor solutâ pecuniâ quæ ex vtraque causa debetur secundo creditori vel fideiussori, recipere suum pignus potest. *l. 2. & 5. ff. de distr. pign. l. 1. C. de dolo*, ad quam speciem Cuiacius lib. 16. obs. cap. 26. rectè refert legem 3. C. plus val. quod ag. quam quod simul. concip. Non pugnat lex 6. de pign. act. vbi dicitur, creditorem non cogi ad distrahendum pignus: Nam id ita verum nisi iusta causa intercedat, vt ibi dicitur. Est autem illa causa iusta si secundus creditor vel fideiussor debitoris desiderent in se pignus transferri exoluto eo quod priori debetur.

Differétia inter cótractú pignoris & venditionis.

Cum secundus creditor vel fideiussor debitoris pignus emunt à priore creditor. dominium non consequuntur.

Quo casu pignus distrahere cogatur creditor.

IMP. ALEXANDER A. VALENTI.

SI *potiores creditores pecunia tua dimissi sunt, quibus obligata fuit possessio, quam emisse te dicis, vt pretium perueniret ad eosdem priores creditores: In ius eorum successisti, & contra eos qui inferiores illis fuerunt, iusta defensione te tueri potes.* P P. *Kalend. Februar. Iuliano* II. *& Crispino Coss.*

Lex 3. C. de his qui in prior. cred. lo. succ.

Creditor rectè vendit licet dominus non sit.

QVi à creditore pignus emit, quod ipsi erat obligatum, rectè emit; vtcumque enim illud verum sit, sine domini facto rem eius ad alium proprietatis iure peruenire non posse. *l.id quod nostrũ. ff. de reg. iu.* tamen consensu domini rem videtur distrahere creditor, propter legem ab initio dictam, vt liceret creditori pignus distrahere si pecunia non solueretur. *§. contra.qu.al. licet vel non apud Iustin.* ita vt ne quidem postea debitor audiatur, si offerrat emptori vel creditori quod debebatur. *l.pen.tit.seq.l.8.l.18.qui à creditore. C.de distr.pign.* Sed hoc ita verum est, si prior creditor, cui est obligatum pignus, illud vendiderit, aut, quod effectu idem pene est, si pecunia emptoris dimissi sint priores creditores; tunc enim in eorum locũ successisse censetur, vt aduersus alios agentes defensione se tueri possit, vti hac lege constituitur. Sin non prior creditor vendiderit, sed debitor ipsi rem pignoratam in solutum dederit, aut vendiderit; ius sequentium, quibus idem pignus obligatum est, non impedietur, si parati sint ipsi offerre, quod debebatur, vt ipse Imp. Alexander docet in l.1.tit.seq. quod non erit dissimile, si ipse debitor alteri quam creditori priori pignus vendiderit: licebit enim offerre emptori pecuniam, qua dimissus est prior creditor cum vsuris medij temporis *l.3. parag. fin. ff. de distr. pign.* Ratio differentiæ forte illa (nullam enim affingunt Cuiacius & alij interpretes) quia vbi prior creditor vendit extraneo ius pignoris, id plerum fit auctione publica & publico programmate, admonitis creditoribus omnibus. *l.6. si eo tempore. C.de remiss. pign.* At cum debitor vendit creditori vel extraneo; id fit priuata pactione, ideoque ius sequentium creditorũ, quibus idem pignus est obligatum, non interit: quæ ratio eadem intercedere potest, cur cum fideiussor vel secundus creditor emunt pignus à creditore priori, ius sit debitori offerendi, quia scilicet id fit similiter priuata conuentione non proscriptione publica.

Si prior creditor pignus vendiderit tutus est emptor, secus si ipse debitor & pecunia emptoris sit dimissus creditor.

IMP. ALEXANDER A. ATHENIONI.

Lex 1.Cod.si antiq. cred. vendit.

SI vendiderit, qui ante pignus accepit: persecutio tibi hypothecaria superesse non potest. Cum autem debitor ipsi priori creditori eadẽ pignora in solutũ dederit, vel vendiderit: non magis tibi persecutio adempta est, quam si aliis easdem res debitor venumdedisset. Sed ita persequens res obligatas audiêris, si quod eidem possessori propter præcedentis

contractus autoritatem debitum est, obtuleris. PP. *Idib. Maij Agricola & Clementino Coss.*

AD enarrationem huius legis sufficiunt quæ notata sunt ad superiorem.

IMP. ALEXANDER A. VALERIANO.

CVM *in causa iudicati aliqua res pignori capitur: per officium eius, qui ita decreuit, venumdari solet, non per eum, qui iudicatum fieri postulauit. Et si alio emptore non existente, vel existente quidem, sed indignum pretium offerente, is, cui iudicatus satis non fecit, ad licitationem secundum constituta fuerit admissus, cuiuslibet alterius vice ex officio emere debet.* PP. V I. Kal. *Maij Maximo* II. & *Æliano Coss.*

Lex 2. C. si in cau. iud. pig. ca. sit.

HOc rescriptum pertinet ad causam pignoris, quod ex causa iudicati capitur iussu magistratus, qui iudicem dedit: ius enim exsequendi sententiam suam non habent dati iudices, sed magistratus, qui iudices dederunt: vt propterea in l. 74. si plus. §. 1. ff. de euict. iudicis nomen sumatur pro magistratu, & de eo etiam quædam adnotauimus ad parat. ffrum Cuiacij tit. de orig. iu. Eiusmodi pignus capitur per officium magistratus, id est per apparitores siue exsecutores, à quibus etiam venditur, non per eum qui iudicatum fieri postulauit, vt ait Imp. id est secundum quem sententia dicta est: quo nomine differt à pignore conuentionali, quod ex lege dicta ipse creditor distrahere potest. Sed ipso pignore euicto emptor regressum non habet contra ipsum apparitorem qui vendidit, sed aduersus eum qui pretio liberatus est. *d. l. si plus.* §. 1. vt in pignore conuentionali creditor de euictione pignoris à se venditi non tenetur, sed debitor, vt constabit inf. ad l. 1. cred. euict. pign. non deb. Sane si cum væneunt per apparitores eiusmodi pignora, non existāt venditores siue licitatores qui pretium idoneum offerant; ipse etiam secundum quem pronūtiatum est ad licitationem admittitur: nam nec tutor prohibetur accedere ad venditionem rerum pupillariū, quæ auctione publica distrahuntur. *l. 5. cum ipse. C. de contr. empt. l. 54.*

Pignus iudiciale venditur per apparitores.

Quoties desunt emptores pignoris creditor ad licitationē admittitur.

Tutor potest emere res pupillares, quæ auctione publica distrahuntur.

non existimo: l.56.tutor rerum. ff.de admin.tut.vel cur. Non obstat lex 10. C.de distr.pign. nam ibi creditor subiecit imaginarium emptorem & fraude rem gessit. Cæterum, palam & publicè gesto negotio à creditore, fides hastæ fiscalis & programmata, quæ palam emptores accire solent, omnem fraudis suspicionem amouent. Creditor itaque qui agit ex causa iudicati vice alterius etiam cum lucro debitoris est admittendus, ne pignora viliori pretio addicantur: nam & hoc si dolo apparitoris factum sit de dolo actio ipsi debitori contra eum competit.

IMP. ALEXANDER A. MESTRIANO.

Lex 1. C. de partu pignoris.

PARTVS *ancillæ pignoratæ in pari causa, qua matrem esse olim placuit.* P P. *Idibus Maii. Agricola & Clementino Coss.*

Obijcitur & diluitur lex 21. paragr. quidquid. ff. de pignor.

OBstare videtur huic constitutioni, quod est in l. 21. si inter. §. quidquid. ff. de pignor. vbi dicitur quidquid commodi vel incommodi fortuito accessit pertinere ad debitorem proprietatis iure. Sed nihil hoc impedit, quominus interim, vt res principalis iure pignoris tenetur, id quoque quod accesserit eodem iure obligatum remaneat penes creditorem, vt de fructibus cōstitutum sup. ad l.5. in qu. cau. pign. vel hyp. tac. contr. Nihil præterea est adijciendum: nam Accursij glossa & Cuiacij recitatio omnes alios nodos huius quæstionis absoluunt.

IMP. ALEXANDER A. TAVRO.

Lex 3. C. de remiss. pign.

SI *ignorante te vel inuito, debitor tuus qui vniuersa bona sua ob pecuniam debitam tibi obligauerat, & si cum republica postea contraxit: ius tuum non læsit.* P P. I I I. *Id. April. Albino & Maximo Coss.*

HÆc constitutio male posita est sub hoc tit. nec enim pertinet ad remissionem pignoris, & aberrat à tit. qui pot. in pign. ad quem magis referenda est. Dubitandi ratio erat in illa specie, quia respublica

respublica creditrix priuilegium habet, dum bona debitoris sui venduntur, vt omnibus creditoribus chirographariis præferatur. *l. pen. §. fin. ff. de bo. aut iud. poss.* Sed separanda est causa priuilegij ab hypotheca. In priuilegio causa inspicitur, non tempus *l. 33. priuilegia. ff. eod. tit.* in pignore tempus non causa, & ideo qui prior est tempore potior est iure, exceptis dumtaxat iis, qui etiam in pignore priuilegium habẽt, qualis mulier in bonis mariti omnibus, & illi quorum pecunia domus vel nauis obligata restaurata est vel empta, & ex ea causa mutuum est datum vel obligatio contracta, quæ saluam præstitit rem obligatam. Quod ait Imp. ignorante te vel inuito, eo non pertinet, vt scientia creditoris inducat remissionem pignoris, quia siue vẽdatur siue obligetur, scit semper ius suum durare. *l. 8. sicut. §. non videtur. ff. qu. mo. pi. vel hyp. sol.* Hoc solo casu scientia creditoris inducit remissionem pignoris, quando intercedit causa libertatis, si seruus pignori obligatus manumittatur sciente creditore, qui ignorare non debuit manumissione serui pignorati pignus sublatum iri. *l. 1. hoc tit.*

Respublica habet priuilegiũ inter chirographarios siue personales creditores.

Quinam habeãt priuilegium in pignore.

IMP. ALEXANDER A. PACATÆ.

FVNDVM *pignori obligatum si creditor ex fructibus debitum consecutus est: cum ipso iure pignus ab obligatione liberatum sit: distrahere minime potest. PP. Idib. Ianuar. Maximo* II. *&* *Æliano Coss.* Lex 1. C. de distr. pign.

Idem A. Maximæ.

C*Reditor qui hypothecæ seu pignori rem sibi nexam vendiderit, rem litigiosam non videtur vendere: quia precariò debitor possidet. PP.* XII. *Kal. Octobr. Maximo* II. *&* *Æliano Coss.* L. 2. C. eod. tit.

SVb hoc tit. sunt quinque constitutiones Imp. Alexandri. Prior explicata fuit ad l. 1. sup. de pign. act. Secunda breuiter hoc definit; creditorẽ non censeri rẽ litigiosam vendidisse, qui pignus distraxit, cuius possessionem precariam debitor retinuerat. Illud certum est rem, de cuius dominio controuersia mota est, non posse di-

Sententia legis 2.

Res litigiosa nec vendi nec obligari potest.

strahi, & obiici posse emptori exceptionem rei litigiosæ, si eam vindicet, imo & puniri etiam pretij damno, si sciens eam comparauerit. *l. fin. ff. de litig. l. fin. Cod. eod. tit.* ea de re Cuiac. ad N. 112. quæ ad res litigiosas pertinet. Huius autem legis species hæc est. Titius acceptis centum aureis à Mæuio, ei fundum hypothecæ seu pignori tradidit. Mox Titius Mæuium precario rogauit, vt sibi liceret eum fundum possidere. Cum pecunia non solueretur Mæuio, fundum ipse distraxit. Titius controuersiam mouebat emptori, eumque vindicantem fundum sibi à Mæuio venditum repellebat exceptione rei litigiosæ. Quærebatur an intentionem emptoris excluderet illa exceptio. Rescribit Imp. nō excludere. mouebat, quod rem quam non possidebat distraxisset creditor: Deinde quod videretur vendidisse rem, cuius ei ius erat incertum propter precariam possessionem, quam debitori indulserat. Sed ratio rescripti est euidens in eo, quod per debitorē videatur rem renuisse: Deinde quod non sit incerta causa iuris sui, cum interdicto, quod precario, possit possessionem eius rei adipisci, & eo nomine emptori actionem mandare: nec vllo colore illa res litigiosa esse censetur, cum debitor eo ipso quod contendit precariam pignoris possessionem à creditore impetrasse, fateatur ei creditori rem pignori esse nexam.

Species legis à hoc tit.

IDEM A. LVCIANO.

L.3.C.eod. HYPOTHECIS *vel pignoribus à creditore venumdatis: in id, quod deest, aduersus reum vel fideiussorem actio competit* PP. III. N*on.* N*ouemb. & Maximo* II. *& Æliano Coss.*

OCcurrebat dubitandi ratio hæc, quod videretur creditor tanti pignora æstimasse, quanti pecuniæ modus constabat, propter quam ei obligata fuerant; sicuti dicitur eum, qui accepit pecuniam sibi legatam hac lege vt rem suam daret, vel seruum suum manumitteret, postmodum teneri ad dandum vel manumittēdum, nisi minor sit, quia tantidem æstimasse rem vel seruum suum censetur, vt & supra positum ad l. 6. de fideicomm. libert. Sed, cum potuerit etiam sine pignore obligatio constare, iniquum est, vt sua creditori noceat simplicitas, cum vel in eo opera sua iuuerit debitorem, quod qualicumque securitate contentus fuerit. Igitur si ad

causam debiti non sufficiat, quod ex venditione pignorum redactum est, creditor contra debitorem vel fideiussorem eius personali actione experiri non vetabitur: quod ait Imp. hac lege. Multominus liberabitur fideiussor, si de iure obligationis pignorum actum tantum fuerit, non vero distracta sint: nam etiam omissis pignoribus fideiussor potest conueniri. *l.9. l.omissis. C.de fideiuss.* quod etiam locum habet in reo principali. *l.10. aduersus. C.de obl. & act.*

IDEM A. CRESCENTE.

CREDITOR *hypothecas siue pignus cum proscribit, notum debitori facere, & sibi bona fide rem gerere, & quando licet, testatò dicere debet. Si quid itaque per fraudem in pignore villæ vendita commissum probare potes: vt inferatur actio, quæ eo nomine competit, adi eum, cuius de ea re notio est.* PP. *Kal. Iun. Fusco & dextro* Coss. L.4.C.eod.

HÆc lege docet Imp. quænam solennia adhibenda sint in venditione & distractione pignoris, quoties debitor solutionem aut detrectat aut moratur. Primum illud requiritur, vt fiat publicè, ac pignus ipsum proscribat, quo quisque admoneatur venalem rem esse ad ciendos licitatores. Deinde etiam id debet debitori notum facere, si quando ille pecuniam possit conficere ad impediendam rei suæ venditionem, ne temere illâ careat, idque debet testatô facere creditor, id est coram testibus. Hæc si non fuerint bona fide gesta contra creditorem debitori pignoratitia actio competet, & id docet Imp. in fine huius legis: auferri vero emptoribus res non poterit, si modo fraudis non sint participes *l.1.3. & fin. Cod. si vend. pign. ag.*

IDEM A. SOSSIANO.

SI *residuum debiti paratus es soluere: præses prouinciæ dabit tibi arbitrum, apud quem quantum sit quod su-* L.5.C.eod.

pereſt ex debito examinabitur: Et ſiue aduerſa pars ad iudicem venire ceſſauerit, ſiue oblato ſuperfluo ad venditionem proſiluerit: improba alienatio proprietatis tuæ ius non auferet. PP. XII. *Kalend. Aug. Pompeiano & Peligno Coſſ.*

Pignus non liberatur niſi vniuerſo debito ſoluto.

PIgnoris cauſa indiuidua eſt. *l.65.rem hæreditariam.ff.de euict.* quod eo pertinet, vt quamuis pars debiti aliqua ſoluatur, nec pignus liberetur, nec ex pluribus rebus pignori datis vna. *l.19.qui pignori. ff. de pign.* Igitur niſi vniuerſum, quod debetur, creditori ſit oblatum, diſtrahere pignus poteſt. *l.25.hæredes. §. an ea. verſ. idem iuris. ff. famil. herciſc. l.6. hoc tit.* Verum ſi debitor reſiduum offerat, aut cum ſunt rationes implicitæ, eius pecuniæ quæ reſidua debetur, arbitrũ dari poſtulet qui æſtimet, quantũ in debito reliqui ſit, non valebit alienatio pignoris ab eo facta, nec rei pignoratæ dominium ad emptorem tranſibit, quia nec dominus eſt creditor, & ius diſtrahi habere deſiit: & hoc vero lex propoſita conſtituit. Nec vero præſcribi ei poteſt, quod dicitur ſolutionem particularem non minima habere incommoda. *l.3.ff. fam. herciſc. l.tutor 41.§.1.ff. de vſuris.* vt ſolius dumtaxat libertatis fauore admittatur. *l.4. §. item. ff. de ſtatulib.* nam hoc ita verum ſi debitum omne ſit liquidum certum confeſſum: Alioqui, vbi de parte debiti controuerſia eſt; nihil nocet interim quod offertur ſuſcipi & de ſuperfluo iudicem accipi, vt fieri in ſpecie huius legis debitor deſiderabat, quod & obtinet in lege 21. quidam. ff. de reb. cred.

Oblato debito creditor pignoris vendendi facultatem nõ habet.

Solutio particularis non admittitur niſi fauore libertatis aut cũ de parte debiti lis eſt.

IMP. ALEXANDER A. AGRIPPÆ.

Lex 1. C. ſi vendito pignore agatur.

PRÆSES *prouinciæ aditus, ſi probatum fuerit tuum creditorem, cui ius diſtrahendi pignora fuit, dolo malo fundum vendidiſſe: quanti tua intereſt, reſtituere tibi eundem debitorem iubebit. Quod ſi de bonis creditoris condemnati ſolui pecunia non potuerit, & probatum fuerit emptorẽ mala fide emiſſe: offerente te pecuniam cum vſuris, quanti fundus venit, reſtituere tibi fundũ cum fructibus malæ fidei emptorem iubebit.* PP. Kal. *Septemb. Alexandro A. Coſ.*

Idem A. Æmylio.

SERVOS, *quos nullo iure à creditore vänisse dicis, pater tuus, vel tu (si hæreditas ad te pertinet) à possessoribus petere potes. Quod si vsucapti sunt: Petat pater tuus precium eorum à creditore, qui non iure eos seruos vendidit.* PP. III. *Kal. Ianuar. Alexandro A.* Coss. Lex 2. C. eod. tit.

Idem A. Claudio.

SI *vxor tua præsidi probauerit, cum aureos triginta deberet, seruos suos ampliorıs precij per gratiam aureis viginti creditorem venumdedisse, eumque soluendo non fuisse: iubebit emptores recepto precio restituere seruos.* PP. XVI. Kal. *Octob. Maximo* II. *&* *Æliano* Coss. Lex 3. C. eod. tit.

HÆ leges fuerunt explicatæ simul cum l. 4. sup. de pign. action.

IMP. ALEXANDER A. PEREGRINO.

SI (*vt nunc asseueras*) *nihil creditor numerauit vxori tua, quæ pignus dedit, sed inanem extorsit cautionem: Mendaci scriptura contra fidem veritatis obligari eius res non potest. Sine die & consule.* Lex 1. C. si pign. conu. num. pec. sec. non sit.

ET de illa actum quoque supra ad l. 5. de non num. pecun.

IMP. ALEXANDER A. NICOLÆ.

DOMINII *iure pignora possidere desiderans, nomina debitorum, quos in solutione cessare dicis, exprime-* Lex 1. C. de iure dominij impetrando.

re, & an solennia peregeris, significare debuisti: Dummodo scias, omnia bona debitoris, quæ pignori dedit, vt vniuersa dominio tuo generaliter addicantur, impetrare te non posse. P P. XIV. Kal. Decemb. Alexandro A. III. & Dion. Coss.

Solet creditor cessante debitore pignora sibi data in proprium patrimonium redigere. *l.* 101. *qui habebat.* §. 1. *ff. de leg.* 3. hoc fit scilicet quoties nullum emptorem pignoris potest inuenire, cui possit pignus vendi: Tunc enim à principe ipse creditor impetrat, vt sibi liceat iure dominij illud pignus possidere proscripto prius ipso pignore, & fiscalis hastæ seruatis solennibus, vt docet Imp. hoc loco: Nam solennia peragere est admonere emptores, qui plus liceant: Nec enim rei pignoratæ dominium addicitur creditori, nisi in subsidium, cum idoneus emptor non inuenitur, vt & supra Imp. definiuit in l. 2. si in causa iud. pi. captum sit. Illud etiam Imp. notat ius dominij impetrari tantum, si specialis hypotheca contracta sit, non si generalis omnium bonorum: Nam vix est, vt modo bonorum ad calculum non subducto, quasi per auersionem addici debeant: Nec proditum est vllum eiusmodi genus acquirendi per vniuersitatem: Cui non erat absimile illud tamen, quo inopis debitoris bona solenniter distrahebantur, & ei publica auctione addicebantur, qui commodiorem creditorum conditionem faceret maiore debiti portione oblata, quod sublatum est tamen tit. de succesl. sublatis &c. apud Iustinianum, vbi rem pro-vt transigebatur Theophilus enarrat. Hoc præterea adiiciendum; pleraque Iustinianum in l. fin. hoc tit. fauore debitorum constituisse, vt etiam post impetratum à creditore dominium pignoris, nihilominus ipsi intra biennium possint, oblato debito & vsuris, rei suæ dominium recipere.

Cum non inuenitur emptor pignoris ius dominij impetrat creditor.

Ius dominij impetrati non potest cum hypotheca est omnium bonorum.

IMP. ALEXANDER A. VICTORINO.

Lex. 1. C. de pa. pign. & de comm. lege in pign. resc.

QVI *pactus est, nisi intra certum tempus pecuniam quam mutuam accepit, solueret, cessurum creditoribus hypothecam, venditionem non contraxit, sed id comprehendit quod iure suo creditor in apiscendo pignore habitu-*

rus erat. Communi itaque iure creditor hypothecam vendere debet. PP. Id. Octob. Alexandro A. Coss.

PActum obscurum in fauorem debitoris interpretationem accipere Imp. docet hac lege: vt quod conuenit, debito non soluto debitorem pignus cedere creditori, ita intelligatur, vt suo iure creditor distrahat, non etiam vt quasi pro summa debita venditum retineat, quod fuerit in necem debitoris, & cum iniquo creditoris compendio, qui rem magni pretij sibi pignoratam modica quantitate pecuniæ plerumque retineret, quæ tamen pactio si contrahentibus placuisset, tempore transacto rem retinuisset creditor: Et hæc pactio fiducia dicebatur, quia ita dabatur pignus, vt statim rei dominium ad creditorem transiret, sub fide eiusdem remancipandæ si pecunia credita restitueretur, qua de re Cuiac. ad Paulum lib. 5. sent. tit. 13. Verum hanc legem siue pactionem commissoriã, vt debitoribus iniquam sustulit Constãtinus in l. fin. hoc tit. In vulgatis codicibus in hac lege scriptum est, *in adipiscendo pignore*, alij habent, *apiscendo*, & maximè Codex Haloandri, quod & rectum est: nam etiam hoc verbo vtitur Catullus.

Fiducia quid sit.

Lex commissaria in pignoribus rebus est sublata.

Qui, dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt iurare, nihil periuria curant.

IMP. ALEXANDER A. IVLIANO ET ALIIS.

CVM *nondum finitam sententia causam, sed dilatam allegatu: Non est dubium, omnes integras defensiones esse. PP. II. Non. Octob. Maximo II. & Æliano Coss.*

Lex 4. C. de except. & præscript.

MAnifesta est sententia huius legis; integrum esse ei qui conuenitur defensiones suas opponere, antequam sententia lata sit, quod rectè Accursius accipit de peremptoriis exceptionibus, quales sunt doli, pacti, iurisiurandi, rei iudicatæ, quod alea lusum est, S. C. Velleiani, vel Macedoniani, non numeratæ pecuniæ, & aliæ eiusmodi: Nam dilatoriæ siue temporales post litem contestatam opponi non possunt, veluti præscriptiones fori, quibus iudex negatur competens l. pen. & fin. hoc tit. Sed peremptoriæ inter-

Dilatores exceptiones post litem contestatam oponi non possunt.

dum etiam post sententiam à milite vel minore viginti quinque annis.*l.1.C.de iu.& fa.ign.l.36.minor.ff.de minor.*imo & à maioribus viginti quinque annis etsi non militent in casibus certis, quos notat Accursius ad d.l.1.

IMP. ALEXANDER A. SABINÆ.

Lex 4. C. de contr. & commit. stipul.

SECVNDVM *responsum Domitij Vlpiani Iurisconsulti amici mei, ea, quæ stipulata est, cum moreretur, partem dimidiam dotis, cui velit relinquere: Reddi sibi, cum moreretur, eam partem dotis, stipulata videtur. PP. II. Kal. April. Alexandro A. Coss.*

Ita demum dos aduentitia pertinet ad maritum morte vxoris, si nec ipsa nec alius pacti sint aut stipulati eam sibi reddi.

QVod dictum supra ad l.13. de negot. gest. dotem aduentitiam morte vxoris ad virum pertinere, hoc est accipiendum, si extraneus qui dotem dat, pactus non est aut stipulatus dotem sibi reddi, vel si ipsa mulier dotem, quam dabat ipsa vel alius à patre vel auo paterno, stipulata etiam vel pacta non esset dotem sibi reddi: Nam his casibus nequaquam penes maritum remanet, sed actio ex stipulatu vel præscriptis verbis datur eis, qui stipulati sunt; vel hæredibus mulieris contra maritum, vt vel integram reddat vel partem, pro vt verba stipulationis constiterint. Ex his quærebatur in hac lege, si mulier stipulata sit, cum moreretur partem dotis cui velit relinquere, quid obtinere debeat si ipsa decesserit antequam constitueret cuinam vellet eam dotis partem reddi. Responderat iam ante Vlpianus perinde esse, ac si ipsa mulier stipulata esset dotem reddi sibi cum moreretur, ac proinde ad hæredem dotis mediam partem pertinere, cuius sententiam hoc rescripto comprobat imperator. Ratio dubitandi hæc potuit esse, quod cum voluntatis suæ iudicium in personam incertam stipulando ipsa mulier contulerit, nec ipsam antequam moreretur demonstrauerit, videbatur inutilis & inefficax esse stipulatio, vt per hoc ex iure communi debeat ad maritum pertinere. Ratio decidendi est, quod illam verborum conceptionem mulier videtur ad se retulisse, vt de illa parte dotis liberam testandi facultatem haberet, aut ad hæredes legitimos perueniret, si nominatim personam, cui consultum voluit, non indicasset.

Quæstio legis proposita.

IMP-

IMP. ALEXANDER A. MENOPHILO.

LIBERA *matrimonia esse antiquitus placuit; ideoque pacta, ne liceret diuertere, non valere: Et stipulationes, quibus pœnæ irrogarentur ei, qui diuortium fecisset, ratas non haberi constat.* PP. III. *Non. Febr. Maximo* II. *&* *Æliano Coss.* Lex 2. C. de inutil. stipul.

IGitur secundum ius ciuile matrimonia libera sunt tam in contractu quam in distractu: iure canonico libera non sunt in distractu, vt ne quidem liceat matrimonij vinculum abrumpere gratiâ religionis. Sed non propterea tamen impunitus is est ex coniugibus, qui diuortio causam dedit: Nam si culpa vxoris vel patris, in cuius potestate erat contigerit; primum deducit maritus sextas dotis in singulos liberos, qui ex matrimonio sunt sublati vsque ad tres sextas, & seposita causa liberorum, propter vxoris mores grauiores sextæ vnius retentionem habet; propter leuiores, octauæ. & similiter si mariti mores improbi matrimonium dirimerint: dotem statim repræsentabat, quæ nonnisi annua trima die reddi solebat, vt docet Vlpianus in fragm. Posterioribus quoque constitutionibus dotis integræ detrimento mulier mulctatur; maritus vero iacturâ donationis propter nuptias. *l. 8. consensu. C. de repud.* Quod igitur ait hoc loco Imperator, stipulationes non valere, quibus pœnæ irrogarentur ei qui diuortium fecit; eo pertinet, vt non possit alia & seueriori mulcta facultas diuertendi constringi, quam ipsæ leges voluerunt. *l. 19. si stipulatio. ff. de verb. obl.*

Iure ciuili liberum est diuertere.

Pœna iniusti diuortij qua fuerint.

Non sunt pactionibus pœna augenda quas leges sanxerunt.

IMP. ALEXANDER A. LONGO.

FILIVSFAMILIAS, *qui pro patre (quamuis in venditione fundi) fideiussit, tenetur.* PP. II. *Id. Octob. Maximo* II. *&* *Æliano Coss.* Lex 8. C. de fideiussoribus.

VIdebatur inanis fideiussio filijfam. cum sit veluti vna persona cum patre, & periculum fideiussionis ad patrem rediturum

Quid prosit filiumfam. fideiubere pro patre.

sit, qui principaliter iam est obligatus. Sed potest tamen in hoc proficere creditori, quod possit filiusfam. habere castrense, vel quasi castrense peculium, vt illo casu suo nomine possit conueniri adhuc in potestate constitutus, vel etiam post emancipationem in quantum facere potest, etiam si pater viuat; vel eo mortuo, etiamsi ab eius hæreditate se abstineat. Hęc autem lex est de fideiussore, qui solet firmandæ venditionis causa accedere, dum timet emptor fundi euictionem, & veretur ne idoneus venditor non sit futurus indemnitati sibi præstandæ; is est qui propterea secundus auctor dicitur in l. 4. ff. de euict.

Secundus auctor quis dicatur.

IDEM A. ARISTOCRATI.

L. 9. C. eod. ETIAM *si de iure obligationis pignorum actum fuerit: Fideiussoribus liberatio non contingit.* PP. V. *Kal. Decemb. Maximo II. & Æliano Coss.*

Idem A. Vitali.

L. 10. C. eod. SI *fideiussor vel mandator in vsuras quoque obligatus est, iustam causam recusandi eas non habet. Vt autem is qui cum altero fideiussit, non solus conueniatur, sed diuidatur actio inter eos, qui soluendo sunt: ante condemnationem ex ordine postulari solet.* PP.

DE lege 9. actum est supra ad l. 3. de distr. pign. Quantum ad l. 10. duas definitiones complectitur. Prior hæc est; fideiussorem vel mandatorem (hic consensu tantum, ille solenni stipulatione pro alio obligatur) non minus in vsuras à principali reo promissas obligari, quam in sortem; quasi in omnem causam obligationis, ex qua reus obligari poterat intercesserit; quod præsumitur factum, nisi taxata est quantitas, in quam se fideiussor obligauit. *l. 2. §. fin. ff. qui satisd. cog. l. quaero. ff. Locati.* Secunda respicit exceptionem diuisionis, quæ datur inter confideiussores, qui soluendo sunt, quam negat habere locum postquam vnus condemnatus est in solidum: nam id eò pertinet, quod in fine dicitur, ante condemnationem id postulari solere: ad quæ verba rectè secundum glossæ sen-

Qui pro aliquo fideiubet censetur in omnem causam obligationis intercessisse nisi sit taxata quantitas.

tentiam poteſt illud notari; ſolere id quidem poſtulari ante condemnationem, ſed etiam poſt ſententiam, antequam ille ex fideiuſſoribus qui prior conuentus eſt iudicatum impleuerit, opponi poſſe; vt & exceptio Macedoniani & Velleiani, & illa quæ datur certis perſonis ne vltra quam facere poſſunt conueniantur, vt notat Accurſ. in l. 1. C. de iu. & fa. ign. & in hac l. 10. Quantum vero ad l. 2. C. ſent. reſc. non poſſe, quæ ait peremptorias exceptiones poſt ſententiam opponi non poſſe, ſic videtur poſſe accipi, ſi & ſententiam ſecuta ſit ſolutio, vel ſi ab eo ſit omiſſa, qui ſciebat ante ſententiam ſibi ius competere opponendæ exceptionis, nec eam oppoſuit; vt tum nimis ſera expoſtulatione ſibi ſubueniri reus cenſeatur, qui ſilentio ſuo videtur exceptionem neglexiſſe. Igitur non minus poſt condemnationem, quam ante exceptio diuiſionis ab eo opponi poteſt, qui in id tempus diſtulit, quia eam ignorabat ſibi competere, vel quia exiſtimabat eos qui ſimul fideiuſſerant non eſſe ſoluendo, vel quia non meminerat aliquos ſecum fideiuſſiſſe: Denique & id quoque permittetur ei, qui in iure errauit, quando iuris ignorantia nihil nocet ei qui nondum adhuc aliquid ſoluit vel cauit: Nam in omnibus vbi de damno rei ſuæ agitur error iuris non nocet. *l. 8. error. ff. de iu. & fa. ign.* Exceptio autem illa diuiſionis complectitur beneficium vnum datum fideiuſſoribus cum plures ſunt, vt ſi ſoluendo ſint omnes, is qui ſolus conuenitur oblata virili parte debiti ſecurus ſit, & actionem creditor transferre contra alios cogatur. Exceptio dicitur, quia ipſo iure actio non eſt diuiſa, & exceptione non oppoſita fideiuſſor qui ſoluit condictionem debiti non habet, quam haberet tamen, ſi ipſo iure diuiſa eſſet obligatio, vt obtinet in vno ex hæredibus, qui ſolidum ſoluit cum actio perſonalis ipſo iure inter eum & alium cohæredem diuiſa eſſet. *l. 49. teſtamento. §. 1. verſ. ſed verior. ff. hoc tit. l. 25. ex parte. ff. de ſolut.* Sane eſt caſus vnus, in quo etiam ab initio in partes viriles fideiuſſores conueniuntur, nec habent opus epiſtola D. Hadriani; ſcilicet cum ita concepta eſt ſtipulatio, *ſolidum aut partem fide tua eſſe Iubes*, l. 51. inter. ff. hoc tit. illo enim caſu, quia in diſiunctiuis ſtipulationibus ſemper quod minus eſt adſumitur, manifeſtum eſt ſingulos interueniſſe in partes æquales & viriles. Beneficium huius exceptionis paſſim imperatori Hadriano tribuitur, quod tamen eſt ex conſtitutione D. Pij *d. verſ. ſed verior.* Verum, quia ab Hadriano D. Pius fuit adoptatus, nomen quoque Hadriani ſumpſit; & hinc pleraque in iure tribuuntur D. Hadriano, quæ re vera ſunt Diui Pij, vt idem omnino plerumque ſit D. Hadrianus & D. Pius; quod confirmatur ex l. 37. ff. de iudiciis, vbi quod D. Hadriano adſcribitur, reperitur à D. Pio conſtitutum in l. 5. §. 1. ff. ad leg. Iul. de vi publ. Idem obtinet in ſpecie l. 7. ne quid. ff. de incend. ruina naufr. nam quod ibi dicitur

Quid ſit quod dicitur poſt ſententiam peremptoriá exceptioné non opponi poſſe.

Quid operetur exceptio diuiſionis data fideiuſſoribus.

Caſus in quo inter fideiuſſores ipſo iure diuiſa eſt obligatio.

Beneficium diuiſionis manat ex epiſtola D. Pij.

Idem plerumque D. Pius & D. Hadrianus.

ab Imp. Hadriano fuisse sancitum, idem à D. Pio factum narratur

Exceptio diuisionis porrecta est ad plures tutores vel curatores.

in l.4. Pædius. §.1. ff. eod. & l.1. §. fin. ff. ad leg. Iul. de vi priu. Illa autem exceptio, cum ad fideiussores tantum pertineret, postea prudentum interpretatione & nouis constitutionibus porrecta est ad tutores vel curatores, quoties duo pluresve tutelam administrassent vel curam. *l.1.§.nunc tractemus.ff. de tut. & rat. distr.* vt & ad correos constitutæ pecuniæ vel stipulandi aut alterius obligationis,

Porrecta quoque est ad correos.

quia visum est diuersam speciem actionis æquitatem diuisionis non excludere. *l.fin.C.de const.pecun.N.99.* Sed occurrunt casus quidam, in quibus non habet locum huius diuisionis exceptio. Et primum

Si dubitetur an fideiussores omnes soluendo sint. exceptio locum non habet nisi caueatur alios esse soluendo.

si dubitetur an sint soluendo alij fideiussores is; qui conuenitur cauere debet vt confideiussores suo periculo in partem conueniantur. *l.10.si dubitet.ff.hoc tit.* & si sint plures fideiussores vnius eiusdemque tutoris, pupillo agente diuisioni locus non erit, ne ex vna tutelæ causa plures & variæ quæstiones oriantur. *l.fin.ff. rem pup.sal.*

Inter fideiussores vnius tutoris non habet locum diuisio.

fo. quod fuerit secus, si plures fuerint tutores, & singuli ab his fideiussores dati sint: Vt enim inter ipsos tutores si soluendo sint; ita inter eorum fideiussores actio diuidetur. *l.6.si pupillus.ff.de fideiuss.tut.*

Casus alij in quibus cessat beneficium diuisionis.

Sane nec cum fideiussor fideiussorem dedit inter eos diuiditur actio, quia non simul fideiusserunt, & prior loco rei est. *l.27.si plures. §.fin.ff. hoc tit.* neque item cum duo pro diuersis debitoribus intercesserunt, licet eiusdem obligationis nomine: veluti cum duo rei promittendi separatim fideiussores dederint. *l. inter 51.§. duo rei.ff. eod.* quod & multo magis obtinet, si inficiati sint se fideiussisse: Nam in pœnam mendacij ei, qui se fideiussisse negauerit, postea conuicto & imploranti beneficium diuisionis exceptio denegabitur. *d.l.10.si dubitet.§.1.ff. eod.*

Qui fideiubet cum muliere solus obligatur secus si cum minore 25. annis.

Certè si quis etiam cũ muliere fideiusserit frustra diuidi obligationẽ desideraret propter S. C. Velleiani autoritatem, quod irritam facit mulieris intercessionem; quamuis obtineat secus, si cum minore 25. annis aliquis fideiusserit, quia licet possit restitui, tamen incertus euentus est restitutionis. Igitur non aliter maiori totum onus irrogabitur, quam si post maioris fideiussionem minor interuenerit. *l.48.si Titius.ff.hoc tit.*

An creditor qui ab vno ex fideiussoribus sponte partem debiti acceperit possit ad eundem regredi si alij soluendo non sint.

Quæri illud non incommode potest, si creditor, nõ expectata exceptione fideiussoris, vltro contra eum egerit in partem suam; an si alij non sunt soluendo, ad eum quem pro parte conuenerat redire possit. Mouet, quod si ex duobus reis debendi vnus conuentus sit, in partem sortis diuisa obligatio videatur. *l.si creditores. C. de pactis.* licet quantum ad solutionem vsurarum, qui eas ab vno ex debitoribus receperit, non videatur alios debitæ sortis correos liberare. *l.41.tale.§.2. post diuisionem.ff.eod.*

Vnus ex correis pro parte conuentus non potest iterum conueniri pro parte socij. V. Dn. Louët in litt. R. num. 6.

& secundum hæc iudicatum est, diuidi quoque causam hypothecariæ actionis, si is qui plures fũdos habet obligatos partem debiti à singulis possessoribus acceperit. Hinc & com-

modissimè in l.11.reos.ff.de duob.reis,proponuntur duo correi pro se inuicem fideiussisse eo fini, vt si vnus partem debiti soluerit, non iam is qui soluit vt reus ad residuum possit conueniri, quia diuisa est obligatio volente creditore, sed vt fideiussor correi. Verum ante constitutionem Iustiniani, id est dictam N. 99. quæ beneficium diuisionis inter correos induxit, non potuit fieri comparatio duorum correorum, & duorum plurium-ve fideiussorum, quia cum fideiussores habuerint beneficium diuisionis à iure, censetur creditor contra vnum pro parte egisse, non tam vt solidum obligationis diuideret, quam quia ex necessitate cogi poterat. Igitur in quæstione proposita concludendum est, si creditor vltro vnum ex fideiussoribus pro parte soluentem admiserit, non propterea obligationem diuisisse si alij soluendo non sint. *l.51.inter.* §.1.*ff.hoc tit.* & ita etiam intelligenda lex 59. quotiens. ff. de solut. & simili collectione etiam dicemus in specie d. N. 99. creditore ab vno ex correis debendi sine iudicio partem debiti accipiente, eum non impediri, quominus si alter correus non sit soluendo, ad priorem redeat, quasi partem debiti ab eo acceperit constitutioni quæ diuisionem in correis introduxit obsecutus, non quo ius solidæ obligationis remitteret, quod locum habet semper, vbi correus soluendo est. Igitur magis est, vt dictæ legi si creditores per dictam N. 99. sit derogatum. *Decisio prioris quæstionis.*

IDEM A SOLLVSTIO.

CVM *alter ex fideiussoribus in solidum debito satisfaciat: Actio ei aduersus eum, qui vna fideiussit non competit. Potuisti sane cum fisco solueres, desiderare, vt ius pignoris, quod fiscus habuit in te transferretur. Et si hoc ita factum est: Cessis actionibus vti poteris: Quod & in priuatis debitis obseruandum est. PP. VII. Kal. Nouemb. Alexandro A. III. & Dione Coss.* Lex 11. C. eod. tit.

TRia sunt fauore fideiussorum introducta priuilegia. Primum est beneficium diuisionis, de quo in superiori rescripto actum est. Alterum est beneficium ordinis, quod vulgo discussionis, à Iustiniano renouatum N.4. ex qua creditor prius contra reum principalem qui præsens est agere compellitur, quam agat contra fide- *Priuilegia tria fideiussorum.*

iussorem, aut extraneos pignorum possessores conueniat. De tertio agitur in hac lege, quod passim dicitur, beneficium cedendarum actionum, cuius effectus etiam intercedit, quando plures sunt fideiussores: nam quia plerumque incommodum est ei qui conuenitur ad beneficium diuisionis recurrere, propterea quod præstare debet alios fideiussores esse idoneos, eoque nomine cauere, si dubitetur an sint soluendo; ideo, magis est expediendi negotij causa, vt integrum debitum exoluat, & ipse onus agendi contra confideiussores ferat; quod vtique constantius suum ipse sit repetiturus, quam creditor, qui segniter rem gerere posset, quia saluum sibi regressum existimat contra eum, qui cauit de indemnitate cæterorum. Itaque creditor mandat actiones suas ei, à quo pecuniam accepit, quod vtique facere tenetur, quia illud citra dispendium & incommodum vllum facturus est. *l.36. cum is qui. ff. hoc tit. l.38. in creditore. ff. de euict.* Nisi vero cesserit actiones suas creditor, nullis sine cessione ipse fideiussor actionē habet contra confideiussores suos, quia sibi imputare debet, cur beneficium diuisionis non allegauerit, aut non desiderauerit vt sibi actiones contra alios cederentur, quod definitur hac lege & l.39. vt fideiussor. ff. hoc tit. Diuersum in tutoribus, quorum vnus si integrum debitum soluerit, etiam sine cessione habet actionem. *l.1. §. nunc tractemus. ff. de tut. & rat. distr.* hac scilicet diuersitatis ratione, quod ipsi aliquid administrauerint, ac propterea qui solidum soluit pro aduersario soluisse censetur, quod in fideiussoribus locum non habet, qui non propter administrationem conueniuntur, sed quia in solidum à principio se obligauerunt. In duobus correis, quorum vnus soluere coactus est idem dicendum, vt eo nomine actionem contra correum non habeat, nisi cessam, vel nisi ipsi correi socij sint. *l.12. C. si cert. pet. l.2. C. de duob. reis.* Cedi autem actio debet eo ipso momēto quo soluitur: alioquin nihil postea est quod à creditore, qui suum consecutus est cedatur, cum nihil sit quod amplius ei debeatur *l.76. Modestinus. ff. de fideiuss.* Non obstat lex 57. si res. §. fin. ff. de leg. 1. nam vt ibi recte notat Accursius, is cui rem obligatam legauit testator, aut per fideicommissum reliquit, restituerat quidem hypothecam creditori eum persequenti, non etiam soluerat, cum actio cessa est contra hæredem. Sed non incommodè potest etiam illud dici, in illo loco nihil agi de cessione, quam creditor facit legatario aut fideicommissario, sed de actione, qua extra ordinem per iurisdictionem præsidis consequitur, vt debitum hereditarium, quod creditori, cui res legata erat obligata, soluit, ab hæredibus defuncti restituatur. Non obstat etiam lex 26. si pluris. ff. de admin. & peric. tut. vel cur. nam illic curatores soluerunt nomine suo & propter suam obligationem, quod eius culpa minoris tutores essent condemnati, vnde remanent tutores semper obliga-

Beneficium cedendarum actionum quod nā sit.

Fideiussor qui solidum soluit non habet actionem contra confideiussores nisi ei cessa sit à creditore.

Secus in duobus tutoribus quorū vnus integrū debitum pupillo soluerit.

Actio cedi debet tempore quo soluitur.

Diluitur argumentum contrarium ex l.57. paragr. fin. ff. de leg. 1.

Diluitur aliud argumentum ex l.26. ff. de admin. tut.

ti; & propterea ex interuallo potest minor cedere beneficium restitutionis, quod habebat aduersus eosdem tutores: & facilius tamen id fiet, si nondum ipsi iudicatum fecerint. *l.20. si alterius. §. fin. ff. de tut. & rat. distr.* quod diuersè obtinet, cum vnus ex fideiussoribus soluit: statim enim creditori omnis obligatio perit, nec iam vllam habet actionem, quam possit mandare. Non obstat etiam lex 95. Stichum. §. si mandatu. ff. de solut. quia illic palam non dicitur factam ex interuallo cessionem valere: Deinde, vt illud admittatur; id speciali ratione fieri dicendum est, quia tutor qui conuentus est propter admissam negligentiam in debitore pupillari exigendo, soluendo non liberat ipso iure ipsum debitorem, quia non soluit eius nomine, & propterea nihil vetat quin pupillus etiam postea ei actiones suas cedat curator-ve eius cōtra ipsum debitorem; quemadmodum nec mandator soluit pro reo, sed propter obligationem suam; vnde etiam creditori remanet actio contra reum principalem, quasi non fuerit extincta, idque etiam dicitur in l. Papinianus. ff. mand. nec aliter dicendū in specie l.23. dominus. ff. de pecul. leg. in qua si Sticho data fuit libertas, *si rationes reddiderit*, & is pro debitoribus soluerit; potest tamen eidem vel hæredi eius, postquam ad libertatem peruenerit actio postea cedi contra ipsos debitores, quia pro his soluisse videtur, vt libertatem celerius adipisceretur, non quo eos liberaret. His positis, superest vt legis propositæ species ita constituatur. Cum centum Mæuius fisco deberet, Titius & Sempronius fideiusserunt: Mæuius ad debiti securitatem pignus quoque obligauit. Solet interdum vtraque cautio intercedere. Titius conuentus integrum debitum exoluit. Itaque desiderabat solutæ à se pecuniæ partem à Sempronio, qui simul fideiusserat, repetere. Sed & pignus quod à Mæuio obligatum fuit fisco persequebatur. Quæstio iuris erat, vtrum contra Sempronium aliquam haberet actionem, an etiam hypothecaria posset agere ad pignus vindicandum. Rescripsit Imperator Titium nec contra Sempronium actione personali, nec contra pignoris possessores actione in rem agere posse. Mouebat quod Sempronij negotium gestum esse videretur, qui solutione ab ipso Titio facta liberatus est; vt propterea dici debeat, vel negotiorum gestorum actione vel communi diuidundo iudicium intendi aduersus eum posse. Mouebat etiam quod in fidem crediti Mæuius pignus fisco creditori obligasset, vt iuris æquitas postulare videatur Titio hypothecariam concedi, qui debitum pro quo pignus erat obligatum exoluit. Ratio decidendi est, quod cùm nullum sit negotium commune contractum inter confideiussores, nec eo animo intercesserint, vt inter se aliquam communionem haberent, sed vt rei obligationem securiorem apud fiscum præstarent; consequens est inuicem nullam eos habere actio-

Diluitur aliud argumentum ex l. 95. paragr. si mandatum. ff. de solut.

Species legis propositæ.

nem, nisi creditor eas mandauerit, ei qui soluerit integrum debitũ: vt tantumdem ab alio exigat, quantum ab eo creditor erat petiturus, si diuisionis exceptionem allegare voluisset. Et idem similiter in secunda specie: cum enim non fideiussori Titio pignus sit obligatum sed fisco, quo iure aget ipse hypothecaria actione, si non ei mandata sit? Solet fideiussor, vt indemnitati suæ consulat, iudicis officio adsequi, vt pignora in se transferantur, quæ eius obligationis nomine, cui firmandæ adhibitus est, à debitore data sunt. *l.32. fideiussor. ff. de neg. gest. l.2. ff. de pign. l.2. ff. de distr. pign.* Sed nisi illud fecerit, solam contra reum principalem eius-ve hæredem mandati actionem in personam habet, vt pecuniam exoluat, quam pro ipso reo intulit creditori. *l.14. hoc tit.*

IDEM A. THEODOTO.

Lex 12. Cod. eod. tit.

BLANDITVS *tibi est; qui non teneri te persuasit, quod cum pro alio interuenires,* ὅτι ἂν θέλεις ποιῶ, *dixisti: cum & his verbis obligationem verborum contrahi, pridem receptum sit.* PP. VI. *Kal. Septemb. Agricola & Clemente Coss.*

MAgna controuersia est, quænam fuerint græca verba, quibus Theodatus ad quem Imp. rescribit fideiussisse dicitur. Vulgaris lectio est, quæ in textu est adscripta. Alciatus legit λέγω; sed id expeditum erat in §. fin. hoc tit. apud Iustin. & in l. Græcè. ff. eod. Cuiacius lib.14. obs. cap. fin. arbitratur his verbis fideiussorio nomine se obligasse, ἐγγυῶμαι τὸν δῖ. Sed illa parum referunt. Certè in verbis, quæ in textu sunt expressa, maior dubitandi ratio inerat, quia palam voluntatem suam non expresserat Theodatus: vt inde quasi ad promissor alienæ obligationi accessisse non videretur, ac propterea in id magis acquiescendũ videbatur, vt nõ foret obligatus. *arg. l. Arrianus. ff. de obl. & act.* Sed qui facturum se quod rogatur dicit dum res & negotiũ peragitur, se obligasse proculdubio censendus est. Illa etiam occurrebat dubitãdi ratio, quod cum fideiussor per stipulationem interueniat, quæ iure ciuili Romano introducta est; videbatur Latino non Græco sermone fieri debere, vt olim obtinuit in legatis, quæ magis ad strictam iuris rationem pertinebant, & nonnisi Latinis verbis relinqui poterant, vt tradit Vlpianus in fragm. tit. de fideicomm. Sed vbi propagatum est Romanum

Legata olim nonnisi Latinis verbis relinqui poterant.

num Imperium, cœperunt etiam vbique iura ciuilia inualescere, vt visum sit postmodum non referre, Græcis an Latinis verbis ciuilia negotia contraherentur; maximè vbi Græcæ eloquentiæ dignitas cœpit ipsis Romanis alias linguæ suæ retinentissimis non esse ingrata: nam & permissum tandem fuit etiam Romæ testamenta Græcè condere. *l. fin. C. de testam. tut. l. hac consultissima. §. fin. C. de testam.* vt & occurrunt variæ testamentorum clausulæ in responsis Iurisconsultorum, quæ veluti ex testamentis Græco sermone conscriptis referuntur. Exempla sunt in l. 34. § *1*, & 7. ff. de leg. 1. l. 101. qui habebat. ff. de leg. 3. & l. 14. Theopompus. ff. de do. præleg. & aliis eiusmodi; vt & clausula codicillaris solita fuerit etiam Græco sermone comprehendi. *l. 29. ex ea. §. fin. ff. qui testam. fac. poss.*

IMP. ALEXANDER A. TIMOTHEO.

DELEGATIO *debiti nisi consentiente & stipulanti promittente debitore, iure perfici non potest. Nominis autem venditio & ignorante vel inuito eo, aduersus quem actiones mandantur, contrahi solet.* PP. V. Id. Febr. *Maximo* II. *& Æliano Coss.* — Lex 1. C. de nouationib. & delegationibus.

Docet inscriptio & subscriptio hanc legem coniungi debere cum l. 3. sup. de hær. vel act. vend. quod & ibi docuimus nec est quod ijs quæ ad eam legem dicta sunt aliquid adijci debeat.

IMP. ALEXANDER A. BASSÆ.

LIBERARI *fideiussores, quoties fiscus tam creditori, quam debitori (licet diuersis stationibus) succedit, ius certum est, quod & in tua persona procuratores mei custodient.* PP. Kal. Iul. *Lupo & Maximo Coss.* — L. 2. Cod. de solut. & liberationibus.

Diuersæ sunt stationes rerum fiscalium (*diuers tabliers de recepte*) Sed idem tamen fiscus, idem principis patrimonium. Igitur si

debitori, qui fideiussores dederat fiscus succedat, & idem postea creditori succedat; consequens est vt fideiussores liberentur, cum iam in vnam eandemque personam ius crediti & debiti concurrat: Maximè cum fideiussores quod fisco soluerint, vt creditoris hæredi, ab eodem sint repetituri, vt debitoris successore, pro quo fidem suam adstrinxerant, & contra quem mandati actionem erant habituri, si nulla confusio facta esset crediti & debiti: frustra autem quis petit quod restituturus est: tum quia non potest videri vnum eundemque pro eodem apud eundem mandator aut fideiussor esse. Maior dubitandi ratio, si duo rei debendi sint, & creditori simul & vni ex debitoribus fiscus proponatur successisse: cum enim confusione eiusmodi correus alter non liberetur, potest videri fideiussorem, qui pro vtroque interuenit superstitis nomine posse cōueniri. Sed quia ipse fideiussor conuētus posset eligere fiscum ipsum vnius ex correis successorem, magis est vt idem obtineat, quod in specie hoc loco proposita: & id quoque tradit Paulus in l.51. Granius. ff. de fideiuss. Quod si solius debitoris bona ad fiscum peruenerint, dicendum illud quoque liberari fideiussores, quod magis obtinet, si hæreditatis iure ad eum bona peruenerunt: Nam si propterea quod in solutione cessauit debitor, bona fiscus vel priuatus creditor possidere cœperit, nequaquā id proderit fideiussori, qui in id acceptus est maximè, vt si creditor lapsus esset facultatibus, ipse successor periculi foret. *l. 45. in fraudem. §. si principalis. ff. de iu. fisci. l. 21. hæres. §. si stipulatus. ff. de fideiuss.* Ad l. 41. si ei. §. fin. ff. de euict. rectè respondet glossa.

IMP. ALEXANDER A. OCTAVIO.

Lex 6. C. de euictionibus

NON *dubitatur, & si principaliter venditor euictionem non promiserit, re euicta exempto competere actionem. PP. VIII. Id. Mart. Alexandro A. Coss.*

Debetur euictio etiam si non sit promissa.

QVædam, inquiūt Iurisconsulti, etiam si nō dicantur, præstāda sunt. *l. 66. in vendendo. ff. de contr. empt.* Eiusmodi est euictionis præstatio, si venditæ rei nomine emptori controuersia fiat, *hac l. 6.* nam vi & potestate ipsius contractus, id tacite subintelligitur. Sed hoc interest quod cum nihil dictum est, simplum tantum soluat venditor, & id quod interest. *l. 60. si in venditione. ff. de euict.* cum interposita stipulatione, duplæ condemnatio fiat in venditorem re euicta, quod tamen habet locum in rebus pretiosis tantum, inter

Interposita stipulatione duplæ vēditor in duplum condēnatur alias sumptum præstat

quas proculdubio sunt & serui. *l.37.emptor.§.1.ff.eod.* Obstant lex 2. ff.eod. & lex quod si nolit, §. quia assidua. ff. de ædil. ed. ex quibus omissa duplæ stipulatione, perinde est ac si interposita fuisset. Cuiacius ad hunc tit. ait illis locis actum fuisse, vt de dupla repromitteretur, vel duplæ stipulationem non fuisse interpositam per errorem cũ id ageretur vt cõtractui adijceretur. Certè in his rebus, quæ accedunt rei emptę, si euincantur in duplum venditor non tenetur. *l.11. exempto.§.17.si quis rem. ff.de act.empt.* Rectè vero Accursius huic legi hunc modum adijcit, vt ita demum teneatur venditor qui de euictione non promisit, si emptor ignorauerit rem fuisse alienam: nam si sciuerit, nequaquam eo nomine experietur, quasi sciens dolum pati non videatur. *l.27. si fundum.hoc tit.* quod si etiam scienti cauerit venditor, scientia non excludet autoritatis actionem. *l. si fratres.C.comm.vtr.iud.l.4.apud.§.5.idem Labeo.ff. de do.ma.& met.except.* Obstare vtrique definitioni duo videntur, ac primum lex 14. cum à matre. C. de rei vind. vbi licet sciuerit emptor rem esse alienam, & de euictione non sit cautum, nihilominus per exceptionem doli mali indemnitati suæ actor consulit. Sed hoc ita in illa specie, quia venditor ipse vindicat rem à se venditam hæres-ve venditoris quo casu vix est, vt non æquitas exceptionis tueatur emptorem aduersus eum ipsum, qui vendidit aut eius hæredem. Obstat secundo lex fin. §. emptor. C. commun. de leg. vbi licet quis sciens rem venditã optimo iure nõ pertinere ad venditorem, quia ab eo legata in diem vel sub conditione erat, in casum euictionis sibi cauerit, tamen pretium quod erogauit emptor recipit dumtaxat, non meliorationes, non sumptus circa eam rem factos, qui haud dubiè euictionis nomine veniunt, & ex stipulatione duplæ: Verum vt rectè docet Cuiacius in recit. ad hunc tit. Id ita obtinet, ne quis temere accedat ad emptionem, quæ fit contra defuncti iudicium, maximè cum quasi de proximo immineret euictionis periculum.

& id quod interest.

Si euincatur quod accedit rei empta venditor non tenetur in duplum.

Qui sciens rem emit alienam de euictione nõ agit nisi sibi cautum sit.

Obijcitur & diluitur lex 14. C. de rei vind.

Obijcitur & diluitur l.fin parag. emptor. C. comm. de leg.

IDEM A. HILARIANO.

AVCTORE *laudato, si euicta res est: fideiussorem etiam si agi causam ignorauerit, conueniri euictionis nomine posse, non ambigitur.* PP. III. Non. *April. Alexandro* A. *Coss.*

Lex 7. C. eod. tit.

Idem A. Clementino.

L. 8. C. cod. *EMptor fundi, nisi auctori aut haeredi eius denunciauerit: euicto praedio, neque ex stipulatione, neque ex dupla, neque ex empto actionem contra venditorem vel fideiussorem eius habet. Sed & si iudicio emptor non adfuit, aut praesens per iniuriam iudicis victus est absente auctore vel fideiussore: regressum aduersus eum non habet.* P.P. VIII. Id. *Decembr.* Alexandro A. *Cos.*

Idem A. Terentio.

Lex 9. C. cod. SI *controuersia tibi possessionis, quam bona fide te emisse allegas, ab aliquo mouetur: Auctori haeredi-ve eius denuntia. Et si quidem obtinueris: Habebis quod emisti. Sin autem euictum erit: A venditore successore-ve eius consequeris, quanti tua interest: In quo continetur etiam eorum persecutio, quae in rem emptam à te, vt melior fieret erogata sunt.* P.P. XI. Kal. Ianuar. *Alexandro A. Cos.*

Emptor qui non denuntiauit sibi litem motam non agit contra venditorem re euicta.

EXpeditius illud est quam vt adnotari debeat: Emptorem, qui rei venditae controuersiam patitur, denuntiare id venditori debere, qui vtique iuris sui adminicula & probationes dominij est administraturus: Itaque si autorem non laudauerit, id est si venditori non denuntiauerit, & litem subierit solus, re euicta neque ex stipulatu, neque actione ex empto agit, quod tribus his rescriptis palam Imp. definit. An vero & fideiussori, qui firmandae venditionis gratia à venditore datus est, denuntiari oportet? Quód nequaquam esse necessarium Imp. docet in l. 7. hac ratione scilicet, quod ille nullas tuendi iuris sui causa defensiones sit emptori praebiturus. Atquin, in l. 8. dicitur lata contra emptorem sententia fideiussore absente ipsum empti actionem non habiturum. Sed hoc verum est quando emptor per iniuriam iudicis victus est, quae iniuria

Secus si fideiussori non sit denuntiatum.

Cum iniuria iudicis emptor victus est de euictione non agit.

non debet absenti fideiussori nocere. Cæterum si iniuria à iudice facta non sit, absentia fideiussoris non laudati non impediret aduersus eum autoritatis actionem. Et hic quidem primum casus occurrit; in quo sententia aduersus emptorem data & si laudauerit autorem nulla tamen propter euictionem actio sequitur, quia scilicet iniuria ei facta venditorem aut fideiussorem innoxium, quibus nihil est quod imputetur, perstringere non debet, & æquius est vt penes eum damnum potius maneat, quam ad alios transferatur. *l.51. si per imprudentiam. ff. hoc tit.* quod tamen forte sub hac distinctione est intelligendum, si emptor culpa sua iniustæ damnationis causam subiit. *l.67. exceptione. ff. de fideiuss.* dum forte iudicem sibi suspectum non recusauit. Sed Cuiacius tr.6. ad Afric. ad l.24. ff. hoc tit. opinatur sufficere, vt iniuria iudicis sit victus emptor, & ex d. l.67. tollit hanc vltimam clausulam, *scilicet si culpa tua iniusta damnationis causam præbuisti.* Id vero in hac l. 8. videtur Imp. innuere præsente auctore victum per iniuriam iudicis emptorem habere nihilominus actionem de euictione. Sed est casus alter in ea lege, vbi non tenetur venditor de euictione, scilicet si iudicio emptor adfuit, & propter contumaciam litem amisit: Nam nimis ille delicatus est, qui negligentiam suam & propriæ vitium cessationis ad alienum dispendium desiderat referre. *l.1. C. de diuid. tut.* Hic igitur magis vitio suo bonam causam amisisse censetur. *l.55. si in deo. l.63. Herennius. §. fin. ff. hoc tit.* vnde commodissima est distinctio Pomponij in l.27. hoc iure. ff. hoc tit. vt si exceptiones ex persona emptoris obiectæ obstiterint ei, venditor non teneatur: Si ad personam venditoris respiciant, venditor sit obstrictus. Exceptio ex persona emptoris est, veluti si compromiserit de rei sibi venditæ dominio & arbiter contra eum sententiam dixerit l.56. si dictum. §.1. ff. eod. vel si iusiurandum detulerit aut pactus sit de non petendo. Ex persona venditoris similiter illæ competunt, si ipse pepigerit, aut cum de rei dominio detulisset iusiurandum, aduersus eum iuratum sit, deinde vendiderit: Nam certum est eiusmodi exceptiones etiam singularibus successoribus prodesse, vel nocere. *l. 17. si tibi. §. pactum. ff. de pactis. l.7. ff. de iureiur.* Multo minus de euictione agetur, si vi de fundo vendito emptor sit deiectus, quia ipse suo nomine habet interdictum recuperandæ possessionis. *l. fin. C. de act. empti.* deinde, quia venditor non debet teneri ex illis casibus, qui post emptionem contingunt, & ex præcedente tempore causam euictionis non parant, vt ipse Imp. docuit sup. in l.1. C. de peric. & comm. rei vend. Quæcumque sequuntur venditionem ea non spectant personam venditoris: Ideoque si post traditionem sit publicatus fundus, cui publicationi causam non dederit venditoris factum, nulla euictionis præstatio est. *l.11. Lucius. ff. hoc tit.* At cum euictionem debet

Idem est si emptor victus sit quia iudicio non adfuit.

De euictione non agit emptor si vi de fundo vendito deiectus sit.

Non tenetur venditor fundo vendito publicato post traditionem si ipse publicationi causam non dederit.

venditor, docet Imp. Alexander in l. 9. venditorem hæredem-ve eius teneri in id omne, quanti interest emptoris rem non esse euictam, in quo continebuntur illi sumptus, qui in rem facti fuerunt, vt melior fieret; vtique si duplum non egrediantur, & rem non possideat emptor: Nam si possideat agentem dominum exceptione doli mali potest repellere, nisi paratus sit sumptus necessarios in rem factos restituere. §. 32. *ex diverso. vers. certe. de rerū diuis. apud Instit. l. 43. Titius. §. fin. cum l. seq. ff. de act. empti.* Sed potest fieri, vt propter domini inopiam sumptus recuperare non potuerit emptor, cum alioqui sit iniquum dominum qui euicit cogi ad rem distrahendam, vt sumptus possessori restituat. *l. 27. fin autē. §. fin. cū ll. seqq. ff. de rei vind. l. 38. in fundo. ff. eod.* Igitur æquitatis ratio desiderabit, vt periculum omne venditorem respiciat, qui perpendere apud se debuit, ne rem alienam ignoranti emptori obtruderet, in quam mox quasi in suam bona fide impendia & sumptus fecit.

Re euicta sumptus omnes in rem factos emptori reddit venditor si eos rei domini restituere non possit.

IDEM A. LARGO.

L. 10. C. eod. *SI fines agri venditor demonstrauit, & legem dixit, intra eos neminem ingressuram: Si quid inde euincatur: Periculo sit autoris. Quod si finibus suis, quos demonstrauit agrum vendidit: Lis finalis ad venditorem non pertinet.* PP. VII. *Kal. Decemb. Maximo II. & Æliano Coss.*

REfert, vtrum venditor fines fundi venditi demonstrando caueerit intra eos neminem ingressurum; an tantum dixerit, agrum se vendere suis finibus, quos & demonstrauit. Primo casu omne in se periculum suscipit præstandæ euictionis, si quid inde euincatur, cum & asseuerasse censeatur omnino, quidquid finibus demonstratis continetur, ad se pertinere, eaque iure optimo in emptorem transferre: Ideoque si qua controuersia oriatur, denuntiari debet venditori, vt liti subsistat & præstet dictum promissum-ve. Secundo casu subdubitanter monet tantum emptorem, agrum se vendere secundum suos fines, quos & demonstrat nihil amplius pollicitus de iure suo; ideoque modò dolo careat, controuersia postmodum de finibus mota ipsum non respicit, cum potius eiusmodi verborum conceptione securitati suæ prospectum voluerit

arg.l.1.§.fin.l.39.quæro ff.de act.empti. nihil hac distinctione commodius, & id vult etiam imperator hac lege.

IDEM A. CLEMENTI.

EXCEPTIONE *doli rectè eum submouebis, quem ab auctore tuo fideiussorem accepisti: Si eius nomine controuersiam refert, quasi per vxorem tuam ante, quam tu emeres, comparauerit: Qui venditioni adeo consensum dedis, vt se etiam pro euictione obligauerit.* PP. *Non. Februar. Pompeiano & Peligno Coss.* Lex 11. C. eod.tit.

Manifesta est sententia huius legis; fideiussorem ob periculum euictionis à venditore datum doli exceptione remoueri, si ipse rei venditæ nomine controuersiam emptori faciat. *Sententia legis.* Species hæc est. Titius fundum Mæuio vendidit. Firmandi contractus *Species eiusdem.* gratia quo magis emptori Mæuio cautum esset, Sempronius fidem suam obligauit quo casu fundus ipse euinceretur: Mox idem ipse Sempronius actione in rem eius fundi nomine contra Mæuium experitur, quasi ex causa anteriori illum per vxorem suam emisset. Quærebatur, cuius potior esset causa. Rescripsit Imp. Sempronium frustra eius fundi quæstionem facere. Mouebat, quod vxori eius primum venditus foret. Verum illa ratio desiderium eius impugnat ex iuris ciuilis petita rationibus, quod secundæ emptioni consensum præstiterit, dum se pro euictione apud emptorem se obligauit: Sicuti qui fideiubet pro aliquo, videtur approbare obligationem rei suæ, quam quasi ad se pertinentem debitor obligauit. *l.5.Pomponius.§.fin.ff. quæ res pign. obl.poss.* & proprie ad hanc legem pertinet hæc vulgaris definitio, quem de euictione tenet actio eundem agentem repellit exceptio. *l. vindicantem cum seq. ff. de euict.* cui tamen simul atque huic legi obijci potest lex fin. hoc tit. ad quam responderi potest, facilius admitti fideiussoris hæredem ad rem venditam vindicandam ex d. l. fin. quam ipsummet fideiussorem in illa. *Obijcitur lex fin. hoc tit.* Sed magis est, vt acquiescendum sit solutioni, quam dedimus sup. ad l.3. de rei vindic. Possit etiam adijci species proposita in vulg. l.2. C. de resc. vend. Verum in illa specie, venditor rem à se emptam non vindicat, sed remedio restitutionis repetit, ne prægrande damnum ferat, quia ne quidem rei suæ pretium dimidium

est consecutus. Idem dici potest in aliis speciebus, in quibus ius indulget, vt à venditionis contractu liceat vel emptori vel venditori sed maximè venditori recedere.

IMP. ALEXANDER A. PVBLICIO.

Lex 1. C. creditorem euictionem non debere.

CVM iure creditoris propter fisci debita prædium obligatum procurator meus venumdedit, euictio non debetur: Quia & priuatus creditor eodem iure vtitur: Nisi nominatim hoc repromissum à priuato fuerit creditore. Si tamen fiscus in ius alterius creditoris successit emptori, non iusta nomine fisci mouetur controuersia: Siue quia potior fuerat, quando vendebat: Siue quia infirmior, quoniam hoc vtique præstare debet, qui pignoris iure vendit, potiorem se cæteris esse creditoribus PP. XV. *Kal. Nouembr. Maximo II. & Æliano Coss.*

PEr spicua est sententia eius legis, creditorem qui iure creditoris vendit eam rem, quam palam profitetur non esse suam, sed sibi obligatam, ea euicta non teneri, nisi nominatim euictionem repromiserit. & ex hac lege affingi debet exceptio ad legem 6. hoc titulo, quam supra suo loco exposuimus. Sed adijcit præterea Imp. ipsum creditorem, qui vendidit, fiscum scilicet siue alium postea eiusdem rei facere controuersiam non posse: Nam si prior in iure fuit qui vendidit, quemcumque alium posteriorem creditorem emptor repellit, vt definitum fuit supra in l. 1. si antiq. cred. ipsum igitur venditorem, si post pignus à se venditum suo iure postmodum alicui posteriori creditori successerit. Sin fuerit posterior, & hoc nomine quoque aduersus priorem creditorem de hypotheca agentem tueri emptorem debet, quia creditor, qui vendit in iure pignoris potiorem se præstare debet. Itaque si priori creditori successerit, multo magis agens remouebitur, quod pignus à se venditum euincat: Hoc definit Imp. hac lege. Cætera quæ ad eam pertinent Cuiacius in parat. & recit. ad hunc tit. & Accursius aliique tractatores hoc loco probe exsequuntur.

IMP.

IMP. ALEXANDER A. ARTEMIDORO.

SI filius tuus in potestate tua est: Res acquisitas tibi alienare non potuit; quem, si pietatem patri debitam non agnoscit, castigare iure patriæ potestatis non prohiberis: Acriore remedio vsurus, si in pari contumacia perseuerauerit, eumque præsidi prouinciæ oblaturus, dicturo sententiam, quam tu quoque volueris. PP. VI. Decemb. Albino & Maximo Coss.

Lex 3. C. de patria potestate.

POtestatis nomen plura significat: Nam in persona magistratuum significat imperium; in seruis ius dominij & proprietatis, quod ipsi domini habent in eos; in persona liberorum, de qua proprie est hæc lex & titulus ipse, ius patris in filios vel sequentis gradus liberos. *l. 215. potestatis. ff. de verb. signif.* Potestas ea summa est & maior olim, quam nunc est, aut nouo iure fuit: Nam non solum dominicam potestatem æquabat, sed etiam vincebat: Vnde seruum venditum & à nouo domino manumissum prior dominus in seruitutem retrahere non poterat: Pater vero filium à se venditum & à venditore manumissum in suam ditionem & potestatem reuocare poterat, nec prius à patre filius liber fuit, quam per ternam venditionem siue mancipationem patrij iuris nexibus foret liberatus, quod lege 12. tab. fuit definitum & à Dionysio Halicarnasseo relatum lib. 2. In hoc tãtùm liberorũ melior cõditio fuit quã seruorũ, quod mors patris, qui filios habebat in potestate, eos immunes omni potestate præstaret: Serui vero eodem iure manerent penes hæredem dominorum, quo erant penes dominum. Cæterum in eos vt in seruos ius habuere vitæ & necis. Tam stricto scilicet vinculo ea potestas colligata fuit, quia & liberorum intererat in parentum obsequio aliquo metu retineri; nec verendum erat, ne parentes pietatis paternæ caros affectus obliuiscerentur, remissius vsuri potestate quo maiorẽ ipsis lex indulgeret: Vtcũque enim ius vitæ & necis eis datum foret, & permissa libertas eos vendendi, nequaquam tamen inuenti sunt qui illo iure vsi sint; nisi si Posthumium Tiburtum, & Manlium Torquatum excipias, qui supplicio capitali filios affecerunt, iure potius ducis & imperatoris, quam

Potestas plura significat.

Potest. as patria olim maior quam dominica.

Zzzz

patris. Hanc eandem rationem sequitur Simplicius apud Epictetum. Οἱ δὲ παλαιοὶ τῶν ῥωμαίων νόμοι πρὸς τὴν τῆς φύσεως ὑπεροχὴν ἀποβλέψαντες, καὶ πρὸς τοὺς πόνους οὓς οἱ γονεῖς ὑπὲρ τῶν τέκνων ποιοῦσιν, ἅμα καὶ τοὺς παῖδας παντελῶς ὑποτάξαι βουλόμενοι, καὶ τῇ τῶν γονέων οἶμαι φυσικῇ φιλοστοργίᾳ θαῤῥήσαντες, καὶ παρέσχον εἰ βούλοιντο τοὺς παῖδας τοῖς γονεῦσι ἐπιτρέψαι, καὶ φονεύειν ἀτιμωρήτως. Hi duo potissimum effectus fuere patriæ potestatis, qui tamen postea obsoleuerunt: Nam primum pater filium indemnatum amplius occidere non potest, sed eum apud præsidem prouinciæ debet accusare *l.2 ff. ad leg. Corn. de sicar.* vtique si in contumacia perseueret & facti atrocitas ius domesticæ emendationis excedat. *l. vn. C. de emend. prop.* & illo tamen casu dicet sententiam quam pater voluerit, vt Imp. docet in fi. huius legis: Benignam igitur & moderatam: Nam pietas paterni nominis consilium pro liberis capit. *l. nec in ea §. fin. ff. ad leg. Iul. de adult.* & patris potestas in pietate debet, non in atrocitate consistere. *l.5. ff. ad leg. Pomp. de parric.* vt rectè illud Quintilianus dicat decl. 322. nunquam hos affectus in tantum odio vinci, vt non ad naturam suam reuocentur. Deinde nemini etiam amplius licet liberos suos vendere præterquam si paupertas vrgeat. *l.2. C. de patr. qui fil. distr.* Sed alij sunt etiam effectus patriæ potestatis; scilicet vt possit pater filium suum in adoptionem dare & in alienam familiam transferre. *§.1. & §. in plurimis. de adopt. apud Iustin.* vt filio nondum puberi tutores dare possit, eique substituere in casum, quo impubes decedat; vt lis nulla possit esse inter patrem & filiumfam. præterquam de castrensi peculio. *l. lis nulla. ff. de iudic.* vt filij sine consensu patris matrimonium non contrahant, nec soluatur nuptiis patria potestas, sed nati liberi ex filio auum paternum sequantur. Denique & ille vltimus, ad quem initium huius legis pertinet, vt quod acquirit, patri acquirat, ac per hoc rerum, quas acquisiuit alienandarum facultatem non habeat. Sed adhibenda tamen distinctio, de qua quædam notauimus sup. ad l.12. de negot. gest.

In liberos fuit ius vitæ & necis vt in seruos.

Ea tamen potestas postea fuit legibus coercita.

Ius vendendi filios patri quoque fuit ablatum.

Plures alij effectus patriæ potestatis.

IMP. ALEXANDER A. CLAVDIO.

Lex 1. C. de infant. expos. liberis & seruis &c.

SI inuito vel ignorante te, partus ancillæ vel adscriptitiæ tuæ expositus sit: Repetere eum non prohiberis. Sed restitutio eius, si non à fure vindicaueris, ita fiet, si quæ in alendo eo, vel forte ad discendum artificium iuste consumpta

fuerint, restitueris. PP. III. Kal. Iuliano II. & Crispino Coss.

PArtus ventrem sequitur, vt vulgo constat. Qui igitur natus est ex ancilla aut vel adscriptitia, quo nomine venit mancipium rusticum ipsi veluti glebæ addictum, ad dominum pertinet: Cui rationi est consequens, vt non possint illæ ius suum domino auferre exponendo partum suum. Non vetatur itaque dominus ancillæ partum à quocumque vindicare, restitutis tamen expensis alimentorum, atque pretiis siue mercedibus, quæ datæ sunt iis, qui seruum ipsum aliquo artificio imbuerunt. Nulla vero occurrit ratio, quæ eiusmodi restitutionem impensarum impediat, quæ adeo necessariæ sunt, vt si factæ non essent, seruus erat interiturus, quod pertinet ad alimenta: Nam sumptus facti ad discendum artificium, magis impensæ vtiles sunt quam necessariæ: Potuit enim seruus artificio carere, & famulitium aliquod vel ministerium præbere, vt sunt nouitij; mancipia scilicet rudia, quæ ob hoc & simpliciora & ad ministerium aptiora. *l. 37. præcipiunt. ff. de ædil. ed.* Sed hæ tamen sunt restituendæ ab eo qui vindicat, ne ex aliena iactura locupletetur, idque siue bona fide possedit qui tenet siue non, vt docet Cuiac. lib. 10. obs. cap. 1. excepto dumtaxat fure, qui ipse improbior est malæfidei possessore, & ob id nullos sumptus reputat, ne alimentorum quidem, si infantem surreptum cum adoleuerit restituere cogatur, quamuis cura eius creuerit, illa ratione quod ridiculum sit meliorem furis conditionem esse propter continuationem furti. *l. 13. ex argento. ff. de cond. furt. l. 67. inficiando. §. infans. ff. de furtis.*

Impensæ factæ in alendo seruo necessaria sunt.

Nouitij qui sint.

Fur nullos sumptus repetit.

IMP. ALEXANDER A. APRO.

PRÆSES *prouinciæ probatis iis, quæ in oppido frequenter in eodem controuersiarum genere seruata sunt, causa cognita statuet: Nam & consuetudo præcedens, & ratio, quæ consuetudinem suasit, custodienda est: Et ne quid contra consuetudinem fiat, ad sollicitudinem suam reuocabit præses prouinciæ.* PP. *VI.* Kal. *April.* Iuliano II. & *Crispino Coss.*

Lex 1. C. quæ sit longa consuetudo.

IAm supra ad l. 1. de interdict. ex Cuiacio adnotatum est, huius legis inscriptionem falsam esse, & ad libellum Euocati non Apri imperatorem rescripsisse, vt propterea hæc constitutio coniungi debeat cum d. l. 1. de interd. & l. 3. de ædif. priu. Sed quamuis relata ad speciem in eis legibus propositam illud constituat tantum, in ædificiis construendis, vel reficiendis seruari debere consuetudinem municipij: Vt pro vt mores constiterint certa contignationum forma, aut altitudo certa pedum dimensione constet, tamen Tribuntanus, qui hanc rescripti partem ad hunc titulum reuocauit, eius sententiam voluit esse generalem, vt vbicumque occasio tulerit nec iura refragentur, consuetudinis vsusque longæui autoritas summa sit, ac prope legem imitetur: Sicuti D. Gregorius Nazianzenus rectè in carmine de vita sua

Longa consuetudo legem imitatur.

Ἔθος μὲν ἰσχόνιζον εἰς νόμον πλεῖ.

Et idem alibi

Τὸ μὲν συνηθὲς καὶ νόμος καθίσταται.

Aduertendum vero quod ait Imp. rationem custodiri, quæ consuetudinem suasit: Nam per se nullius est momenti, nisi certa ratione sit introducta: Ideo autem magna vis consuetudinis esse solet, quia illam consensus populi vniuersi introduxit, vt hinc rectè Dio Chrysostomus in orat. περὶ ἔθους illam vocet δίκαιον ἑκούσιον, id est ius voluntarium, quod ciuitas ipsa vel populus sibi non coacto imperio sed spontanea & libera inductione suscepit.

Ius est voluntarium quod ex consuetudine venit.

IMP. ALEXANDER A. DAPHNÆ.

Lex 1. C. de don. causa mortis.

S*I donatione contineatur, vt altero defuncto, ad alterum portio eorum, quæ donabantur pertineret: Existente conditione, si mortis causa perficiebatur, fideicommissi actio competit.* PP. *IV.* Kal. *Octob. Maximo II. & Æliano Coss.*

DVbiam huius rescripti sententiam facit, quod in hac specie nullum fideicommissum inuicem à duobus donatariis relictum proponatur, sed tantum hæc conuentio intercessisse, vt altero ex his defuncto ad alterum portio eius perueniret; vnde videbatur nullam fideicommissi actionem competere. Sed obtinuit quacumque scriptura induci posse fideicommissum, quod eo magis in donatione mortis causa obtinere debet, quæ nonnisi morte con-

firmatur, & in casum mortis confertur, vt propterea ad causã vltimæ voluntatis pertinere videantur, quæcumque in eiusmodi instrumento donationis scripta sunt, sicuti ab intestato per epistolam aut aliam quamlibet voluntatis nostræ testationem, fideicommissum relinqui posse certum est. Cuiacius lib. 20. obs. cap. 6. significatè ait adiecta hæc verba in hac lege, *si mortis causa donatio perficiebatur*, vt appareat in donatione inter viuos adiectam hanc legem non inducere fideicommissum; cuius distinctionis ratio hæc, quia donatio inter viuos ad causam vltimæ voluntatis non accedit, quo fit, vt actio vtilis dari debeat ei, cuius commodo lex eiusmodi adiecta est. l. 3. C. de donat. quæ sub modo &c.



COMMENTARII IN RESCRIPTA AVRELII ALEXANDRI SEVERI IMP. ROMANI QVÆ LIB. IX. Codicis Iustinianæi continentur.



EX hoc libro sunt tantum quadraginta quatuor rescripta quæ ad causam persecutionis criminalis ordinariæ vel extraordinariæ pertinent. Quinque statim occurrunt in ipso primo tit. qui accusare non possunt. Primum his verbis est conceptum.

IMP. ALEXANDER A. RVFO.

QVI *crimen publicum instituere properant, non aliter ad hoc admittantur, nisi prius inscriptionum pagina processerit, & fideiussor de exercenda lite adbibitus fuerit. Sin vero post satisdationem præsentes non fuerint: edicto admonendi sunt, vt veniant ad causam agendam: Et si non adfuerint: non solum extra ordinem puniendi sunt, sed etiam sumptus, quos in eam rem, & circa ipsum iter* Lex 3. C. qui accus. poss.

ad litem vocati fecerunt, dependere cogentur. P P. *Non Februar. Alexandro A. Coss.*

ILlud magis notum est quam vt adnotari debeat; eum, qui criminis alicuius publici nomine aliquem insimulare desiderat, libellum edere debere, & in crimen subscribere, vt scilicet temerarium accusatorem pœnæ metus coërceat, cum effectus inscriptionis ille sit, vt calumniantes poscat ad vindictam similitudo supplicij. *l. fin. tit. seq. l. 7. ff. de accusat.* Qua formula id fieret, docet Paulus in l. 3. ff. eod. tit. scilicet, vt libellum daret magistratui accusator, qui diem & consulem haberet, apud quem magistratum & cuius criminis nomine reum insimularet. Quin & huic libello nomen apparitorum, qui reo diem dixissent, continebatur, sicuti apparet apud Demosthenem in orat. περὶ στεφάνου in libello Æschinis, quo Ctesiphontem violatarum legum nomine accusabit. Sed subscriptionem vel libellum subscriptionis hæc etiam præcedebant; vt etiam accusator reum in ius duceret ad magistratum, qui criminis eius disceptationem habebat, & postularet vt nomen rei reciperet. Seneca de morte Claudij. *Ducit illum ad tribunal Æaci, is lege Cornelia de sicariis quærebat, postulat, nomen eius recipit, edit subscriptionem.* Sunt autem plures casus, quibus inscriptionis necessitas accusatori remittitur, qui ab Accursio & Ioanne Fabro notati sunt in hanc legem, & à Cuiacio etiam in recitat. ad hunc titulum explicantur.

Accusator dat fideiussorem de lite exercenda.

Lis & causa quid differant.

Præter superiora illud etiam ab accusatore desiderari tradit Imp. vt fideiussorem det de lite exercenda. Litem dicit per ὑπαλλαγὴν: nam litis nomē propriè pertinet ad iudicia ciuilia in quibus disceptatio est de re pecuniaria; vbi vero de crimine agitur obtinet, vt causa dicatur: vnde illud Arcadij I.C. in l. 1. §. 1. ff. de testib. adhiberi testes in pecuniariis litibus & criminalibus causis. Male Glossa hunc locum accipit de satisdatione à reo præstanda, qui magis in carcerem mittitur, nisi propter honorem & amplissimas facultates, vel pro innocentia personæ aut dignitate aliter constituatur. *l. 1. ff. de custod. & exhib. reor.* Cæterum vt fides constet enarrationi, quam dedimus, verum est accusatorem satisdare debere perseueraturum se in accusandi munere vsque ad sententiam. *l. 5. §. 7. his vero. ff. de his qu. vt ind. l. 7. §. 1. ff. de accusat. & inscr.* cui cautioni nisi pareat edicto monetur vt veniat ad causam orandam, & si abfuerit, demum extra ordinem arbitrio iudicis punitur, vt vel sumptus factos à reo exoluere teneatur, & id quoque in hac lege definit Imperator.

IDEM A. DIONYSIO.

VXOR *tua, si consobrini sui necem vindicandam existimat, adeat præsidem prouinciæ. PP.* XVI. *Kal. Iul. Alexandro* A. *Coss.* Lex 4. Cod. eod. tit.

Idem A. Marcellinæ.

SEnatusconsulto permissum non est mulieri legis Corneliæ crimine reum facere, nisi res ad eam pertineat. Cum igitur filij tui tutores vel curatores habeant: Ipsi deliberare debent, an instrumenta, ex quibus aduersarium filiorum tuorum obtinuisse dicis, falsa esse accusare debent. PP. *Kal. Octobr.* Alexandro A. *Coss.* L. 5. C. eod. tit.

MVlieres ab accusatione publica remouet pudor & verecundia, quia domi se continere debent, nec se hominum cœtui immiscere: propter quod etiam nec postulare possunt. *l.* 1. §. 6. *vers. sexum. ff. de postul.* Excipitur crimẽ maiestatis & fraudatæ annonæ, ex quib⁹ causis iudicio publico posſũt experiri. *l.* 13. *mulierem. ff. de accus. & inscr. l. in quæst. ff. ad leg. Iul. Maiest.* Fauores etiam pupillorum, si suspectum tutorem aliquem dicere velint, & sola pietate productæ non ferant iniuriam ipsis factam, admitti poterũt ad accusationem. §. *sequens. de suspect. tutor. apud Iustin.* Plane in aliis actionibus, veluti in quæstione falsi, si tutorem habeat pupillus, ne quidem mater admittetur, si ex falsis instrumentis contendat filium iudicio superatum; quia tutoris munus est eiusmodi accusationem instituere. *l.* 5. *hoc loco.* Sed & illa perpetua est exceptio, vt admittantur ad accusationem, si suam & suorumque iniuriam persequantur, nec alius est qui accusare possit. hac lege 4. & l. 2. ff. de accusat. & inscr. quamquam excipienda est iniuria violati à viro matrimonij, quam persequi aut vindicare iure ciuili non possunt. *l.* 1. *C. ad l. Iul. de adult.* nisi forte vt dotem repetat. *l. consensu.* §. 1. *de repud.* Iure canonico possunt. *cap.* 1. *extr. vt lite non contest. non proced. ad test. recept.* quia fere monendi potius & compescendi mariti causa in foro ecclesiastico agitur, *Mulieres non accusant nisi certis casibus.*

quam quo mulier publicam pœnam ab eo repetat. Vt autem ab accusandi munere mulieres repelluntur in causa quę ipsas non contingit; ita cum iniuriæ suæ vel suorum causam agunt, & ipsis datur accusandi licentia, ab insctiptionis vinculo sunt liberæ. *l.12.hoc tit.* quod propter sexus & naturæ infirmitatem inductum, ne facile ad pœnam traherentur, dum iusto dolori indulgere se crediderunt.

IDEM A. PROBO.

L.6.C.eod. tit.

ACCVSATIONEM *à qua discedere te professus es, repetere non debes.* PP. V. *Non. Maij Iuliano* II. *& Crispino Coss.*

Idem A. Felici.

L.7.C.eod. tit.

SI *ea, quæ crimen intendit, cognitionem moratur; certa perferendæ accusationis tempora competens iudex præstet, intra quæ si agere supersederit, renuntiasse causæ intelligitur.* PP. XV. Kal. Septemb. *Agricola & Clemente Coss.*

Qui accusationē deseruit eam repetere non potest sed alter potest.

CErta est definitio legis 6. eum, qui accusationem deseruit, eam repetere non posse, quod lege Petronia & S.C. Turpiliano est constitutum. *l.16. abolitionem. C. ad leg. Iul. de adult.* nam qui à principio negauit accusaturum se, non est postea audiendus. *l.15. si maritus. §. si negauerint. ff. eod.* illa ratione scilicet, quod iniquum sit aliquem vagari, & consilium mutare in iniuriã alterius. Verum id neutiquam oberit alteri, qui eundem reum deferre voluerit: nam quod dicitur ab alio delatum alium deferre non posse; id ad eum pertinet, qui accusauit, & accusationem pertulit. *l. 11. hi tamen. §. fin. ff. de accusat.* Imo etiam si absolutus sit reus vno agente repeti poterit, non antea tamen, quam de prioris accusatoris præuaricatione constiterit. *l.3. §.1. ff. de præuaric.* Destituit autem accusationem & deseruit is maximè, qui abolitionem à præside impetrauit: Ideoque nec repetere crimen potest, nisi speciali rescripto id princeps indulserit. *l.1. C. de abolit.* quod obtinet secus reis data generali abolitione; vtcumque enim accusator inuitus crimen peragere non cogatur: tamen repetere

tere reum potest intra 30. dies. *l.* 1. *C. de gener. abol. l.* 12. *§ interueniente. ff. ad S. C. Turpil.* quod accipiendum quoties lis est contestata: nam si abolitio generalis intercesserit reo tantum postulato non etiam causa criminali contestata; accusatori non proderit ad pœnam S.C. Turpiliani euitandam. Sic est accipienda lex pen. ff. eod. vt docet Cuiac. lib. 17. resp. Modestini. Verum qui differt cognitionem non propterea etiam desistit, vt nec is qui cognita rei veritate non vult in lite improba perseuerare, quam calumniæ causa non instituerat. *l. destitisse. ff. de iudiciis.* Sed ne commento moræ impune quis ab accusatione recedere possit; plerumque iudex certa perferendæ accusationis tempora accusatori præstituit, vt Imp. Alexander docet in l. 7. hoc tit. cui nisi fuerit paritum renuntiasse causæ is intelligetur, qui crimen intenderat; cui erit consequens, vt potestas S.C. aduersus accusatorem exerceatur; quæ tamen iuris definitio in specie huius l. 7. locum non habebit, quia proponitur mulier criminis quæstionem inferre, quæ vt inscribere in crimen non cogitur, vt supra dictum est, ita ab omni calumniæ metu remota est, vt vel impune desistat. *l.* 1. §. *accusationem vers. atquin. ff. ad S. C. Turpil.* cui non obstat lex pen. C. eod. quia in illa specie mulier, quę destiterat, mercedem & pretium pacta erat tergiuersationis suæ; ideoque pœna Turpiliani eam tenuit. *Mulier impune ab accusatione desistit.*

IMP. ALEXANDER A. MARTIANO.

EOs, qui terminos effoderunt, extraordinaria animaduersione coërceri debere, præses prouinciæ non ignorabit. PP. III. Kal. Aug. Alexandro A. Cos. Lex 1. C. de accusat. & inscript.

NVllam pœnam extraordinariam esse aduersus eos, qui terminos lapides-ve terminales mouent satis manifestè docet Imp. hac lege: Quare extraordinaria animaduersione coërcendos constituit, qua illud continetur, vt pro conditione admittentium pœnæ modus æstimetur. Sed relegationis temporariæ pœna solet infligi. Coërcentur etiam illi, qui alij negotium gesserunt & functi sunt ministerio: nam si fortuito, aut per ignorantiam lapidum, qui agros distinguebant cum terminales esse non constabat, furtum factum sit; sufficiet verberibus fures castigari. *l.* 2. *ff. de termino moto.* Sed & fuit pœna pecuniaria ex lege agraria, quam tulit Caius Cæsar, vt in singulos terminos, quos quis loco mouisset quinquaginta *Pœna eorum qui terminos amouent est extraordinaria.*

aureos in publicum inferret constituta in hanc rem populari actione, quasi in crimine ad publicam vindictam pertinente. *l. fin. ff. eod.*

IDEM A. SYRO.

L.2.C.eod. *SI cuidam crimini obnoxius seruus postulatur, dominus eum defendere potest, & iudicio sistere accusatoris intentionibus responsurum. Post probationem autem criminis, non ipse dominus, sed seruus pro suo delicto condemnationem sustineat. Ideo enim seruum suum domino defendere permissum est, vt pro eo possit competentes allegationes offerre.* PP. XI. Kal. *Decemb.* Alexandro A. *Cos.*

Idem A. Stephanidi.

L.3.C.eod. *REos capitalium criminum absentes, etiam per procuratorem defendi, leges publicorum iudiciorum permittūt.* PP. III. *Non. Nouemb. Maximo* II. *& Æliano Cos.*

Causa criminales per procuratorem non expediuntur

DE lege 2. satis actum sup. ad l. 2. ad exhibendum. Ad l. 3. illud est adnotandum; causas criminales per procuratorem expediri non posse, quia præsentiam actoris & rei desiderant. *l. vlt. Cod. vbi senat. vel clariss.* quod intelligendum de publicis iudiciis: nam causa delicti priuati veluti actio serui corrupti potest per procuratorē institui, vt Imp. Alexander docuit sup. in l. 4. de furtis. Sed à priori definitione excipiūtur clerici religionis & sacerdotij veneratione, si in foro sæculari criminis causam dicant, quam per procuratorem suscipere possunt. *Valentiniani de episc. iudic.* Verumtamen, si absens sit is, qui alicuius criminis insimulatur; absentiæ excusationes per procuratorem poterunt allegari non vero causa ipsius criminis agi. *l. 10. & pen. §. 1. ff. de publ. iud.* ad quam sententiam pertinere hanc legem Cuiacius tradit lib. 5. sent. Pauli tit. 16. & in recit. ad hunc tit. Verum idem lib. 20. obs. cap. 20. definit lite contestata in causis criminalibus dari posse procuratorem in quam sententiam recte torquet legem 35. seruum. §. publice. ff. de procurat.

Excipiuntur tamen clerici.

Causa tamen absentia possunt per procuratorem proponi.

Imo etiam in causa criminali potest lite contestata dari procurator.

IMP. ALEXANDER A. VERONITIANO.

SI *(vt proponis) causa pecuniaria ad emolumentum tuum spectat: licet Anianus, cui falsi crimen autor tuus intendebat, vita functus sit: non prohiberis, si quis aduersus te instrumento, quod in dubium vocatur, vti cœperit, accusationem instituere. Quamuis enim in persona principalis rei morte subducti iam subsistere non possit: tamen si quis illo vti voluerit, intelligit se periculo criminis esse subiectum.* PP. VI. *Kal.* Ianuar. *Albino & Æmiliano Coss.* Lex 4. C. si reus vel accus. mortuus sit.

PRopter legem primam huius tit. restitutam ex basilicis (quæ definit crimen λειποταξίας aut λειποστρατίας, siue deserti ordinis vel militiæ morte extingui) factum est, vt in nouis codicibus hæc constitutio sit quarto loco proposita, quæ in Codice Holoandri & aliis vetustioribus est tantum tertia. Eius vero sententia est perspicua; *Sententia legis proposita.* morte eius, qui falsum testamentum concinnauit, finita causa criminis, non auferri facultatem accusandi eius, qui eodem instrumēto vti contendit, quia quodammodo ille se delicti docet esse participem, qui fidem intentioni suæ ex instrumento, cuius iam fides suspecta esse cœpit, adserere desiderat.

IMP. ALEXANDER A. PAVLINO.

ETIAM *ex aliis causis maiestatis crimina cessant meo seculo: nedum etiam admittā te, paratū accusare iudicem propterea crimine maiestatis, quod contra constitutionem meam dicis pronuntiasse.* PP. III. Id. *April. Maximo* II. *&* Iuliano *Coss.* Lex 1. C. ad legem Iuliā maiestatis.

Idem A. Faustiniano.

L.2.C.eod.

ALIENAM *sectæ meæ sollicitudinem concepisti, quasi crimen maiestatis sustineres, & si seruo tuo iratum esse non perseueres, quod semper te facturum inconsulte iurauer as.* PP. III. *Non. Febr.* Iuliano II. & *Crispino Coss.*

MAli & improbi Imperatores, vt compendio fisci sui fauerent, leuem quamlibet occasionem delicti alicuius, quod imprudens quis admisisset in calumniam & crimen læsæ maiestatis trahebant, vt confiscatio bonorum sequeretur: Imperator vero Alexander vt erat optimus ita linguæ lubricum, aut parum cautam aliquorum incuriam circa obsequium sibi debitum noluit in discrimen capitis vocari: Quapropter vtroque hoc rescripto metu vacuos præstat eos, qui quasi criminis atrocioris conscij pœnã acerbiorem deprecabantur. In priori docet iudicem in pœnam legis Iuliæ maiestatis non incidisse, qui contra constitutionem principis sententiam tulit, quod ita accipiendum siue id fecerit prudẽs siue imprudens. Sed non propterea tamen pœnæ est exors iudex siue magistratus: nam primum ipsa sententia nullius momenti est. *l. si expressim. ff. de appellat. l. 2. sup. qu. prouoc. non est necesse.* & præterea falsi pœna ex lege Cornelia de falsis tenetur. *l. 1. §. sed si iudex. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* Si contra ius litigatoris, valet quidem sententia nisi venalis sit. *l. venales. C. qu. prouoc. non est nec.* sed ipse, qui per gratiam aut ambitionem iudicauerit, in solidam litis æstimationem condemnatur; si per imprudentiam, in quantum videtur arbitrio iudicantis. Ea de re Cuiac. in parat. ad tit. de pœna iud. qui ma iud. In lege alia Imp. ait, illum quoque maiestatis crimen non sustinere, qui per principem iurauit iratus, seruum se durius habiturum propter aliquam offensam, quamquam in eo non perseueret. Non vult scilicet princeps nominis sui dignitatem in inuidiam trahi, & pœnam mancipij; vt supplicium de eo sumat dominus hoc colore, quia id se facturum per principis genium, vel principem ipsum iurauerat, quia nihil tam humanitati congruum, quam vt offensam clementia possit flectere, vt eleganter supra ipse Imperator definiuit in l. 5. famil. hercisc. Ait autem hoc loco alienam sectæ suæ sollicitudinem concipi: Sic loqui solent Impp. religiosi, qui quam felicissimum esse sæculum suum desiderant, vt idem sit obtrectare

Lege Iulia maiestatis non coercetur iudex qui iudicauit contra rescripta principis sed alijs pœnis tenetur.

Non tenetur etiã lege Iulia qui iurauit per principem se seruum coerciturum licet id non fecerit.

tempora principis, ac ipsum improbo petulantique maledicto incessere. *l. vn. tit. sup.* Sic Rex Theodoricus apud Cassiodorum hoc gloriosius prædicat; *Absit vt ornatus cedamus veterum, qui impares non sumus felicitate sæculorum.*

IMP. ALEXANDER A. IVLIANO PROCONS. NARBONENSIS PROVINCIÆ.

GRACCHVS, *quem Numerius in adulterio noctu deprehensum interfecit, si eius conditionis fuit, vt per legem Iuliam impune occidi potuerit: quod legitimè factum est, nullam pœnam meretur. Idemque filius eius, qui patri paruerunt, præstandum est. Sed si legis autoritate cessante inconsulto dolore adulterum interemit: quamuis homicidium perpetratum sit: tamen quia & nox, & dolor iustus factum eius releuat, in exilium dari potest.* P P. *sine die & Consule.*

Lex 4. C. ad leg. Iul. de adult. & stupr.

SEntentia legis illa est; immunem esse à pœna maritum, qui adulterum vxoris suæ noctu deprehensum occidit, si modo eius conditionis est, vt potuerit occidi. Non quemlibet adulterum impune potest maritus occidere, sed illum tantum, qui humili loco natus est, vel lenociniũ, aliam-ve artem ludicram cantandi aut in scena saltandi exercet, vel iudicio publico damnatus est, nec in integrum restitutus est, quo numero comprehenditur & seruus mariti ipsius, vel vxoris, aut libertus etiam, *l. 24. marito. ff. hoc tit.* & seruus alienus. *l. 30. qui occidit. ff. ad leg. Aquil.* quæ distinctio in patre ipsius mulieris locum non habet, qui potest omnem adulterum filiæ suæ occidere, si eam in potestate habeat, modo & filiam simul eodem impetu occidat: alioquin si adulterum tantũ occiderit sine filia, reus erit legis Corneliæ de sicariis. *l. 20. patre. l. 23. §. fin. l. 32. nihil. ff. ad leg.* Iul. *de adul.* Deinde potest pater domi suæ vel generi depræhensum adulterum occidere, cum maritus possit tantum domi suæ deprehẽsũ nõ soceri. *l. 22. §. 1. 2. l. 23. §. 1. l. 24. ff. hoc tit.* Ratio vero, cur latius pateat ius patris quã mariti, illa est, quod pater facile non sit occisurus adulterũ, cum & filiam quoque occidere teneatur, vt videatur

Non quemlibet adulterum impune occidit maritus.

Secus in patre qui quemlibet potest occidere modo filiam simul occidat.

Ratio differẽtia.

plura lex permisisse ei, qui facile iure suo non erat vsurus, cum è contra mariti impetus facile decernentis fuerit coërcendus & refrænandus. *d.l.22.nec in ea.§.fin.hoc tit.* Sed quo casu dedit lex marito occidendi facultatem; eodem etiam casu eidem impunitatem facinoris dedit, ne iniquum sit eum decipi & pœnæ subijci, qui lege permittẽte occidit. Igitur & illo quoque casu à pœna erunt securi liberi, qui patri optemperauerint cædem adulteri imperanti. Si vero eius sit conditionis adulter, vt occidi non debuerit, sed retineri tantum intra viginti horas testandæ rei gratia, sicuti lege Iulia fuerat definitum. *l.25.capite.ff. hoc tit.* & occisus tamen sit à marito, qui iustum dolorem moderari non potuit; non erit seueriori pœnæ subiugandus, vt nec in eum animaduertatur tanquam in sicarium, neque in totum excusetur. Igitur parum consultus indignantis animi impetus hactenus coërcebitur, vt in exilium tantum mittatur, qui alias foret capitali supplicio afficiendus, idque definit Imp. in hac lege. Quid autem constitui debeat in marito circa ius occidendæ vxoris suæ in adulterio deprehensæ, explicat Cuiacius in recit. ad hanc legem.

Quo casu maritus potest adulteram occidere id facit impune.

Vbi quoque contrarius est occisus adulter leuius punitur maritus.

IDEM A. VADANTI.

Lex 5. C. eod. tit.

ADVLTER *post quinquennium quam commissum adulterium dicitur (quod continuum numeratur) accusari non potest: Easque præscriptiones legibus reo datas auferri non oportet. PP. Idib. Iunij, Maximo II. & Æliano Coss.*

ACcusationes omnes, & crimina etiam ipsa annorum viginti præscriptione finiuntur. *l.12.querela.C.ad leg.Corn.de falsis.* Licet enim sit tantum de crimine falsi; tamen ad aliam speciem criminum porrigitur, vnde & generaliter ita Harmenopulus, ἐν προχείρῳ lib. 1. cap. 3. §. 48. τὰ ἐγκλήματα τῇ εἰκοσαετίᾳ σβέννυνται. Ea de re plura Chanutius, in quæst. illustr. qu. 83. & eruditus senator Dn. Louët in collecta decretorum curiæ Parisiensis in litt. C. num. 47. litt. P. num. 37. & Cuiacius lib. 4. obs. cap. 14. Sed sunt tamen crimina quædam quæ minori tempore concluduntur, veluti cum apertum est testamentum eius, qui à familia sua occisus esse dicitur: Nam eiusmodi crimen quinquennij præsctiptione eliditur. *l.13.in cognitione.ff. ad S. C. Sillan.* & cum arguitur quis crimine inultæ necis, de-

Quæstio criminis spatio vicennij finitur.

Quadam tamen breuiori spatio concluduntur.

cennium requiritur. *l.22.Gaius Seius.ff.eod.tit.* Crimen ipsum adulterij vel stupri spatio quinquennij cōtinui finitur, vt docet Imp. hac lege. quod vult Cuiacius obtinere quasi in crimine excusabili in parat. ffrum ad hunc tit. Recisius est tempus intra quod debet accusari mulier: Nam post sex menses vtiles à die diuortij si nupta sit, aut à die admissi criminis, si vidua, accusari non potest. *l.29. marit. §.sex mensium.ff.hoc tit.* Sex menses computantur à die diuortij, quia dum eam retinet maritus nec ipse nec alius accusare eam potest. *l. 11. inf.hoc tit.* Non maritus, quia mores vxoris accusare non potest, quos probat eam retinendo; non extraneus, quia non potest turbare & inquietare quiescens matrimonium, nisi prius lenocinij maritum accusauerit. *l.26.constante.ff.hoc tit.* Sex menses illi dicuntur etiam vtiles, quia cedunt ex die, quo accusator accusare potuit: Tempus itaque intra quod accusator reum peregerit non computabitur, quia interim accusare ipsam non potuit, impediente legis autoritate, quæ reos simul marem & fœminam fieri vetat, vt definietur statim in l.8. hoc tit.

Crimen adulterij vel stupri excluditur quinquennio.

Intra sex menses mulier accusari debet.

IDEM A. SEBASTIANO.

Lex 6. C. eod. tit.

IVRE mariti adulterij accusare volenti sexaginta dies vtiles computantur, quibus in publico eius facultas fuerit apud quem reus, vel rea postulari potest. Et cum præterierint dies isti vtiles, maritus quoque iure extranei agere potest. Et qui confidit accusationi, calumniæ notam timere non debet: Nam ad probationem sceleris diui parentes mei quæstionem de mancipiis eodem modo haberi permiserunt, quasi iure mariti ageretur. PP. II. *Id. Aug. Maximo* II. *&* *Æliano Coss.*

HAc lege duo proponuntur priuilegia, quæ maritus habet in accusatione adulterij, siue adulter sit siue adultera, quod docent hæc verba eius legis, *reus vel rea*, vt agnoscit Cuiacius ad legem sequentem retractata priori sententia, qua ad hanc legem definierat iure tantum mariti accusari mulierem non adulterum. Priuilegia illa sunt, vt maritus habeat sexaginta dies intra quos præferatur

Maritus iure mariti potest accusare vxorem vel adulterum.

Priuilegia huius accusationis.

cuilibet vxorem suam accusanti, nec tamen in crimen subscribere teneatur: ideo autem omnibus prefertur maritus, imo & patri mulieris, quia ira propensiore & maiori dolore accusationem exsecututus est. *l.2.§.pen.l.3.ff.hoc tit.* Alterum est, vt si in accusatione defecerit, aut crimen probare non potuerit, calumniæ nomine non appelletur, quasi id dandum sit marito acerbæ iniuriæ vindictam reposcenti, vt ex sola suspicione possit citra vllum periculum intra hos sexaginta dies accusationem instituere: Quod ita accipiendum si non à principio calumniam innocenti vxori struxerit, ad quam speciem referẽdum, quod est in l.14.is cuius.§.fin.ff.hoc tit. vbi dicitur eos qui iure mariti accusant calumniæ periculum non euitare, secundum quæ fiet etiam, vt illo casu incidat in Turpilianum maritus, si accusationem deserat, quam calumniandi animo instituerat. *l.16.hoc tit.* Hos autem sexaginta dies, intra quos sine periculo calumniæ accusare potest maritus, docet Imp. vtiles esse, id est eos in quibus adeundi magistratus potestas fuerit, ac propterea etiam feriati computabuntur, si de plano libellus præsidi dari potuit. *l.miles.§.sexaginta.ff.hoc tit.* Cæterum his diebus præteritis potest etiam iure extranei agere intra alios quatuor menses, cum inscriptionis vinculo, vt similitudo supplicij falso criminantem & ipse calumniæ metus obliget, quod hîc constituit Imp. nec in ea re minori marito parcetur si hos sexaginta dies labi permiserit, ne calumniæ causam deprecari videatur, & hunc solum habeat petendæ restitutionis colorem, quod securè velit criminari & citra vllam pœnæ coërcitionem vxorem de cuius innocentia dubitat accusare. *l.37.auxilium.§.1.ff.de minor.* Poterit etiam maritus post hos sexaginta dies ad criminis probationem mulieris seruos quæstioni subiicere, quod tradit Imp. in fine huius legis. Sed hoc interest, quod mulier suspecta adulterij, nec pater aut mater mulieris, possint manumittere seruos suos intra illos sexaginta dies, qui marito dantur ex lege Iulia, ne quæstioni videantur subducti, cum tamen postea possint. *l.12.prospexit.cum seqq.ff.qui & à qu.man.lib.non fi.*

Sexaginta dies marito dati intra quos agat iure suo sunt vtiles.

His etiam prateritis potest agere iure extranei.

IDEM A. HERVCLANO.

Lex 7. C. eod. tit.

PROPTER *violatam virginem adultam, qui postea maritus esse cœpit, accusator iustus non est. Et ideo iure mariti crimen exercere non potest: Nisi puella violata sponsa eius fuerat. Sed si ipsa iniurias suas subsistentibus curatoribus,*

ribus,

ribus, per quos etiam negotia eius gerenda sunt, persequatur; præses prouinciæ pro debita tanto delicto (si probetur) seueritate examinabit. PP. XII. *Kal. Iun. Maximo* II. *&* Æ*liano Coss.*

DVbitabatur, an stuprum in vxore commissum, antequam vxor esset, posset maritus exsequi iure suo, id est intra 60. dies citra periculum calumniæ, quia potuit admissum scelus ante matrimonium ignorare. Certum autem est, dies illos cedere tantum marito, qui suspicionem adulterij habere & queri potuit. *l. miles.* §. 5. *quidam. ff. hoc tit.* Verum Imp. constituit nequaquam iure mariti causam criminis eum exsequi posse, nisi quo tempore vitium ipsi puellæ est illatum, ille sponsus esset, qui postea maritus extitit, quia vtcumque dies illi vtiles sint, intra quos maritus agit, tamen matrimonij spem inchoatam esse oportuit, eo tempore quo stuprum est admissum. *l.* 13. *si vxor.* §. 6. *si quis. ff. hoc tit.* Dubitatum etiam fuit ante rescriptum Diuorum Seueri & Antonini, num in sponsa adulterium admissum posset sponsus eodem iure exsequi quo maritus, vt scilicet cuicumque præferretur, vel alia priuilegia haberet, quæ concedi solent marito. *d. l.* 13. §. 3. *diui.* qua de re quædam Cuiacius lib. 6. obs. cap. 16. Superest igitur vt qui maritus factus est agat iure extranei. Sed poterit & ipsa puella adsistentibus curatoribus iniuriam sibi factam vindicare, quamuis passa vim non sit, vt idem Cuiacius tradit lib. 20. obs. cap. 16.

Maritus non potest iure suo exsequi stuprum in vxore commissum antequam vxor esset nisi si sponsalia iam forent contracta.

IDEM A. DOMNO.

REos *adulterij duos simul marem & fæminam ex eadem causa fieri lex Iulia de pudicitia vetat; sed ordine peragi vtrosque licet.* PP. *Idib. Iun.* Iuliano II. *& Crispino Coss.*

Lex 8. C. eod. tit.

FOrte debuerat hæc lex præponi illi, quæ sequitur vt & praeponitur in Codice Haloandri, quia etiam diem & consules habet posteriores. Id vero lege Iulia cautum nominatim tradit Imp. ne vnus idemque accusator simul & eodem tempore marem & fœminam, qui adulterium commisisse dicuntur, possit accusare, cuius

Idem accusator non potest simul adulterij accusare marem & fœminam.

constituti rationem eam esse Cuiacius tradit lib. 20. obs. cap. 17. quod nimium studium cohiberi debuit accusatoris, qui vno reo contentus non est in crimine communi. Obijci possit. §. 1. de hæred. inst. apud Iustin. Sed rectè Codices meliores, vt & Cuiacius docet, habent (maculatum,) non (accusatum) quod si ita constituatur, nihil huic legi obstabit. Sed vtcumque non liceat simul vtrumque reum accusare: Tamen ordine peragere licebit, idest qui peregit accusationem aduersus vnum, idem poterit etiam alterum accusare, modo scilicet prior condemnatus sit, nam is reum peregisse censetur, qui & condemnauit. *l. 2. ff. hoc tit.* Et si masculus sit accusatus & absolutus absolutio proficiet mulieri, cum qua dicebatur commissum adulterium: si vero sit condemnatus nihil ei oberit, potest enim alter esse per iniuriam condemnatus, vel falsis argumentis testibusque subornatis grauatus potuit propter vitæ tædium iustum prouocationis auxilium omisisse, *l. 17. denuntiasse. §. 6. quæritur. ff. hoc tit.* Potest etiam reus esse condemnatus, quod ad tormenta equuleo impositus non durauerit, cum tamen innocens esset, quemadmodum D. Hieronymus narrat de muliere falsò adulterij nomine insimulata lib. 3. epist. quæ septies icta à carnifice occidi non potuit, cum tamen iuuenis, cum qua dicebatur adulterium commisisse, statim primo ictu occubuisset, quod quæstioni subiectus crimen, quod non contraxerat, fassus esset. *Cum liuidas carnes,* inquit, *vngula cruenta pulsaret, & sulcatis lateribus dolor quæreret veritatem, infelicissimus iuuenis volens compendio mortis longos cruciatus vitare, dum in suum mentitur sanguinem, accusauit alienum, solusque omnium miserrimus, merito iussus est percuti, qui non reliquit innoxiæ, vnde posset negare.* Verum, ne liceat longius egredi, nihil intererit marem accusator prius peragat, an mulierem; modo in viduitate mulier permanserit postquam à marito dimissa est. *l. 15. si maritus. § pen. ff. hoc tit.* si enim alij nupsit, nec ei denuntiatum est ne nuberet: ab eo cum quo commissum adulterium dicetur erit incipiendum, isque erit peragendus antea *l. 2. in pr. l. 5. nuptam. l. 16. qui vxori. ff. eod.* quia scilicet iniquum est interim nuptias alienas in periculum vocari, antequam is qui criminis autor dicitur, id est adulter ipse condemnatus sit, cum possit ipsa mulier reo absoluto accusationem effugere. In alia criminis specie potest quis duos reos simul deferre, sed non plus tamen quam duos, ne quæstus ex criminum delatione fiat, qui turpis est. *l. cum rationibus. C. qui accus. non poss.* Excipietur etiam in hac causa maritus, qui licet duos reos ex alio crimine accuset, iure tamen viri propter violatum matrimonium suum tertium reum poterit accusare, quasi ea causa non cedat in munerum cæterarum, & non debeat impediri, quominus suam iniuriam exsequatur. *l. 6. inter. §. fin. ff. hoc tit.* In ipso etiam crimine adulterij ex diuersa causa

Obijcitur & diluitur paragr. 1 de hared. instit. apud Iustin.

Absoluto mare qui adulterij accusatus est absoluitur & mulier eo vero condemnato, non statim mulier damnatur.

Mulier peragi potest prior si postquam à marito dimissa est alij nupta non sit.

In alia specie criminis quam adulterij potest quis duos reos peragere simul sed neminem amplius.

poteſt quis duos accuſare, vnum ſcilicet quod adulterium commiſerit, alium quod domum præbuerit, vel conſilio fuerit, vt crimen redimeretur. *l. 32. nihil. paragr. fin. ff. eod.*

IDEM A. PROCVLO.

Lex 9. C. eod.

CASTITATI *temporum meorum conuenit, lege Iulia de pudicitia damnatam in pœnis legitimis perſeuerare: qui autem adulterij damnatam, ſi quocumque modo pœnam capitalem euaſerit, ſciens duxit vxorem, vel reduxit; eadem lege ex cauſa lenocinij punietur. PP.* VII. *Kal. Februar. Iuliano* II. *& Criſpino Coſſ.*

PRoponitur hoc reſcripto caput aliud legis Iuliæ, quod ad pœnam lenocinij redigit eum, qui adulterij damnatam ſciens domum duxit, vel reduxit: Atque ita etiam Domitianus equitem rom. eraſit iudicum albo, quod vxorem, cui dimiſsæ adulterij crimen intenderat, in matrimonium reduxiſset, vt tradit Sueton. in eius vita. Eadem de re hæc lex Athenienſibus fuerat etiam à Solone ſancita, quam illis verbis refert Demoſtenes in orat. in Neæram. Ἐπειδὰν ἕλῃ τὸν μοιχόν, μὴ ἐξέστω τῷ ἑλόντι συνοικεῖν τῇ γυναικί. ἐὰν δὲ συνοικῇ, ἄτιμος ἔστω. μηδὲ γυναικὶ ἐξέστω εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ. Plura tradit Robertus lib. 1. rer. iud. cap. 14. Ex hac autem lege poteſt illud conſtare, morte non affectam fuiſſe eam mulierem quæ adulterio ſe maculaſſet, quod certè verum eſt ex lege Iulia, quæ tantum imponebat relegationem cum publicatione tertiæ partis bonorum, vt Cuiac. docet & parat. ffrum ad hunc tit. lib. 6. obſ. cap. 11. & lib. 21. cap. 17. Sed idem lib. 20. obſ. cap. 18. arbitratur poſtmodum factam capitalem, idque ſub ipſo Alexandro Seuero, vt quod de ducenda aut reducenda ea, quæ adulterij damnata eſt conſtituit ipſe Imp. in hac lege, id referri debeat ad eum caſum, quo gratia vel legis auxilio, id eſt præſcriptione vel excuſatione aliqua capitalem pœnam euaſerit. Sed verius eſt tamen deportationem forte tantum fuiſſe irrogatam ab ipſo imperatore, non etiam vltimum ſupplicium: Quî enim diceret Imp. in principio huius legis, adulterij damnatam in pœnis legitimis perſeuerare, niſi de ea quæ damnata adhuc vitã agit? Igitur videtur pœna mortis à Cõſtãtino tantũ in adulteros ſancita. *l. 30. hoc tit.* & inde rectè & ex noui iuris conſtitu-

Non poteſt reduci mulier adulterij damnata.

Pœna adulterij ex lege Iulia non fuit capitalis.

Sub Conſtantino tantum facta fuit capitalis.

tione D. Hieronymus in epistola increpatoria ad Sabinianum diaconum lib. 2. epistolarum. *Non tibi*, inquit, *illa nunc replico, quod plures virgines stuprasse narratis, quod à te nobilium violata matrimonia publico cæsa sunt gladio.* Secuti etiam mentem Constantini Impp. Leo & Maiorianus in N. de adulteriis, quæ scripta est ad Rogatianum virum consularem, qui adulterum morte multantum pœna tantum legis Iuliæ id est relegationis affecerat. *Non solum leniter*, inquiunt, *verum etiam & negligenter pensasti alieni doloris iniuriam*; vt maculam pudoris extincti, & eius summam criminis, in quo quidquid viro indignum est, elui vita superstite iudicâris. Dubium non est quin optimum factu sit ad stabiliendam matrimonij castitatem, quæ fere impunitatis fiducia labascit, pœnam mortis aduersus adulteros restaurare, vt & aduersus maritos coniugij legem temerantes vltore ferro animaduertatur, non minus quam in vxores alienis se libidinibus substernentes, aut ipsos alieni connubij subsessores.

IDEM A. DEMETRIANO.

L. 10. C. eod. tit.

De crimine adulterij pacisci non licet: Et par delictum est accusatoris præuaricatoris, & refugientis veritatis inquisitionem. Qui autem pretium pro comperto stupro accipit, pœna legis Iuliæ de adulteriis tenetur. PP. V. Non. Maij. Fusco & Dextro Coss.

Adulterium vxoris remittere potest maritus non etiam de eo pacisci pecunia accepta.

Adulterium in vxorem admissum gratis condonare maritus potest integra fama & existimatione. *l. 29. mariti. §. plectitur. ff. hoc tit.* inhumanum enim esset veniæ nullam esse rationem. *l. 6. furti. §. pactus. ff. de his qui not. inf.* pacisci tamen de crimine non potest neque transigere pretio accepto: Ad hunc enim casum pacti nomen plerumque refertur. *d. §. pactus.*

Ratio huius definitionis.

Ratio definitionis huius est, quod quasi leno vxoris suæ ille esse censetur, qui pro comperto stupro ne accuset pecuniam accipit: Non mediocriter autem delinquit, qui lenocinium in vxore exercet, & quæstum ex eo scelere facit. *d. l. 29. §. qui quæstum.* Sed in marito illud speciale non est, vt transigere de adulterio non possit: Nam nec quilibet accusator potest: Et omnino rectè Imp. hac lege ait par delictum esse accusatoris, præuaricatoris, & refugientis veritatis inquisitionem, vbi rectè Cuiacius legit, *rei fugientis*, pro, *refugientis*, lib. 6. obs. cap. 11. Sed etiam qui-

Quicumque pretium pro comperto stupro accipit tenetur lege Iulia de adulteriis.

cumque pretium pro comperto stupro accipit, ne deprehendat adulterum, vel deprehensum in ius perducat aut prodat, eadem lege coërcetur *l.7. nec timorem. §. fin. cum l. seq. ff. quod me. causa.* ad quam speciem referenda verba vltima huius legis. Non est autem alia quærenda ratio in l. transigere C. de transf. cur de adulterio transigere non liceat, etiam si capitale factum sit, quam quia numquam licuit pro comperto stupro pecuniam accipere. Ea de re plura Pacius & alij doctores ad d. l. transigere & ipse Cuiac. lib. 6. obs. cap. 11. lib. 19. cap. pen. lib. 20. cap. 19.

IDEM A NARVANO.

CRIMEN *adulterij maritum, retenta in matrimonio vxore, inferre non posse nemini dubium est.* PP. *Kal. Septemb. Alexandro A. II. & Marcello Coss.* Lex 11. Cod. eod. tit.

FOrte quod proponit Imp. hoc rescripto pertinet tantum ad maritum, qui vxorem iure extranei accusat: Alioquin cum iure mariti accusat intra sexaginta dies ex sola suspicione, & citra calumniæ metum, vix est vt eam dimittere debeat, quam recepturus est errore comperto certior factus intemeratæ pudicitiæ, quam ei exhibuit. Lex 12. & 13. huius tit. quæ passim Alexandro Imp. tribuuntur sunt, Gordiani vt subscriptio docet, quod vel maxime ex fastis consularibus constat, in quibus consules in subscriptione earum positi sub Gordiano non Alexandro floruerunt. Et vero eas Gordiano tribuit nominatim Codex Haloandri.

IMP. ALEXANDER A. CORNELIO.

VT *legis Fabiæ pœna debeatur, in crimine subscriptio, & accusatio, & sententia necessaria est. PP. VIII. Kal. Iul. Iuliano II & Crispino.* Lex 3. C. ad leg. fab. de plag.

CRimen plagij publicam persecutionem, id est subscriptionem & solennem accusationem desiderare, vt cætera publica crimina, & præterea sententiam requiri, vt eius legis pœna inferatur

conſtituit Imp. in hac lege. Poterat in eo dubitandi ratio conſtare, quod crimen plagij proxime furtum referat, ex quo ordinaria actio & priuata in duplum competit, vel quadruplum, quæ ſubſcriptionis neceſſitatem non requirit, vt nec vlla actio priuata, quo nomine etiam actio furti concurrit cum ea accuſatione, quæ inſtituitur ex ea lege Fabia. *l. vn. C. qu. priu. act. crim. præiud.* Verum quandoquidem accuſatio ex lege Fabia vindictam publicam perſequitur, non vt actio furti imminuti patrimonij rationem continet, conſequens eſt, vt ſubſcriptionis vinculum debeat conſtringere temerarium accuſatorem: nec eſt nouum ex eodem facto ſiue crimine naſci iudicium priuatum & ordinarium, ſicuti conſtat ex d. l. vn. quod plenius exſecuti ſumus ad l. 4. ſup. de furtis. Vbi locuti ſumus de concurrentibus iudiciis. *Plagium quid ſit* Plagium autem eſt ſuppreſſio liberi hominis vel ſerui, quæ dolo malo facta eſt quod genus criminis habet locum in ſeruis ſuppreſſis quibus aliquis ſuaſit fugam. Sed maximè eſt furtum liberorum hominum. Huic crimini pœna mors fuit lege diuina; deportatio ex lege Fabia: poſtmodum etiam ex conſtitutionibus vltimum ſupplicium: quod notauimus in parat. decretal. tit. de furtis.

IMP. ALEXANDER A. VALERIO.

Lex 2. C. ad leg. Cornel. de falſis.

SATIS *aperte diuorum parentum meorum reſcriptis declaratum eſt; cum morandæ ſolutionis gratia à debitore falſi crimen obiicitur, nihilominus, ſalua executione criminis, debitorem compelli ad ſolutionem oportere.* P P. *III. Non. Mart. Maximo II. & Æliano Coſſ.*

RAtio ſumma, ipſa rerum argumenta, quotidianus etiam fori vſus, huius reſcripti æquitatem commendant: plerique enim vt ſolutionem debitæ à ſe pecuniæ detrectent, inſtrumenta, ex quibus conueniuntur, falſa eſſe excogitata fraude contendunt. Nihil igitur magis eſt, quam vt ſalua criminis executione ad ſolutionem compellantur, quod tamen fieri ſolet ea conditione, vt creditor idoneis fideiuſſoribus repromittat pecuniam probato crimine reſtitutum iri; quod vtriuſque commodo fit, vt debitoribus ſalua ſit pecunia, & creditoribus ſuum petentibus nulla fruſtratio fiat, cui & hæc vtilitas adnectitur, quod minus improbè ad accuſationem debitores procedant, cum viderint ſpem ſibi protrahendæ ſolutionis interceptam.

IDEM A. CASSIO.

LICET *ex tabulis, quas sub nomine patris tui vxorem eius, id est nouercam tuam, subrepto vero testamento, falsas protulisse allegas, cum crimen admissum ignorares, legatum adscriptum tibi consecutus sis; tamen non impedieris accusationem contra eum impletis solempnibus instituere.* PP. XI. Kal. *Ian. Albino & Maximo Coss.* Lex 3. Cod. eod. tit.

Idem A. Maximo.

M*Aiorem seueritatem exigit, vt merita eorum, qui falsis rescriptionibus vtuntur, dignâ coërceantur pœnâ: Sed qui deceptus est per alium, si suam innocentiam probat, & eum, à quo accepit, exhibet: se liberat.* PP. *IV.* Kal. *Iannar. Albino & Maximo Coss.* L. 4. C. eod. tit.

ÆQuè qui vtitur falsis instrumentis aut rescriptis punitur, ac is ipse qui fecit, ex qua delicti specie humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam deportantur, vt docet Paulus lib. 5. sent. tit. 2. Sed hoc ita verum, si nullo autore id faciant. *l. fin. ff. hoc tit.* tunc enim videbuntur rescriptorum illorum concinnatores: quamquam & si autor laudetur, non minus pœnæ subijci debeat is, qui sciens falso rescripto vsus est, quia particeps & socius criminis existit: ignorantia tantum præbet innocentiæ patrocinium; maximè cum is qui eiusmodi rescripto nitebatur, imprudēs illum ipsum exhibet, à quo accepit, quod docet Imp. in l. 4. De lege 3. nihil adijcitur, quia ad eam sufficiunt, quæ adnotata sup. ad l. 8. de inoff. test.

IDEM A. PETRONIO.

L. 5. C. eod. tit.

FALSI *quidem crimen, vel aliud capitale mouere vos matri vestræ secta mea non patitur: Sed ea res pecuniarum compendium non aufert. Si enim de fide scripturæ, vnde eadem mater vestra fideicommissum sibi vindicat, dubitatio est; inquiri fides veritatis etiam sine metu criminis potest.* P P. I I I. *Kal. Septemb. Agricola & Clemente Coss.*

NOn potuit ab Imp. Alexandro, qui erga matrem suam vnicè pius fuit, (vt Lampridius & Herodianus referunt) aliud desiderari rescriptum? siquidem honoris & reuerentiæ ratione filius non debet vllam matri facere criminis quæstionem. Certum est contra parentes vel patronos liberis vel libertis famosam dari non posse actionem, sed ita ipsis iuris sui persecutionem dari, vt integra & illibata sit existimatio parentum & patronorum, ac totum iudiciũ temperetur verbis ciuilibus, detracta delicti vel criminis mentione, quasi si ex causa honesta ageretur. *l. parens. §. fin. cum ll. seqq. ff. de obs. par. & patr. præst. l. non debet. §. 1. ff. de dolo.* Excipi possint maiora crimina, propter quæ interdum obsequij rationes interquiescunt, vt & definitum sup. ad l. 1. de obs. patr. præst. quod maximè obtinet in causa maiestatis & perduellionis, ad quam pertinent illa Ciceronis lib. 3. de legib. Si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater, silebit-ne filius? Imo vero obsecrabit patrem ne faciat, si nihil proficiet, accusabit, minabitur etiam. Sed vbi causa priuatæ tantum iniuriæ agetur, nequaquam accusationem instituere poterit filius contra patrem aut matrem. Itaque rectè Imp. in hoc rescripto, matre petente fideicommissum à filio in vim testamenti, quod falsi nomine suspectum est; criminis quæstione remota, id tantũ filio concedetur, vt pecuniarij commodi causam agat, id est actione in factum proposita de iure testamenti ciuiliter quæratur. Falsi crimen hac lege capitale facit Imp. quod hactenus verum est, vt deportationẽ irroget, id est mortem ciuilem, non etiam naturalem, nisi forte serui id criminis genus admisissent. §. 8. *item lex. de publ. iud. apud Iustin.* Posteriores constitutiones id fecerunt vltimo supplicio obnoxium, si id facti atrocitas exigeret. *l.*

Contra parentes liberis non dantur famosa actiones nec accusationes instituuntur.

Excipitur causa maiestatis.

Crimen falsi non fuit capitale.

22. vbi

21. vbi. C. hoc tit. Imp. ait hoc loco, *secta mea non patitur*, ea fere loquendi formula, qua supra in l. 2. ad l. Iul. Mai. Sic & Iustinianus in §. fin. ff. de legatis. secta temporum meorum non patitur.

IMP. ALEXANDER A. MARTIALI.

SENATVSCONLVLTO *& edicto Diui Claudii prohibitum est, eos qui ad scribenda testamenta adhibentur, quamuis dictante testatore, aliquod emolumentum ipsis futurum scribere: & pœna legis Corneliæ facienti irrogata est: cuius veniam deprecantibus ob ignorantiam, & profitentibus à relicto discedere amplissimus ordo, vel diui principes veniam raro dederunt.* PP. XVII. Kal. *April. Maximo II. & Æliano Coss.* Lex 3. C. de his qui sibi in testam. adscribunt.

Idem A. Crescenti.

Q*Væ in testamento vxoris maritus sua manu legata sibi adscripserit, pro non scriptis habentur: & legis Corneliæ pœna, si venia impetrata non est, locum habet. P P. III. Non. Febr. Fusco II. & Dextro Coss.* Lex 4. Cod. eod. tit.

Idem A. Gallieno militi.

Q*Vod adhibitus ad testamentum commilitonis scribendum, iussu eius seruum tibi adscripsisti, pro non scripto habetur: & ideo id legatum petere non potes: Sed secutus tenorem indulgentiæ meæ, pœnam legis Corneliæ tibi remitto, in quam credo te magis errore, quam malitia incidisse.* PP. XVII. Kal. *Iul. Fusco II. & Dextro Coss.* Lex 5. Cod. eod. tit.

Ccccc

Is qui sibi quid adscripsit quamuis dictante testatore tamē punitur vt falsarius.

DE eadem re est S.C.Libonianum,de quo in l.3.Imp.loquitur, & edictum Claudij Imperatoris,vt quasi falsarij punirentur, qui sibi aliquid adscriberent in testamento,cui scribendo adhiberi essent, quamuis id dictauerit testator; quia scilicet illa occasione fieret illud sæpe, vt quicumque alienum testamentum scriberet, etiam non dictante testatore sibi aliquid adscriberet. Sed si aliquis error,siue ignorantia obtendatur, quæ etiam in militem facilè cadit,venia dabitur ei qui profitebitur non vti se beneficio legati, fideicommissi,aut hæredis institutionis. Qui autem sibi adscripserit, quod non dictauerit testator,is plane falsarius est,& ei commodum testamenti quod sibi adtribuit abnuenti venia non daretur. Est autem casus vnus,vbi qui sibi quid adscripsit dictante testatore emolumentum eius,quod sibi relictum est,consequitur; quando manu sua specialiter cauit testator vel codicillis vel qua alia scriptura, reliquisse se testamentario legatum vel fideicommissum: generalis autem subscriptio, qua significaret dictasse se testamentum non proficiet ad capiendum. *l.2.& fin. hoc tit. l.15.diuus. §.1. ff. ad l.Corn. de fals.* Sed & si hæredem se scripserit dictante testatore,qui ipsi erat ab intestato successurus,compendium successionis nanciscetur.l.1. hoc tit. Alias pro non scripto est legatum vel hæreditas licet proponatur maritus ea sibi in testamento vxoris adscripsisse, idque in l.4.definit Imp.Alexander.

Casus quo qui sibi quid adscripsit testatore dictāte id consequitur.

IMP. ALEXANDER A. ALEXANDRO.

Lex 1. C. de crimine stellionatus.

IMPROBVM *quidem & criminosum fateris, easdem res pluribus pignorasse,dissimulando in posteriore obligatione,quod eædem aliis pignori tenerentur. Verum securitati tuæ consules, si oblato omnibus debito,criminis instituendi causam peremeris. PP. V. Id.Febr.Pompeiano & Peligno Coss.*

Stellionatus crimen cōtrahit debitor qui rem alienā pignori dat pign. act. vel suā qui alij prius dedit.

NOtum est illud in crimen stellionatus & imposturæ eum incidere,qui rem alienam pignori dat sciens & creditorem decipit,aut æs pro auro in fidem contractus dedit. *l.1. l.16.tutor. §.1. ff. de pign. act.* Sed & is eodem crimine tenetur, qui rem suam à se prius obligatam pignori dat dissimulata præcedenti obligatione, vt constat ex l.3.§.2. ff. hoc tit. Et huius quidem criminis pœna non est

legitima, quia eius persecutio est extraordinaria. Igitur humiliores pœna metalli afficiũtur; qui in honore sunt positi ad tempus exulant, vel ab ordine decurionum mouentur d. l. 3. §. pen. Sed criminis maculâ facile liberatur, qui omnibus creditoribus quibus eandem rem obligauerat debitum offerre paratus est, vt definit Imp. hac lege, quod idem fiet si res, quæ dissimulata priori obligatione secundo creditori est obligata ita ampla fit, vt possit vtrique sufficere. *l. 36. si quo in pignore. §. fin. ff. de pign. act.* Cui tamen distinctioni locus non est iure nostro: nam eâ insuper habitâ is qui in fidem annui reditus, cuius se accepta sorte debitorem constituit, fundum alij obligatum hypothecæ subiecit, priorem obligationem dissimulans; pecuniam restituere statim cogitur per carceris coërcitionem, quæ pœna in eam rem est ordinaria: qua de re dominus Loüet in littera S. num. 18. *An Stellionatus pœna est extraordinaria.*

IMP. ALEXANDER. A. SYRO.

NEC *seruis quidem alienis licet facere iniuriam.* P P. XI. *Kal. Dec. Alexandro A. Coss.* Lex 1. C. de iniuriis.

Idem A. Clauo.

I*Niuriarum actio tibi duplici ex causa competit, cum & maritus in vxoris pudore, & pater in existimatione filiarum propriam iniuriam pati intelligantur.* P P. *Prid. Id. Maias, Agricola & Clemente Coss.* Lex 2. Cod. eod. tit.

LEx prima explicata est sup. in l. 2. ad exhib. Quantum ad l. 2. non satis in ea constare potest, quomodo idem iniuriarum nomine agat vt pater & maritus, nisi forte species in ea posita referatur ad eum casum, quo secundum ius antiquum matrimonium contrahebatur per conuentionem in manum, vt iam quasi in viri potestatem vxor transiens ei esset vxoris loco & filiæ vt ille inuicem quasi pater & maritus: nam tunc fiet, vt propter iniuriam vxori factam ex causa duplici agat, id est vt pater & maritus. Sed remota hac specie, poterit illud constitui: Claui vxorem hac iniuria fuisse affectam, quasi corpore quæstum faceret, vt eiusmodi iniuria proximè filias eius spectet, ac propterea potuerit Clauus hanc iniuriã non modo

ad vxorem pertinentem, sed etiam existimationem filiarum lædentem, quæ plerumque matris mores imitantur, duplici iure vindicare.

IMP. ALEXANDER A. RESPECTO.

Lex 5. C. de quæstionib.

NEC si mors testatoris vindicanda est, quæstioni indiscretè subijciuntur hi, qui libertatem supremo iudicio acceperunt. P P. VI. *Id. Mart.* Iuliano II. *&* Crispino *Coss.*

VIdetur hæc lex pertinere ad constitutionem Hadriani de qua sup. ad l. 3. de his qu. vt iud. ex qua domino à familia interempto, non de vniuersa familia supplicium sumebatur, sed de seruis tantum qui conscij essent: eo enim pertinent illa verba, eos qui testamento manumissi sunt indiscretè quæstioni subijci non debere.

IMP. ALEXANDER A. SABINO.

Lex 1. de calumniatoribus.

CALVMNIA eo tempore coërceri solet, quo de causa præsente accusatore iudicatur; ideoque posteaquam de causa iudicatum est, contra consuetudinem calumniam accusatoris puniri desideras.

Idem A. Apolloniæ.

Lex 2. Cod. eod. tit.

MAter inter eas personas est, quæ sine calumniæ timore necem filij sui vindicare possunt; idque beneficium Senatusconsulti & in alius publicis iudiciis seruatum est. Sed extraneus hæres, qui suspicionem, quam de morte sua habuisse defunctus cauit, exsequitur, hoc nomine à calumnia excusatus est: cum inter voluntariam accusationem, & of-

ficii neceßitatem hæredis, multum interſit. PP. VI. Kal. Iul. *Iuliano* II. *&* *Criſpino Coſſ.*

Idem A. Æmilio.

QVi non probaſſe crimen quod intendit pronuntiatur: ſi calumniæ non damnetur, detrimentum exiſtimationis non patitur. Non enim ſi reus abſolutus eſt, ex eo ſolo etiam accuſator, qui poteſt iuſtam habuiſſe ad crimen veniendi rationem, calumniator credendus eſt. Lex 3. Cod. eod. tit.

NOn pertinent hæ leges ad actionem de calumniatoribus, quæ datur à prætore in quadruplum contra eum, qui calumnioſam contra aliquem inſtituit actionem, & pecuniam extorſit, ne negotium faceret aut vt faceret, de qua propriè agitur in tit. ff. rum de calumniatoribus, ſed omnino ſunt, vt & aliæ huius tit. de his, qui calumniantur in publicis iudiciis: in quo aduertendum eſt illud primum, non ſtatim pro calumniatore condemnari accuſatorem, ſi reus ſit abſolutus: potuit enim habere iuſtam cauſam inſtituendæ accuſationis non inconſulto errore lapſus, ſed aliquibus præſumptionibus deceptus, quæ ad veritatem proximè accedebant, vt fit ſæpiſſime: Et id etiam tradit Imp. in l. 3. Illa ratione; ſi pendente cauſa criminis cognita rei innocentia negotium deſeruerit nolens in lite improba perſeuerare, deſtitiſſe non cenſebitur, & in Turpilianum non incidet. *l.* 10. *deſtitiſſe. ff. de iudic.* Igitur rei inquiſitio arbitrio iudicis cognoſcentis permittetur, qui reo abſoluto de accuſatoris conſilio quærere incipit, qua mente ductus ad accuſationem proceſſerit, vt vel iuſto errori condonetur venia, vel in euidenti calumnia deprehenſum legitima pœna afficiat. *l.* 1. *paragr. ſed non vtique. Digeſt. ad S. C. Turpilianum.* Cæterum ſi ſtatim accuſator calumniæ non damnetur, detrimentum exiſtimationis non patitur, quaſi iuſto errori parcendum æſtimauerit iudex. *l.* 1. *&* 3. *hoc loco.* Nec ex hac cauſa vlla inſcriptio deſideratur, ſicuti ex hac lege prima docet Accurſius ad l. 3. ſup. qui accuſ. non poſſ. hac ratione ſcilicet, quia non poteſt non videri iuſta expoſtulatio eius, qui de calumnia accuſatoris queritur, poſtquam ſe primum à criminis ſuſpicione abſoluit, & carceris iniuriam aliaque, quæ reis etiam innocentibus impendent incommoda, facto accuſatoris tuliſſe oſtendit. *Quantum exiſtimas tormentum,* inquit Seneca, *etiam ſi ſeruatus fuero, trepidaſſe; etiamſi abſolutus fuero, cauſam dixiſſe.* Sed ſunt etiam ca-

Non ſemper accuſator calumniator cenſetur ſi reus abſoluatur.

Qui calumnia accuſatorem arguit non habet opus inſcriptione.

Casus duo quibus accusator de calumnia non conuenitur. sus quidã, in quibus liberũ est instituere accusationẽ sine calumniæ timore: Duos proponit Imp. in l. 2. videlicet si filio occiso aliquem mater eo nomine insimulauerit, aut hæres causã criminis exsecutus sit aduersus eũ, quẽ de morte sua suspectum testator fecerat. Matrẽ iusta indignationis causa à calumniæ suspicione securam præstat, quod quoquo modo animo suo sit obsecuta parum oportunam accusationem instituens contra eum, qui criminis exors erat: Hæredem vero à culpa liberum præstat accusandi necessitas, ne defuncti neglecta vltione crimen inultæ mortis contraheret, & damnum hæreditatis pateretur. Casus alius supra fuit expositus ad l. 6. ad l. Iul. de adult. Cæteros exsequitur glossa hoc loco.

IMP. ALEXANDER A. ISIDORO.

Lex 7. C. de pœnis. IMPVNITAS *delicti propter ætatem non datur, si modo in ea quis sit, in quam crimen, quod intenditur, cadere potest.*

Etiam impuberes puniuntur si delinquant. DElinquentibus nullæ leges patrocinantur, ideoque etiam constitutum supra ad l. 1. in qu. cau. in int. rest. non est necess. minori ex causa delicti restitutionem non dari. Sed ne quidem impuberes maioribus pœnis excusantur: Nam & deportari eos posse & in seruitutem redigi constat. *§. item finitur. qu. mo. tut. fin. apud Instit.* quod vtique verum, si proximi sint pubertati, & sint iam malitiæ capaces, vt possint intelligere se delinquere; infãtes autem excusat innocentia consilij, sicuti peccantem furiosum fati infelicitas à pœna immunem præstat. *l. 12. infans. ff. ad l. Corn. de sic. l. 13. congruit. §. fin. cum l. seq. ff. de off. præs.* Igitur Imp. Alexander in hac lege ait impunitatem delicti propter ætatem non dari, si modo in ea quis sit, in quam crimen quod intenditur cadere potest. Sunt quædam delicta, quæ in ætatem pubertate minorem cadere non solent, quale adulterium & stuprum, quoniam tale crimen post pubertatem incipit, vt tradit Papin. in l. 36. si minor. ff. ad l. Iul. de adult. & docet etiam ratio ipsa, quod verum erit si de masculis dicatur: Nam puella ante duodecimum annum potest stuprum contrahere, imo & adulterium, si in domum eius deducta fuerit, cui vxor destinabatur. *l. 13. si vxor. §. 8. si minor. ff. eod.* Et tradidere alioqui non leues autores, extitisse puellas quæ etiam nono ætatis anno partum ediderint, idque contendunt medici quam facile posse accidere, si ante pubertatem virum paterentur, quod fieri tamen debere nec ipsi

Infantem quidem liquit excusat innocentia consilij, furiosum fati infelicitas.

Puella ante pubertatem potest adulterium contrahere.

probant, nec feita philosophorum aut iura ciuilia vel pontificum constitutiones patiuntur. Narratur etiã ex impubere & eo nouẽni nutricem eius eum qua consuetudinem stupri habuerat, iusto Dei permissu prægnantem extitisse, vt turpis simulatio pudicitiæ, & facinus proeacis mulieris detegeretur attrectata pueri virilia impellentis ad scelus & spurcitiam, quod & ex D. Gregorio glossa refert ad decretum Gratiani 20. qu. 1. Sed rariora sunt exempla delictorum eiusmodi in ætate illa imbecilla. Alia vero delictorum genera frequẽter in illam ætatem cadunt, & propterea etiam pœnę subijci possunt grauiori, pro vt destinato & meditato animo adscelus accesserint, & in his ætatẽ malitia supplere intelligatur. Hac ratione & furti nomine & damni iniuria dati & doli conueniri possunt, vt docuimus in parat. decretaliũ Gregorij Papæ tit. de delictis puer. Sed prohibitum est illud tamen sæpissime decretis senatus Parisiensis, ne de delictis impuberum cognitione extraordinaria quæreretur, nisi proximè pubertatem attingerent; cuiusmodi vnum S. C. refert Peleus in quæst. ill. qu. 16. ad quod pertinent quæ tradit Cuiac. lib. 6. obs. cap. 22. Sed tamen impuberum parentes, qui deliquerunt & forte aliquem vulnerarunt, conueniri possunt propter alimenta & mercedes curationis, quæ in eum qui læsus est impendi debuit, sicuti alio S. Cto memini iudicatum 10. Ianuarij anno salutis 1611.

De delictis impuberum non potest quæri extraordinem.

IDEM A. VICTORI.

DEPORTATORVM *in insulam ab eo, cui id faciendi ius erat, bona fisco vindicantur: Relegatorum autem non, nisi sententia specialiter adempta fuerint.*

Lex 8. C. eod. tit.

INter deportatos & relegatos plures sunt differentiæ, quas & adnotauimus ad parat. ffrum Cuiacij tit. de interd. & releg. Vnâ hîc etiam proponitur, quod deportationem perpetuo sequatur bonorum publicatio, etiamsi nihil ea de re cautum sit in sententia; relegatorum ita demum si specialiter adempta sint, quod fieri tamen nec debet nec solet, si ad tempus facta fuerit relegatio. *l. 7. §. ad tempus. ff. de interd. & releg.* Quod ait Imp. ab eo qui ius deportandi habet &c. rectè glossa explicat de præfecto prætorio vel præfecto vrbis aut præside: Nec enim magistratus omnes ius habent deportandi, neque item habent sub se omnes insulam, in quam deportare

Deportationem sequitur semper bonorum publicatio non relegationem.

Non omnes magistratus habent ius deportandi.

queant; & qui deportare possunt, non habent semper ius insulam assignandi, quod & pluribus explicat Cuiac. ad l.6.§.5. eius qui ff. de iniusto rupto & irr. fa. test.

IDEM A. DEMETRIO.

Lex 9. C. eod. tit.

SI *matrem tuam decurionis filiam fuisse probatum fuerit, apparebit eam non oportuisse in ministerium metallicorum, nec in opus metalli dari.*

Pœna quadam decurionibus & eorum liberis non possunt irrogari.

VT liberi senatorum pluribus priuilegiis censentur, ita & liberi decurionum, qui ipsi sunt senatores municipales; in pœnis maximè: Nam vt decuriones, ita liberi eorum, non possunt furcæ subijci, vel viui exuri, aut damnari in metallum, aut in opus metalli, nec in ministerium metallicorum. *l.9. moris. §. istæ. ff. hoc tit.* Differunt hæc tria. Qui in metallum damnantur grauioribus vinculis premuntur; qui in opus metalli leuioribus; qui vero in ministerium metallicorum, hi non versantur circa auri fodinas vel argenti fodinas & alia eiusmodi metalla, sed his tantum qui fodiunt ministrant, quæ pœna frequentius fœminis irrogatur. *l.8. aut damnum. §. inter. §. in ministerium. ff. hoc tit.* Igitur hac lege rectè docet Imp. decurionis filiam pœna metalli vel præbendi hominibus metallicis ministerij affici non potuisse: Nam nec possunt filij decurionum bestiis subiici. *l.12. hoc tit.* sicuti nec quæstioni per fidiculas, aut alia eiusmodi tormenta sunt obnoxij. *l.16. & 17. C. de quæst.*

IDEM A. CATVLLO.

Lex 10. C. eod. tit.

SERVVS *sub pœna vinculorum sine temporis præfinitione domino reddi iussus sententiâ præsidis prouinciæ, perpetuò vinctus esse debet.*

NIhil est, quod ad hanc legem adnotetur: Nam eius est manifesta sententia, eum seruum, qui sine præfinitione temporis sub pœna vinculorum reddi domino iussus est sententia præsidis, perpetuo

perpetuo vinctum esse debere; vinculis igitur priuatis, vt in ministerio domini sit: Nam sunt etiam vincula priuata. *l. 224. vinculorum. ff. de verb. signif.* quo nomine differunt à custodia, quæ semper publica est, & in tit. de custodia & exhibitione reorum, custodiæ nomen sumitur pro carcere publico, quamuis sumatur interdum pro ipsis reis qui custodiuntur, vt in l. 12. milites. ff. de cust. & exhib. reor. Eiusmodi autem pœnâ & illud proculdubio continebitur, ne eiusmodi seruus possit à domino manumitti. *Custodia sumitur pro carcere vel his qui sunt in carcere.*

IMP. ALEXANDER A. FRONTONI.

DEPORTATI *nec earum quidem rerum, quas post pœnam irrogatam habuerint, hæredem habere possunt: Sed & hæ publicabuntur.* Lex 2. C. de bo. proscr. seu damnatorum.

DEportatus mediam patitur capitis diminutionem: Ideoque licet retineat libertatem: Tamen quia ciuitatem amittit, testamenti factionem habere desinit, & ideo ne quidem earum rerum, quas acquisierit postquam pœna affecti sunt, hæredem instituere poterunt hac l. 2. imo nec fideicommissum possunt relinquere, etiamsi in fideicommissis iuris rigor remittatur. *l. 1. §. hi quibus. ff. de leg. 3.* Consequens est igitur, vt bona quoque illa publicentur, vt Imp. etiam definit hac lege; cui non est quod opponatur lex 22. si mandauero. §. is cuius. ff. mand. nam ille locus est accipiendus de eo cuius bona publicata sunt sine capitis diminutione id est qui relegatus tantum est, non deportatus; quod enim ille acquisierit postea fiscum non sequitur, quæ sententia manifestius comprobatur in l. 7. §. fin. ff. de bo. damn. sicuti eum §. finalem restituit Cuiacius lib. 6. obs. cap. 23. *Bona quæ deportatus post pœnam habuerit confiscantur vt alia.* *Diluitur lex 22. paragr. is cuius. ff. mand.*

IDEM A. IVLIANO.

SI *filius tuus, cum esset in potestate, in insulam deportari meruit, peculium eius, nec quod in castris acquisiuit, vel quod ei militaturo donasti, auferri tibi debet.* L. 3. C. eod. tit.

Ddddd

Quæstio legis proposita.

DEportationem perpetuo sequitur bonorum publicatio, vt constitit ex l. 8. sup. de pœnis. Sed quæsitum fuerat ab imperatore, an filiôfam. deportatô peculium, quod in castris acquisiuisset ex præda, aut manubiis hostium, vel stipendiis aut donatiuo imperatoris, publicaretur, aut etiam illud quod ei militaturo pater donasset, quod peculio castrensi contineri supra positum ad l. 4. fam. hercisc. Rescribit Imp. ad patrem ea pertinere, neque ei à fisco auferri posse. Ratio dubitandi non mediocris, quod in peculio castrensi plenum ius habeat filiusfam. atque in eo pro patre familias habeatur. Ratio decidendi est, quia priuilegium, quod habet filiusfam. ex constitutionibus ita est accipiendum, si de rebus ipsis castrensibus disponat aut testatus sit, & eius testamentum ipsa hæredis aditione sit confirmatum. *l. 18. si seruus. ff. de stipulat. seru.* At cum filius suo iure non vtitur, retro creditur pater dominium in rebus peculiaribus habuisse. *l. 44. seruum in pr. ff. de leg. 1.* Igitur quia filiusfam. priuilegium testandi vel disponēdi maxima vel media capitis diminutione amittit; consequens est, vt bona eius castrensia, quasi ab intestato mortuus sit, pater habeat. De peculio profectitio minor erat dubitandi ratio: Nam illud est ex bonis patris, & hæret tantum apud filiumfam. quamdiu pater velit, neque de eo disponere potest; ideoque certū fuit nō cedere fisco, si deportatus sit filiusfam. sicut obtinet seruo deportato, cuius peculiū, quod semper est profectitiū apud dominū manet. *l. 1. hoc tit.* Sed est tamē vnus casus, quo propriè peculium profectitium patris non habetur sed filijfam. esse censetur; scilicet quando patris bona propter delictum occupata sunt à fisco: Nam filiusfam. retinet profectitium peculium, nec illud quasi patris sit cum cæteris bonis publicatur. *l. 3. §. sed vtrum. vers. nec eo mouemur. ff. de minor.* qui locus de profectitio peculio est accipiendus, quod semper intelligitur generali peculij appellatione: Imo nec potuit vllum esse dubium, bonis patris à fisco occupatis, filij peculium castrense non contineri.

Peculium castrense filijfam. qui deportatus est ad patrem pertinet non ad fiscum.

Peculij appellatione generali semper profectitium intelligitur.

IMP. ALEXANDER A. RVSTICO.

Lex 2. C. de bo. eor. qui mortem sibi consciuerunt.

EORVM, *qui in reatu diem suum functi sunt, si non perduellionis causam sustinuerunt, nec ob metum criminis mortem sibi consciuerunt, bona ad successores transmittuntur.*

Eorum, qui vel deportati sunt, aut vltimo supplicio sunt affecti, bona confiscantur non etiam eorum, qui decesserunt in reatu, hac l.2. illi autem in reatu tantum esse dicuntur, vel qui nondum damnati sunt, vel damnati prouocauerunt, adeo vt interim possint testari si moriantur. *l.6.§.6. hi autem. ff. de iniusto rupt. & irr. fa. test.* in reatu etiam diem functi dicuntur, qui in custodia vel vinculis aut compedibus decesserunt, nondum damnati scilicet, ac propterea bona eorum hæredibus non auferuntur, siue intestati mortui sint siue testati. *l.45. in fraudem §.1. ff. de iu. fisci* quia morte rei causa criminis finita censetur. l. fin. C. si reus vel accus. mort. fuer. Atquin pœnalia iudicia etiam ante sententiam post litis contestationem transeunt contra hæredes *l.87. nemo. l.139. omnes. l.164. pœnalia. ff. de reg. iu.* imo etiam post motam controuersiam & vocatum in ius aduersarium *l. constitutionibus. ff. de obl. & act.* Sed non eadem est ratio criminum publicorum, quæ priuatorum delictorum: Nam in iudiciis publicis principaliter agitur de vindicta expetenda ab eo, qui deliquit; ideoque vbi de eo supplicium non est sumptum, aut etiam sententia lata non est, quam nulla suspendit prouocatio; interim reo morte naturali sententiam damnationis præueniente, omnis quæstio criminis extinguitur, exceptis quibusdam criminibus veluti maiestatis: Nam propter sceleris atrocitatem etiam post mortem memoria rei damnatur. *parag. per contrarium. de hered. quæ ab intest. def. apud Instin. l. fin. ff. ad l. Iul. maiest.* vnde etiam obtinet apud nos vt quadrigis in diuersa nitentibus cadauer eius dilaceretur, qui quid aduersus principem meditatus supplicij acerbitatem fato anteuertit. Quod & seruatum olim apud alias gentes: Nam Plutarchus in vita Alexandri magni matrem eius Olympiadem Iolæ cineres siue λείψανα proiecisse tradit, cum post sex annos à tempore, quo obijsset Iolas, ipsi Alexādro magno potionem venenatā propinasse argueretur. Solitum quoque Romæ nomē eius è fastis eradi, eiusdemque statuas in Tiberum deijci, qui principi insidias struxisset, quod docet Lipsius ad Tacitum lib. 6. annal. in excursu. Sed præter hoc crimen, sunt & quædam crimina quæ morte non extinguntur, illa scilicet, in quibus principaliter agitur ratione ablatę pecuniæ, veluti crimen repetundarum, peculatus, residuorum, & alia eiusmodi. *l. iudiciorum. ff. de accusat. & inscript.* cum ibi notatis à glossa. Quædam etiam perstrinximus sup. ad l. 1. C. si pend. app. mors interu. Sed his adijciendus casus alter, qui hac lege proponitur; cum qui in reatu erat mortem sibi consciuit ob metum criminis: Nam & tunc hoc casu bona adimuntur hæredibus, licet reus ante sententiam decesserit. Rectè ob metum criminis: nam si qui id fecerint tædio vitæ vel valetudinis aduersæ impatientia vel iactationis causa, vt quidam philosophi: in ea causa sunt, vt testa-

Eorum qui in reatu decedunt bona ad hæredes transeunt.

Morte rei ante sententiam à qua appellatum non sit crimen extinguitur.

Excipitur crimen maiestatis, in quo etiam post mortem de reo supplicium sumitur.

Crimina etiam in quibus ratio ablata pecunia habetur morte non extinguntur.

Bona eius qui mortem sibi consciuit ob conscientiam criminis hæredibus mortui auferuntur.

Distinctio iuris ciuilis circa eos qui se interiunt improbatur. menta eorum valeant, ac per hoc etiam eorum bona hæredibus vel testamentariis vel ab intestato succedentibus deferantur. *l. 6. si quis §. eius. vers. quod si quis. ff. de iniusto rupto & irr. fa. test.* quam distinctionem tamen nec iuris nostri ratio, nec iuris diuini præcepta admittunt: Hæc enim apud Christianos lex est omnium approbatione sancita, eum grande scelus & omnem Dei misericordiam euertens *Ingens scelus committit, qui se ipsum occidit.* facinus perpetrasse, qui sibi manus impias inferret. Quinimo ex antiquis philosophis qui rectius sensère, illi perpetuò id constituerunt, piis omnibus retinendum esse animum in custodia corporis, nec Dei iniussu ex hominum vita migrandum esse, ne munus humanum ab ipso assignatum defugisse videantur, sicuti etiam ipse Cicero docet in somnio Scipionis. Plura Annæus Robertus lib. 1. rer. iud. cap. 12. nec est quod quidquam illis quæ in hanc sententiam *Apud quasdam gentes licuit se occidere.* ibi tractata sunt adijciatur. Extitere tamen Ceij olim & Massilienses, apud quos licuit veniâ impetratâ & consilio habito poculum veneni haurire, quo è vita decederent, quod & fiebat constanti animo ab his, qui prospera semper fortuna vsi volebant fatum præuenire, ne aliquando eos aliquis casus aduersus læderet, cuiusmodi exemplum refert Valer. Max. lib. 2. cap. 6. Sed illa, quæ illis populis probata fuere, aut Empedocli, Catoni, vel Thraseæ, aliisque vel *Commento diaboli factum vt aliquando inter paganos se occidere honestum fuerit.* famæ cupiditate, vel stoicæ constantiæ affectatione contigêre, vt se occiderent, commenta Satanæ fuère, quo magis imperium suum proferret, & homines quos insigniter odit funditus deleret, aut etiam vt illos quorum virtutes sciebat aliis profuturas si non ad rectè de fide sentiendum, quam non habebant, saltem ad rectè viuendum penitus extingueret, & prauis quibusdam instigationibus adumbrata honesti specie deciperet, vt Dei ipsius imaginem in eis aboleret. Quippe pertinaci peruicacia vel malos quasi despetata salute à pœnitentia nititur reuocare, vel recti amantes etiam paganos incessere molitur, quia per bene viuendi studium certo scit ad perfectam Dei optimi maximi notitiam homines peruenire; vt etiam apud Christianos non facile ecclesiam deserat, qui quantum potest ea exsequitur, quæ Dei sunt, & facile ad eam regreditur, qui omnibus votis bene agendo eius misericordiam deprecatur.

IMP. ALEXANDER A. STRATONICO.

Lex 3. C. de sententiam passis & restitutis.

SI debitor pœnam sententiæ passus est, quam bonorum ademptio secuta est: Quamuis postea ciuitati romanæ restitutus, non totam substantiam, sed aliquid ex indulgen-

tia principis, vt haberet, impetrauit: Æris tamen alieni ex præcedenti tempore pœna liberatus est. Si vero partem bonorum accepit: Pro rata eius portioni tenetur. Quod si ob pecuniam debitam fisco bona eius occupata sunt: Mansit vna cum suis fideiussoribus propriis creditoribus obligatus.

Idem A. Valentinæ.

TVtor filiorum tuorum, quorum te bonorum possessionem accepisse dicis, in metallum damnatus, & postea ex indulgentia generali regressus, quamquam locupletior sit, actione tutelæ administrata tibi non tenetur; si non gratiâ sententiæ factâ specialiter statum pristinum cum bonis omnibus recuperauit. Lex 4. Cod. eod. tit.

Idem A. Iuliano.

SI ademptis bonis in insulam deportatus es; quamuis ex indulgentia communi rediisti: actiones tamen, quascumque habuisti, remanent in causa bonorum publicatorum: Nec ex ordine est, quod petis, vt contra hæredes tutorum actiones tibi præstentur. L. 5. C. eod. tit.

QVod constitutum supra ad l. 8. de pœnis, bona deportatorum pubicari & ad fiscũ pertinere; hoc ita verum est, nisi sint restituti à principe: nam tum bona quæ amiserant recipiunt: Neque tamen illud indistinctè; nam si generalis sit principis indulgẽtia, pœna tantum deportationis condonatur & reditus in patriam permittitur, non etiam dignitas restituitur, aut bona publicata. *l.* 2. *l. generalis. hoc tit.* Sin specialis sit, & gratia sententiæ facta sit; status pristinus cum bonis omnibus recuperatus censetur. Indulgentiã generalem vocat Imp. Alexander communem in l. 5. hoc loco. Pro vt autem restitutio vel generalis est vel specialis, ita actiones, quæ ante deportationem ei & in eum, qui capitalem sententiam passus est, competierant, vel eædem restituuntur, vel apud fiscum

Qui post deportationem restituitur bona non recipit, si sit generalis restitutio, secus si specialis.

Idem quoque constituitur de actionibus quæ ante sententiam damnato vel cõtra damnatum competebant.

manent. Cum specialis est,& bona omnia, aut eorum certa portio restituta est; restituuntur etiam actiones in solidum, vel pro rata: nam qui substantiam suam recepit, se protegere sceleris pœna contra creditores, quominus iure debitum soluat improbe conatur *l. pen. hoc tit.* & is cui per restitutionem facultas bona sua recuperandi à principe oblata est, ne quidem ea derelinquendo actionibus se exuere quibus ante sententiam fuit obstrictus potest. *l. 2. Digest. hoc tit.* cum nec is qui bonis cesserit penitus liberetur, sed adhuc possit conueniri, si ad pinguiorem fortunam peruenerit, vt constitit supra ad l. 1. de cess. bonorum. Cum generalis & communis est indulgentia, nullæ actiones restituuntur, nec si quid debebat potest ab eo peti qui restitutus est; nec si quidquam ei debebatur, potest ab eo exigere, quod manifestius probat Imp. in l. 4. & 5. hoc tit. in quarum prima Valentinæ negatur tutelæ actio contra tutorem filiorum suorum, quibus successerat bonorum possessione quæsita vnde legitimi ex S.C. Tertylliano, licet is tutor in metallum damnatus ex indulgentia principis restitutus esset: & vice versa in altera constituitur eum, cui venia criminis post sententiam data est, non posse contra tutores suos agere tutelæ actione propter rationes ab eo ante criminis quæstionem administratas, quia si quę ipsi persecutio eo nomine competebat, apud fiscum bonis confiscatis remansit. Dubitationem in specie legis 4. illud mouebat maximam, quod is tutor post pœnę condonationem factam locupletior factus esset bonis quibusdam quæsitis, vt idem videretur obtinere quod in debitore locupletato post bonorum cessionem: Sed illa ratio rescripti æquitatem commendat, quod onera actionum sequantur bona confiscata exemplo bonorū vacantium, quæ ad fiscum transeunt cum onere. *l. 96. quidam. §. quotiens. ff. de leg. 1. l. 2. §. fin. ff. si quis al. test. prohib. l. 11. cum fisco. ff. ad S.C. Sillan.* & hoc ita verum, vt licet deportatus vel damnatus in metallum in integrum restitutus generali vel communi indulgentia aliquid ex principis benignitate de bonis suis consecutus sit; tamen ære alieno, quod ante sententiam contraxerat, liberetur; modo per modum quotæ bonorum id ipsi non sit concessum: nam tum pro ea parte teneretur, quam distinctionem facit Imp. noster in l. 3. hoc tit. in qua etiam illud notandum est quod adiicit, multum illud differre à superioribus si bona alicuius vniuersa occupauerit fiscus ex causa debitæ pecuniæ: nam illo casu debitor non liberatur ære alieno quod aliis debet, nec fideiussores etiam eius erunt securi. Sed eo amplius quamuis bona eius, qui deportatus est, ad fiscum peruenerint; tamen non propterea tollitur obligatio fideiussorum, qui pro debitore antequam deportaretur intercesserunt. *l. 53. capitis. ff. de fideiuss. l. 1. C. eod.* ad quam notanda quæ tradit Cuiac. lib. 15. obs. cap. 35. lib. 19. c. 29.

Bona confiscātur cum onere.



COMMENTARII IN RESCRIPTA AVRELII ALEXANDRI SEVERI IMP. ROMANI QVÆ LIB. X. Codicis Iustinianæi continentur.



N hoc libro occurrunt rescripta Imperatoris Alexandri decem & octo tantum: quamquam & ex his quædam in quibusdam Codicibus aliis Imperatoribus tribuantur, quod & fit in duobus libris sequentibus. Visum tamen fuit ea Alexandro tribuere quæ in aliquibus codicibus nomen eius præferrent; nisi si quæ falso ei adscripta fuisse ex ipsis subscriptionibus constiterit. Etiam de illo quod in ipso libri limine positum est dubitatur; nam illud quidam Codices tribuunt Seuero & Antonino: Alij & maxime Codex Haloandri idem adserunt Alexandro. Igitur & hic proponetur.

IMP. ALEXANDER A. ATTICO ET SEVERO.

SI *priusquam fisci rationibus pater vester obligaretur, perfectam prædiorum donationem fecisse fuerit probatus: quod citra fraudem creditorum gestum est, non rescinditur.* Lex 1. C. de iu. fisci.

RAtio dubitandi illa erat in hac lege, quod videretur potior causa fisci, qui certat de damno vitando, quam donatariorum, qui lucrum persequebantur. Sed nequaquam huic definitioni in hac lege est acquiescendum, cum eo tempore quo fiscus contraxit cum debitore, propter donationem prædia donata eius esse desierint; ideoque citra fraudem facta donatio obtentu contractæ postea obligationis rescindi non debet. Certè in fraudem facta dona-

tio non poteſt videri ab eo, qui creditores illo tempore non habebat. Hæc autem lex eſt accipienda de donatione à patre collata in liberos emancipatos: nam ſuis facta non valeret ſecundum ea quæ ſupra definita ſunt ad l.4. famil. hercisc. Præterea eſt accipienda de donatione inter viuos: nam cum ea quæ fit cauſa mortis legatis comparetur, poſſet videri res donatas fore obnoxias creditoribus & maximè fiſco qui poſtea cum donatore contraxiſſet.

IMP. ALEXANDER A. EPICTETO.

Lex vn. C. de vendit. rerũ fiſc. cũ priu. commun.

F O R M A *eſt quoties ad fiſcum vel minima portio rei pertinet, vt vniuerſa à procuratoribus meis diſtrahatur, ſed pretium partis tantum in fiſcum redigatur, reliquum dominis partium reſtituatur. Emptorem igitur prædiorum, de quibus libellum dediſti, apud ſuum iudicem conueni, vſurum defenſionibus, ſi quæ ſibi competunt.* PP. VII. *Kal. Octob. Fuſco & dextro Coſſ.*

Si fiſcus vendit rem cum alio cõmunem totius rei dominium in accipientem transfertur.

Non idem ſi res pro parte ſit fiſco obligata.

Lex prima tituli, de iu. & fi. haſtæ fiſc. tribuitur Alexandro in C. Holoandri ſine ſubſcriptione, alij eandem tribuunt Antonino, quod magis eſt verum, vt apparet ex conſulibus quos adiiciunt. Itaque illâ neglectâ eam quæ propoſita eſt viſum eſt hîc ſubijci, quam libri omnes ipſi Alexandro tribuunt. In ea priuilegium vnũ fiſci proponitur, vt ſcilicet rem communem cum priuato poſſidẽs eius diſtrahendæ habeat facultatem, ita vt rei totius dominium in emptorem tranſeat. Ergo in hac ſpecie præſcribitur vulgari regulæ iuris, id quod noſtrum eſt vel in ſolidum vel pro parte ſine facto noſtro ad aliquem tranſire non poſſe. *l. 11. id quod. ff. de reg. iu.* quod & illic gl. notat. Priuatus id non poteſt, vt pluribus ſupra definitũ ad l. 2. comm. diuid. Sanè fiſci ſocius contra emptorem habebit actionem pretij nomine, etiam ſi cum eo non cõtraxerit, aut etiam, quod magis eſt, ipſe ſocius contra fiſcum aget actione negotiorum geſtorum, vt & gloſſa definit. Sed quod hac lege definitur non habet locum, ſi res fiſco tantum ſit obligata: nec enim rem vendere poteſt inuito eo qui habet eandem obligatam, vel qui eiuſdem pro parte dominus eſt; & ita quoque S. C. Pariſienſi iudicatum, quod refert Dn. Loüet in collecta decretorum Curiæ Pariſienſis in litr. F. num. 24.

IMP.

IMP. ALEXANDER A. AD HERMIAM.

GRAVISSIMVM *verecundia mea duxit, vt cuius rei pretium, cum bona fide esset addicta, semel fiscus acceperit, eius controuersiam referat. Non solum ergo emptorem ab eadem statione, sed ne ab alia quidem quaestionem pati debere aequum est: cum etiam in his venditionibus emptore non inquietato officia inter se poßint experiri. Data* XV. Kal. *Maij. Modesto & Probo Coss.*

Lex 1. ne fiscus rem quã vendidit euincat.

FIscum quoque tenet hæc regula, quam sæpius supra retulimus; quem de euictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio; vt & improbè dicatur quis rem eam euincere, quam distraxit. *vulg. l. 17. vindicantem cum seq. ff. de euict.* idque ita verum est, vt licet alia statio, quam quæ vendidit, quæstionem dominij emptori faciat; nihilominus ei legitimo titulo adepta possessio sit in tuto. Diuersæ sunt stationes fisci; alia sacri patrimonij, alia rerum priuatarum, alia sacrarum largitionum, alia tributorũ, alia vectigalium, alia portoriorum, alia metallorum, alia salinarum, alia picariarum, & eiusmodi cæteræ, sed idem tamen semper fiscus, vt etiam supra positum ad l. 2. de solut. Igitur vbique fidem pactionibus suis præstare debet: Et vt in l. 2. hoc tit. dicitur rectè, retractare fiscũ, quod vendidit semel, æquitatis honestatisque ratio non patitur. Magis est itaque vt si quid statio vna vendiderit, quod erat alterius stationis, inuicem experiantur emptore non inquietato, vt definit Imp. hoc loco.

Statio vna emptore non potest euincere quod alia vendidit.

Diuersæ sunt stationes fisci.

IMP. ALEXANDER A. MARCELLO.

REM *suam persequentibus: pœnæ exactio postponitur. Sicut itaque in sortis quantitate, fisci persecutio potior est: ita in triplo, quod pœnæ nomine adiectum est, propria forma seruanda est.*

Lex vn. C. pœnis fisc. creditores præferri.

Eeeee

HAnc legem tribuit Haloander Antonino; Alij & Cuiacius ipse eandem tribuit Alexandro. Vt autem breuiter sententia eius proponatur: potior semper est eorum causa; qui de damno sunt solliciti, quam illorum, qui ad lucrum veniunt: & ideo obtinuit, vt non aliter legata præstentur, quam ære alieno primum deducto. Secundum hanc definitionem, in hac l. Imperator constituit, ex causa ablatæ fisco pecuniæ debitore condemnato in triplum, fisci rationem hactenus haberi, vt in sortis quantitate potior sit aliis creditoribus; pœnæ vero non aliter habeat repetitionem, quam si eiusdem debitores sint dimissi: ad quod pertinet, quod est in l. assiduis. C. qui pot. in pign. vt in dote persequenda in bonis mariti mulier ius habeat priuilegiarij pignoris, quia agit de damno vitando; in donatione vero propter nuptias, vbi lucrum captare desiderat, ordinem sui temporis seruet. Rationem dubitandi in hac lege faciebat fisci priuilegium, qui vtique habet tacitam hypothecam, atque etiam inter chirographarios creditores debitoris sui nititur priuilegio πρωτοπραξίας, siue πρώτης εἰσπράξεως. Sed iniquum Imperatori visum est, fauorem illum protendere, qui manifestissimè introductus tantum est, cum fiscus est creditor ex causa actionis rei persecutoriæ, & damnum deprecatur. De vsuris debitæ pecuniæ quæri potest, num earum sit eadem cōditio quæ sortis. Sed illæ non tam propter lucrum creditoris, quam propter moram tardius soluentis debitoris infliguntur, ne creditor in damno versetur. *l.17. quidam. §.3. si pupilli. ff. de vsur.* Itaque & vsurarum ratione priores creditores posterioribus præferentur, qui de sorte seruanda sunt solliciti: nam illæ accessionis nomine veniunt, vt qui in sorte potiores sint, vsuras eodem iure consequātur. *l.12. creditor. §.6. sciendum. l.18. Lucius. ff. qui pot. in pign. hab.* quod idem constitutum in litium expensis & sumptibus, qui facti sunt rei suæ & pecuniæ persequendæ causa: nam illi quoque conditionem sortis sequuntur, quod obtinet ex senatusconsultis, qua de re Dn. *Loüet* littera D. num. 42. litt. I. num. 12.

Fiscus in bonis communis debitoris potior tantum est si de debito agatur ex causa rei persecutoria actionis non si de pœna.

Qui potior est in sorte potior est etiam in vsuris.

Idem est in sumptibus qui facti sunt circa ius suum persequendum.

IMP. ALEXANDER A. VICTORINO.

Lex 2. C. de fisc. vsur.

S*I sub pignore creditum fuit, etiam fiscum, qui successit in locum debitoris, vsuras præstare oportet, si eas dependi saltem pacto placuit.* PP. III. *Non. Septemb. Iuliano & Crispino Coss.*

VSuræ creditæ pecuniæ non debentur ciuiliter, nec petuntur etiam ex pacto, nisi in casibus certis, de quibus supra ad l.12. de vsuris; Sed si solutæ sint nō repetuntur, quia ex pacto naturaliter tātū debentur, & ne in sortē quidē eas accepto ferre creditor tenetur. *l.3.C.eod.tit.* Eo amplius, si propter eas quæ pacto promissæ sunt pignus sit obligatum, etiam pignoris retētionem creditor efficiet, vt sibi præstentur non solutæ. *l.22.pignoribus.C.eod.tit.* vnde in specie huius legis querebatur, vtrum aduersus fiscum, qui debitori successit, eadem retentio competat, quod obtinere Imp. cōnstituit. Mouebat, quod fiscus vsuras ex suis contractibus dare non soleat, sed tantum accipere. *l.17.cum quidam.§.fiscus.ff.eod.tit.* Sed in hac specie, non ipse contraxit, sed in locum priuati successit, cuius iure vti debet: nam alioqui conditio obligationis ex persona eorum, qui succedunt, non debet immutari. *l.56.cum fiscus.ff.de cond.& dem.l.2.§.ex his.ff.de verb.obl.*

Vsura ex pacto non debentur nisi in casibus certis.

Fiscus vsuras non soluit.

IMP. ALEXANDER A. BASSO.

SI ei qui capere potest, tacitum fideicommissum relictum est: cessat delatio: his enim prohibetur tacitè relinqui, qui palam relictum capere non possunt. P P. Kal. *Maij Maximo* II. *& Æliano Coss.*

Lex 1. C. de delatoribus.

SOlet iis, quæ clanculum fiunt fraus & calliditas inesse, & in his semper insidiæ delitescunt. Vnde illud Alcæi Poëtæ Lyrici, τῷ ἀφανεῖ πᾶς ἔπεστι δόλος; vt propterea rectè illud constituat I.C. palam delinquentes vt errantes maiore pœna excusari, clam committentes vt contumaces plecti debere. *l.fin.ff.de ritu nupt.* Ob hanc rationem improbata fuêre fideicommissa tacita, per quæ iis, qui per leges incapaces erant hæreditatis vel legati capiendi, vel vsque ad certam summam tantum capere poterant, aliquid clanculum restituebatur, & quod ita relictum erat fisco addicebatur, vt supra positum ad l.3. ad leg. falc. Ex his in hac lege quæsitum fuerat, vtrum si ei qui per leges poterat palam capere, fideicommissum tacitum relictum sit, quod clanculum sit rogatus hæres restituere, ex hac causa fisco quidquam acquiri posset, & delatio admitteretur. Rescribit Imp. delationem cessare. Mouebat, quod res per tacitum fideicommissum relictæ fisci compendio cedant. Sed hoc verum est, cum in fraudem legis aliquid administratur ei, quem à liberalitatis

Iis quæ clanculum fiunt solet fraus inesse.

Quæstio legis propositæ.

alienæ emolumento ratio iuris communis excludit. Cæterum præscribi non potest, cur testator noluerit patefieri voluntatem suam, quæ legitima erat. Variæ scilicet possunt esse hominum voluntates, quorũdam pudori & verecundiæ illorum, quibus quid relinquunt, consulentium; quorumdam sua beneficia ex aliqua animi moderatione manifesta esse nolentium; quorumdam offensam legitimorum hæredum, qui quid sibi eripi extraneis datum indignantur, expauescentium, quas nemo bonus reprehenderit, imo & laude dignissimas arbitretur. Delatio in hac lege est denuntiatio, quæ fisco fit alicuius legati vel hæreditatis, vel cuiuscũque rei, quæ eiusdem fisci compendio quæri potest, vnde nuntiatoribus siue delatoribus præmium dari solebât quartæ partis eorum bonorum, quæ fisco quæsita essent, & inde quadruplatores dicti, *gens inuisa* bonis omnibus, quibus ad fisci compendium insidiæ struebantur, à classicis autoribus & ipsis Romanæ historiæ scriptoribus sæpius notata.

Delatio quid sit.

IMP. ALEXANDER A. SILVANO.

Lex 1. C. de municipibus & originariis.

CVM te Biblium origine, incolam autem apud Illyrios esse proponas: merito apud vtrasque ciuitates muneribus fungi compelleris.

PRæter hanc legem Haloander tribuit Imp. Alexandro legem vn. de præb. salar. sed consules ei subiecti in aliis codicibus arguunt esse Constantini. Hanc quoque codices quidam tribuunt Antonino; sed in aliis & maximè in editione eiusdem Haloandri Alexandro adscribitur; & quia nullibi consules habet, qui derogent fidem, inter Alexandri constitutiones potest recenseri. Non est autem scrupulosioris disquisitionis eius enarratio. Hanc complectitur definitionẽ; eum qui originem ducit ex aliqua ciuitate, in alia vero domicilium habet, in vtraque munera publica obire debere. Munera hîc intelligimus personalia, veluti tutela, curatio, munus sitoniæ, sollicitudo cursus vehicularis, & alia eiusmodi, quæ referuntur in l.1.§.2.& seqq.& l.fin.§.1.& seqq. ff. de muner. & honor. Honores etiam continebuntur, qui tamen si simul in vtraque deferantur, ibi administrabuntur, vbi quis originem ducit, quia originis causa est potior, neque eodem tempore in duabus ciuitatibus honos vel munus geri aut deferri potest. *l.17.§.4.ff.eod.tit.* ori-

Sententia legis proposita.

Munerum fila appellatione personalia veniunt.

ginem autem quis ducit à patre, nisi priuilegio aliquo materna censeatur. *l.1. §.1. ff. ad municip.* & propterea patria à patre nomen ducit. Liberti autem originem ducunt à patrono siue fuerit voluntaria manumissio siue necessaria, quæ fit ab eo qui fideicommisso grauatus est. *l.2. hoc tit.* ita vt si sit duarum ciuitatum municeps, libertus quoque eodem iure sit. *l.27. eius. ff. ad municip.* & quamuis alio transtulerit domicilium libertus, vtrubique muneribus poterit adstringi, & in patria patroni, & in ea ciuitate vbi moratur ipse. *l.22. filij. §. municipes l.37. de iure. ff. eod. tit.* quia nemo potest origine sua se propria voluntate eximere. *l.4. hoc tit.* nisi forte cum senatoriam dignitatem adipiscitur: Nam tum municeps esse desinit. *l.23. municeps. ff. ad municip.* Igitur qui Beryti commoratur, cum Bibli natus esset, in vtraque munera personalia & honores obite compellitur ex hac lege, Biblius & Berytus vrbes sunt in Phœnicia sibi contermina, quod & tradit hoc loco Alciatus.

Originem quisque ducit à patre libertus vero à patrono.

Libertus aliò se transferēs, quam in patria patrone in duabus ciuitatibus munera agnoscit.

IMP. ALEXANDER A. CRISPO.

NEc *ipsi, qui studiorum causa aliquo loco morantur, domicilium ibi habere creduntur nisi decem annis transactis eo loco sedes sibi constituerint, secundum epistolam D. Hadriani: Nec pater, qui propter filium studentem frequentius ad eum commeat. Sed si aliis rationibus domicilium in splendissima ciuitate Laodicenorum habere probatus fueris; mendacium, quominus muneribus fungaris, non proderit.*

Lex 2. C. de incolis.

QVi disciplinæ & studiorum causa abest, abesse non videtur. *l.78. quæsitum. ff. de leg.3. l.20. Seia. §. Pamphilæ. ff. de instr. fundo & instr. leg.* Et hinc fit, vt Clerici, qui litteris vacant, nihilominus quasi præsentes commoda beneficiorum suorum & præbendarum consequantur, vt sunt iuris canonici loci notissimi. Sed illud obtinet, si de commodo eius agatur, qui peregre abest, vt audiendis liberalium artium præceptoribus vel sciētiis nobilioribus operam det: nam interim muneribus ciuilibus non est obnoxius in eo loco vnde originem trahit l.1. & 2. C. qui æt. & prof. se excus. hoc lib.10. An in eo loco vbi curam disciplinis impendit? Quod nequaquam di-

Qui studiorum causa abest commodis præsentium vtitur.

cendum est, quia ibi domicilium non habet & id Imp. hac lege tradit. Sed excipit idem illos, qui decem annos eo loci, vbi excolendo ingenio vacant, commorati sunt; nam ibi sedem constituisse eos præsumendum est, & propterea quasi ibi domicilium habeant, ex his quæ ad legem superiorem sunt notata munera publica administrare cogentur. In eam rem refert etiam Imperator anteriorem Hadriani constitutionem.

IMP. ALEXANDER A. ATTILIO.

Lex 3. C. de muner. patrimoniorum.

QVI *immunitatem munerum publicorum consecuti sunt, onera patrimoniorum sustinere debent, in quibus causis & hospites recipiendi sunt.*

MVnera publica sunt in triplici genere: vel enim personalia sunt vel patrimonialia, vel mixta l.1. & l. fin. ff. de mun. & honor. Sed vt plurimum tamen munerum appellatione personalia continentur, quæ animi prouisione & corporalis laboris intentione siue industria obeuntur, ac propterea, vt docet hoc rescripto Imp. hi qui munerum publicorum immunitatem consecuti sunt, iis non liberantur quæ patrimonio indicuntur; cuiusmodi est cura suscipiendorum hospitio militum, quibus scilicet gratuita habitatio debet concedi.

IMP. ALEXANDER A.

Lex 1. C. quemadm. ciu. mun. indic.

CVM *te curatorem ad cogendas angarias creatum appellationem interposuisse proponis: Præses prouinciæ si alterius curiæ te esse animaduerterit, ad alieni corporis munera vocari non sinet: Quia eius patriæ oneribus respondere debes, cui te attributum esse commemoras.*

COdices fere omnes hanc legem tribuunt imperatoribus Caro Carino & Numeriano. Haloander tantum tribuit eam Alexandro, nec vllibi sunt Consules adiecti, qui ipsi derogent fidem, vt

res sit penitus in incerto. Cuiuscumque sit, ad eam illud est adnotandum; ex corpore decurionum legi magistratus municipales. ipsis etiam hæc cura fuit, vt exigerent annonas. *l. 1. C. de magistr. municip.* quæ quidem erant pensiones quædam, quæ soluebantur ex publico vel magistratibus vel officiis eorum, vt docet Cuiac. in parat. C. ad tit. de annonis & capitu admin. Sed ita demũ decuriones cura munerum pnblicorum respicit, si pertineant ad corpus suum, & peragi debeant in municipio suo: Nam si in alieno municipio, vbi decuriones non sunt, aliquod munus aut honos fuerit delatus, illum possunt defugere, quod hac lege constituitur, vbi minus rectè Cuiacius pro, *curia*, legi posse ait, *creatura*: Nam nomen corporis, cuius fit mentio docet, eum, qui curator cogendis angariis datus erat, in altera curia fuisse decurionem, in alia vero delatum ei munus curatoris. Angariæ autem sunt iumentorum siue plaustrorum præstationes, cuiusmodi munus est patrimoniale: sed exigendarum earum cura personale munus est.

Annonæ quæ dicantur.

Decurionibus non potest munus iniungi extra municipium suum.

Angaria quæ.

IMP. ALEXANDER A. FELICIANO.

VETERANI, *qui cum possent se tueri immunitate his concessa, decuriones se fieri in patria sua maluerunt: redire ad excusationem, quam omiserunt, non possunt: Nisi certa lege & pacto seruandæ immunitatis, vel partem eius honoris agnouerint.*

Lex 1. C. de his qui spõte mun. pub. subeunt.

Idem A. Valerio.

Q*Vi publici muneris vacationem habet: si aliquem honorem excepto decurionatu sponte susceperit, ob id quod patriæ suæ vtilitatibus cesserit, vel gloriæ cupiditate paulisper ius publicum relaxauerit, competens priuilegium non amittit.*

Lex 2. Cod. eod. tit.

SVnt personæ quædam, quæ inuitæ munera personalia vel honores non obeunt, sed si his sponte se subiecerint, frustra immuni-

tatem repetunt. Eius generis sunt veterani milites in hac l. 1. qui fieri se decuriones in patria sua permiserunt: nisi certa lege & pacto adscribi se in album decurionum passi sint, vel partem dumtaxat eius honoris acceperint, id est illud ex decurionatu sumpserint, quod honorem continet, non quatenus ei adiunctum est patrimonij damnum; quod in eo versatur, vt datis curatoribus subsidiaria actione conueniatur, vel quod ipse decurio tutor dari possit, aut ei imponi munus aliquod ciuile. *l. 3. §. fin. ff. de pecul. l. 1. C. quod cum eo qui in al. pot.* Qui autem alium honorem sponte suscepit, cum publici muneris vacationem haberet, priuilegium non amittit, *hac l. 2.* Decurionatus honos secum trahit alia munera, & ideo qui eum suscepit sine præfinitione vlla omnibus muneribus obstringitur. Has duas leges tribuimus Imp. Alexandro, quamuis Cuiacius primam tantum Alexandto tribuat, sequentem vero Diocletiano & Maximiano; & Haloander primam tantum Antonino ascribat, alteram Alexandro. Neutra subscriptionem habet, ideoque potuit vtraque Alexandro assignari.

Onera decurionum quæ sint.

IMP. ALEXANDER A. VERECVNDO.

Lex 1. C. de his qui num. lib. &c.

NVMERVS *liberorum ab oneribus non excusat.*

NOtissima sunt priuilegia πολυπαιδίας, & illud maxime, quo à muneribus ciuilibus, vel publicis excusat, de qua re varij varia scripserunt. Satis fuerit expendisse quæ hic scripsit Cuiacius & ad l. 2. ff. de excusat. tut. vel curat. & Lipsius lib. 3. annal. Taciti in excursu litt. C. Cæterum hæc lex docet numerum liberorum ab oneribus non excusare, quod falsum est: Nam tutela, cura, & alia eiusmodi publica munera onera sunt, & soli tres liberi ab his excusant. Dicendum itaque illam accipi posse de muneribus patrimonialibus quamuis possit cum Cuiacio legi *honoribus*, pro, *oneribus*. Hanc legem Antonino tribuerat codex Haloandri; eam alij adscribunt Alexandro.

IMP.

IMP. ALEXANDER A.

ATHLETIS *ita demum, si per omnem ætatem certasse, coronis quoque non minus tribus certaminis sacri in quibus vel semel Romæ, vel antiquæ Græciæ merito coronati, non æmulis corruptis ac redemptis probentur; ciuilium munerum tribui solet vacatio.* Lex vn. C. de athletis.

HAnc etiam legem tribuit Haloander Alexandro; alij codices eandem referunt ad Diocletianum & Maximianum. Nullibi subscriptio fidem facit, cui re vera debeat adscribi: Hoc autem definit; athletis ciuilium munerum tribui vacationem, si per omnem ætatem certauerint, & ad minus in sacris certaminibus vrbis Romæ & antiquæ græciæ ter fuerint coronati, neque id æmulis corruptis & redemptis, vt facto veluti colludio vinci se finerent. Quod certaminis sacri Romæ celebrati mentio fit in hac lege non satis est perspicuum; de ludis sæcularibus illud accipi non potest, qui semel vnoquoque sæculo id est post emensa centum annorum spatia celebrabantur. Eo itaque res redit, vt de circensibus hic locus intelligatur, qui Cereri sacrati erãt, in quibus propositas athletis coronas dicendum est. Quantum ad eos ludos, qui in Græcia sunt celebrati, certum est quatuor certamina sacra ibi statis anni temporibus & diuersis locis fieri solita: nimirum olympicum, Isthmicum, Pythicum, & Nemeæum: de quibus etiam ac de præmijs, quæ in eis proponebantur, circumfertur vulgare illud epigramma Archiæ poëtæ. *Sententia legis proposita.*

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' ἑλλάδος, τέσσαρες ἱροί·
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων.
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο,
Ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

IMP. ALEXANDER A.

REOS *criminis postulatos, nouos honores appetere non debere, antequam purgauerint innocẽtiam suam, & à diuis parentibus nostris, & à me sæpe rescriptum est.* Lex vn. C. de reis postulatis.

HÆc lex coniunctim explicata fuit cum l. 6. sup. de procuratoribus.

IMP. ALEXANDER A.

Lex vn. C. de peric. successorum parentis.

SI de proprio suo patrimonio muneris editionem tuo nomine pater tuus repromisit, ideoque sacerdotem te creari impetrauit: onus erogationis commune omnium hæredum eius esse præses prouinciæ non ignorabit.

HOc rescriptum est de sacerdotio prouinciæ, vt docet Cuiacius, quod erat munus patrimoniale, propterea quod ei adiunctum erat onus edendorum certaminum & ludorum in deorum honorem. Cætera explicata iam fuerunt ad l. 4. sup. familiæ hercisc. in fi.

IMP. ALEXANDER A.

Lex vn. C. si propter inimicitias creatio facta sit.

SI propter inimicitias ad munera ciuilia creatus es, hanc tibi nominationem non nocere, præsidis æquitas faciet: cum & publicæ vtilitatis intersit, non ex amicitia creationes fieri debere, sed æstimatione vera & commodo rei publicæ.

Vid. Plutarchum in Aristide & in lib. περὶ πολιτικῶν παραγγελμάτων.

NIhil iniquius, quam suas simultates cum damno reipub. exercere, & eo nomine laudati Themistocles & Aristides apud Plutharchum, quod sortiti eodem anno magistratum priuata odia publicis vtilitatibus remisissent. Hoc idem fecere Romæ Fabricius, Tiberius, Sempronius, Q. Fabius, M. Æmilius Lepidus, & alij plerique, quorum Quintilianus, Gellius, Liuius, & Cicero meminerunt. Illa etiam ratio est, cur in huius rescripti specie is qui propter inimicitias ad munus aut honorem publicum vocatus est, non studio & ambitu tuendæ publicæ vtilitatis, illa possit recusare. Vbique in deferendis oneribus, populi commodum non fauor aut odij exsaturandi occasio quærenda sunt.

IMP. ALEXANDER A.

SI ante diem subeundi honoris atque muneris pater tuus defunctus est: conueniri eo nomine eius hæredes non oportere, præses prouinciæ minime ambiget. Lex vn. C. si post creat. quis decess.

HAnc legem tribuit Haloander Alexandro, alij Gordiano: nullibi subscriptio definit: cui potius tribuenda. Eius sententia est: hæredes eius, qui ad munus vel honorem allectus est, conueniri eo nomine non debere, si ante diem huius vel illius subeundi decesserit, quod verum est, nisi forte cum appellasset is, qui creatus est tutor, aut magistratus appellauerit, & pendente iudicio appellationis decesserit: Nam hæredes eius appellationem peragere debent propter periculum medij temporis, quod oneri eorum incumbet, si iustam causam prouocandi & litigandi non habuisse defunctum constiterit. *l. fin. ff. si tu. vel cur. vel mag. app. l. quamquam. C. de excus. tut. vel cur.* Hæ sunt leges quæ in hoc lib. 11. Codicis possunt tribui Imp. Alexandro: Nam quod ei Haloander tribuit legem 1. tituli de tabulariis scribis lographis & censualibus; omnino est ineptum; cum Consules qui in aliis codicibus adiiciuntur fastos impleuerint sub Impp. Constantio & Constanti: atque etiam sub eodem titulo iis Impp. tribuatur in C. Theodosiano. Idem sentiendum de l. 2. 3. 4. 5. in tit. de susceptoribus præpositis & arcariis, quas eidem Alexandro idem Haloander adscribit, quæ in aliis Codicibus Impp. Valentinianno tribuuntur & in ipso C. Theodosiano eod. tit. iisdem adscribuntur, quod subscripti consules faciunt manifestius, quos tamen editio Haloandri non habet.

Sententia legis proposita.

Hæredes eius qui ante diem subeundi honoris decessit eo nomine non tenentur, nisi frustra appellauerit ipse pendente decesserit.



COMMENTARII IN RESCRIPTA AVRELII ALEXANDRI SEVERI IMP. ROMANI QVÆ LIB. XI. Codicis Iustinianæi continentur.



TRIA tantum rescripta Imp. Alexandri hic liber dabit. Primum extat in tit. 30. his verbis.

IMP. ALEXANDER A.

Lex 3. C. de iure reipub.

REMPVBLICAM *vt pupillam extraordinem iuuari moris est.*

Proprie res publica est qua pertinet ad populum romanum.

Publica res etiam dicuntur qua sunt aliarum ciuitatum.

Res publica proprie dicitur quæ pertinet ad populum romanum: nam ciuitates aliæ loco priuatorum sunt. *l. 15. bona cum l. seq. ff. de verb. signif.* vnde fit distinctio eorum, quæ sunt vniuersitatis, & quæ sunt publica. Sed plerumque tamen, quod in re populi romani definitum; idem trahitur ad res ciuitatum, & ideo edictum ex quibus causis maiores in integrum restituuntur, quod pertinet ad eos, qui absunt reipub. causa, idem pertinet ad eos, qui absunt ciuitatum & municipiorum gratia. *l. 8. legatis. ff. ex qu. caus. mai.* & lex Iulia peculatus, quæ erat de furto pecuniæ publicæ, id est ad populum romanum pertinentis: producta fuit ad eos, qui pecuniam ciuitatum surripuissent. *l. 4. §. fin. ff. ad l. Iul. pecul.* Igitur & quod hac lege constituit Imp. Alexander rempub. vt pupillam extra ordinem iuuari: commune est omnibus ciuitatibus, vt restitui possint, si quid contrahentes per actores suos captæ sint, quo iure fruitur etiam ecclesia, fruitur & princeps, qui ipse totius reipub. vicem sustinet.

IMP. ALEXANDER A. VRBICO.

SI vt proponis, decreto ordinis ad libertatem ductus es: Non debere te inuitum, actum reipub. administrare, curator reipub. non ignorat: Præsertim cum serui huiusmodi officia administrare debeant. Lex 1. C. si quis liber inu. actum reipub. ger. cog.

COdex Haloandri hoc rescriptum tribuit Impp. Valeriano & Gallieuo: cæteri Alexandro. Definitur in eo, libertum ciuitatis decretordinis, id est decurionum, manumissum, non compelli inuitum, vt actum reipub. administret. Munus scilicet illud seruorum est, vt sint dispensatores, siue [Greek], & exerceant calendarium ciuitatis. Cæterum quin liberti possint constitui actores & syndici, si litem nomine ciuitatis inferre & suscipere oporteat, nulla ratio impedit: Nam liberis hominibus, imo & ingenuis hoc munus potest delegari. *Sententia legis proposita.*

IMP. ALEXANDER A. QVATVORVIRIS ET DECVRIONIBVS Fabretanorum.

CAVTIONES *seruorum publicorum ita demum firmam securitatem debitoribus præstant, si curatorum adsignantium, vel eorum quibus exigendi ius est, autoritate subnixæ sunt. Cum autem is qui exoluisse dicitur solam scripturam actoris suscipientis pecuniam promat: Ea tantum defensio consueuit admitti, si quod exolutum est, rationi reipub. profecisse doceatur. Sane curator vester, si fraude serui constiterit effectum, vt interciperentur à curatore illatæ à debitoribus quantitates de peculio eius, quod eo modo deest, restituet.* Lex vn. C. de solut. & liberat. deb. ciu.

Sententia legis proposita.

NOn quicumque soluit liberatur, nisi soluat recte, id est, & cui debet, & eo modo & ratione quibus debet. Ostendit igitur Imp. hac lege, securitatem ita demum præstari iis, qui seruis publicis debitam ciuitati pecuniam exoluunt, si curatores reipubl. subscripserint apochis siue cautionibus, quas dederint serui; quod si factum non sit, hactenus debitor liberabitur, si quod solutum fuerit in rationes publicas & rem ciuitatis cesserit. Si & de illo nihil constiterit; actione de peculio serui nomine tenebitur curator ciuitatis in quantum vires eius patientur, quemadmodum ex contractibus seruorum qui ad priuatos pertinent obtinet. Rescribit Imp. ad Quatuor viros qui certo munere funguntur, quale in aliis ciuitatibus decemprimorum vel viginti virorum, quorum munus vocatur etiam decaprotia & isacoprotia in l. fin. §. 16. mixta. ff. de muner. & honor.



COMMENTARII IN
RESCRIPTA AVRELII ALEXANDRI
SEVERI IMP. ROMANI QVÆ LIB. XII.
Codicis Iustinianæi continentur.



X hoc libro septem tantum rescripta nomen Imp. Alexandri præferunt. Prius statim initio primi tituli occurrit, quod tamen Antonino tribuit Haloander; Cæteri, ipsi Alexandro. His verbis continetur.

IMP. ALEXANDER A. SEVERINÆ.

Lex 1. C. de dignitatibus

SI vt proponitis, & auum consularem, & patrem prætorium virum habuistis, & non priuatæ conditionis hominibus, sed clarißimis, nupseritis; claritatem generis retinetis.

VVlgaris est sententia huius legis; à patre & auo mulieres claritatem generis nancisci, nisi nuptæ sint inferioris dignitatis viris, quia certum est vxorem mariti conditione censeri. *l.13. hoc tit.* & eas eatenus generis nobilitatem retinere, quamdiu in alienam familiam non transierint. Quæ igitur auum consularem & prætorium habent, claritatem generis ab eis nanciscuntur, si inferiores nuptias non sint sortitæ. Consules & prætores, nonnisi ex senatu legi certum est: Senatores autem omnes sunt clarissimi.

IMP. ALEXANDER A.

NEQVE *famosis & notatis & quos turpitudo vitæ inquinat, & quos infamia ab honorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt.* L.2.C.eod.

HAnc legem Imp. Alexandro solus tribuit Haloander. Cæteri Constantino, nec vllibi consules sunt adiecti, qui definiant vtri potius quam alteri sit tribuenda. Non est eius sententia difficilis. Qui infamia notantur dignitatem omnem amittunt, vt qui senatu mouentur: Ergo nec nouam queunt adipisci, quia vix tutò honos ipsis defertur, qui aliqua reprehensione sordescunt. Innocentiæ præmium est honos: alioqui habet magistratus infulis aucta improbitas, quo superbius insolescat, & licentius in plurimos sua mala diffundat. Ex hac lege sumpta est hæc regula iuris canonici: infamibus portæ non pateant dignitatum: quæ fere inter abrogatas debuerit recenseri; adeo pecunia & ambitio extulit probrum & dedecus omne, vt fere deteriores quilibet ad maximos honores & tribunalium sæcularium vel ecclesiasticorum fastigia protruderint. Sed Dei misericordia statim est omnia in antiquum decus reuocatura. *Infames dignitatem amittunt & nouam non possunt adipisci.*

IMP. ALEXANDER A.

NON *tantum decurionum filiis, sed omnibus in fraudem ciuilium munerum nomina armatæ militiæ dantibus fraudem prodesse displicuit.* Lex C. qui mil. poss. & c.

Militia nomē dare nemo debet in damnū alicuius priuati vel etiam reipublicæ.

ETiam illam legem Haloander tribuit Imp. Alexandro quæ in aliis codicibus nomē præfert Impp. Diocletiani & Maximiani, vbique sine subscriptione. Certum illud est, nemini fraudi esse debere cingulum militare ab aliquo sumptum, ideoque qui litis causa, vt se pretiosiorem aduersario faceret, nomen militiæ dedit exauctorari debet. *l.4.§.8.non omnis. l.fin. ff. de re mil.* Multo minus sua fraus cuiquam proderit, si cum damno publico vt ciuilia munera defugiat in numeros curauerit se referri, quod non in decurionibus modo, qui curiæ onera obtentu militiæ detrectare nituntur, sed & in quibuscumque aliis obtinere hoc rescripto constituitur. Idem quoque sacri Ecclesiæ canones definiêre in illis, qui Ecclesiæ ministerio se mancipant, vel monasterio, vt à publicis muneribus, vel etiam carceris pœna se eximant, aut obtentu dignitatis vel characteris, quem in clero adepti fuerint, cuiusquam qui cum eo implicitas rationes habuerint ius minuant; qua de re quædam adnotauimus in parat. decretalium tit. de seruis non ordin. & tit. de oblig. ad raciocinia ordin. vel non.

Idem in clericis vel monachis qui in fraudem alicuius nomen cælesti militia dare non possunt.

IMP. ALEXANDER A.

Lex 4. C. de re mil.

DEFVNCTORVM *in desertione bona confiscari Dius Marcus & Antoninus pater meus constituit.*

MIlites emansores vel desertores variis pœnis afficiuntur pro delicti ratione, & absentiæ diuturnitate. Frequentius deportatio irrogatur, maximè si se obtulerint antequam sint adprehensi: alias fit interdum, vt vltimo supplicio adficiantur. *l.5. §.4. l.13. milites. §.6. desertorem. ff. hoc tit.* Quid si in desertione decesserint? Bona eorum confiscari Imp. definit in hoc rescripto, cui rectè obijcit Cuiac. l.1. C. si reus vel accus. mortuus fuerit, quæ restituta est ex libris βασιλικῶν, ex qua crimen λειποταξίας morte extinguitur. Sed forte minus est deserere ordinem, quam militiam ipsam. Hæc lex accipienda est de eo qui militiam deserit penitus. Aliter ille: Sed quod ponimus rectum est.

IMP.

IMP. ALEXANDER A. PRISCIANO.

SI in potestate tua filius tuus fuit eo tempore quo quædam nomine eius emisti, ea tua esse non dubitatur. Peculio autem castrensi cedunt res mobiles quæ eunti in militiam à patre vel matre aliis-ve propinquis vel amicis donatæ sunt: Item quæ in castris per occasionem militiæ quæruntur: In quibus sunt hæreditates eorum qui non alias noti esse potuerunt, nisi per militiæ occasionem, etiamsi res immobiles in his erunt. Matris autem hæreditas, quamuis in militia delata sit, ad peculium castrense non pertinet, in castrensi vero peculio prædium donatum non esse constat: quamuis empta ex castrensi peculio prædia eius conditionis efficiantur. Lex 1. C. de castr. pecul. mil.

Idem A. Felici.

FIliusfam. alienationem nullius rei sine voluntate patris habet, nisi castrense peculium habeat. Lex 2. Cod. eod. tit.

Idem A. Feliciano.

ERrat, qui tibi persuasit, quod nexu paternæ potestatis, iure sacramenti solutus es. Manent enim nihilominus milites in potestate parentum: sed peculium castrense proprium habent: nec in eo vllum ius patris est. L. 3. C. eod. tit.

QVæ ad legem primam pertinent fere omnia fuere exposita ad l. 4. sup. familiæ herciscundæ, vbi dictum fuit quid peculij castrensis appellatione contineretur. Illud præterea in principio huius legis adijcitur, ea quæ nomine filijfam. pater emit patris esse, quia vna eademque persona est patris & filij in potestate eius constituti, vt qui filiofam. suo stipulatur, sibi acquirat. §. *vero. instit.* *Quod filiofam. pater emit aut stipulatur, sibi ipsi acquirit.*

de inutil. stipul. Definit illud etiam Imp. matris hæreditatem militi filiofam. delatam, quamuis tempore militiæ, castrensi tamen peculio non contineri; quapropter iussu patris eam filius adire debebit, vt patri quæratur & plenum ius in ea patris sit. Sed ex posterioribus constitutionibus aliter est constitutum, ex quibus filijsfam. bonorum maternorũ vel materni generis proprietas seruatur, vsufructu tantum penes patrem manente, *l. 1. & 2. C. de bo. maternis.* Quod adijcit, prædium filiofam. donatum non esse castrense; illud ita verum, si à patre donatum sit, aut ab alio, quem per militiam notum non habeat. Ait etiam in l. 2. exceptâ causâ castrensis peculij filiumfam. nullius rei habere alienationem; quod verum est, vt nec rem patris possit vtiliter pignori dare, vt constitutum fuit sup. ad l. 4. C. si al. res pign. da sit. Sed poterit tamen rem peculiarem alienare, si peculij liberam administrationem habeat. *l. pen. §. sed & si. ff. de diu. & temp. præscr. l. si liberam. Cod. quod cum eo.* Peculium intelligimus profectitium: nam peculij castrensis liberam administrationem semper habet, vt satis manifeste docet Imp. hoc loco in l. 2. & 3. in qua præterea illud dicitur, quod notum satis ex ipsis iuris elementis, filiofam. milites ipsius militiæ sacramento à vinculo patriæ potestatis non liberari: Neque id modo obtinuit in ipsos gregarios milites, sed in ipsos etiam Imperatores & eminentioris fastigij magistratus puta Consules, & Tribunos, vt sunt notæ historiæ patrum, qui vel filios strenuos militum duces interemerunt, vel pro rostris concionantes, cum ipsi filij tribunali potestate fungentes legem aliquam referrent, domi abduxerunt: vnde etiam illud Quintiliani declamatione 286. *Obijcio tibi munus lucis; iactat se potestas illa patrum etiam in magistratus, etiam in victores.*

Bona materna vel materni generis iure nouo pertinent ad filiumfam. seruato vsufructu patri.

Excepta causa castrensis peculij filiusfam. ius vēdendi non habet.

Militia sacramentū non soluit patriam potestatem.

Finis Commentariorum in rescripta Aurelij Alexandri Seueri Imperatoris Romani.

INTERPRETATIO LOCORVM ET DICTIONVM GRAECARVM QVAE *passim in hoc libro occurrunt.*

EX AXIOMATIBVS POLITICIS.



ΑΣΙΛΕΊΑΝ, &c. Statum regium vnum esse ex optimis reipubl. administrandæ modis. *In præfatione pag. 1.*

Ibidem. Περὶ μοναρχίας, &c. De Regio Imperio, & populari, & optimatum dominatione.

Ibid. Εἰ πρεσβυτ. &c. Vtrum senex debeat se immiscere regendæ reipublicæ: Regiam dominationem perfectissimam, & maximam rationem politiæ.

Συμφέρειν, &c. Conducere magis magnitudini reipub. vnius dominationem regiam, & legitimam. *pag. 3.*

Ibid. Ἀπόῤῥοιν, &c. Fluxum diuinæ naturæ.

Ib. Διοτρεφεῖς, à ioue nutritos.

Ib. Διοτρέφεος, &c. à ioue nutriti regis honos à rege est; amat vero ipsum consiliarius Iupiter.

Ἄναξ, &c. O rex? Deos enim dominos vocare par est: hoc vocabulum ἄναξ id est rex dicitur quod ἄνω id est desuper dignitatem siue potestatem habeat. *pag. 4.*

Ib. Εἰκὼν, &c. Effigies princeps est animata Dei.

Καῖσαρ. &c. Cæsar, Augustus, quasi quid maius supra homines esset, vocatus est: omnia enim honoratissima & sacratissima quæque, augusta dicuntur, vnde reuerendum illum Græce loquentes quasi colendum dicebant. *pag. 5.*

Κρίνειν, &c. Diiudicare non licet diuina opera hominibus: omnia enim hæc sacra & optima. *pag. 6.*

Ib. Ποιμένας λαῶν i. pastores populorum.

Ib. Βυλομ' ἐγὼ, &c. volo ego populum saluum esse, non perire.

Ib. Οὐ χρὴ, &c. Non oportet tota nocte dormire consiliarium virum, cui tot res commissæ sunt, & tot negotia curæ.

Οἱ παῖδες, &c. Liberi vestri patribus indigent, iuuenes senibus, mulieres viris, viri magistratibus, magistratus legibus, leges sapientibus, diis philosophi, dij ipsi fide. ab optimis parentibus orti estis; præsentem rerum vestrarum statum odio prosequimini. *pag. 8.*

In cap.1.pag.9 Τί μεῖζον,&c. Quid maius hominis paruitati, quam Deo coniungi & Deum fieri ex mixtione.

Ib. Οὐκ ἔστι, &c. Non est Dei virtus, Deus enim præstantior est ipsa virtute, & non est virtute probus.

pag. 10 Εἰδέναι σε, &c. Scire te oportebit exemplar esse multis hominibus vitam tuam, & sermonem.

Ib. Εγγίνεται, &c. Ingeneratur pluribus certior opinio & sententia numen esse aliquid magnum & venerandum, cum quos ipsi colunt, ac in magnis viris censent, eos ita liberaliter atque alacriter sumptus in venerationem deorum facere cernunt.

pag. 11 Ετι τὰ πρὸς, &c. Præterea oportet videri ipsum erga religionem deorum affici vehementer: minus enim formidabunt populi, ne quid contra iustitiam fiat, si religioni deditum illum existimabunt, ac deorum timorem habere, minusque illi insidiabuntur, quasi Deos habiturus sit adiuditores.

Ib. Θυμὸς, &c. animus meus aliquando ad cœlum vsque euectus in terram decidit, & me sic alloquitur; disce mortalia magni non æstimare.

pag. 13 Βασίλειον ἱεράτευμα, regale sacerdotium.

Ib. Τὰ πρὸς Θεὸν, quæ ad Deum pertinent.

Ib. Θυσιῶν, &c. Sacrificiorum, quæ propria sunt sacerdotum.

Ib. Βουλομένων, &c. Pietatis mysterium est eorum, qui sponte obsequuntur, non eorum qui coguntur.

Ib. Τὸ πάμφαγον, &c. Os omnia volans apud illos tantum fit vitale aut viuificans.

Cap.2.pag.16 Φύσει, &c. Natura vitium in promptu est, & solitus cursus est ad id quod peius.

Ib. Ανεπίληπτοι ἀνέγκλητοι, irreprehensibiles, inculpati.

pag. 17 Ο ἐπίσκοπος, &c. Episcopus est minister verbi, scientiæ custos, mediator inter Deum & vos in orationibus suis, ille doctor pietatis; ille post Deum pater vester, qui per aquam & spiritum vos regenerauit in adoptionem, ille princeps, ille dux vester, ille rex vobis & præfectus, ille vobis post Deum terrenus Deus.

pag. 18 Περὶ τροφὴν, πρὸς τρυφήν: Ad alimentum, ad delitias.

pag. 19 Ὅς ἂν προσποιούμενος, &c. Quicumque prætextu ecclesiæ auxerit marsupium, & propterea quod necessarius & vtilis censetur in temporibus, quæ requirunt nauitatem, potentiam sibi conciliauerit; ille est, quem à consortio fidelium excludimus.

pag. 20 Αγαθὸν ἀλλότριον: Bonum alienum.

Ex cap.3.p.21 Πολλοὶ, &c. Multi arioli, pauci vero sunt prophetæ.

pag. 22 Οὐχ ὑμῶν, &c. Vestrum non est scire tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.

pag. 24 Μισῶ, &c. Odi sapientem, qui sibi non sapit.

quod iniuriam non facit ſed propulſat, optima quoque ſpe fruitur.

Ex cap.6.p.59 Ὅπου ἄνδρες,&c. Vbi homines Deos coluerint,res bellicas apprime exercuerint,optimè parére inſtituerint, quomodo non decet illic omnia optima ſpe plena eſſe?

pag.60 Αὐτὸς,&c. Ipſum ferrum homines ad ſe trahit.

Ib. Ἀγαθοὺς,&c. Bonos eſſe conuenit,qui ex bonis ſunt.

Ib. Περὶ παίδων ἀγωγῆς, De puerorum inſtit.

Ib. Εὐγένειαν,&c. Nobilitatem optimum libertatis theſaurum.

pag.61 Ἐν βατράχοις, In ranis.

Ib. Νὴ τὸν, &c. Per Iouem ſaluatorem vir eſt generoſus dominus meus, cur non enim generoſus, quandoquidem ſcit bibere & amori indulgere tantum.

Ib. Ἐγὼ γελῶ, &c. Rideo morbum tuum,ſiquidem malus cum ſis, putas obtegere generis nobilitate prauos mores tuos.

Ib. Τίς πατέρα,&c. Quis patrem laudabit, niſi infortunati liberi.

pag.62 Αἰσχρὸν, &c. Turpe eſt, ſi nomen alicuius habeas,indolem optimam non habeas.

Ib. Εὐγένειαν, Nobilitatem generis.

Ib. Γενναιότητα, Generoſitatem indolis.

Ib. Εὐγενὲς τὸ,&c. Nobile eſt,quod à genere venit; generoſum, quod ab optima natura non degenerat.

Ib. Ἀκολάστῳ,&c. Proterui exercitus nullam vtilitatem eſſe.

Ex cap.7.p.63 Τὸ στρατιωτικὸν, &c. Exercitus benè nutritus hoſtibus obſiſtit, & tuetur agros,& ciuitates.

pag.64 Ἀλλὰ πάσασθαι, &c. Sed paſci iube cauis in nauibus achiuos cibo & vino; in his enim robur & vigor.

Ib. ὃς μὲν, &c. Quicumque vino ſatiatus & cibo cum hoſtibus tota die decertauerit; audax ei eſt animus,neque ei membra prius deficiunt,quam omnes à bello receſſerint.

pag.65 Οὓς ἂν εὕροι, &c. Quos inuenerit Perſarum Rex ex magiſtratibus militaribus vel negligẽtes curam eorum,qui cuſtodiis ſunt præfecti,vel ab illis lucri aliquid abſtrahentes; hos grauiter coërcet, & à dignitate illis ſemotis,alios curatores conſtituit.

Ex cap.8.p.67 Μεμελημένον ἔστω, &c. Illud curæ ſit,vt dux ſplendidum armis paret exercitum.

Ex cap.9.p.68 Ἐρύματα μὴ ἔχειν. Propugnacula non habere.

Ib. Τὴν ἀσφαλεστάτην,&c. Tutiſſimam munitionem murorum credendum eſt bello eſſe conuenientiſſimam; maximè cum nunc ad diligentiam vſque inuenta quædam fuerint circa tela & machinas, ad vrbium oppugnationem.

Ib. Τειχοποιὸς, &c. Murorum ſtructores, aquileges, & portuum cuſtodes.

Ὀφθαλμὸν, &c. Oculum omnia videntem nihil prætermittentem. ex cap.10.p.69
Ὀφθαλμὸς, &c. Oculus præceptoris muta doctrina. pag.70.
Ib. Ἡ σὴ, &c. Tuorum eorum-ve qui prope te sunt cognitio plenius in te permanens magis desiderandum te præstabit subiectis.
Ἐπεὶ δὲ, &c. Quando quidem propter priuatos secius quam par est viuentes ad res nouas decurritur; oportet magistratum constituere, qui attente exploret illos, qui non congruenter viuunt ad instituta publica. pag.72.
Ib. Μέρος, &c. Vnusquisque partem constituit ciuitatis; quæ vero impenditur cura circa singulas partes, ea pertinet ad commodum totius reipublicæ.
πανθ' ὅσα, &c. Omnia quæcumque aliquis vim inferens facit, ea sunt delicta publica, quæ etiam illos respiciunt, quos negotium non contingit. pag.73.
Αὐτάρκης sufficiens. cap.11.p.74.
Ib. Μία, &c. Vnius manus imbecillum certamen.
Ib. Ψυχαὶ, &c. Animæ quædam, quæ rerum euentus obseruant, diuinæ atque præstantes.
Τίς ἂν, &c. Quis non libenter susceperit consiliarium beneuolum & fidelem, qui, veluti onus, in partem casus aduersos recipit, & in eo alleuat quod se eorum participem præbet. pag.75.
Ib. Θεραπευτικὸν, quæ curandi rationes tenet.
Ib. προφυλακτικὸν, quæ morbos arcet præcauendo.
Ib. Παμβασιλείαν, regiam potestatem plenissimam.
Τῷ βασιλεῖ, &c. Regi basis securitatis est æquitas eorum, qui ab eius latere sunt. pag.76.
Ib. Αἱ βασίλειοι, &c. Regiæ & diuinæ mentes, si eas excitauerit consilium & ratio, splendescunt magis, & ad rectè agendum cum impetu feruntur.
Ib. ἱερὸν συμβούλιον, diuinum consilium.
Ib. Θεὸς μόνος, &c. Deus solus nullius rei indiget, & solus non eget consiliario.
Ἀντανάκλασις, repercussio. ex cap.12.p.78
Ib. Ὦ Ζεῦ ἀργάλεον, &c. Quam ardua res est, Iupiter & Dij, seruum fieri insipientis domini.
Δεσπότης, &c. Dominus quis non est, quod possideat seruos; sed quod iis rectè vtatur. pag.79.
Ib. χαίρετε, &c. Valete imperatores, & regia, & quicumque famuli estis & familiares principis, si quidem imperatori fideles nescio; Deo certè infideles maximè.
Ὅπου βασιλεὺς, &c. Vbi princeps, ibi omnino fortuna quoque est. ex cap.13.p.81.
Κρεῖττον, &c. Satius in coruos, quam in adulatores incidere. pag.82.

Ib. Ὡς ἐκεῖνον, &c. Quasi illi iniuriâ plurimos afficiant per ipsum principem.

pag.83. Γνῶθι σεαυτόν, nosce te ipsum.

pag.84. Εἴθ' ἐξῆν, &c. Vtinam liceret, qualis quisque esset pectus aperientem, deinde mente explorata recludentem rursus amicum existimare animo dolis vacuo.

Ib. καρδιογνώστης, scrutator cordium.

Ib. ἀλάθητος, &c. Deus est, quem nemo potest latere, & est rerum omnium inspector.

pag.85. Πῶς ἄν τις, &c. Quemadmodum quis distinxerit adulatorem ab amico.

ex cap.14.p.85 Τὸ μὲν θεότητος, &c. Hic quidem diuinitatis lacinia, quæ est lux incomprehensibilis: Illud vero ab obscura & vili origine.

pag.87. Οὐδὲ σθένειν, &c. Neque tantum momenti habere arbitrabar tua edicta, vt non scripta & certissima tamen deorum iura posses tu mortalis supergredi.

Ib. Πέρσαις, &c. Persis ipsum veluti legem & iudicem turpium rerum & honestarum declaratum fuisse.

Ib. Πῦρ σιδήρῳ μὴ σκαλεύειν, ignem ferro non mouere, aut fodere.

pag.80. Βασιλείαν, &c. Deus propter hoc regium imperium inter homines constituit, vt pro vt res desiderant aliquid præcipiens indefinitam humanæ naturæ varietatem suppleret.

pag.89. ἀγαθὸς, &c. Bonus princeps diligit leges, quia non metuit.

in cap.15.p.90 Θεία αὕτη, &c. diuina illa est & magnifica prouidētia, per quam insumitur cogitatio circa electionem viri boni.

pag.91. Ὅπως τάχιστα, &c. Quamprimum in solio paterno consedit, statim diis distribuit præmia aliis alia, & disposuit imperium.

Ib. Χειρεμβόλον, manus immissionem. Illud verbum est notum Iurisconsultus in l.1.§.3.ff. nautæ caup. stabul.

Ib. Βασιλέως, &c. Regis oculi & auscultatores.

Ib. Ὀφθαλμοὺς, &c. Oculos multos reges sibi faciunt, & aures, & manus, & pedes: nam veluti imperij sui amicos proprios faciunt assessores.

Ib. Πᾶς ὁ λάχων, &c. Quicumque sortitus est magistratum paruam speciem regiæ potestatis subinduit.

pag.92 Τί ὄφελος, &c. Quæ vtilitas ex legibus erit, si scriptis tantum mandentur, nec vtilitatem sui in ipsis rerum argumentis subditis præbeant?

pag.93 Τρία χρὴ, &c. Tria oportet habere eos, qui principales magistratuum dignitates obituri sunt: primum quidem propensum amorem erga rempub. cui adhibentur; deinde vim animi maximam circa munia dignitati cohærentia, tertiò virtutem & iustitiam.

Ib. Κα-

Ib. Κίνδυνον, &c. In periculo est, qui volens non coactus ad imperium accedit, ne sordidus existimetur.

Ib. Τότε ἀστασίαστοι, &c. Tunc inturbidos & seditione vacuos fore honores reipub. si illi magistratum obeant, qui id commode facturi sunt, nec tamen desiderauerint.

Φαῦλον, &c. Malum est venales esse magistratuum dignitates maximas, regis scilicet & ducis militum: Honoratiores enim diuitias facit illa lex prae virtute, & diuitiarum appetentem totam ciuitatem. *pag.95.*

Ib. ἂν ὑπολάβῃ, &c. Quod potior & dignior pars ciuitatis honore dignum constituerit: necessarium est aliorum ciuium opinionem ipsam sequi: Vbi vero maximè virtus honoribus non afficitur, non potest fieri hanc rempub. firmam manere.

Ib. Γίνονται, &c. Fiunt & ex accidenti mutationes reipublicae, & optimatum gubernationis, in quibus pretio constituto ciues consiliarij sunt, vel iudicant & alios magistratus administrant.

Ὅτι ἀρετὴ, &c. Quia virtus sufficiens est ad beatitudinem. *pag.96.*

Ib. Ὦ τλῆμον, &c. O infelix virtus: sermo igitur eras, ego vero vt opus aliquod te exercebam: tu vero seruiebas fortunae.

Οὐ πρόκειται, &c. Non palam constituitur forum dignitatum; auctioni non subiiciuntur gentium praefecturae, quemadmodum res venales, sed antiquum praemium redit iustitiae & experiẽtiae. *pag.97.*

Φεῦ τῶν νόμων, &c. Heu leges iniuria affectas? Contra quas quidam in propria patria magistratum exercent, contra quas ad praefecturam emendam, mutuam dant pecuniam. *pag.98*

Ib. Περὶ τῆς, &c. Vt magistratus sine pretio creentur.

Ἐξοχὴ, excellentia. *pag.99*

ἀργυρόπεζα, argenteos pedes habens.

Ib. Τί μὴν, &c. Quod felicius, quodue beatius nunc est iudice, vel delicatius aut formidabilius animal.

Πολλαὶ μορφαὶ, &c. Multae & variae species rerum diuinarum, multa contra spem perficiunt dij: quae fieri posse videbantur, facta non sunt: Rerum quae non sperantur exitum inuenit Deus. *pag. 101.*

Οὐχ ὅπως, &c. Non vt quid boni conferant in subditos, sed vt magis opprimant. *pag. 102.*

Τίς οὐκ ἂν, &c. Quis non impune furetur, quis non sine periculo latrocinetur, ad magistratum respiciens, & ipsum videns omnia diuendentem: hac fiducia fretus quia quodcumque fecerit absurdum & incongruens rationi, id pecunia oblata redempturus sit. Inde homicidia, adulteria, inuasiones, vulnera, & raptiones puellarum, & seditiones in turbis, & contemptus legum & magistratuum, omnibus eos venales prostare existimantibus, veluti pessima quaelibet mancipia. *Ex cap.16.* *pag..103*

Ib. ὁ πολλὰ,&c. Qui multa furatus est,paucis datis effugiet.

ἔγνω δ',&c. Nouit vero fur furem, & lupus lupum.

pag.104 Ib. ἐρευνάδαι, maleficorum inuestigatores,λῃστοδιῶκται latrunculatores: Βιοκωλύται, magistratus qui vim inferri prohibent.

Ex cap. 17. pag.105 Τὸ εὖ ποιεῖν,&c. Benefaciendi solum habent commune opus homo & Deus: Imitatio vero quasi propriæ naturæ conciliatio est, & coniungit personam eius qui imitatur,cum eo à quo exemplum ducitur.

pag.106 Ῥεῖα,&c. Facile enim extollit,facile etiam elatum deprimit, facile præclarum minuit, & obscurum auget.

pag. 107 Τὰ μεγάλα,&c. Non facile quemquam contigerit maxima quæque & prout se obtulerint donare,nisi qui rapuerit & vim intulerit.

pag.108 ἀλλότριον, &c. Aliorum laborem in proprium ventrem mittunt.

pag. 109 Οὐ μὲν,&c. Non quidem abiiicienda deorum dona præclara.

pag.110 Τῇ χειρὶ,&c. Manu oportet serere, non culeo ipso.

Ib. Κτήματα,&c. Opes regiæ non propriæ principis sunt, sed communes & publicæ romani imperij.

ex cap.18.p.111 Οὐκ ἄλλως, &c. Nequit omnino res publica conseruari sacris tributis non illatis, ex quibus aliti milites hostibus resistunt, & tuentur agros & vrbes, fruunturque reliqui ordines annonis suis, muri & ciuitates restaurantur, & alia omnia peraguntur, quæ respiciunt ad communem subditorum vtilitatem.

Εἰς τὸ δέον ἀπόλλυται,in id quod decebat impendi.

pag. 112 Ib. Μέτριον, &c. Moderatum est, leue ac ferendum, & facilius tributum quod confertur à pluribus.

Ib. Τὸ εἰς πλῆθος, &c. Quod in plures onus diuiditur ab iis qui illud subeunt vix sentitur.

cap.19.pag.113 Ἀναγκαῖον,&c. Necesse est in paruis aliquid iniq; aut facere aut statuere eos,qui in rebus maximis desiderant æquitatem seruare.

pag.115 Ὅταν ἄτιμοι,&c. Cum plures fuerint ab honoribus semoti & pauperes; necesse est hostibus plenam esse ciuitatem.

Ib. Δῆλον ἄρα,&c. Perspicuum est igitur, in ea ciuitate, in qua plures videris pauperes,eo loci plures quoque absconditos esse fures,marsupiorum exenteratores & sectores, sacrilegos, & aliorum eiusmodi scelerum operarios.

Ib. Σεισαχθεία, alleuatio oneris.

pag.117. Πένητες, &c. Pauperes,compari honore gaudentis naturæ pars despectissima.

pag.121 ἀργίας χαρὰ,inertiæ actio.

Ib. ἐρευνάδης,maleficorum inquisitor.

Ib. Τῷ μὲν, &c. Illi quidem manus ad petendum, mens vero ad furandum. Hoc prouerbium non potuit ad verbum latina oratione exprimi,sensus tantum expositus est.

Ib. Ἐργάζου,&c. Operare, laboribus vt propriis viuas; quicumque enim est iners, viuit ex beneficio manuum rapacium: Neque in alienis epulis edas reliquias mensæ, sed ex propriis bonis comede nulli iniuriæ expositus.

Ib. Ὁ ἐλεῶν, &c. Qui pauperis miseretur Deo credit quis non admittit talem creditorem, qui restituturus est debitum statô tempore cum interusurio siue vsura.

Ib. Διὰ τὴν, &c. Propter desperationem receptionis. Propter eius magnificentiam.

Ib. Εἰ δέ τις, &c. Si vero quis artem non didicit, fodiat ligone: est quærendo victui omne opus commodum, si laborare volueris. si nauta existens nauigare volueris, adest tibi latum mare: Si vero agriculturam sequi, lati tibi agri patent.

Οἰκτίρμων, &c. Planum est, quia misericors animus misericordiam consequetur. pag. 123

Ἅπασαν, &c. Omni sua substantia indutus est. Ex cap. 21.

Ib. Ἔξωθεν, &c. Extra totus purpureus, intra vilibus vestibus indutus. pag. 130

Γῆμαι, &c. Ducere vero malam vxorem ex malo patre natam non curat vir bonus, si qua multas opes det: Neque mulier hominis improbi vxor esse renuit diuitis, sed opibus florentem desiderat pro bono; diuitias enim honore prosequuntur, & ex malo genere ortam bonus ducit, & malus ex bono; diuitiæ miscent genus. pag. 132

Τὴν ἑαυτοῦ, &c. Suam ipsius substantiam qui dissipauerit, infamis esto. pag. 137

Κακοπολιτεία, mala administratio reipublicæ. Ex cap. 22.

Ὅταν δ', &c. Cum vero fundamentum generis optime non constituetur, necesse est nepotes esse infelices. pag. 139

Ib. ὁ γάμος, &c. Nuptiæ ita venerandæ, vt videantur hominum generi artificem quandam immortalitatem inducere.

Ἔστι ἀριστεία, &c. Est quædam excellentia virtutis, cum improbis conuersantem, naturam retinere & nullo modo improbitate affici. Ex cap. 23. pag. 143

Ἀνέχου καὶ ἀπέχου, sustine & abstine. pag. 146

Ib. Δοκεῖ μοι, &c. Mihi videtur difficilius esse inuenire hominem bona rectè ferentem, quam mala: Illa enim iniuriam pluribus, hæc vero prudentiam omnibus ingenerant.

Χρὴ ἄνδρας, &c. Oportet viros generosos & sapientes desiderare quidem optima; ferre vero quæcumque inciderint. pag. 147

Ib. Ἄγου, &c. Duc me ô Iupiter, & tu fatalis necessitas, quo aliquando à vobis sum destinatus.

Περὶ πολιτικῶν παραγγελμάτων. De præceptis politicis. Ex cap. 24.

Ib. Δεῖ πρὸς, &c. Oportet ad occursus sermonem habere facilem & exercitatum eum, qui reipub. præsit, aut eam administrat. pag. 148

Ib. Τὸ χρηστότητι,&c. Quod mansuetudine præceptum compendiosius. Talis esto amicis & proximis, quales tibi ipsi alios esse cupis.

pag. 149 Περὶ θυμοῦ, de ira.

pag. 151 ἀνδρῶν,&c. Virorum est, eos qui obstiterint coërcere armis; eos vero qui succubuerint benigne accipere.

pag. 152 ἀθάνατον,&c. Immortales inimicitias ne custodias mortalis cum sis.

pag. 153 Βέλτιον, &c. Melius est pro inimico acquirere amicum beneuolum.

pag. 154 Τινῶν, &c. Cum quidam pluribus criminationibus subiecti essent, nihilominus abstinuit, vt eos non occideret.

Ib. οὓς μὲν, &c. Quos quidem maximè superare valde non est laudabile, ab his vinci quantum malum est.

Ib. Τῷ ἤθει,&c. Indole generosus ille est, qui potest accipere iniuriam, nec eam vlcisci studet.

Ib. Μεῖζον ἐστι,&c. Maius est malum facere iniuriam quam pati.

pag. 155 Τὸ ἀποθνήσκειν, &c. Qui moritur dum vult fugere vel amorem vel quid eiusmodi, non se præstat generosum sed ignauum.

pag. 156 Ζημιωθεὶς, &c. Damno vel iniuria affectus vel impetitus ab aliquo ne reputa quod præsens est, sed futurum cogita, inuenies quia multorum bonorum ille tibi causa erit non modo in præsenti sed etiam in futuro sæculo.

Ib. αἱ ἔτι,&c. Si adhuc vno certamine vicerimus, periimus.

ex ca. 25. p. 158 ἐν δ,&c. In iustitia collectiuè virtus omnis continetur.

Ib. Κρατίστην τῶν ἀρετῶν. Valentiorem virtutum.

Ib. ἀρετὴν τελειοτάτην, perfectissimam virtutem.

Ib. ἁμαρτία, &c. Crimen se ipso fit deterius, si accusationi non subiiciatur, & ad alios transfunditur.

pag. 159 Περὶ παίδων ἀγωγῆς, de puerorum educatione.

Ib. Τιμαὶ πρὸς τὰ, &c. Honos ad præclara facinora homines concitatiores, pœna ad mala opera lentiores facit.

Ib. αὐτάρκης πρὸς εὐδαιμονίαν, virtus est sufficiens ad beatitudinem.

Ib. Ἐν τῷ δὲ, &c. In eo male rem gerunt multæ ciuitates, quando quis probus & promptus existens, nihil plus fert quam alij.

Ib. Οὐδὲν,&c. Nihil inæqualius esse inter homines existimo, quam quando ex æquo bonus & malus præmio afficitur.

pag. 160 ὁ μὴ δαρεὶς,&c. Homo qui non vapulat, non corrigitur.

pag. 161 ἕκαστον,&c. Vnumquodque eorum, quæ fiunt, ab eo quod minimum est incipit; per partes vero alitum accipit vires.

Ib. Εἰς ὀργὴν τὸ κακὸν πράσσοντι, ad iram contra eum qui malum operatur.

pag. 162 ἐπίχαρτος, &c. Desiderabilem esse malorum interitum.

pag. 164 ἄγει, &c. Agit deus malos ad supplicium.

Ib.Νόμων,&c.Legum quo plura & formidoloſiora tranſgreſſori-
bus conſtituta ſunt ſupplicia, tunc magis in illa improbi in-
cumbunt.

ἀταραξίαν, tranquillitatem. *ex ca. 26.p.165*

ἅπαντας, &c. Omnes doctrina placidos facit. *pag.166*

Ib.Βακτηρία,&c. Baculum quidem eſt doctrina hominibus.

Ib.Πλάνη, &c. Peregrinatio vitam conſtituit prudentiorem.

Ib.Περὶ παίδων ἀγωγῆς, de puerorum educatione.

Φημὶ, &c. Aio aliis omnibus bonum aliquid eſſe ſubditorum ſcien- *pag.167*
tiam,maximè vero tibi,qui de omnium ſalute debes curam age-
re,& ad clauum mundanæ nauis ſedere, eamque regere.

Δίπλουν,&c. Bis vident qui litteras didicerunt. *pag.168*

Παίουσι,&c. Bis percutiunt,qui didicerunt litteras. *pag.169*

Ib.Πολὺ, &c. Multo pulchrius & regalius animum habere bene
edoctum,quam habitum corporis videre ſplendide excultum.

Ib.Καθάπερ, &c. Quemadmodum conſeruatio corporis eſt ſanitas;
ſic tutela animi eſt doctrina. Hac igitur præeunte errare non
continget tibi circa rerum actus,ſed tueri omnes, vt ita dicam,
exiſtentes tibi bonorum fruitiones.

ἐμψύχους, animatas. *pag.170*

Ib.ῥήμασι βυσσίνοις, verbis ſericis.

Σοφοὶ,&c. Reges ſapientes fiunt ſapientum colloquio. *pag.171*

Λόγου, &c. Sermonis vis bonis quidem virtutis arma ſubminiſtrat; *pag.172*
improbioribus vero ad malitiam ſtimulus exiſtit.

Ib. Οὐκ ἔστιν, &c. Non eſt ſapientis medici flebiles nænias occine-
re,dum morbus ſectionem requirit.

Τεχνίτας,&c. Artifices eſſe neceſſarium eſt: Omnis enim ciuitas in- *Ex cap. 27.*
diget artificibus. *pag.174*

Ib.ἄνευ,&c. Sine artibus ciuitatem impoſſibile eſt habitari.

Περὶ τύχης, &c. De fortuna Paruas prudentias & fluxus & lacinias *pag.175*
per ipſas vitæ neceſſitates diſperſas.

Ib.Πνεῦμα, &c. Spiritum diuinum ſapientiæ & intelligentiæ.

Ib. Λιμὴν, &c. Portus infortunij hominibus eſt ars.

Περὶ πόρων καὶ προσόδων. De reditibus & prouentibus. *pag.177*

Φεῦ τοῖσι, &c. Heu quam generoſa indole præditos quodlibet de- *pag.179*
cet.

Πρῶτα θεὸν τίμα, primum deum honore proſequere. *pag.180*

Ib.Πρῶτον μὲν, &c. Primum quidem timorem & amorem Dei ha-
beas: Deus enim omnium principium & finis omnis vitæ eſt
eis,qui bene ſapuerint.

Πηγὴ,&c. Fons & radix probitatis eſt, optimam adſequi inſtitutio- *pag.182*
nem.

ἔργον,opus: ἀποτέλεσμα,opus perfectum. *pag.183*

pag.184 Τὰ χρηστὰ, &c. Res optimæ optimorum ſemper occaſiones præbent ſermonum.

Ex Commentariis in reſcripta Imperatoris Alexandri.

pag.188 Βασιλείας ἀπόρφυρον, Regium Imperium purpurâ exceptâ.
pag.189 Πρᾶξιν, &c. Actum non multum à poteſtate & autoritate regia diſtantem.
Ib. ἔπαρχος αὐλῆς, Præfectus aulæ.
Ib. Κόσμου κύριος, Mundi dominus. Ἀξίωσις, Deprecatio.
Ib. Αὐτῷ,&c. Ipſi obediunt omnia late.
pag.190 Τραχὺς,&c. Aſper monarcha nulli obnoxius imperat.
Ib. Βιοκωλύτης, Magiſtratus qui vim illatam aut inferendam coërcet. Λῃστοδιώκτης, Latrunculator, ſiue latronum indagator. Ἐρευνάδης, Maleficorum inquiſitor.
pag.193 Τὸ Θεοὺς, &c. Deos ante parentes honorare ſancitum eſt, quaſi qui communiter omnium parentes ſint.
pag.195 Διδόναι,&c. Dare fideiuſſores de præſentia ſua apud iudicem.
Ibid. Ἀσφάλεια,&c. Securitas,quod præſens aderit vſque ad terminum litis.
pag.196 Αἱ γαμεταὶ,&c. Vxores coruſcant radiis maritorum.
pag.206 Ἐπιτατικὴ, ἀπαγορευτική. Extenſiua,reſtrictiua,
Ibid. Σύστασις, Subſiſtentia,ſubſtantia.
pag.207 Συγχρόνως,&c. Contemporaneè,dum fit contractus.
Ib. Παρατατικώτερον. Magis extenſiuè.
Ibid. Τὸ μικρὸν,&c. Quod parum abeſt, quaſi nullomodo abeſſe videtur.
pag.212 Αἱ μεταγενέστεραι,&c. Poſteriores conſtitutiones validiores ſunt iis, quæ præcedunt.
pag.217 Παρενθήκη, Additamentum.
pag.227 [illegible], &c. Honoris gratia conceſſa dona.
pag.231 Προηγμαίτερον, &c. Satius viſum eſt ipſi ducis imperium, quam proprium exſequi.
pag.235 εἴτε πωλεῖν, &c. Siue vendere velis, ſiue pignori ſubijcere, ſiue emere.
pag.239 Τὰ κεκρισμένα πληρῶσαι, Quæ iudicata erunt implere.
pag.242 Πρώτη γε, &c. Prima quidem rerum, quæ neceſſariæ ſunt, eſt alimentorum comparatio tuendæ vitæ gratiâ,ſecunda habitationis, tertia veſtium.
pag.255 Ἀμνηστία, Obliuio iniuriarum. γνώμη ſententia.
Ib. Ὀργῆς, &c. Iræ explementum non continet vtilitatem aliquam.

pag.353 πρὸς διαστολὴν, Ad differentiam.

pag.356 ἔθος ἦν, &c. Mos erat quibuſdam mortuis in aliena terra, etiam ſi corpora non eſſent apud eos, animas nihilominus eorum quibuſdam ſacrificiis euocare, & quaſi ſimul adnauigantes in patriam transferre.

pag.358 Κοινῆ οὔσης, &c. Cum publica ſit pietatis ratio, communem quoque curam eſſe decet, vt exſecutioni mandetur.

Ib. Θεσπίζομεν. Sancimus.

Ib. Θανόντος, &c. homine mortuo perit apud homines eius gratia.

pag.360 Κρημνῶν, &c. Præcipitiorum maximum eſt periurium.

Ib. ὅρκον, &c. Iuramentum fuge, etiam ſi iuſte iuraturus ſis.

Ib. Ἐπίορκον, &c. Periurum exiſtere vel iurare ſic graue & intolerabile eſt, vt apud nos ſolos non iuretur.

Ib. ὅρκον ἐπακτὸν, &c. Iuſiurandum delatum tibi ſuſcipe propter cauſas duas; vel quô te turpi criminatione liberes, vel vt amicos à periculo conſerues.

pag.370 Προπετῶς, &c. Petulanter ne iurato.

Ib. προπετὴς, &c. Qui petulans lingua erat, in hominem incidit manu proteruiorem.

pag.376 Ἀπαγορευτικῶς, &c. Reſtrictiuè, extenſiuè.

pag.379 Οἰόμεθα, &c. Exiſtimamus, quæ viua voce proferuntur, ac cum religione iuriſiurandi, ea fide digniora haberi, quam ſit ipſa ſcriptura.

Ib. κατ' ἐγγράφου, &c. Contra ſcriptum teſtimonium non ſcriptum non admittitur, fide enim dignius eſt.

Ib. Τῶν μαρτύρων, &c. Teſtium ad probationes vtilitas inuenta eſt, ne quid facile lateat eorum, quæ fiunt.

pag.383. Ἀντιχρήσεως, Mutui vſus.

pag.390 Ὑπερθετικὸν, &c. Superlatiuum pro poſitiuo. & inf. poſitiuum pro ſuperlatiuo.

Ib. Κατάχρησιν, &c. Abuſionem, tranſpoſitionem.

Ib. ἀπώλειά τις, &c. Eſt quædam iactura ſui ipſius propriæ ſubſtantiæ interitus, quaſi vita per eam conſeruetur.

pag.406 Πρὸς πολυόρκους, Ad eos qui ſæpe iurant.

Ib. χειρόγραφον, &c. Chirographum vinculis ligat magis.

pag.416 ἐπὶ καρπῶν, &c. In fructibus creditis licet maiores vſuras ſtipulari propter incertum pretium fructuum.

pag.423. Παρεκτατικῶς, Extenſiuè.

pag.436 Ἠθικῶν, &c. Magnorum moralium.

Ib. Μέρος ὅτι, &c. Pars quædam eſt patris filius; niſi quando iam impleuerit virilem ætatem, & ſeparetur à patre per illam; tunc iam in æqualitate & ſimilitudine eſt patri.

pag.446 Στίγματα, &c. Stigmata ne ſcribas & inuras infamiâ ſeruum afficiẽs.

Ib. ἐπὶ

pag.633. Σωύταξις, Constructio.
pag.678 Δίκη,&c. Lis litem parit,& damnum parit aliud dettimentum.
pag.682 Αναψηλάφησιν, Retractionem iudicij : παλινδικίαν, idem.
Ib. Ανάδικοι κρίσεις, Irrita iudicia.
pag.683 Αυτοκράτωρ,&c. Imperator Alexander communi eorum qui sunt in Bithynia Græcorum. Appellare quidem qualiter quis prohibeatur à iudicantibus,non video : quando licet aliam viam tenentem, idem facere & celerius ad me peruenire. Iniuria autem & vi vti aduersus eos, qui appellant & custodia militari circumsistere,&,(vt simpliciter dicam) obstruere illis eam ad nos viam interdicimus curatotibus & ducibus gentium. Et obediant huic meæ ptonuntiationi scientes quod tantum mihi curæ est eorum qui reguntur libertas,quantum & illorum beneuolentia & obedientia.
pag.720 Ὅτι ἂν θέλητε ποιήσω. Quodcumque volueris faciam.
Εγγυῶμαι τὸν δ. Spondeo pro illo.
pag.730 Οἱ δ παλαιοὶ,&c. Antiquæ Romanorum leges ad naturæ excellentiam respicientes,& ad labores,quos parentes pro liberis ferunt, simul etiam libetos omnimodo obedientes reddere desiderantes,& parentum ipsorum vt reor naturali amore confidentes ;& vendere, si vellent liberos parentibus permiserunt, & eosdem impune occidere.
pag.732 Ἔθος,&c. Consuetudo tempore firmata in legem transit.
Ib. Τὸ γὰρ συνηθὲς,&c. Quod est consuetum lex est.
pag.734 περὶ στεφάνου. De corona.
pag.742 Τὰ ἐγκλήματα,&c. Accusationes vicennio extinguntur.
pag.747 Ἐπειδὰν,&c. Si quis deptehenderit adulterum, ne liceat ei, qui deprehenderit, cum vxore sua habitare. Si vero cum ipsa manserit in eadem damo, infamis fit, neque mulieri liceat ingredi in templa publica.
pag.770 πρωτοπραξίας, Primæ exactionis. πρώτης εἰσπράξεως, idem.
pag.771 Τῷ ἀφανεῖ,&c. Rem occultam comitatur dolus.
pag.777 Τέσσαρες,&c. Quatuor sunt certamina in Græcia, & ea sacta ; duo quidem sacrata mortalibus, duo immortalibus : Iouis, Phœbi, Palæmonis, & Archemori : Præmia vero eorum sunt oleaster, poma, apium, pinus.
pag.781 Πραγματικοί. Serui otdinarij qui curam familiæ habent.

FINIS.



INDEX RERVM
ET MATERIARVM
QVÆ IN ARIOMATIBVS POLITICIS CONTINENTVR.

A

D

E

F

G

H

Ioannes

Q

R

FINIS.



INDEX RERVM
ET MATERIARVM
QVÆ IN HIS COMMENTARIIS AD RESCRIPTA ALEXANDRI *Seueri Imperatoris continentur.*

A


I

L

Tutor

Qqqqq

FINIS.



Errata in Axiomatibus Politicis.


P*Ag. 2. lin. 9. viris, leg. veris. p. 4. l. 40. iniquor, leg. iniquior. p. 5. l. 10. vna, leg. vua. p. 7. l. 10. dignißimus, leg. dignissimis. p. 9. l. 6. in aduersus, leg. in aduersis. p. 12. l. 17. voluntatis, leg. & voluntate. p. 13. l. 3. procedentium, leg. praecedentium.* ib. *l. 7. impudenter, leg. imprudenter. p. 15. l. 31. quid, leg. quod. p. 17. l. 3. φύλαξ, leg. φύλαξ.* ib. *l. 5. leg. ἀναφωνοῦσι. p. 19. l. 1. leg. Ecclesia. p. 27. l. 31. auxiam, leg. anxiam. p. 31. l. 35. pannomorum, leg. pannoniorum.* ib. *l. 32. leg. in eius vita. p. 35. l. 40. impedenter, leg. impudenter. l. 37. l. 23. corrumperunt, leg. corruperunt. p. 39. l. 12. insidius, leg. insidias. p. 40. l. 34. leg. intellexere. p. 41. nexa, leg. nexa. p. 46. l. 10. crere. leg. ciere. p. 52. l. 18. leg. per necessariam. p. 53. l. 8. leg. ἐᾶσαι. p. 54. l. 36. decoris, leg. dedecoris. p. 56. Tridatis, leg. Tiridatis. p. 57. l. 13. ὀχλοῦντας, leg. ὀχλοῦντας. p. 60. l. 37. natalum, leg. natalium.* ib. *l. 39. leg. saturiginis. p. 63. l. 27. leg. tyrocinij. p. 30. Alexandrini, leg. Alexandri. p. 64. l. 24. sufficiunt. p. 65. l. 32. agis, leg. agris. p. 78. l. 27. quibusdam, leg. quibus cum. l. 32. rederent, leg. riderent. l. 34. suis, leg. sui. p. 79. l. 26. leg. constiterit. p. 90. l. fin. ὠνομάζω, leg. ὠνόμαζε. p. 106. l. 34. nominis, leg. numinis. p. 111. σρατιωτικὸν, leg. στρατιωτικόν. p. 116. l. 29. praecipitantur, leg. praecipitanter. p. 118. l. 40. inconnuentibus, leg. inconniuentibus. p. 131. l. 36. toremnata, leg. toreumata. p. 135. l. 36. leg. propter sumptus. p. 143. l. 13. liberinibus, leg. libidinibus. p. 148. l. 12. nascisci, leg. nancisci. lin. pen. Τὸ, leg. Τί. p. 158. l. 39. patria, leg. pœna. p. 172. l. 13. fore, leg. ferè. p. 174. l. 16. illarum, leg. illorum. p. 181. l. 7. leg. vniuersorum. p. 182. l. 10. temere, leg. tenere.*

In Commentariis.

P*Ag. 196. vino, leg. viuo. p. 198. l. 18. solus, leg. solius. p. 209. l. 21. leg. fundum illum liberum ab,* &c. *p. 226. l. 22. §. leg. ff. l. 30. leg. elogio. p. 228. l. 21. leg. praeposito. p. 233. l. 26. mannatu, leg. mandatu. p. 254. l. 25. passim, leg. passum. p. 291. l. 21. negotiationem, leg. negotiatorum. p. 320. l. fin. leg. potestis. p. 72. l. 2. longe, leg. lege. p. 413. l. 4. annotarum, leg. amotarum. p. 419. l. 9. pacto, leg. pactio. p. 487. l. 10. indicem, leg. iudicem. p. 560. l. 39. lberos, leg. liberos. p. 561. l. 28. minuit, leg. minuit. p. 588. l. 6. leg. adgnoscens. p. 625. l. 31. possunt, leg. potest. p. 632. l. 39. leg. satagente. p. 746. l. 42. munerum, leg. numerum. p. 773. l. 32. Tiberum, leg. Tiberim. Alia errata, si qua occurrerint, ea leuia sunt, quae lector doctus & intelligens per se animaduertere poterit.*

In Epistola dedicatoria.

P*Ag. 4. lin. 22. protegeris, leg. protexeris. Ib. l. fin. sint. leg. finit. p. 5. l. 22. christianissi, leg. Christianissimi. p. 6. li. 33. clientem, leg. clientelam.*



PRIVILEGE DV ROY.



LOVIS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE: A nos Amez & Feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement de Paris, de Thoulouze, Roüen, Bordeaux, Dijon, Aix, Grenoble, & Bretagne, Baillifs, Preuosts, & Seneschaux desdits lieux, Lyon, Poitiers, Orleans, Bourges, Champagne, & à tous nos Officiers, ou leurs Lieutenans, Salut. Nostre cher & bien Amé Me ALEXANDRE DE LA CHASSAIGNE, Aduocat en nostre Parlement de Paris, nous a tres-humblement remonstré, qu'il a composé vn Liure intitulé, *Aurelij Alexandri Imperatoris Romani Axiomata Politica & Ethica, Eiusdem Rescripta vniuersa Commentariis Alexandri Chassanai illustrata*, lequel il desireroit faire imprimer: mais il craint que pour le frustrer, ou l'Imprimeur qui l'aura imprimé, de ses labeurs, & frais qu'il conuiendra faire pour cest effect, les autres Libraires & Imprimeurs de ce Royaume voudroient faire le semblable, qui feroit en ce faisant ruiner ledit Imprimeur, s'il ne luy estoit sur ce par nous pourueu de nos Lettres à ce necessaires, lesquelles il nous a tres-humblement supplié, & requis luy octroyer. A CES CAVSES, inclinant liberalement à la supplication dudit de la Chassaigne, luy auons permis & permettons faire imprimer ledict Liure par tel Imprimeur ou Libraire de nosdites villes de Paris, ou Lyon, qui sera par luy choisi, & iceluy vendre & distribuer par nostre Royaume, auec deffences à tous autres, de quelque estat ou condition qu'ils

soient, d'imprimer, ou faire imprimer ledit Liure, sans le consentement dudict de la Chassaigne, ou de l'Imprimeur qu'il aura choisi, iusques au temps & terme de dix ans, finis & accomplis, à compter du iour que ledit Liure aura esté imprimé, à peine de confiscation dudit Liure, dommages & interests de l'exposant, ou de l'Imprimeur qui de luy aura pris la charge, & d'amende arbitraire. SI VOVS MANDONS, & à chacun de vous commettons, si comme à luy appartiendra, que de nostre present Priuilege, & du contenu en iceluy vous faictes & souffrez l'exposant, & celuy qui aura charge de luy, joüir & vser plainement & paisiblement; & à ce faire souffrir & obeïr, contraignez tous ceux qui pour ce seront à contraindre par toutes voyes deuës & raisonnables: Voulons en outre qu'en mettant ou faisant par luy mettre au commencement ou à la fin dudit Liure ces presentes, ou vn bref extraict d'icelles, qu'elles soient tenuës pour signifiées, & venuës à la cognoissance de tous, sans souffrir ny permettre luy estre faict, mis, ne donné aucun empeschement au contraire: A la charge que l'exposant mettra en nostre Bibliotheque deux exemplaires dudit Liure. CAR TEL est nostre plaisir. DONNÉ à Paris le quatorziesme iour de Febvrier l'an de grace mil six cens vingt-deux, & de nôtre Regne le douziesme.

Signé,

Par le Roy en son Conseil,

THIBAVLT.

Et scellé du grand Seau sur simple queuë de cire jaune.

Acheué d'imprimer, pour la premiere fois, le 19. Febvrier 1622.